SC.15.P1.6.

37
23 A
12

ARA 2 16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita


cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS DUODECIMUS
compleƈtens poſtremos quinquaginta ex PSALMIS.



VENETIIS
MDCCL.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PSALMUS CI. LUCTUS: DEPRECATIONIS: PROPHETICUS.

Tempore Babylonicæ ſervitutis, vir bonus & iuſtus, qualis Nehemias, orat ædificari Sion ac ſolvi captivitatem iam diuturnam: tum ad redemptionem ſpiritualis populi & gentium vocationem ſe convertit.

VERSIO S. HIERONYMI.

Oratio pauperis cum anxius fuerit, & coram Domino effuderit eloquium ſuum.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non abſcondas faciem tuam a me: in die tribulationis meæ inclina ad me aurem tuam: in quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quoniam conſumpti ſunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea quaſi frixa contabuerunt.

Percuſſum eſt quaſi fenum, & arefactum eſt cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ.

Aſſimilatus ſum pellicano deſerti: factus ſum quaſi bubo ſolitudinum.

Vigilavi, & fui ſicut avis ſolitaria ſuper tectum.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: exultantes per me iurabant.

Quia cinerem ſicut panem comedi, & potum meum cum fletu miſcui.

VERSIO VULGATA.

1. Oratio pauperis,
Cum anxius fuerit, & in conſpectu Domini effuderit precem ſuam.

2. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

3. Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te; velociter exaudi me.

4. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

5. Percuſſus ſum ut fenum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

6. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

7. † Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

8. Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adverſum me iurabant.

10. Quia cinerem tamquam panem manducabam, * & potum meum cum fletu miſcebam.

Digitized by Google

A facie indignationis tuæ, & iræ tuæ: quia elevaſti me & alliſiſti me.

Dies mei quaſi umbra inclinati ſunt, & ego quaſi fenum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generatione.

Tu ſuſcitans miſereberis Sion: quia tempus eſt ut miſerearis eius, quoniam venit tempus.

Quoniam placitos fecerunt ſervi tui lapides eius, & pulverem eius miſerabilem.

Et timebunt gentes nomen Domini, & univerſi Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: apparuit in gloria ſua.

Reſpexit ad orationem vacui, & non deſpexit orationem eorum.

Scribatur hoc in generatione noviſſima, & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quoniam proſpexit de excelſo ſanctuario ſuo: Dominus de cælo terram contemplatus eſt.

Ut audiret gemitum vincti, ut ſolveret filios mortis.

Ut narretur in Sion nomen Domini, & laudatio eius in Ieruſalem.

Cum congregati fuerint populi ſimul, & regna ut ſerviant Domino.

Afflixit in via fortitudinem meam: abbreviavit dies meos.

Dicam Deus meus, ne rapias me in medio dierum meorum: in generatione generationum anni tui.

A principio terram fundaſti, & opus manuum tuarum cæli.

Ipſi peribunt, tu autem ſtabis, & omnes quaſi veſtimentum atterentur: quaſi pallium mutabis eos, & mutabuntur.

Tu autem ipſe es, & anni tui non deficient.

11. * A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

12. Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fenum arui.

13. Tu autem Domine in æternum permanes: * & memoriale tuum in generationem & generationem.

14. * Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

15. Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.

16. † Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

17. Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua

18. Reſpexit in orationem humilium: & non ſprevit precem eorum.

19. † Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum:

20. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit:

21. Ut audiret gemitus compeditorum: ut ſolveret filios interemptorum.

22. † Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ieruſalem.

23. In conveniendo populos in unum, & Reges ut ſerviant Domino.

24. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

26. Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli.

27. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: 28. tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filii

Digitized by Google

Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum ante faciem tuam perſeverabit.

29. Filii ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur,

COMMENTARIA

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 10. *Et potum meum cum fletu miſcebam*. Alii libri *poculum* habent, eodem ſenſu.

V. 11. *A facie iræ & indignationis tuæ*. Non omittas mediam coniunctionem *&*.

V. 13. *Et memoriale tuum in generationem & generationem*. Non mutes priorem accuſativum *generationem* in ablativum, ut multi. Idem infra verſ. 25. & Pſalm. cv. verſ. 31. atque alibi.

V. 14. *Tu exurgens miſereberis Sion*. Non addas *Domine*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 7. *Similis factus ſum pellicano*. Videtur ſcribendum *pelicano*, unica *l*, prout quidam Latini cum Græcis ſcribunt.

V. 16. *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine*. Pro *nomen tuum Domine*, alii libri legunt *nomen Domini*, Græco, & Hebræo conſentanee.

V. 19. *Scribantur hæc in generatione altera*. Quidam obſcurius ſcribunt numerum ſingularem *ſcribatur*, *hac* pro *hæc* accepto, more Hebræo: quidam clarius legunt accuſativos *generationem alteram*.

V. 22. *Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ieruſalem*. Antiqui libri Epanorthotæ, aliique legunt numero ſingulari *annuntiet*, & pronomen reciprocum *ſuam* loco *eius*.

NOTATIONES.

Verſ. 10. ET *potum meum cum fletu miſcebam*. Latinorum manuſcriptorum alia *potum*, alia *poculum* habent. 22. noſtra, illo; quatuor cum multis impreſſis libris hoc ſcribunt modo. D. Auguſtinus *potum*; S. Hieronymus *poculum* legit. Hebraicis codicibus eſt שקוי id quod *potum* conſtanter interpretantur. Græcis libris ex quibus noſtra ducta eſt verſio, eſt πόμα; id quod ad *poculum* & *potum* ambiguum eſt. Utro igitur modo Interpres noſter verterit, ex verſionis eius quærendum eſt exemplaribus. Superant autem numero, quæ *potum* legunt; verum an & integritate, eſt cur dubitem. Nam & Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterium, & Wilhelmi Ruremondenſis *poculum* habent. Inſuper Brugenſe antigraphum, *populum* legit, quod haud dubie *poculum* eſt; ſubrepſit diligentiſſimo, & fideliſſimo ſcriptori quædam, ut fit, inconſideratio. Ad hæc exemplaria Lobienſe, Tornacenſe, & Stapulenſe, quibus columnis pluribus diverſa diſtincta ſunt Pſalteria, Romano *potum*, Gallico, quod noſtræ eſt editionis *poculum* adſcribunt. Denique poſteriores inter Latinos Enarratores, qui noſtram ſecuti ſunt editionem, fere *poculum* legunt. Gregorius, Haymo, Remigius, Bruno, Ludolphus, Lyranus, Carenſis, Pelbartus, Richelius, Paſtura. Et quidem ſive *potum* legamus, ſive *poculum* idem unum ſignificatur: ſed quærenda eſt ipſa noſtri Interpretis Scriptura.

V. 19. *Scribantur hæc in generatione altera*. Epanorthotæ antiqui codices ſingulari numero *ſcribatur* legunt; id quod Græcis, Hebraicis, & Chaldaicis libris conſentaneum eſt; hoc autem Chaldæa paraphraſis, ut in Venetiana, & Nebienſi eſt editione, ad orationem, de qua antecedit: *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum*, refert: ſic enim habet Venetiana editio. תתכתיב זליתא דא לדר בתראי: id quod minus recte in Nebienſi ſcriptum eſt תתכתב צלותהון דין בדר בתראי *Scribatur oratio* (eorum) *hæc in generationem ultimorum*. In Regiæ editionis Chaldaico textu nulla orationis eſt mentio: תתכתב דא לדר בתראי *Scribatur hæc in generationem noviſſimam*. Eodem, ad orationem inquam, Euthymius Græcus auctor retulit. Exiſtimarim ego cum aliis hebraice, atque ex Hebræo græce & latine, *ſcribatur hæc* legi, Pro *ſcribatur hoc*. Solent enim Hebræi & Chaldæi feminino genere ad ſubſtantivandum uti, ut Græci, & Latini neutro. Itaque *ſcribatur hæc* nihil aut parum differt a *ſcribantur hæc*, quæ Latinorum codicum, & Enarratorum, quos vidimus nos lectio eſt (quamquam quid ex Caſſiodoro, atque Haymone colligi debeat, ignorem) Eam vero aliam eſſe litteram Epanorthotes affirmat.

Rurſus Epanorthotæ codices quarto caſu, *gene-*

nerationem alteram ſcribunt, quibus conformes ſunt duo noſtri, unus ex D. Donatiani Brugenſi Bibliotheca, alter ex D. Petri Lobienſi Abbatia; conſonant duo Pariſientium antigrapha, (a) nonnulla Lugdunenſium, & D. Lindani Pſalterium. Ad eumdem modum inter Tractatores manifeſte S. Auguſtinus & V. Beda habent. Eſt autem hæc horum lectio græcæ lectioni conſimilis *εἰς γενεὰν ἑτέραν*; & hebraice belle conveniens לדור אחרון id quod vertunt *Generationis noviſſima*, aut *In generationem noviſſimam*. Huiuſmodi & Hieronymi tranſlatio eſt, ſi emendatiora ſequamur manuſcripta: *Scribatur hoc in generationem noviſſimam*. Quamquam alteram lectionem *in generatione altera*, non tam hebraica verba, quam eorum ſenſus, quam præſens exigere videtur locus, improbet. Porro & eam eodem nonnulli ſenſu interpretantur, ut ſit pro caſu caſus poſitus, aut *in* pro *ad* vel *pro*,

(a) Ge. ar. Di. o

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ORATIO PAUPERIS, &c. *Oratio pro paupere cum affligitur, & coram Domino effundit precationem ſuam*.

V. 4. SICUT CREMIUM ARUERUNT, *ſicut focus incenſa ſunt*: vel *ſicut terris exuſta ſunt*.

V. 5. PERCUSSUS SUM, &c. Hebr. *Percuſſum eſt cor meum, & aruit ut herba, quare oblitus ſum comedere panem meum*; id eſt, ita ut præ dolore non ſim recordatus cibi, nec potus. כי ſignificat hoc loco *propterea*, ut ſæpe alias.

V. 7. SIMILIS FACTUS SUM PELLICANO, &c. Hebr. *Similis factus ſum pellicano deſerti, factus ſum ſicut bubo ſolitudinum*.

V. 9. ET QUI LAUDABANT ME, &c. Hebr. *Qui inſaniebant in me, adverſus me iurabant*. מהוללי Septuag. verterunt *ἐπαινοῦντές με*: id enim etiam ſignificat.

V. 10. QUIA CINEREM. Hebr. כי, *propterea*, ſicut paulo ſupra.

V. 11. A FACIE IRAE, &c. Hebr. מפני: *Propter indignationem tuam & iram tuam, qua attollens deieciſti me*.

V. 15. QUONIAM PLACUERUNT, &c. Hebr. *Quoniam amant ſervi tui lapides eius, & pulveris eius miſerentur*; id eſt, dolent redactam eſſe in pulverem.

V. 17. QUIA AEDIFICAVIT DOMINUS SION, &c. Hebr. *Quando ædificaverit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua* (id eſt in magnifico templo ſuo) *reſpiciet Dominus ad orationem miricæ*, id eſt eius qui quaſi mirica in ſolitudine omni caret auxilio. Ponit autem hic bis Dominum, tertiam perſonam pro ſecunda.

V. 19. SCRIBANTUR HAEC, &c. Hebr. *Scribatur hoc*; id eſt, reſtauratio templi, de qua agit, & conſtitutio Eccleſiæ catholicæ, quæ per eam ſignificatur) *in venturam generationem, & populus qui creabitur laudabit Dominum*.

V. 21. UT AUDIRET GEMITUS, &c. Hebr. *Ut audiat gemitus vincti, & ſolvat filios mortis*, id eſt liberet eos qui ad mortem deſtinati erant.

V. 23. IN CONVENIENDO, &c. Hebr. *Cum congregarentur populi ſimul, & regna, ut ſerviant Domino*. Vaticinatur de futura omnium gentium ad Eccleſiam vocatione.

V. 24. RESPONDIT EI, &c. Hebr. *Afflixit in via virtutem meam, & abbreviavit dies meos*; id eſt, antequam videre poſſem congregationem populorum, quam tantopere deſiderabam, abſtulit me ex hac vita. Septuag. ענה verterunt *ἀπεκρίθη*: & כחי legerunt כחן, *ἐν ὁδῷ ἰσχύος αὐτοῦ*: & coniunxerunt quod ſequitur, אמר ארי: verteruntque *ἀπαγγείλονμοι*, haud male: nam & Pſal. XXXVIII. 5. ſimile quiddam David dicit: *Notum fac mihi finem meum, & numerum annorum meorum, ut ſciam quid deſit mihi*. Hebræi autem mutatis punctis, aliter legunt, & exponunt: *Dicam mi Deus: Ne auferas me in dimidio dierum meorum, in generationem generationem* (ſunt) *anni tui*.

V. 37. ET SICUT OPERTORIUM MUTABIS EOS, &c. Hebr. *Sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur*. Septuag. *ἑλίξεις αὐτοὺς καὶ ἀλλαγήσονται*. Credibile eſt eos principio vertiſſe *ἀλλάξεις*: deinde pro-

Digitized by Google

propter dictionis ſimilitudinem vitium irrepſiſſe.

S A.

De Ieruſalem, & Eccleſia.

Verſ. 3. AVERTAS. Hieron. *abſcondas*. Chald. *auferas*.

V. 4. DEFECERUNT. Hieron. *conſumpti ſunt*. OSSA. Chald. *membra*. CREMIUM, id eſt toſtum, ſeu aridum, aut frixum. Græc. φρύγιον, quod iſta tria ſignificat. Hieron. *frixa*. Chald. *chytropodes*, ſcilicet ollarum pedes.

V. 6. PERCUSSUS SUM, ſcilicet æſtu afflictionum. QUIA, pro &. OBLITUS SUM, ſcilicet præ mæſtitia, vel negligentia. PANEM, id eſt cibum. Chald. *legem doctrinæ*.

V. 6. A VOCE, id eſt præ clamore. GEMITUS. Chald. *ſuſpirii*; quaſi dicat, dum mæſtus ſuſpiro, gemo, & clamo. OS MEUM CARNI; pro, oſſa cuti, ſcilicet deficiente carne.

V. 7. PELLICANO. Naſcitur, ut aiunt, in ſolitudinibus; quaſi dicat, avibus ſilveſtribus. NYCTICORAX. Hieron. *bubo*. Chald. *noctua*. DOMICILIO, ſcilicet diruto.

V. 8. VIGILAVI, id eſt ſomnum non cepi. Chald. *vigilavi tota nocte*.

V. 9. LAUDABANT, ſcilicet ficte, vel olim. IURABANT, quaſi dicat: Coniurabant.

V. 10. CINEREM TAMQUAM PANEM, id eſt aſperſum cinere panem; vel pro, panem ſicut cinerem, id eſt ſine guſtu.

V. 11. A FACIE IRAE, &c. Chald. *pro pter iram*, &c. quaſi dicat: Quia te ſentiebam mihi iratum, ſeu ob afflictionem a te velut irato immiſſam. ELEVANS; id eſt ut qui deiecturus elevat.

V. 12. UMBRA, ſcilicet quæ cito deficit cum inclinatur in longitudinem. ARUI. Chald. *areſcam*.

V. 13. MEMORIALE. Chald. *memoria*. TUUM; quaſi dicat: Facta tua memoria perpetua digna ſunt, vel in æterna memoria erunt.

V. 14. EXURGENS; pro, velut exurgens. VENIT: præteritum eſt.

V. 5. SERVIS, ſcilicet Iudæis reædificantibus, vel Regibus permittentibus; qui ſervi dicuntur, quia Deus eorum opera uſus. MISEREBUNTUR; ſcilicet ut ædificent.

V. 16. GLORIAM, id eſt maieſtatem.

V. 17. VIDEBITUR. Hieron. *apparebit*. GLORIA; quaſi dicat, potentiam ſuam manifeſtans.

V. 18. HUMILIUM, id eſt afflictorum.

V. 19. IN GENERATIONE. Chald. *pro generatione*. ALTERA. Hieron. & Chald. *noviſſima*.

V. 21. INTEREMPTORUM. Hieron. *mortis*, id eſt morti deſtinatorum. Chald. *morti traditorum*.

V. 21. ANNUNTIENT. Hieron. *narretur*. Chald. *annuntietur*.

V. 23. IN CONVENIENDO. Hieron. & Chald. *cum fuerint congregati*. IN UNUM. Hieron. *ſimul*.

V. 24. RESPONDIT, ſcilicet iuſtus. EI, ſcilicet Deo. VIRTUTIS; quaſi dicat: Dum vigeret, diuque videretur poſſe vivere.

V. 25. REVOCES: Hier. *rapias*. Chald. *tollas*. DIMIDIO; quaſi dicat, morte immatura. Vide Iſa. XXXVIII. IN GENERATIONEM, &c. quaſi dicat, æterni.

V. 27. PERIBUNT, ſcilicet ut ſtatim explicat. VETERASCENT. Hieron. *atterentur*. OPERTORIUM. Hieron. *pallium*. Chald. *ſtolam*. MUTABIS, id eſt renovabis, vel conſumes. Græc. ἀλλάξεις, *alterabis*.

V. 29. HABITABUNT, ſcilicet terram tuam, vel tecum. IN SAECULUM, id eſt perpetuo. DIRIGETUR, id eſt recta ducetur a Deo. Hieron. *perſeverabit*, ſcilicet tecum, ſeu apud te.

E S T I I.

Verſ. 4. QUIA DEFECERUNT SICUT FUMUS DIES MEI, ET OSSA MEA SICUT CREMIUM ARUERUNT. *Cremium* quidam intelligunt carnem frixam uſque ad ariditatem: alii rectius lignum aridum, vel ſtipulam aridam, & quidquid ita areſactum eſt, ut facile incendatur: id enim etiam vox Græca ſignificat. Ex Hebræo vertit Hieron. *Et oſſa mea quaſi frixa contabuerunt*. Senſus eſt: Omnis virtus corporis mei, quo potiſſimum conſiſtit in oſſibus, penitus emarcuit, ita ut nihil in me remanſerit virium.

V. 15. & 16. QUONIAM PLACUERUNT SER-

SERVIS TUIS LAPIDES EIUS, ET TERRAE EIUS MISEREBUNTUR : alii , *& pulveris eius miſerebuntur* : ſic enim ſonant Græca , & Hebræa . Loquitur autem de lapidibus , & ædificatione Sionis , id eſt Eccleſiæ Chriſti , ut patet ex præcedentibus, & ſequentibus. Præcedit enim : *Tu exurgens miſereberis Sion*, *quia tempus miſerendi eius*, *quia venit tempus*. Sequitur autem : *Quia ædificavit Dominus Sion*, *& videbitur in gloria ſua*. Senſus ergo eſt : Servi tui magno affectu afficiuntur erga lapides Sionis; id eſt, vehementer optant ac deſiderant ut Sion ædificetur : optant videre Eccleſiam extructam ex lapidibus vivis. *Et terræ*, ſeu pulveris *miſerebuntur*; id eſt, & miſeret eos pulveris ſeu humilitatis Sion, cupiunt eam extolli de pulvere, & glorioſam fieri per omnes gentes. Unde ſequitur : ET TIMEBUNT GENTES NOMEN TUUM , ET OMNES REGES TERRAE GLORIAM TUAM . Vel poteſt etiam illud, *Miſerebuntur*, imperſonaliter accipi, phraſi Scripturæ non inuſitata , ut ſit ſenſus: Futurum eſt ut poſt diuturnam afflictionem tandem miſereantur eius, etiam inimici; ut Reges Perſarum intelligantur: qui non tantum captivitatem populi relaxarunt, verum etiam vaſa templi remiſerunt , & inſuper ſumptus ſuppeditarunt in ædificationem templi, & ſacrificia, ut patet ex lib. Eſdræ . Quæ res quoque typus fuit ædificandæ & provehendæ veræ Sionis , id eſt Eccleſiæ Chriſti , per Conſtantinum Imp. & alios. Et ſimile eſt quod infra Pſal. cv. clare dicitur : *Et dedit eos in miſericordias* , *in conſpectu omnium* , *qui ceperant eos*.

MARIANAE.

Verſ. 1. ORATIO PAUPERIS , CUM ANXIUS FUERIT , ET IN CONSPECTU DOMINI EFFUDERIT PRECEM SUAM. Ex titulo ſumas licet Pſalmi argumentum.

V. 2. DOMINE, Chriſte, de quo hunc Pſalmum intelligi, ex Paulo colligitur ad Hebr. 1. 10.

V. 3. NON AVERTAS. Heb. *Non abſcondas*, faciem a me.

V. 4. SICUT FUMUS , id eſt ſicut res combuſta, quæ in fumum abit. SICUT CREMIUM. Vox מוקד *moked* non eſt nota. Septuag. φρύγιον dixere , id eſt *cremium*, lignum exuſtum, & aridum. Hieron. *frixa* vertit. Chald. *chytropodes* , id eſt tripodes. Alii *focum*, aut *torrem* dicunt. ARUERUNT. Hebr. *combuſta ſunt oſſa mea*, id eſt corpus.

V. 5. PERCUSSUS SUM UT FENUM, ſcilicet cum demetitur . QUIA OBLITUS SUM COMEDERE. Mæror , & dolor cibi appetentiam tollunt. Ergo ad alia mala inedia acceſſit, quia exarui.

V. 6. A VOCE ; id eſt, clamore, & gemitibus ſum conſumptus. OS MEUM CARNI MEAE, id eſt adhæſit cuti meæ: factus ſum exſuccus, arui.

V. 7. SIMILIS FACTUS SUM PELLICANO. Alii *cucullo*, alii *onocrotalo*. Avis ea magna eſt, *croto* Hiſpanis. NYCTICORAX. Hieron. *bubo* . Hebr. Scholiaſtes, *falco* IN DOMICILIO. Vox Hebr. vel *ruinas*, & parietinas ſignificat: id Septuag. ſunt ſecuti: vel *ſolitudines*: id Hieron. & alii. Similitudo in duobus, in voce, quia eæ aves lugubre canunt, & quoniam ſolitudinem captant, vitatis hominibus. Sic & ego.

V. 8. VIGILAVI, id eſt conſideravi ſtatum meum. Verbum Hebr. ſignificat *vigilare*, & in hac ſignificatione ſumunt omnes Interpretes. Significat etiam *perſeverare*, *feſtinare*: ſic Hebr. Scholiaſtes hac ſignificatione. Perſeveravi ad te clamare, aut feſtinavi malo medicinam petens. SICUT PASSER SOLITARIUS IN TECTO , non ſignificat genus peculiare avis, ſed quamcumque, quæ ſolitaria triſtis eſt. Sic & ego.

V. 9. ET QUI LAUDABANT, id eſt aſſentari mihi ſolebant. Alii, *qui inſaniebant in me*. Verbum הלל *balal* utramque ſignificationem admittit. IURABANT , id eſt conſpirabant in me.

V. 10. QUIA CINEREM . Hypallage, pro, *quia panem ut cinerem*; id eſt, ſine guſtu ullo manducavi: ideo factus ſum ſimilis pellicano.

V. 11. A FACIE IRAE ET INDIGNATIONIS TUAE; id eſt , propter iram tuam incidi in has calamitates. QUIA ELEVANS, id eſt alte me extuliſti, ut gravior e ſublimi caſus exiſteret.

V. 12. SICUT UMBRA , in qua ſolidi nihil eſt, ſic dies mei. SICUT FENUM ARUI. Cito fenum ſolis ardore tabeſcit.

V. 13.

V. 13. Tu autem. Longe alia conditio tua eſt, mea vita caduca, tua æterna, mei oblivio parata. Et memoriale tuum. Hebr. *&* *memoria tui*. In generationem et generationem, id eſt perpetua.

V. 14. Tu exurgens. Videris indormire. Quia venit tempus. Hebr. *tempus definitum*, ſcilicet a te, a Prophetis, venit.

V. 15. Quoniam placuerunt servis tuis. Hebr. *voluerunt*, *diſideraverunt*. Lapides eius, id eſt ruinas, ut inſtaurari velint. Loquitur de tempore quo urbs illa erat everſa. Et terrae eius. Hebr. *pulveri eius*, in quem ſcilicet eſt redacta. Miserebuntur, pro miſerentur. Quod ſi feceris,

V. 16. Et timebunt gentes, ſcilicet ob ædificatam Sion, ut mox dicit.

V. 17. Et videbitur in gloria sua, Sion in inſtaurato templo, & cultu reſtituto. Aut Chriſtus in miraculis factis. Vidimus eum quaſi unigenitum.

V. 18. Respexit in orationem humilium, qui eam inſtaurationem petebant. Hebr. *orationem myricæ*, id eſt eorum qui myricæ ſimiles ſunt, vix ſurgentis e terra in locis aridis, de qua Ierem. xvii. 6. Septuag. metaphora relicta, ſententiam poſuere.

V. 19. Scribantur haec, ne de memoria excidant tam illuſtria beneficia. In generatione altera. Hebr. *generationi noviſſimæ*, id eſt poſteritati, ut illa ſciat. Deus enim in terram aſpexit.

V. 21. Ut solveret filios interemptorum, ſcilicet qui & ipſi captivi erant. Hebr. *Ut aperiret* (ſolveret) *filios mortis*, id eſt morti proximos ob anguſtias.

V. 22. Ut annuntient, celebrent. Nomen Domini, numen Domini. Quando?

V. 23. In conveniendo populos; pro, cum convenient, ſcilicet in unam Eccleſiam. Tunc

V. 24. Respondit ei: ſcilicet Deo populus placuit. In via virtutis suae, id eſt pro viribus, toto conatu & ſtudio. Paucitatem dierum: quot anni mihi ſuperſint, indica, & an hoc factum videre potero, converſionem gentium, inſtaurationem Sion. Hebr. *Afflixit in via fortitudinem meam*, *abbreviavit dies meos*: ſic Hieron. id eſt, ego cupio hæc videre, ſed imbecillitate & brevitate vitæ non potero.

V. 25. Ne revoces me; id eſt, ne de vita partem detrahas, ut poſſim hæc videre. In generationem. Tu es perpetuus, & expectare potes, mea vita brevis eſt.

V. 26. Initio tu Domine; quaſi dicat: Terra firmata eſt, cæli ſtabiles. Ipſi deficient, tu ſtabis. Ex comparatione magis explicat, Deum eſſe perpetuum.

V. 27. Et sicut opertorium. Heb. *ſicut indumentum*. Mutabuntur, aliis, ſi fuerit opus, ſubſtitutis pro illis, pro cælis, & terra.

V. 29. Filii servorum tuorum habitabunt. Hoc me ſolatur, ſi ego ad ea felicia tempora non pervenero, poſteri tamen pervenient. Et semen eorum, filii, & nepotes. In saeculum dirigetur. Hebr. *ad facies tuas* (id eſt coram te, tua ope) *firmabitur*, ſtabilietur, ſcilicet ut hæc videre poſſit ſemen iuſtorum.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Oratio pauperis, &c. Hunc verſum varie ex Heb. explanant. I. *Oratio pauperis*, *quando examinabitur*, *&* *faciebus Iehovæ fundet eloquium ſuum*. II. *Oratio oppreſſi*, *quandę obrueretur*, *&* *coram Iehova funderet preces ſuas*. III. *Precatio humili congruens*, *cum torquebit ſeſe*; ſubaudi ob gravem aliquam afflictionem: *ac ſuam querimoniam effundet coram Domino*. IV. *Oratio pro paupere*, *cum obruitur*, *&* *ante Iehovam effundit meditationem ſuam*. Recte notant, hanc orationem a Daniele, aut alio Propheta ſcriptam ſub finem deportationis Babylonicæ, cum populus ad reverſionem ex ea ſe accingeret, ut innuit verſus 24. *Pro paupere*, nimirum populo Iſraelis ſolitario, nudo, vincto, afflicto, & verſante in morte præſentiſſima apud Babylonios. Alii univerſe pro quovis afflicto & calamitoſo, ac malis obruto: ut ſit formula orationis, quam ad Deum effundere debent omnes qui calamitatibus opprimuntur. *Cum obruitur*: vide in Pſal. lx. 3.

V. 5. Quia oblitus sum comedere panem meum. Quidam: *Quoniam & cibum*

bum capere meum oblitus ſum. Alii: *Et oblitus ſum præ nimia calamitate ſumere cibum mihi*. Nonnulli: *Quia obliviſcor comedere cibum meum*; id eſt, tam graviter premor anguſtiis, ut non recordetur animus meus, ſed faſtidiat cibum.

V. 6. A VOCE, vel *præ voce*, GEMITUS MEI, &c. id eſt, diuturnitate malorum, clamorumque emacior atque exhaurior. Sic Iob XIX. 20.

V. 7. SIMILIS FACTUS SUM PELLICANO SOLITUDINIS, &c. Hoc verſu, & ſequente allegoriis avium ſolivagarum, & deſerticolarum, ſe ab omnibus deſertum, & derelictum queritur. Alii: *Præ mærore fugio hominum conſortia, ut aves ſolitariæ, & quæro loca deſerta*.

V. 8. VIGILAVI, ET FACTUS SUM SICUT PASSER. Quidam: *Præ mæſtitia & ſolitudine ſomnum non indulſi oculis meis, & ſimilis mihi eſſe videbar paſſeri mæſto*. Alii: *Aſſiduus ſum, ut ſim ſicut paſſer*, vel *aſſidue ſum ſimilis paſſeri*: ſic enim verbum שקד *ſchakad*, pro *aſſiduum eſſe*, capiunt. Quidam: *Solicitavi, perſeveravi, ut eſſem ſicut paſſer*; id eſt, ſtudium adhibui ut eſſem ſicut paſſer. SICUT PASSER SOLITARIUS IN TECTO. Quidam: *Et fui ſimilis paſſeri mæſto, qui ſolus in foramine deſidet ſub tecto*. Alii: *Et par ſum paſſerculo, qui viduus in tecto ſedet*. Buchananus:

Aut turtur viduus, ſolus, inops, dies
Et noctes vigiles gemo.

V. 9. ET QUI LAUDABANT ME. Notant {verbum חלל *halal* in Pohel, ſeu coniugatione quadrata, cuius hic participium pontiur מהוללים *meholelim*, habere contrariam ſignificationem quam in aliis coniugationibus, nam ſignificare *dedecorare, inglorium facere, dehoneſtare, perturbare, obſcurare, inſanire reddere, infatuare*. Unde hic varie reddunt: 1. *Inſanientes mei*, vel *in me*, ſeu *adverſum me*; 2. *Inglorii mei*; 3. *Inſultantes mihi*; 4. *Subſannatores mei*, vel *qui me ludibrio habent*; 5. *Dedecorantes, dehoneſtantes mei*, vel *me*; 6. *Ad inſaniam redigentes me*. Ego putarem id participium recte verti poſſe: *Illaudati mei*, id eſt viliſſimi quique, infames, inglorii, publica dehoneſtamenta, apud me, qua voce eleganter uſus Virgilius initio. III. Georgicorum.

Aut illaudati neſcit Buſyridis aras?

plus enim ſignificat quam præ ſe ferat; 7. *Glorianteſ de me*. ADVERSUM ME IURABANT. Hebr. *in me iuraverunt*. Plerique exponunt; id eſt, *in caput meum, in perniciem meam coniuraverunt*. Alii, *per me iurant*; id eſt, faciunt de nomine meo iuramenti, & execrationis formulam: ut ſi quis iuramento execratorio aliis diras imprecari voluerit, meas ærumnas illis imprecetur. Sic Numer. V. 27. & Iſaiæ LXV. 15.

V. 10. QUIA CINEREM TAMQUAM PANEM MANDUCABAM. Per hypallagem accipiunt: *Quare cibus meus non ſapiat magis mihi, quam ſi cinerem comediſſem*. Buchananus:

Nec panis cinere eſt gratior arido.

Fortaſſe alludit ad ritum lugentium ac pœnitentium, qui ut caput, ita quoque cibum cinere aſpergebant. Alii volunt eſſe hyperbolem noematicam; id eſt, in terram deiectus ſum miſer.

Verſ. 11. QUIA ELEVANS ALLISISTI ME. Heb. *Quia elevaſti me, & proieciſti me*. Quidam: *Videris extuliſſe me in altum, ut gravius corruere faceres me*. Alii: *Quia me alte ſublatum afflixiſti*, nam quæ volumus ad terram graviter affligere, ea alte extollimus. Nonnulli: *Quia ſuſtuliſti me, & abieciſti me*, id eſt graviſſime, & valentiſſime abieciſti me: ut cum non molli remiſſoque brachio, ſed elato aliquid vibratur, aut detorquetur, affligiturque in terram: metaphora. Alii ſimpliciter: *Quia extuliſti me ad honores & ſummum locum: & poſtea ex eo depoſuiſti*.

V. 12. DIES MEI SICUT UMBRA DECLINAVERUNT. Hebr. *Sicut umbra inclinata*, vel *extenſa*; id eſt, prope eſt ut occidam, quemadmodum occidente ſole maximæ ſunt umbræ, & inclinatiſſimæ, ſeu extenſiſſimæ, cum iam iam imminet nox. Virgilius ecloga 1.

Maioreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Servius: *Duplicantur: quia dum duplicantur umbræ nox imminet*. Quidam reddunt: *Dies mei ſimiles ſunt rotinæ*. Alii: *Dies mei ſimiles ſunt umbræ, quæ aſſidue fit maior, & tenebris propinquior*.

V. 13. TU AUTEM DOMINE IN AETERNUM PERMANES, &c. Videtur antitheſis ſuperioris verſus; quaſi dicat: Dies mei ut umbra abeunt; tu autem Iehveh in æter-

num

Digitized by Google

num permanebis, &c. Alii volunt eſſe propoſitionem argumentorum, quibus fi deles confirmantur, & adducuntur ad invocandum Deum. Sunt autem argumenta duo: unum a natura Dei conſtante; alterum a ſempiterna gloria eius: quæ duo proleptice in hoc verſu poſita, in ſequentibus ex ordine explicantur.

V. 14. TU EXSURGENS MISEREBERIS SION. Notant eſſe explicationem prioris argumenti, a conſtante cum natura Dei, qua eſt miſericors; tum promiſſionibus, quas ante fecerat populo, de reſtitutione poſt annos ſeptuaginta, Ieremiæ XXV. 11. & 12. & cap. XXIX. verſ. 10. poſtremo a fine, ut innoteſcat Deus, infra verſ. 16. & ſeqq. QUIA TEMPUS MISERENDI EIUS, QUIA VENIT TEMPUS. Quidam ex Hebr. reddunt: 1. *Quia tempus eſt illi benefaciendi, quia præfinitum tempus advenit*: 2. *Tempeſtivum enim eſt ut eius miſerearis, nam definitus terminus adeſt*: 3. *Quia tempus eſt faciendi gratiam ei, quia venit ſtatum tempus*; id eſt, iam adeſt tempus præſtitutum a prophetis quo pollicitus es, te poſt ſeptuaginta annos deportationis reſtituturum populum tuum.

V. 15. QUONIAM PLACUERUNT SERVIS TUIS LAPIDES EIUS, ſcilicet, Sionis. Varie hunc locum ex Heb. elucidant. I. *Quoniam voluerunt ſervi tui lapides eius*. II. *Quoniam placitos fecerunt ſervi tui lapides*. III. *Quoniam maxime diligunt ſervi tui lapides eius*. IV. *Quoniam acceptaverunt ſervi tui lapides eius*. V. *Quoniam ſervi tui depereunt lapides eius*. VI. *Profecto ſervi tui iam pridem deſiderio tenentur videndorum lapidum eius*. VII. *Nam ſervi tui afficiuntur favore in lapides eius*. VIII. *Quo delectentur ſervi tui lapidibus eius*, id eſt, quo populus tuus exſpectatione ſua fruatur, & terram (quæ nunc deſolata iacet) antiquo honori, cultuique reſtituat, *lapidibus eius*, id eſt ſtructura redintegrata: ſynecdoche. Alii, *lapidibus eius*; diſiectis & diſſipatis; id eſt, ut etiam ipſa rudera, ruinas, & parietinas aſpicere iuvet, ac delectet. ET TERRAE EIUS MISEREBUNTUR. Ex Hebr. alii: 1. *& pulveris eius miſeret ipſos*; 2. *& quamvis miſera ſit facies, pie tamen erga rudera eius affecti ſuccurrere cupiunt*; 3. *& pulverem eius evehere cupiunt*; 4. *& pulveri eius gratiam faciant*, id eſt deſertam terram, & quaſi lugentem recreent: proſopopœia.

V. 16. ET TIMEBUNT GENTES NOMEN TUUM DOMINE. Quidam ex Hebr. *Ut revereantur gentes nomen Iehova*. Finis præcipuus petitionis, gloriæ Dei illuſtratio, quæ tenuiter quidem effecta eſt in reſtitutione populi ex deportatione Babylonica; ſed perfecte adventu Chriſti, vocatione gentium, & inſtauratione Eccleſiæ Catholicæ; quo ſequentia omnia huius Pſalmi pertinent.

V. 17. QUIA AEDIFICAVIT DOMINUS SION: ET VIDEBITUR IN GLORIA SUA. Hæc in typo de Sione terrena; plene & perfecte de Eccleſia accipienda ſunt. Unde reddunt: *Cum ædificans Iehova* Chriſtus, ut infra verſ. 23. *Tziionem*, Eccleſiam, *apparuerit in honore ſuo*, id eſt in cultu, veneratione, gloria, quæ ei exhibetur in Eccleſia. Præterita Heb. certitudinem vaticinii demonſtrant. Vel *in gloria ſua*. Ioann. 1. 14.

V. 18. RESPEXIT IN ORATIONEM. Alii: *Cum reſpexit ad orationem*, &c. ut pendeant duo ii verſus a ſuperiore 16. *Ut revereantur gentes*, &c. Sic mox: *Et non ſpreverit precem eorum*. HUMILIUM. ערער *gbargbar* plerique deducunt ab עור *gbur*, *evigilare*, *excitare*: exponuntque, *ad orationem vigilantiſſimi*, *excitantiſſimi*, *ſeduliſſimi*, id eſt *excitantis ſe iugiter ad orationem*: nam geminatio litterarum ſignificatum intendit. Quidam, *ad orationem clamantis*, *vociferantis*, *ſuſpirantis*. Alii ab ערה *gbarab*, *ad orationem nudatiſſimi*, id eſt deſerti ab omnibus, abiecti, & egentis populi. Hanc vocem, inquiunt, propter antecedentia & ſequentia, ipſumque vocis etymon, ſic viſum eſt accipere. Non pauci a ערער *gbarbar*, *ad orationem unici*, *orbi*, *ſterilis*, *infœcundi*, *ſolitarii*, *deſerti*, *deſtituti*, *dirutiſſimi*, *demolitiſſimi*, id eſt miſerimi: ſic vocat populum in captivitate poſitum. Hebræi conſtanter affirmant eſſe *myricam*, vel *iuniperum*, vel *iuncum*: & nos vulgo dicimus de miſero paupere, *Deſnudo como un iunco*: ſed plures fere in myrica magis conſentiunt, quæ herba, vel frutex eſt in locis, deſertis, ſterilibus, arenoſis naſcens. Strabo Lib. XVI. pag. 767. *Poſt Syros & Iudæos regio eſt arenoſa & ſterilis, quæ palmas habet non multas, & ſpinam, & myricam*,

& *foſſiles aquas*: *eam Arabes Scenitæ camelorum paſtores habitant*. Plinius Lib. XIII. cap. XXI. *Myricen & Italia fert*, *quam alii famaricem vocant*. Virgilius ecloga IV. in principio.

Non omnes arbuſta iuvant, *humileſque myricæ*.

Servius: *Myricæ virgulta ſunt humilia*, *& ſterilia*, *quod vulgo Tamaritium dicitur*. Unde reddunt: *Reſpexit ad orationem myricæ*. Vocat Eccleſiam *Myricam* propter ſolitudinem quæ in captivitate orba & deſerta iacebat. Alii afflictum & abiectum hominem intelligunt. Sanctes reddit: *Ad orationem eorum qui ſunt veluti myricæ*. Sic Ierem. XVII. 6. Nec diſplicet quod quidam Hebræorum *gharghar*, *cicadam* hic accipiunt, a ſono vocis ſtridulo, & continuo forſan effecto vocabulo: cui Eccleſia comparatur, quod præ æſtu calamitatum ſtridula & querula ſeu rauca voce Deum aſſidue interpellare cogeretur. ET NON SPREVIT PRECEM EORUM, id eſt acceptavit: liptotes.

V. 19. SCRIBANTUR HAEC IN GENERATIONE ALTERA. Quidam: *Conſcribatur hoc in generationem poſteram*. Notant eſſe explicationem poſterioris argumenti a gloria Dei (ut ſupra ad verſ. 18. annotavimus) quæ tenuibus illis principiis fuit in Eccleſiam Chriſti diffundenda: prout reſtitutio populi ex deportatione Babylonica, figura fuit, & documentum reſtitutionis per Chriſtum. *In generationem poſteram*, id eſt ad utilitatem & documentum Eccleſiæ Chriſti, cuius dies, ultimi ſive poſteri appellantur, ut Iſaiæ II. 2. Hebr. I. 1. ET POPULUS, QUI CREABITUR, LAUDABIT DOMINUM. Heb. *Ut populus creatus*, ſeu *recreatus laudet Iah*, id eſt Eccleſia inſtaurata, reſtitutaque a Chriſto: ſic Epheſior. II. 10. & Iacob. I. 18. *Iah*, id eſt Chriſtum Iehveh abbreviatum, decurtatum, exinanitum. Vide in Pſal. LXVII. 5. Alii: *Populus*, *qui creabitur*, id eſt qui deinceps naſcetur, populus naſciturus, poſteritas ventura: ut Pſal. XXI. verſ. 31. & 32. Latini dicerent:

Et nati natorum, *& qui naſcentur ab illis*.

V. 20. DE EXCELSO SANCTO SUO. Heb. *De excelſo ſanctitatis ſuæ*. Quidam: *De ſublimi ſanctuario*, ſeu *ſacrario ſuo*. Alii: *Ex alto loco ſanctitatis ſuæ*, id eſt cælo ut mox ſe explicat.

V. 22. UT ANNUNTIENT IN SION, id eſt in Eccleſia. Vide Pſal. II. 6. ſic ſtatim in Ieruſalem.

V. 23. IN CONVENIENDO POPULOS IN UNUM, &c. Quidam reddunt: *In frequenti populorum cœtu*. Alii: *Quod fiet*, *cum ſimul collecti fuerint populi*. Nonnulli: *Congregantibus ſe populis ſimul*, id eſt Eccleſia ſive cœtu fidelium ex omnibus gentibus convocato, congregato, adunatoque per Chriſtum: cuius ſanguine ex utriſque factum eſt unum corpus: Epheſior. II. 13. & 14. UT SERVIANT DOMINO. Heb. *ad colendum Iehveh*, ſeu Iehovam, id eſt Chriſtum liberatorem ſuum, de quo iam ſupra verſ. 17. 19. 20. 22.

V. 24. & 25. RESPONDIT EI IN VIA VIRTUTIS SUAE: PAUCITATEM DIERUM MEORUM. Heb. *Afflixit in via virtutem meam*, vel *eius*, ſcilicet populi (nam eſt duplex lectio) *decurtavit dies meos*. Alii. I. *Quamquam in ipſo itinere afflixit robur meum*, *& precidit dies meos*. II. *Interim non ceſſavit atterere*, *quocumque me verterem*, *vires meas*; *& abbreviare dies meos*. III. *Afflixit quidem in hac via vires meas*, *curtat dies meos*; id eſt, idem Iehova nunc ad tempus auctor eſt præſentis calamitatis meæ, qua iam iam videor moriturus, *in hac via*, id eſt in hac miſera deportatione, & exilio hoc noſtro triſtiſſimo. Buchananus:

Quamvis in medio curriculo meum
Robur comminuit, *deſtituit manum*,
Atque ævi ſpatiis tempora lubrici
Contraxit brevioribus.

Alii exponunt: Attrivit hoſtis, vel Deus ipſe, vires meas longis itineribus deportationis: & magnitudine calamitatum vitam meam breviorem reddidit. Aliqui referunt ad tempus illud quo reverſi ab exilio, & operi inſtaurationis incumbentes, multas moleſtias paſſi ſunt a vicinis populis: ut in Ezra, & Nehemia narratur. NUNTIA MIHI. NE REVOCES ME IN DIMIDIO DIERUM MEORUM: IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM ANNI TUI. Heb. *Dicam fortiſſimo Deo meo*: vel *dicam Deus fortis mei ne aſcendere facias me in dimidio dierum meorum*: *in generatione generationum anni tui*. Illud, *Ne aſcendere facias me*, diverſimode alii reddunt: 1. *Ne deſtrue me*: 2. Ne

ſuc-

ſuccidas me 3. *Ne tollas*, aut *ſuſtuleris me*: 4. *Ne rapias me*: 5. *Ne ſubducas me*: 6. *Ne auferas me*; id eſt, ne ſinas me evaneſcere, ſed pro miſericordia tua gratiam fac mihi: ut ſupra verſ. 14. ſic compellat Eccleſia Chriſtum ſervatorem ſuum. *In dimidio dierum meorum*. Alii, *in media ætate mea*, ſeu *in medio curſu ætatis meæ*. Nonnulli, *mediis diebus meis*, id eſt caſu præpropero, & præveniente nos, antequam tempus præſtitutum promiſſionum tuarum evenerit, ut ſupra verſ. 4. *In generationem generationum anni tui*. Quidam, *per generationem æternam ſunt anni tui*; id eſt, tu ſempiternus es, ac proinde filios in æternum gignis; infra verſ. 29.

V. 26. INITIO TU, DOMINE, TERRAM FUNDASTI. Heb. *Antea terram fundaviſti*. Alii: *Antequam terram fundaſſes*, *& opus manuum tuarum eſſent cæli*. Aiunt eſſe explicationem, ſive exornationem æternitatis Dei a comparatione rerum creatarum: ſive in præteritum tempus, quo Deus omnes res creatas præceſſiſſe dicitur, hoc verſu; ſive in futurum, quo dicitur permanſurus illis pereuntibus, duobus ſequentibus verſibus. Tres iſtos verſus Paulus Hebræor. 1. 10. & ſeqq. de Chriſto æterno Filio Dei interpretatur, conditore cælorum ac terræ.

V. 27. IPSI PERIBUNT. Exponunt, vel natura ſua ſolubiles ſunt: vel hypothetice, ſi tu velis, iubeas: aut, Etiam ſi ipſi perirent, veteraſcerent, mutarentur; tu tamen ſemper manes æternus & immutabilis. Sic Matth. v. 18. & Lucæ XVI. 17. Vel peribunt, veteraſcent, mutabuntur, quo ad motum, influxum, externam faciem, & qualitatem: non quo ad ſubſtantiam. Vide II. Petri III.

V. 29. FILII SERVORUM TUORUM HABITABUNT, &c. id eſt, vera & germana Eccleſiæ tuæ membra conſervabunt in æternum virtute tua, & tibi curæ futura ſunt; quaſi dicat: Durabit Eccleſia in terris militans quamdiu mundus erit: & ſublato mundo triumphans in æternum cum Deo regnabit in cælis. Alii dilucidius reddunt. I. *Filii ſervorum tuorum*, *& ſemen eorum cohabitabunt & conſiſtent tecum*. II. *Filii ſervorum tuorum ſecure habitabunt*; *& illorum filiorum filii favore tuo in officio continebuntur*.

ME-

MENOCHII.

Verſ. 1. ORATIO PAUPERIS, &c. Nomine *pauperis* aliqui Chriſtum Dominum intelligunt; alii populum in Babylone captivum; alii unum quempiam ſanctorum, qui pro captivo populo anxius erat, qualis fuit Daniel. Et quidem ad hos omnes accommodari poſſunt verba Pſalmi; ſed tamen Propheta generatim inſtruere voluiſſe videtur omnes qui in afflictione conſtituti ad orationem confugiunt.

V. 4. SICUT CREMIUM ARUERUNT. *Cremium* eſt res crematu facilis, & apta ad ignem concipiendum propter ariditatem. Oſſa, membra, corpus meum aruit ut cremium. Fortaſſe oſſium metaphora, fundamenta, & quaſi columnas felicitatis ſuæ intelligit.

V. 5. PERCUSSUS SUM UT FENUM. Quemadmodum gramen ſolis ardore percuſſum areſcit, ita ego arui. ARUIT COR MEUM. Ego arui præ mæſtitia: humor radicalis corporis mei exaruit. Metaphora ariditatis corporis, ſpiritualem animæ ſiccitatem videtur ſignificare. OBLITUS SUM COMEDERE PANEM MEUM. Præ nimia calamitate, & anguſtia, cibum averſatus ſum. Panis animæ ſunt cæleſtes veritates, oratio, &c.

V. 6. A VOCE GEMITUS MEI, propter clamores, & ſuſpiria, ADHÆSIT OS MEUM CARNI MEÆ, & oſſibus meis cutis adhæſit.

V. 7. PELLICANO SOLITUDINIS. In Heb. eſt vox קאת *qaath*, quam aliqui *pellicanum*, alii *onocrotalum*, alii *cuculum* vertunt. *Pellicanus* eſt avis Ægyptia habitans in Nili ſolitudinibus, quæ dicitur filios a ſerpente occiſos ſanguine, quem roſtro ex ſuis elicit lateribus, vitæ reſtituere. Significat Propheta, ſe admodum amantem ſolitudinis factum eſſe, propter animi mærorem SICUT NYCTICORAX. In Hebræo eſt כוס *cos*, quam vocem alii noctuam, alii cuculum interpretantur. Vox Græca *νυκτικόραξ* *corvum nocturnum* ſignificat. Similitudines ab hiſce avibus petitæ amorem ſolitudinis ob triſtitiam ſignificant, ut dictum eſt. IN DOMICILIO. Videntur nomine domicilii intelligendæ maceriæ, & domicilia diruta, in quibus huiuſmodi aves degere ſolent.

V. 8

Digitized by Google

V. 8. Vigilavi: noctem inſomnem tranſegi. Sicut passer solitarius. Vox Hebraica צפור *tſippor* quamlibet aviculam ſignificat: ſicut avicula ſolitudinem captans. In tecto. In Græco eſt ἐπὶ δώματος ſunt autem δώματα tecta plana, non faſtigiata, qualia fieri ſolebant in Palæſtina, quæ etiam *ſolaria* dicebantur. Vide dicta Ioſue II. 4.

V. 9. Tota die, &c. Quaſi dicat: Accedit ad hæc mala, quod nullus ſit conſolator, qui dolorem leniat, ſed potius adſunt inimici, qui exprobrationibus illum exaſperent, contumeliis, aut alia ratione lacerantes animum meum. Et qui laudabant me, &c. qui olim tempore proſperitatis me laudabant, nunc ex adverſo contra me conſpirant, & coniurant.

V. 10. Quia cinerem tamquam panem manducabam. Olim amici mei coniurabant adverſum me, quia afflictum me cernebant, & malis eo redactum, ut cinerem tamquam panem manducarem, id eſt cinerem, vel pulverem cum pane manducare, ut iis accidit, qui humi, & in pulvere iacent præ mærore, & luctu, quorum panis, & alii cibi pulvere, aut cinere aſperguntur, & inficiuntur. Potum meum cum fletu miscebam: non intermittebam luctum ne bibendo quidem.

V. 11. A facie irae, &c. Propter calamitatem mihi vehementia iræ tuæ immiſſam, continenter flere, & in pulvere iacere ſuadebat. Elevans allisisti me: magna vi ſublatum ad ſolum alliſiſti.

V. 12. Dies mei, &c. dies mei ad modum inanis, & fugacis umbræ velociter tranſierunt. Sicut fenum arui: ſicut herba demeſſa, aut ſolis ardore percuſſa.

V. 13. Memoriale tuum in generationem, &c. Quemadmodum tu in æternum permanes, ita tui memoria, & mentio, & laus eſt ſempiterna, neque annorum decurſu minuitur.

V. 14. Tu exurgens misereberis Sion. Tu, quaſi a ſomno excitatus, quo nunc ſopitus videris, miſericordia moveberis populi tui fidelis. Quia tempus miserendi eius. Tempus enim iam poſtulat ut poſt tot calamitates, miſericordia illius tangaris, & illi opem feras.

V. 15. Placuerunt servis tuis lapides eius. Rudera, fragmenta, & parietinæ Sionis ſervis tuis placuerunt, & illam inſtaurare ſtuduerunt. Factum per Chriſtum, & Apoſtolos, & alios, qui Eccleſiæ ædificationi operam dederunt. Terrae eius miserebuntur: miſerebuntur terræ deſolatæ, & deſtructæ.

V. 16. Timebunt nomen tuum. Non carebit fructu Sionis inſtauratio: nam exteræ gentes te, nomen tuum, & potentiam tuam inde diſcent revereri, & in pretio habere. Et omnes Reges &c. eſt repetitio: Reges cum gentibus ſuis timebunt, &c.

V. 17. Et videbitur in gloria sua. Viſus eſt Chriſtus in Sion in ſua gloria, & miraculorum ſplendore, cum verſaretur inter homines. Videbitur etiam in gloria ſua, cum ad iudicandum venerit in iudicio extremo.

V. 19. Scribantur haec in generatione altera; id eſt, notentur hæc myſteria pro generatione olim futura. Populus qui creabitur: qui futuris temporibus ſucceſſive naſcetur. Laudabit Dominum, cum viderit impleta quæ tanto ante prædicta ſunt.

V. 20. Quia prospexit, &c. Hæc eſt ratio propter quam populus novi Teſtamenti laudabit Dominum: quia nimirum de cælo benigno oculo proſpexit in terras, ut ſuis fidelibus benefaceret.

V. 21. De excelso sancto suo, tabernaculo, ſanctuario, cælo. Compeditorum: qui vincti tenebantur a dæmone huius mundi principe. Filios interemptorum. In Hebr. eſt, *Filios mortis:* ille autem phraſi Hebræa dicitur *filius mortis*, qui mortem meretur, aut ad mortem deſtinatus eſt. Poſſumus etiam per filios interemptorum, intelligere filios veteris Adami, & Evæ, qui primi, ſerpentis aſtutia occiſi ſunt.

V. 22. Ut annuntient, &c. ut captivitate ſoluti prædicent, & celebrent nomen Domini, &c.

V. 23. In conveniendo populos in unum. Ut annuntient Dei laudem, cum populus, & princeps, privati, & magiſtratus conveniunt in unum in Eccleſiam ad laudes Deo dicendas.

V. 24. Respondit ei in via virtutis suae. Genebrardus putat ſenſum eſſe: Populus Domino reſpondit pro modulo virtutis ſuæ, id eſt potentiæ, & facultatis ſuæ ſecundum ſuas vires, toto co-

conatu, & ſtudio. Vel ſunt verba Prophetæ, vel pii cuiuslibet, aut pauperis eius, cuius mentio eſt in titulo. Hic ergo *in via virtutis eius*, id eſt in flore ætatis ſuæ, cum eſſet in via vitæ ſuæ robuſtiſſimæ, Domino dixit: PAUCITATEM DIERUM MEORUM NUNTIA MIHI: indica mihi quamdiu victurus ſim, ut ſciam an futurus ſim ſuperſtes, quod tempore iſta perficies, tempore ſcilicet redemptionis, & ſalutis. Vel, Da mihi ut intelligam, & ſerio mihi perſuadeam, paucos fore dies vitæ meæ, ne forte diuturnioris vitæ ſpe deceptus, ad vitiorum ſcopulos adhæreſcam.

V. 25. NE REVOCES ME IN DIMIDIO DIERUM MEORUM; ſed tempus indulge ut videam ſalutare Domini. Vel, Ne me ex hac vita revoces in dimidio annorum meorum, cum ſcilicet adhuc iuvenis ſum, & integris viribus, ac propterea mihi perſuadeo longe me abeſſe a meta mortis: nam ſi me tunc revoces, facile non ita ut oporteret paratum invenies. IN GENERATIONEM, ET GENERATIONEM ANNI TUI. Quaſi dicat: Tu Domine æternum vivis: æquum igitur fuerit, ut mihi ad imaginem tuam facto, ſpatium vitæ diuturnum concedas, ut ad migrationem ad vitam meliorem, me, ut par eſt, præparare poſſim.

V. 26. INITIO TU DOMINE, &c. Probat, Deum ſolum eſſe æternum, ex eo quod ſolus ipſe eſt immutabilis. Initio mundi terram creaſti, &c.

V. 27. IPSI PERIBUNT. Vel ſenſus eſt: Etiamſi ipſi perirent, tu nihilominus permaneres. Vel ſenſus eſt: Ipſi peribunt, non quo ad ſubſtantiam, ſed quo ad motum ſtellarum, influxum caloris, &c. mutabuntur a ſtatu, quem nunc habent. SICUT VESTIMENTUM VETERASCENT. Quo ad accidentia mutabuntur, & a cælis quaſi pallium, aut veſtimentum vetus removebis externum hunc habitum, quem nunc gerunt. OPERTORIUM, Hebr. *indumentum*, quo ſe homines operiunt.

V. 28. IDEM IPSE, immutabilis, & æternus. ANNI TUI, æternitas tua.

V. 29. HABITABUNT in terra tua, & participes erunt tuæ æternitatis, & felicitatis. SEMEN EORUM, &c. id eſt, & filii ſervorum tuorum æterna proſperitate gaudebunt. Eſt repetitio præcedentis hemiſtichii.

TIRINI.

Verſ. 4. CREMIUM. Symmachus vertit *incendium torris*: & Hieronymus (Oſeæ 10.) dicit, Columellæ *cremium* eſſe *torrem*. Scholiaſtes Bibliorum Romanorum dicit eſſe id quod ex concrematione torridum remanſit, puta titionem exſtinctum; ut *cremium* idem ſit quod *crematum*. Vatablus vertit, *focus*; Hieron. & Auguſt. *frixa*; Aquila, *ut cinis*; Chald. *chytropodes*, id eſt tripodes. Omnes eodem ſenſu. Quaſi dicat: Tantus eſt dolor meus, ut ſuccum corporis omnem & medullam oſſium exhauſerit, ita ut oſſa mea ex eo plane areſacta, toſta, & quaſi frixa contabuerint. Id Chriſtus in cruce merito de ſe dicere potuit: poſſunt & martyres, inquit S. Auguſtinus.

V. 5. UT FENUM nimio æſtu ſolis areſcit; ſic ego PERCUSSUS nimia afflictionum uredine contabui. Acceſſit & inedia: QUIA præ virium impotentia, & mærore, OBLITUS SUM COMEDERE PANEM; id eſt, non potui refici cibis.

V. 6. A VOCE GEMITUS MEI, ſeu propter continuos gemitus & ſuſpiria, factus ſum exſuccus totus & ſine carne: adeo ut oſſa adhæreant cuti meæ. Ita S. Hieronymus.

V. 7. PELLICANO SOLITUDINIS, id eſt ſolitario, & lucifugo. De pellicano ſcribit S. Hieronymus, Auguſtinus, Iſidorus, Albertus Magnus, & alii apud Geſnerum *a*, *avem* eſſe *Ægyptiacam in Nili ſolitudinibus commorantem, quæ pullos a ſerpente occiſos, lateribus roſtro perforatis, ſuo ſanguine excitat*. Quod in Chriſtum crucifixum pulcherrime quadrat. Sed Geſnerus negat talem avem eſſe. *Niſi*, inquit, *accipias vulturem Ægyptiam, de qua Orus ſcribit, quod pullos in fame ſatiet ſanguine ſuo, quem ex femore prolicit*. Fatetur tamen Geſnerus, *pellicanum*, quem alio nomine *plateam* nominat, avem eſſe ſolitariam & lucifugam. Et hoc ſervit propoſito Davidis; quaſi dicat: Sicut *pellicanus*, & *nycticorax*, id eſt *noctua*, ut Chald. vertit, vel, ut Hieron. *Bubo*, qui in angulo domus per diem, quaſi lucifugas latet, noctu vigilat, & non tam canit quam gemit ac luget; ita & ego præ mærore

fugio

fugio lucem & homines, noctes inſomnes ago, gemo, &c.

V. 8. VIGILAVI, *tota nocte*, ut addit Chaldæus.

V. 10. CINEREM TAMQUAM PANEM, id eſt panem aſperſum & commaculatum cinere: ut ſolent qui proni in terra vel in cinere lugent, & præ lacrymis non diſcernunt an panis pulvere fœdatus ſit, nec ne. Idque

V. 11. A FACIE IRAE TUAE; Chald. *propter iram tuam*; id eſt, quia ſentiebam te mihi valde iratum. Sentiebam vero, quia ELEVANS ME in altum (puta ad regni, talentorum, & virtutum faſtigium) mox ſumma vi & impetu deturbaſti me, & ad terram ALLISISTI ME. Dicant hoc Lucifer, Adamus, Salomon, & tot alii e ſummo præcipitati in imum, inquit S. Hieronymus.

V. 13. MEMORIALE TUUM, id eſt *memoria tui*, inquit Chaldæus; ſeu memorabilia facta tua, digna ſunt æterna memoria.

V. 14. VENIT TEMPUS, ſcilicet quo conſtituiſti & promiſiſti miſereri Sionis, id eſt Ieroſolymæ: nempe completi ſunt ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ. Theodoretus.

V. 15. SERVIS TUIS, Cyro, & Dario, inquit Ianſenius: vel, ſi malis. Zorobabeli, Eſdræ, Nehemiæ, ceteriſque e Babylonia in Iudæam remigrantibus, magis PLACUERUNT rudera & ruinæ Sionis, ut illa inſtaurent & inhabitent: & ſic libere ac pure colant te; quam magnifica Babylonis palatia.

V. 17. VIDEBITUR, (Hieron. *apparebit* manifeſte toti mundo) IN GLORIA SUA priſtina, immo multo maiori, urbs Sion: & Chriſtus in Sion, cum ſplendore miraculorum, & doctrinæ ſuæ cæleſtis. Ioan. 1. 14.

V. 23. IN CONVENIENDO. Hieron. & Chald. *Cum congregati fuerint*.

V. 24. RESPONDIT EI, nempe populus revertens ex captivitate dixit Deo, IN VIA VIRTUTIS SUAE, ſeu potentiæ divinæ; id eſt, cum eſſet in illa via in qua Deus oſtendit inſignem potentiam ſuam, nempe in reditu ex Babylone, quem Deus procurarat in forti brachio, occidens Balthaſarem, & monarchiam Chaldaicam transferens ad Cyrum Regem Perſarum, &c. Dixit tum populus ille Deo, & pro ſe quiſque rogavit: An pauci ſuperſunt mihi dies vitæ? vivamne cum Ieroſolyma, & templum, ut promiſiſti, reſtaurabuntur? fac, quæſo, ne moriar in medio ætatis meæ.

V. 25. IN GENERATIONEM, &c. id eſt, æterni ſunt ANNI TUI. Quaſi dicat: Tu Deus, cuius vita eſt æterna, compatere nobis, & ſaltem ad iuſtum terminum proroga vitam noſtram temporariam.

V. 27. IPSI CAELI PERIBUNT; non ſecundum ſubſtantiam, nam ſunt incorruptibiles; ſed ſecundum præſentem ſtatum ſuum, & conditionem ſervituris ac perpetuæ circumgyrationis. Secundum hæc enim VETERASCENT, ſeu antiquabuntur, ET MUTABUNTUR inſtar veſtimenti, quod cum nulli amplius eſt uſui, deponitur & cum alio commutatur. Vide Valeſium, & Lud. Molinam *b*.

V. 29. HABITABUNT, ſcilicet ſecuri in terra Iudæa, ad quam illos reducis e Babylone: allegorice in Eccleſia.

(a) Hieron. in ep. ad Præſidium. Geſner. lib. de Avibus.
(b) Valeſ. ſacræ Philoſophiæ cap. lxxxix. Molina de opere ſex dierum diſp. 111.

GORDONI.

Titulus: ORATIO PAUPERIS, &c. Hic titulus proponit argumentum Pſalmi: eſt enim Pſalmus iſte formula precatoria, pro illo qui calamitatem in anima patitur, aut in corpore, aut gravem aliquam perſecutionem, qualem a Saule, vel Abſalone paſſus eſt David. Numeratur hic Pſalmus inter pœnitentiales quintus. Dat initio vitæ præſentis vanitatem per ſimilitudinem fumi evaneſcentis, areſacti cremii, & ſeni æſtu ſolis percuſſi. Comparat vero ſe orans in afflictione pellicano, ſolitudinis, nycticoraci, & ſolitario paſſeri. Cetera Paraphraſis. Et ſive verba referas ad Davidem, inclinatis regni rebus, ſive alio ſenſu morali, aut myſtico exponas, omnia ſunt ſatis perſpicua.

Verſ. 4. OSSA MEA SICUT CREMIUM ARUERUNT, hoc eſt ut titio, torris, ut aliquid ignem facile

cile concipiens, & areſcens. Græce *φρύγων*, & Hieronymus Oſeæ x. *cremium* vocat *εὔφλεκτον*, facile cremata, & Græce *φρύγω*, *torreo*. Septuag. *ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγησαν*. Hebraice כמוקד *chemoked*, plurale מוקדים *mocedim*.

V. 5. & 6. Oblitus sum comedere panem, &c. Ad litteram panis hic pro quolibet cibo accipiendus eſt. Docet autem experientia magnos dolores, & graves caſus, inducere faſtidium; immo & oblivionem ciborum. Myſtice vero de Eucharistia ſenſus eſt; quem cibum ſumere qui obliviſcuntur, magnis ſe malis & peccatis obiiciunt. At quorſum illud; Adhaesit os meum carni? In variis codicibus eſt in plurali, *adhæſerunt oſſa mea*: ſane ut propter famem, ita ob nimium dolorem, conſumpta carne, oſſa adhærent cuti: atque hoc ſenſu, caro pro cute ponitur; quaſi dicat, carnem extenuatione redactam in cutem eſſe. Sic Iob xix. 20. *Pelli meæ conſumptis carnibus, adhæſit os meum*. Conſentiunt in explicationem hanc multi ſimul Interpretes.

V. 7. Similis factus sum Pellicano, &c. Per hæc animalia, ut in titulo præfatus ſum, declarat rerum ſuarum calamitoſum ſtatum. De horum animalium natura ſatis hoc loco prolixe Lorinus, & nos aliquoties ad alia Scripturæ loca. Certe nec Hebræi, nec Latini, aut Græci ſatis conveniunt de nominum horum explicatione. Deflectendo ad ſenſum moralem dico, propria pœnitentium opera eſſe fletum, ieiunium, vigilias, & ſolitudinem, qua pœnitens ſe ab hominum conſuetudine ſubducit, ut Deo vacet.

V. 11. Quia elevans allisisti me. Hieron. *quia elevaſti me, & alliſiſti me*. Alii, *proiecisti me*. Hebr. תשליכני *tawlicheni*, futurum pro præterito, *miſſum facies*, ſeu *proiicies*; rad. שלח: ad proiectionem ſequitur alliſio. Exaltari, & attolli homo poteſt per bona fortunæ, per honores, & gratiam; at eventu oppoſito deprimitur, ut facilis in his eſt mutatio, & via lubrica.

V. 23. In conveniendo populos in unum, et Reges, &c. Exprimitur tempus laudandi Deum: certe in congregatione, ſub unitate fidei & caritatis. *Reges*, in Hebr. *regna*; ſed Reges hæc vox deſignat. Et forte Septuag. legerunt מלכים; *melachim*, *Reges*, non vero ממלכות *mamlacoth*, *regna*. Senſus ergo eſt vel de tempore reditus a captivitate Babylonica quando populus unitus laudabit Deum, vel de Eccleſia ſub Chriſto, nempe ad litteram, vel myſtice: quo poſteriore tempore plenior conventus erit & laudatio etiam per Reges.

Verſ. 24. Respondit ei in via virtutis suae, &c. Difficile hic eſt, quo referatur verbum *Reſpondit*: ſcilicet an pauper tribulatus ad Dominum (ut habet argumentum Pſalmi) dum eſt in via virtutis, & fortitudinis ſuæ; an cum Auguſtino, reſpondit Ieruſalem ad Dominum; an populus captivus, magno detentus deſiderio videndi Sionem ante mortem, ne alioquin revocatus in dimidio dierum, & immatura morte privetur tanto bono, tam ardenter amato; ac ſi etiam diceret: Indica mihi quot ſint dies ærumnarum, & quamdiu durabunt, antequam veniat optatus ille dies. In Hebr. eſt ענה בדרך כחי *hhinnah, bederech cochi*, *reſpondit in via fortitudinis, in via virtutis meæ*: radix ענה. Si legatur ſecunda littera cum puncto in ventre, ſignificat afflixit; & ita legit, & vertit Hieronymus; ſi vero ſine hoc puncto, ſignificat reſpondit; & ita legerunt Septuaginta. Similiter כחי ſi legatur, cum Iod, ut legit Hieron. eſt fortitudo mea; ſi legatur כחו *cocho* (ut legerunt Septuag.) eſt fortitudo eius, ſeu virtus eius.

Sequitur: Paucitatem (brevitatem) dierum nuntia. Ubi adverte Septuag. non legiſſe קצר *ketſar*, *abbreviavit*, ut tamen legit Hieronymus; ſed legerunt קצר *ketſer*, hoc eſt brevitas. Legerunt porro (ubi vertunt *nuntia*) אמר *emor*, in imperativo, *nuntia*, *dic*; legerunt denique אלי, *ad me*, *elai*, vel *eli*, אלי, *mihi*.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 2. & 3. Domine exaudi, &c. Poteſt hic Pſalmus ſecari in tres partes. Prima poſt petitionem auxilii repræſentat Deo calamitates, & miſerias, quæ obveniunt, ut movere poſſint Deum ad iuvandum. Altera pars incipit a verſu 13. de ſpe concepta, & ſperato auxilio in Eccleſia per Meſſiam, qui

qui non obliviſcitur pauperum, & cuſtodientium mandata eius. Tertia pars, & mutatio ſermonis incipit a verſu 24.

V. 4. uſq. ad 13. *Quia defecerunt*, &c. Sequuntur rationes ob quas velociter petit auxilium: ubi præſertim refert ſuam miſeriam, deplorans ſtatum præteritum, vita deficiente, exemplo fumi, & cremii, atque areſcentis feni.

Verſ. 13. uſq. ad 25. In hac altera parte Pſalmi, pauper in ſua miſeria ſpem concipit auxilii, & præſertim reconciliationis cum Deo: nec obſcure inducitur, ut illuſtratus a Deo, & prædicens renovationem Eccleſiæ per Chriſtum. *Exurgens*, inquit, *miſereberis*, Domine *Sion*, quia ædificatio murorum Eccleſiæ placuit Apoſtolis, & aliis miniſtris tuis, qui poſthabitis ſæculi curis, vacabunt, in conveniendo populos, vocationi gentium ad Eccleſiam.

V. 25. & ſeq. *Ne revoces*, &c. Conſequenter ad textum præcedentem, (quem mox expendam) petit, ne avocetur a vita hac, in medio curſu viæ, ſeu quando minus paratus eſt, minus cogitans de morte, ſub ſpe florentis ætatis, quæ ſolet vitam polliceri diuturnam. Anni quidem tui Domine, ſunt in omnem generationem, & æterni: alia quidem peribunt, etiam cæli; ſaltem ingenti mutatione; licet non quoad ſubſtantiam (ut plures hoc explicant) tu vero æternus es. Concludit verſu ultimo, fore poſt conſummationem ſæculi, & mutationem cælorum, ut ſervi Dei fruantur æternitate.

BOSSUET.

Verſ. 4. SICUT CREMIUM: *quaſi frixa*, id eſt exſiccata: Hier. *Cremium* porro eſt quod facile crematur, ut ſarmentum.

V. 5. OBLITUS SUM, præ mærore.

V. 7. PELLICANO, onocrotalo, cuculo, aut alii avi gementi potiusquam canenti.

V. 8. PASSER .... IN TECTO, *ſuper tectum*, Hier. non ingreſſus domum.

V. 9. QUI LAUDABANT ME: qui mihi in os blandiebantur: qui laudate ſolebant: ADVERSUM ME IURABANT, coniurabant. Non deerant apud Iudæos, miſetrimis licet temporibus, qui apud Regem gratia florerent, qualis Nehemias, II. Eſd. 11. 1. His igitur perverſi homines multa adblanditi, tamen coniuratione facta peſſima intentabant. Sic etiam ſoluta captivitate Sanaballat, & alii, ibid. VI 1. & ſeq.

V. 11. ELEVANS ALLISISTI ME, cum ante conſpicuum reddidiſſes.

V. 14. QUIA VENIT TEMPUS: ſeptuaginta anni a Ieremia definiti iam impleti ſunt.

V. 15. ET TERRAE EIUS MISEREBUNTUR: *pulverem eius miſerentur*: Hebr. etiam ruinas obrutæ patriæ templique rudera & cineres diligunt, ac ſuper illis dolent: ut illi qui ad locum templi diruti munera deferebant, Ierem. XLI. 5. ut Nehemias qui locum paterni ſepulcri deſiderabat, II. Eſd. II. 5.

V. 19. SCRIBANTUR: *ſcribentur*, Hebr. tranſmittentur ad poſteros quæ Deus ad nos liberandos geſſit.

V. 21. FILIOS INTEREMPTORUM, *filios mortis*, Hieron. morti addictos.

V. 22. REGES: qui Deum in templo licet ethnici colebant, ut ſæpe dictum a prophetis. Vide libros Macc. & Ioſephum. Hæc autem figura erat gentium ad fidem convertendarum.

V. 24. RESPONDIT EI, &c. *Afflixit in via fortitudinem meam*, &c. Hieron. Tabeſcens, ac deficiens inſtante reditu metuit ne ante moriatur quam videat Ieruſalem reſtitutam.

V. 25. NE REVOCES, &c. adde cum Hier. *dicam*: *Deus meus*, &c. IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM ANNI TUI. A conſideratione infirmitatis humanæ ad æternitatis divinæ contemplationem aſſurgit.

V. 26. INITIO TU DOMINE, &c. Hæc Paulus de Chriſto accipit Hebr. 1. quem boni viri e captivitate reduces, verum redemptorem expectabant.

V. 27. OPERTORIUM, *pallium*, Hier.

V. 29. FILII SERVORUM TUORUM HABITABUNT in terra ſancta: non nos miſeri, & infirmi, ſed ſaltem filii noſtri. ET SEMEN EORUM IN SAECULUM DIRIGETUR: *ante faciem tuam perſeverabit*: Hieron.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CII. EUCHARISTICUS.

De remiſſione peccatorum gratias egit.

VERSIO S. HIERONYMI.

David.

BEnedic anima mea Domino, & omnia viſcera mea nomini ſancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnium retributionum eius.

Qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis, & ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de corruptione vitam tuam, & coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet bonis ornamentum tuum: innovabitur ſicut aquilæ iuventus tua.

Faciens iuſtitias Dominus, & iudicia cunctis qui calumnias ſuſtinent.

Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſrael cogitationes ſuas.

Miſericors & clemens Dominus: patiens & multæ miſerationis.

Non in ſempiternum iudicabit: neque in æternum iraſcetur.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quantum enim excelſius eſt cælum terra: tantum confirmata eſt miſericordia eius ſuper timentes eum.

Quantum longe eſt Oriens ab Occidente: tantum longe fecit a nobis ſcelera noſtra.

Sicut miſeretur pater filiorum, mi-

VERSIO VULGATA.

1. Ipſi David.

BEnedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.

2. Benedic anima mea Domino: & noli obliviſci omnes retributiones eius.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

5. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renovabitur ut aquilæ iuventus tua.

6. Faciens miſericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

7. Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſrael voluntates ſuas.

8. Miſerator (*a*) & miſericors Dominus: longanimis, & multum miſericors.

9. Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur.

10. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

11. Quoniam ſecundum altitudinem cæli a terra: corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

12. Quantum diſtat Ortus ab Occidente: longe fecit a nobis iniquitates noſtras.

13. Quomodo miſeretur pater filio-

Digitized by Google

ſertus eſt Dominus timentibus ſe.

Ipſe enim novit plaſmationem noſtram: recordatus eſt quia pulvis ſumus.

Homo quaſi herba dies eius, ſicut flos agri ſic florebit.

Quia ſpiritus pertranſiet eum, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet eum ultra locus eius.

Miſericordia autem Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum, & iuſtitia eius in filios filiorum.

His qui cuſtodiunt pactum eius, & recordantur præceptorum eius ad facienda ea.

Dominus in cælo ſtabilivit thronum ſuum, & regnum illius omnium dominatur.

Benedicite Domino Angeli eius, fortes robore facientes verbum eius, obedientes voci ſermonis eius.

Benedicite Domino omnes exercitus eius, miniſtri eius qui facitis placitum illius.

Benedicite Domino univerſa opera eius in omnibus locis poteſtatis eius: benedic anima mea Domino.

rum miſertus eſt Dominus timentibus ſe: 14. quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.

Recordatus eſt quoniam pulvis ſumus: 15. homo, ſicut ſenum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorebit.

16. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.

17. Miſericordia autem Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum.

Et iuſtitia illius in filios filiorum,
18. his qui ſervant teſtamentum eius:

Et memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.

19. Dominus in cælo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur.

20. Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.

21. Benedicite Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

22. † Benedicite Domino omnia opera eius: * in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

(a) Exod. xxxiv. 6. Numer. xiv. 18.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 22. *In omni loco dominationis eius:* Non mutes genetivum ſingularem *dominationis*, in nominativum plurale *dominationes*.

Lectionum Varietas.

V. 22. *Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius: benedic anima mea Domino*. Sic videtur diſtinguendus hic verſiculus, ita ut terminet Pſalmum David, per idem illud breve, ſed maximæ emphaſæos epiphonema, *Benedic anima mea Domino*, a quo cœperat: quod & facit Pſalmo ſequente CIII.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 5. QUI REPLET IN BONIS DESIDERIUM SUUM. Hebr. *Qui ſatiat bonis os tuum*.

V. 7. VOLUNTATES SUAS. Hebr. *opera*, *ſtudia ſua*.

V. 9. COMMINABITUR. Hebr. *odium reſervabit*.

V. 16. QUONIAM SPIRITUS, &c. id eſt, minimo vento ægrotabit, & morietur. ET NON COGNOSCET AMPLIUS LOCUM SUUM. Hebr. *& non cognoſcet eum amplius locus eius*. Id eſt, illi ipſi qui cum illo habitabant non recordabuntur illius amplius. Deſcribit infirmitatem & brevitatem humanæ vitæ, ut Iob VII. 1. & VIII. 9. & XIV. 2. & Pſal. CXLIII. 4.

V. 20. AD AUDIENDAM VOCEM. Hebr. *Ut audiatis*, id eſt obediatis voci verborum eius: qui dicto illi eſtis audientes.

SA.

Invitatio ad Dei laudem.

Verſ. 1. BENEDIC, id eſt gratias age, ſeu lauda. QUAE INTRA ME SUNT. Hieron. *viſcera mea*. NOMINI SANCTO, id eſt ſanctitati, ſcilicet Deo ſancto.

V. 2. RETRIBUTIONES, id eſt quæ tribuit, ſcilicet beneficia.

V. 4. INTERITU. Hieron. *corruptione*. Chald. *gehenna*. CORONAT, id eſt cingit, vel ornat velut corona.

V. 5. IN BONIS. Hieron. & Chald. *bonis*. RENOVABITUR. Chald. *Renovabis in mundo venturo*. AQUILAE. Iuveneſcere hæc mutatis pennis dicitur: vel ſignificatur vigor ſeu vivacitas aquilæ; quaſi dicat: Recuperabis vigorem aquilino ſimilem.

V. 6. MISERICORDIAS. Hieron. *iuſtitias*. Chald. *iuſtitiam*, ſcilicet ſumitur *iuſtitia* pro *miſericordia*. IUDICIUM; quaſi dicat, vindicans. INIURIAM. Hieron. *calumniar*.

V. 7. VIAS id eſt præcepta. VOLUNTATES. Hieron. *cogitationes*. Chald. *opera*.

V. 11. SECUNDUM ALTITUDINEM, &c. quaſi dicat, maxime.

V. 14. FIGMENTUM; quaſi dicat, fragilitatem. Hieron. *plaſmationem*. Chald. *concupiſcentiam pravam, quæ nos decipit*. PULVIS. Chald. *e pulvere*.

V. 15. FENUM. Hieron. & Chald. *herba*.

V. 16. SPIRITUS. Chald. *ventus*. Vide Iſai. XL. ILLO, ſcilicet feno, vel homini; quaſi dicat, cum ab eo ſpiritùs, id eſt anima tranſierit, non ſubſiſtet, &c. COGNOSCET, ſcilicet quiſquam. SUUM, id eſt eius.

V. 17. IUSTITIA: forte accipitur pro miſericordia; ut ſit repetitio.

V. 18. TESTAMENTUM. Hieron. & Chald. *pactum*.

V. 19. PARAVIT. Hieron. *ſtabilivit*.

V. 20. VIRTUTE. Hieron. *robore*. Chald. *viribus*. AD AUDIENDAM VOCEM. Hieron. *obedientes voci*.

V. 21. VIRTUTES. Hieron. & Chald. *exercitus*, ſcilicet angelici; ut ſit repetitio.

V. 22. IN OMNI LOCO; quaſi dicat, ubicumque eſtis.

ESTII

Verſ. 4. QUI CORONAT TE IN MISERICORDIA ET MISERATIONIBUS. Litteralis ſenſus videtur: Qui velut corona cingit te, & circumvallat multiplici miſericordia. Ita illud Pſalm. VIII. *Gloria & honore coronaſti eum Domine*, id eſt cinxiſti. Non enim ſignificatur præmium, maxime ſi Pſalmus de creatione hominis intelligatur. Simile & illud Pſalm. V. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*. Item Iſaiæ XXII. *Coronans coronabit te tribulatione*; quaſi dicat: Cinget & circumvallabit te multiplici calamitate & miſeria.

V. 16. QUONIAM SPIRITUS PERTRANSIBIT IN ILLO, ET NON SUBSISTET, ET NON COGNOSCET AMPLIUS LOCUM SUUM. Senſus eſt: Spiritus vitæ non permanet in homine, ſed pertranſit, ac recedit. Quo recedente homo non amplius ſubſiſtit,

ſtit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtit, quia mortuus eſt, & non amplius cognoſcit locum ſuum priſtinum; id eſt, non redit ad hanc vitam mortalem, nec ad ſuas poſſeſſiones, ſicut redit homo, qui peregre profectus fuerat.

MARIANAE.

Verſ. 1. IPSI DAVID. Se, & Angelos excitat ad Dei laudes celebrandas. QUAE INTRA ME SUNT, id eſt viſcera, benedicant Deum.

V. 2. RETRIBUTIONES EIUS; id eſt, beneficia Dei recordare.

V. 3. QUI SANAT OMNES INFIRMITATES TUAS, id eſt morbos. Sic animæ, & corporis mala depellit.

V. 4. DE INTERITU, aut de ſepulcro: facis ne moriar. Vox Hebr. שחת *ſabath*, & *interitum* & *ſepulcrum* ſignificat. QUI CORONAT TE, id eſt cingit te bonis omni ex parte.

V. 5. QUI REPLET IN BONIS; pro, bonis; id eſt, facit ut nihil deſit. DESIDERIUM TUUM. Hebr. *os tuum*; id eſt, quidquid petis, concedit. Id etiam ſignificat *deſiderium*. RENOVABITUR UT AQUILAE: quolibet decennio pennas mutat. Sic Hebr. Scholiaſtes. Hieron. etiam Mich. 1. hanc renovationem ad pennas refert. Auguſt. hic ad roſtrum: neſcio unde.

V. 6. FACIENS MISERICORDIAS DOMINUS, ET IUDICIUM OMNIBUS. Hebr. *iuſtitia*. Sed *iuſtitia* ſæpe pro *miſericordia* ſumitur. Sept. *faciens eleemoſynas*. INIURIAM PATIENTIBUS; oppreſſis. Hoc cadit ſuper *miſericordias*, & ſuper *iudicium*.

V. 7. NOTAS FECIT VIAS SUAS MOYSI, legem ſuam. VOLUNTATES SUAS. Hebr. *Opera ſua magnifica nota fecit filiis Iſrael*.

V. 8. MISERATOR. Hæc ſunt quæ Moyſi & Iſraelitis manifeſtavit, ſe miſericordem eſſe. LONGANIMIS. Hebr. *longis naribus*; id eſt, non cito excandeſcens, ſi aliquando iraſcitur.

V. 9. NON IN PERPETUUM IRASCETUR. Hebr. *litigabit*, rixabitur. NEQUE IN AETERNUM COMMINABITUR. Hebr. *cuſtodiet*, ſcilicet iram. Non eſt memor offenſæ diu.

V. 11. CORROBORAVIT; id eſt, tam magna miſericordia utitur quanta eſt cæli altitudo.

V. 12. LONGE FECIT A NOBIS INIQUITATES NOSTRAS, id eſt parcendo. Ea vero eſt miſericordia, de qua dixerat.

V. 14. QUONIAM IPSE COGNOVIT FIGMENTUM NOSTRUM; id eſt, originem vitioſam, fomitem peccati, quod Iudæi vocant *iezer barâb*, *figmentum malum*: ideo miſeretur Deus.

V. 16. QUONIAM SPIRITUS PERTRANSIBIT IN ILLO; id eſt, vento flante exſiccatur flos, ſeu fenum, de quibus locutus eſt, nec ſubſiſtit; aut anima, quæ hic ut in hoſpitio eſt, pertranſibit in illo homine, eiuſque diſceſſu non ſubſiſtet. ET NON COGNOSCET; id eſt, non manebit ubi ſolebat. Hebr. *& non cognoſcet eum amplius locus ſuus*. Sententia eadem. Scilicet morietur, relinquet omnia. Nec ipſe locum cognoſcet, nec locus eum.

V. 17. AB AETERNO, ET USQUE IN AETERNUM miſericordia Domini. Non ſunt duæ æternitates, ſed ab initio ad finem ſæculi. Id ea verba ſignificant. IUSTITIA ILLIUS IN FILIOS FILIORUM: benefacit poſteris ob maiorum merita.

V. 19. IN CAELO PARAVIT SEDEM SUAM. Hebr. *ſtabilivit*. Inde in omnes exercet imperium, quippe eo loco ſublimi.

V. 20. ANGELI EIUS benedicite Deo. Hi ſunt regni miniſtri, quos invitat ad benedicendum, id eſt celebrandum Deum. FACIENTES VERBUM ILLIUS, mandatum, aut negotia. AD AUDIENDAM; ſupplè, parati ad exaudiendum, quod præcipit. Aut ſic, *ad audiendum*, id eſt ut audiant vocem eius, ſcilicet homines veſtro inſtinctu.

V. 21. VIRTUTES EIUS. Hebr. *Exercitus eius benedicite*. Quod de eiſdem Angelis poteſt intelligi, aut de aſtris, quæ ſunt etiam Dei miniſtri.

V. 22. OMNIA OPERA EIUS. Res omnes a Deo factæ Deum celebrate.

MAL-

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 1. **I**Psi David, id eſt Ode ipſius David, cuius auctor eſt David, vel inſtillata, tradita ipſi Davidi a Spiritu ſancto, ut ab eo traderetur Eccleſiæ in documentum ſempiternum laudum Dei. Monent, quatuor ſequentes Pſalmos huic certo conſilio adiunctos, ut uno contextu haberet Eccleſia laudationum Dei argumenta, cum ordinaria erga Eccleſiam, hoc Pſalmo; & res omnes creatas, Pſalm. CIII. tum extraordinaria, ſive erga Eccleſiam, beneficiorum caſtigationumque nomine, Pſalm. CIV. & CV. ſive erga omnes, Pſalm. CVI. Benedic anima mea Domino; id eſt, lauda, prædica, gratias age. Exordium, quo ſe ipſum excitat, hortaturque Propheta ad benedicendum Deo ex toto corde, toto animo, totiſque viribus.

V. 2. Et noli obliviſci omnes retributiones eius. Quidam: *Et ne obliviſcaris omnium beneficiorum eius*, vel *ullius beneficiorum eius*, quæ totidem ſunt argumenta laudis, ſequentibus expoſita. Aliqui: *Nihil excidat tibi eorum quæ in te contulit.*

V. 3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Hebr. *Condonans, remittens, omnem iniquitatem tuam.* Notant, Paulum Coloſſenſ. II. verſ. 13. hunc locum vertiſſe: χαριςιόμενος, *condonans nobis omnia delicta.*

V. 4. Qui coronat te. Quidam exponunt: *Qui coronat te, & veluti regem facit.* Alii: *Qui redimit* (a redimio) *circumdat, circumtegit, ornat, undique cingit, & cumulat te.*

V. 5. Qui replet in bobis deſiderium tuum. Diverſimode ex Hebr. reddunt. I. *Saturans*, vel *ſatians bono os tuum.* II. *Qui ſatiat bono ornatum tuum*, id eſt qui dat tibi ſatis ornamentorum, id eſt qui ſatiat te præſtantiſſimis ornamentis. עדי *gbedi* alii pro *ore*, alii pro *ornamento* capiunt. Vide Notas in Pſalm. XXXI. 9. Aliqui reddunt: *Qui os tuum ſuavitate replet.* Renovabitur ut aquilae iuventus tua. Verbum eſt ex Hithpahel: & poteſt eſſe tertia perſona feminea: *Renovare ſeſe faciet ſicut aquilæ pueritia tua*; vel ſecunda maſculea, *Renovare tete facies ſicut aquilæ pueritiam tuam.* De innovatione aquilæ, quæ magni auctores prodidere, quia res ſingularis eſt., breviter referam. Ariſtoteles Lib. IX. Hiſtoriæ Animalium, cap. XXXII. alias XL. *Seneſcentibus aquilis roſtri ſuperior pars ſemper augetur incurveſcendo: itaque tandem fame moriuntur.* Et poſt alia: *Diu vivere aquilam conſtat, ex eo quod idem nidus ſemper duret.* Plinius Lib. X. cap. III. *Oppetunt non ſenio, nec ægritudine, ſed fame, in tantum ſuperiore acreſcente roſtro, ut aduncitas aperiri non queat.* Epiphanius Phyſiologo, cap. VI. *Aquila volucrum regina, a longiſſima vita denominationem accipit, vivit enim annos centum. Cum vero ſeneſcit, roſtrum & incurvatur, caligantque oculi, ita ut nec videre poſſit, nec cibum capere: igitur in altum ſeſe attollit, & in præruptam ſe proiicit rupem, ad quam roſtrum allidit, & ſe frigidis immergit aquis, adverſuſque ſolares radios ſe opponit: tuncque ex oculis cadunt lippitudines, ac iterum iuveneſcit.* S. Ambroſ. ſermon. LVII. *David ſanctus ait: Renovabitur ſicut aquilæ iuventus tua: intelligens per gratiam baptiſmi occiduæ vitæ noſtræ poſſe reviviſcere, & iuventute quadam renovari poſſe id quod in nobis fuerat delictorum vetuſtate collapſum. Ut autem intelligas, quia de gratia baptiſmatis Propheta loquitur, innovationem ipſam aquilæ comparavit: quæ avis aſſidua commutatione habitus ſui longam ducere fertur ætatem, & vetuſtis iam fatiſcentibus plumis, nova pennarum ſucceſſione iuveneſcere: ita ut depoſitis antiquitatis exuviis, rediviva indumentorum nativitate ſe veſtiat. Unde intelligimus, quod ſenectutem aquilæ non ſentiunt membra, ſed plumæ. De novo ergo ſe veſtit, & pullulantibus pennis vetuſta mater iterum renovatur in pullum: pullis enim tunc comparanda eſt, quando radiantibus plumis, neceſſe eſt illi rurſum meditari rudem volatum, & alarum olim exercitata remigia tamquam novella volucris intra nidum pigra compeſcere: & quamvis illi ſit volandi notitia de conſuetudine; deeſt tamen illi de pennarum raritate fiducia*, &c.

S. Hieronymus in cap. XL. Iſaiæ extremum: *Renovabitur, ſicut aquilæ iuventus tua. Crebro diximus, aquilarum ſenectutem reviveſcere mutatione pennarum: & ſolas eſſe, quæ iubar ſolis aſpiciant, & ſplen-*

ſplendorem radiorum eius poſſint micantibus oculis intueri, pulloſque ſuos an generoſi ſint, hoc experimento probent. Michææ I. verſ. ultimo, mutatio hæc pennarum aquilæ indicari videtur: *Dilata calvitium tuum ſicut aquila:* ubi S. Hieroymus: *Aquila, quæ regina eſt avium, certo tempore amittit pilos, & remanet implumis. Quod autem aquila certo tempore ſoleat amittere plumas, & in Pſalterio ſcriptum eſt: Innovabitur, ut aquilæ, ſenectus tua. Et Comicus in Autontimorumenon: Viſa eſt, inquit, vere quod dici ſolet, Aquilæ ſenectus*. De quo Proverbio, vide Chiliadis I. centuriæ IX. adagio. 56.

S. Auguſtinus Commentariis in hunc Pſalmum: *Dicitur aquila cum ſenectute corporis preſſa fuerit, immoderatione roſtri creſcentis cibum capere non poſſe: pars enim roſtri ſuperior, quæ ſupra partem inferiorem aduncatur, cum præ ſenecta immoderatius creverit, longitudo eius incrementi non eam ſinit os aperire, ut ſit aliquod receptaculi intervallum inter inferiorem partem, & uncum ſuperiorem; niſi enim aliquod intervallum pateat, non habet morſus quaſi forcipem unde velut tondeat, quod transmittat in fauces. Creſcente itaque ſuperiore parte, & nimis aduncata, non poterit os aperire, & aliquid capere. Hoc ei facit vetuſtas: prægravatur languore ſenectutis, & inopia comedendi langueſcit nimis; utraque re, ætate, & egeſtate accedente. Itaque modo quodam naturali in menſura reparandæ quaſi iuventutis, aquila dicitur collidere & percutere ad petram ipſum quaſi labium ſuum ſuperius: quo nimis creſcente edendi aditus clauditur: atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, & omnia reparantur; erit poſt ſenectam tamquam iuvenis aquila. Redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelſa ſicut antea, ſit in ea quædam reſurrectio*. Hactenus S. Auguſtinus. Rabbi David Kimchi in Lib. Radium, ex Rabbi Sahadia in Iſaiæ XL. refert, Aquilam decimo quoque anno dum in ſublime conſcendit, calore ſolis explumem redditam, ubi ſeſe mari immerſerit, pennis reſumptis velut reiuveneſcere: ac anno tandem centeſimo cum idem tentet, defectam viribus, concidere in mare, & illic extingui. Sed hoc ut commentum Rabbinicum plerique reiiciunt. Vide Lælium Rhodiginum Lib. XIII. lectionum Antiquarum, cap. XX. Quidam hic putant nullam fieri mentionem innovationis aquilinæ ſenectæ: Sed locum ita accipiunt: *Innovabitur iuventus tua*, ut eſt iuventus *aquilæ*; id eſt, vires tuæ ita redintegrabuntur, ut cum robuſtiſſima & valentiſſima aquilæ iuventute poſſint comparari; id eſt, reiuveneſces in eam iuventutem, & vigorem, qualis eſt aquilæ iuvenis ac vigentis. Unde reddunt: *Et floridam ſervat, velut aquilæ, iuventutem tuam*. Tremellius & Iunius ita hunc verſum explanant: *Quo ſatiante bonis quibuſque os tuum; renovas te*, vel *ſervas te recentem tamquam aquila, tamquam pueritia tua*; id eſt, qui animum tuum ita alit & fovet beneficiis, ut ſemper ſit vegetus, & recens, infractuſque permaneat ab omnibus incommodis. Quamobrem hæc firma piorum conſtitutio cum vegeta aquilarum ſenectute comparatur: quæ a natura ſunt vivaciſſimæ, & amplius adhuc victuræ eſſent (adeo ſunt vegeto corpore) niſi ſuperius roſtrum illarum aduncum ſenio ſuccreſcens curvitate ſua roſtrum inferius conſtringeret; unde fit ut aquilæ conficiantur inedia. Vide Ariſtotelem Lib. IX. de hiſtoria animalium, cap. XXXII. & Plinium Lib. X. cap. III. *tamquam pueritia tua*; id eſt, ita recentem ſervas, ut ſi de integro natus & puer, factus eſſes: ſimile eſt eodem pertinens, Iudic. V. 21.

V. 7. VIAS SUAS. Quidam exponunt, leges & inſtituta. Alii, rationes ſuas, proprietates, attributa, quæ ſequente verſu explicantur, Exod. XXXIV. verſ. 6. Nehemiæ IX. verſ. 17. & Pſalm. LXXXV. verſ. 15.

V. 9. NEQUE IN AETERNUM COMMINABITUR. Hebr. *Et non in æternum obſervabit*. Alii: *Neque in ſæculum iram aſſervat*. Aliqui: *Neque æternum retinet memoriam acceptæ iniuriæ*. Vide ſimilem locutionem Exodi XIX, 18. & Nachum I. 2.

V. 11. QUONIAM SECUNDUM ALTITUDINEM CAELI A TERRA, &c. Hoc, & ſequente verſu ponuntur elegantes ſimilitudines duæ a rebus aſpectabilibus ſumptæ, ad amplificandum Dei gratiam & miſe-

miſericordiam; quaſi dicat: Altior eſt illa, latior & profundior quam totus mundus, qua ſuos bonis cumulat, & abarcet mala.

V. 13. Quomodo miseretur pater filiorum. רכם *rechem* proprie eſt, *ut inviſcerat*; id eſt, intra viſcera ſua condit: vel eviſcerat; id eſt, viſcera miſericordiæ ſuæ effundit pater quivis ſuper filios ſuos. Hiſpanice utrumque eleganter eiſdem verbis repræſentamus: *Entraania y deſentraiia*. Explicatio miſericordiæ; quam nominaverat Pſaltes verſ. 8. a comparatione patris, qua maior miſericordia in terris non eſt.

V. 14. Nam ipse novit figmentum nostrum, &c. AEtiologia miſericordiæ Dei erga nos, continens cauſas duas, notitiam miſeriæ noſtræ, his tribus verſibus: & conſtantem ipſius naturam in benignitate, iuſtitiaque conferenda ex fœdere cum Eccleſia inito per Chriſtum, verſ. 17. & 18. Figmentum nostrum. יצר *ietzer* omnia iſta complectitur, *formationem, plaſma, figurationem, figmentum, conditionem*; id eſt, quaſi figulinam, & fragilem conſtitutionem noſtram, ut ſequentibus ſe exponit. Alii, *intentionem, imaginationem innatam, concupiſcentiam, prava deſideria*. Vide Geneſ. vi. 5. & cap. viii. verſ. 21.

V. 16. Et non cognoscet amplius locum suum. Hebr. *Et non agnoſcet eum amplius locus eius*. Exponunt: Id eſt, ita periit flos, ut non poſſis poſtea oſtendere, ubi creverit. Alii varie. I. *Neque amplius in loco ſuo invenitur*. II. *Nec locus ille magis agnoſcet ipſum poſtea, quam ſi numquam floruiſſet ibi*. III. *Neque homines loci illius agnoſcent eum*. IV. *Neque agnoſcit ipſum amplius locus ſuus*. Paſſiva voce fugiunt amphibologiam, in hunc modum: *Neque agnoſcitur ipſe amplius a loco ſuo*: nam alioqui dicendum erat: *Neque agnoſcere eum amplius locum ipſius*; id eſt, non agnoſcunt eum amplius populares eius. Vide eamdem locutionem Iob vii. 10.

V. 21. Omnes virtutes eius. Hebr. *Exercitus, militiæ, eius*. Vide Geneſ. ii. 1. Ministri eius; id eſt, quæcumque res creatæ vos comparatis ad placita eius exequenda, ſive animatæ, ſive inanimatæ, ut verſ. 4. Pſalmi ſequentis.

V. 22. Omnia opera eius. Explicant id eſt perſonæ, res, facta, quæcumque creavit, aut fecit, omnia Dei laudes veſtris modis, & facultatibus teſtatas facite.

MENOCHII.

Verſ. 1. Benedic... Domino, laudando, & gratias agendo. Anima mea. Animam ſuam vocat ſeipſum, ut etiam per *Nomen ſanctum Domini*, ipſum Dominum intelligit. Omnia quae intra me sunt. Omnia membra, omnes ſenſus, & facultates animi, & corporis.

V. 2. Retributiones eius. Beneficia tam ſpiritualia, quam corporalia.

V. 3. Propitiatur iniquitatibus. Peccata remittit. Infirmitates tuas. Morbos, & ægritudines corporis, & animi. Vel intelligit pravas propenſiones, vitioſitates, imbecillitates animi, & naturæ.

V. 4. Redimit de interitu. Vendicat, liberat ab interitu. Coronat te in misericordia. Qui omni ex parte miſericordia ſua circumdabit, munit, & cingit. Miserationibus. Beneficiis ex benignitate, & miſericordia ſua profectis.

V. 5. Replet in bonis desiderium tuum. Qui te bonis ad victum neceſſariis abunde replet, & ſatiat. Vel, qui ea, quæ poſtulas aut optas liberaliter largitur. Renovabitur ut aquilae iuventus tua. Sanando infirmitates, & ægritudines tuas. Certum eſt ex hoc loco, & aliis aquilas aliquo modo iuventuti reſtitui, de quo varii varia. Illud videtur probabiliſſimum, renovationem hanc in pennarum mutatione conſiſtere, nam poſt certam periodum temporis aquilæ veteres abiiciunt, & novis veſtiuntur; quem renovationis modum ſpectavit Iſaias cap. xl. cum ait: *Aſſument pennas ut aquilæ*, &c.

V. 6. Faciens iudicium, &c. Iniuriam patientes ab iniuria eripiens, & vindicans: etiam Italice dicimus, *Far giuſtizia all' innocente*.

V. 7. Vias suas. Legem ſuam, quam eius voluntas explicabatur.

V. 8. Misericors. in Heb. eſt חנון *channun*, quaſi dicas, gratificator, gratiæ, & fa-

voris

ris largitor. LONGANIMIS. Tardus ad iraſcendum, & puniendum improbos. MULTUM MISERICORS. Omnibus ſive dii ſint, ſive impii.

V. 9. NON IN PERPETUUM IRASCETUR. Sed nobis placabitur, quippe miſericors. RETRIBUIT. Rependit tantum pœnæ, quantum peccando meriti ſumus.

V. 10. SECUNDUM ALTITUDINEM CAELI, &c. Quanta eſt elevatio cæli ſuper terram, tanta eſt eius miſericordia erga timentes ſe. CORROBORAVIT. Confirmavit, ſtabilivit.

V. 12. QUANTUM DISTAT ORTUS AB OCCIDENTE. Id eſt, longiſſime & remotiſſime.

V. 14. COGNOVIT FIGMENTUM NOSTRUM. Fragilem noſtram naturam; quaſi dicat, Novit quales formati, fictique ſimus.

V. 15. SICUT DIES EIUS. Ut enim fœnum ſtatim floret, & ſtatim ſolis vapore exſiccatur, & areſcit, ita hominis vita brevis, ſtatim vergit ad occaſum.

V. 16. SPIRITUS PERTRANSIBIT IN ILLO, ET NON SUBSISTET. Id eſt, ſpiritus vitalis, ſeu ipſa vita corporalis non permanebit in homine, ſed tranſiens in eo erit, & numquam in eodem ſtatu ſubſiſtet, quia ſemper mutabitur, de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adoleſcentiam, &c. tandem de ſenectute ad mortem. ET NON COGNOSCET AMPLIUS LOCUM SUUM. Id eſt, non redibit ſpiritus, ſive vita ad locum, unde diſceſſit, nam de ſenectute non redimus ad iuventutem.

V. 17. MISERICORDIA AUTEM DOMINI AB AETERNO. Semper eadem eſt, & ſemper propitia in omni vitæ parte, iis, qui timent Dominum. IUSTITIA ILLIUS. Veritas, fides, ac conſtantia promiſſorum porrigetur uſque ad filios filiorum eorum, qui Deum timent, & legem eius ſervant.

V. 18. AD FACIENDUM EA. Ut ea exequantur.

V. 19. IN CAELO PARAVIT SEDEM SUAM. Oſtendit Propheta, poſſe Dominum facere quæ promiſit timentibus ſe, quia ſcilicet ſummus eſt Deus, & in omnia quæ uſquam ſunt, late dominatur.

V. 20. VIRTUTE. Robore, fortitudine. FACIENTES VERBUM ILLIUS. Qui iuſſa illius exequimini. AD AUDIENDAM VOCEM, &c. id eſt, exequentes divina mandata ad hunc finem, ut obediant voci eius, & ſe fideles ſervos probent, non propter privatam aliquam ſuam utilitatem, vel neceſſitatem.

V. 21. VIRTUTES EIUS, exercitus. Sic appellat Angelos omnes.

V. 22. OPERA EIUS. Omnes res ab eo creatæ. IN OMNI LOCO DOMINATIONIS EIUS. Ubicumque tandem ſint in regno Domini, quod omnia complectitur,

TIRINI.

Verſ. 1. OMNIA QUAE INTRA ME SUNT. Hieron. & Chald. *omnia viſcera mea*; quaſi dicat: Ex intimo corde lauda Deum.

V. 2. OMNES RETRIBUTIONES. Symmachus, *omnia beneficia* quæ retribuit nobis. Hæc mox enumerat ſex diverſa. Primum eſt remiſſio peccatorum; ſecundum ſanitas mentis, & corporis; tertium liberatio e periculis mortis & gehennæ; quartum, quod ſua beneficentia quaſi corona nos undique cinxerit; quintum, quod bonis tum corporalibus, tum ſpiritualibus repleat animum, & ſatiet appetitum alias inſatiabilem; ſextum, quod novis viribus & vigore corpus, animumque inſtauret, atque inſtar aquilæ (quæ in ſenectute exutis pennis, & attrita roſtri aduncitate rurſum iuveneſcit *a*) totos innovet, hic per gratiam, in cælo per gloriam, inquit Chaldæus, Hieronymus, Auguſtinus, Euthymius. Simile habes Iſaiæ XL. verſ. ult.

V. 11. SECUNDUM ALTITUDINEM CAELI A TERRA. Ea proportione excedit divina miſericordia merita noſtra, qua cælum ſuperat terram, id eſt qua circulus immenſus ſuperat punctum ſeu centrum, id eſt infinite.

V. 14. FIGMENTUM NOSTRUM. Hebraice, *opus figulinum*; Hieronymus, *plaſmationem noſtram*, ſcilicet qua ex luto vili, & fragili, fragiles, & viles nos plaſmavit. Chaldæus, *concupiſcentiam pravam*, ſeu pronitatem in malum.

V. 16. SPIRITUS, id eſt ventus urens, PERTRANSIBIT fenum, vel florem, & ſubito areſcit; ſic homo quantumvis ſanus, nobilis, dives, potens, cum ſpiritus indignationis Dei in ipſum flat, momento deficit.

V. 20. AD AUDIENDAM VOCEM, id eſt ad obediendum iuſſo & nutui Dei; ſupple, ſemper promptiſſimi.

V. 21.

Digitized by Google

V. 21. Virtutes eius. Hieron. & Chald. *exercitus* Dei, nempe angelici. Mox cauſas ſubdit cur omnia debeant laudem Deo.

V. 22. Quia primo omnia ſunt opera Dei; ſecundo omnia in loco dominationis, id eſt in regno eius ſunt, tamquam miniſtri, & famuli Regis ſui.

(a) Ulyſſes Aldrovandus Lib. de Avibus in aquila.

GORDONI.

Titulus: Ipsi David; ſubintellige, revelatus eſt a Deo. Sunt enim divinæ promiſſiones de beneficiis Dei, quæ Deus præparat electis: & de operibus Dei mirabilibus: invitanturque Angeli, & omnes creaturæ, ut pro tot bonis laudent Deum.

Verſ. 1. Qui replet in bonis desiderium tuum. Hieron. *ornamentum*: alii *os tuum*: nam עדיך *bbedech* ſignificat os, & ornamentum. Replet ergo ornatum tuum, ſeu coronam tuam, de qua paulo ante: vel replet os tuum, nempe os animæ, quod eſt deſiderium animæ, ut interpretantur Septuaginta, ἐπιθυμίας.

V. 8. Misereatur, &c. Inter alia longanimis eſt Deus ארך אפים, *longus naribus*, hoc eſt tardus ad iram, *erech apaiam*, ut alias dixi, ex more loquendi Hebræorum.

V. 10. Non secundum peccata nostra, &c. Retributio hæc tam moderata eſt, ut non ſolum in hac vita puniat Deus citra condignum; ſed in ipſo quoque loco damnatorum; tamen ſemper iuxta legem puniendi a ſe conſtitutam, nempe ut iuxta hanc legem pro menſura delicti infligatur modus plagarum. Deut. xxv. 2. *Quantum glorificavit ſe quis, & in delitiis fuerit*, &c. Simili etiam ſervata proportione agit Deus in præmiis, nempe ultra condignum; & ſimul tantum cuique tribuitur, quantum poſita lex exigit. Utrobique ergo eſt æqualitas non quantitatis, ſed proportionis. Ex hac vero proportione Iac. II. 13. *Iudicium fert ſine miſericordia*.

V. 12. Quantum distat ortus, &c. Hac ſimilitudine docet per iuſtificationem, ita a nobis diſtare peccatum, ac deleri, ac ſi numquam fuiſſet: paſſim quidem docet Scriptura plene iuſtificari hominem, & non remanere peccata, contra Novatores.

V. 20. Benedicite Domino, &c. Extrema eſt pars Pſalmi, in qua poſt decantata Dei opera, & beneficia, iure invitat Dei creaturas, ut creatorem laudent.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. & 2. Benedic, &c. Dicturus David de plurimis hic miſerationibus Dei, & promiſſionibus uſque ad verſum 20. incipit hic a Dei laude.

V. 3. 4. & 5. *Qui propitiatur*, &c. Incipit enumerare beneficia. Primum eſt remiſſio peccati per gratiam, verſu 3. Secundum, per redemptionem, in Chriſto dat gloriam, verſu 4. tunc enim (ex verſu 5.) ſatiabitur voluntas, & iuventus inſtar aquilæ renovabitur, per gloriam corporis. Crebro mutat aquila pennas.

V. 6. uſq. ad 12. *Faciens miſericordias*, &c. Pergit ad plura beneficia. Ipſe, qua eſt miſericordia, dat bona omnia: vindictam facit contra opprimentes, & calumniantes: revelat, ut olim Moyſi vias ſuas, mandata & decreta voluntatis ſuæ. Longanimis eſt ſuſtinendo peccatores. Non ſemper iraſcitur, ut detur locus pœnitentiæ. Mitius nobiſcum agit, quam exigant peccata noſtra; tanta eſt eius, & indeficiens miſericordia.

V. 12. & 13. *Quantum diſtat Ortus*, &c. Reponit inter beneficia, non tantum remiſſionem peccati, ſed tam plenam eſſe docet, ac perfectam eius extinctionem; ut tantum diſtet a peccatore poſt remiſſionem, quantum ortus ab occidente. Non ergo tantum tecta manent peccata, ut ſomniat Novator. Et hoc facit, quia amat ut pater, & ſcit infirmitatem noſtram.

V. 14. *Recordatus*, &c. Optima hic occurrit Antitheſis inter tranſeuntem ſpiritum hominis (cuius vita eſt velut unius diei) & æternam Dei miſericordiam: quæ ſane eſt erga timentes eum per prædeſtinationem ſuorum ab æterno, & in æternum. Quod etiam argumentum de parata ſede beatorum, inſequenter proſequitur Pſalmiſta in exhortatione ad benedicendum auctori tot bonorum.

V. 5. & ſeq. *Quoniam*, &c. Spiritus iſte hominis, qui non ſubſiſtit, nec redibit ad locum ſuum, eſt ſpiritus vitalis, ſeu vita mortalis; certe non reditura poſt mortem. Immo ne quidem animam hominis redibit ad corpus, ut erat ante mortem.

BOSSUET.

Verſ. 5. REPLET IN BONIS: *ſatiat bono os tuum*: Heb.

V. 6. MISERICORDIAS, *juſtitias*, Hier.

V. 16. SPIRITUS PERTRANSIBIT, &c. Ventus leviſſimus florem illum perflabit. NON COGNOSCET, &c. *non cognoſcet eum amplius locus eius*: Hier. penitus evaneſcet.

V. 21. VIRTUTES, *exercitus*, Idem: ſic Angelos vocat.

PSALMUS CIII. LAUDIS, ET ADMIRATIONIS.

Dei opera admiranda percurrit, & de iis gratias agit. Diſce Chriſtiane qua mente philoſophari ac rerum varietatem naturamque intueri debeas. Sine titulo in Hebr.

VERSIO S. HIERONYMI.

BEnedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es nimis: gloria & decore indutus es.

Amictus luce quaſi veſtimento: extendens cælos ut pellem.

Qui tegis aquis cœnacula eius: qui ponis nubes currum tuum: qui ambulas ſuper pennas venti.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus: miniſtros tuos ignem urentem.

Qui fundaſti terram ſuper baſem ſuam; non commovebitur in ſæculum & in ſæculum.

Abyſſo quaſi veſtimento operuiſti eam: ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.

Aſcendunt montes & deſcendunt campi, ad locum quem fundaſti eis.

VERSIO VULGATA.

1. Ipſi David.

BEnedic anima mea Domino: Domine Deus magnificatus es vehementer.

Confeſſionem & decorem induiſti:
2. amictus lumine ſicut veſtimento:
Extendens cælum ſicut pellem: 3.
qui tegis aquis ſuperiora eius.
Qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum:
4. Qui facis Angelos tuos, ſpiritus; & miniſtros tuos, ignem urentem.
5. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi.
6. Abyſſus, ſicut veſtimentum, amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.
7. Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.
8. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.

Ter-

Terminum poſuiſti quem non pertranſibunt: nec revertentur ut operiant terram.

Qui emittis fontes in convallibus, ut inter medios montes fluant.

Ut bibant omnia animalia regionum, & reficiat onager ſitim ſuam.

Super ea volucres cæli morabuntur: de medio nemorum dabunt vocem.

Qui irrigas montes de cœnaculis tuis: de fructu operum tuorum implebitur terra.

Germinans herbam iumentis, & fœnum ſervituti hominum, ut educat panem de terra.

Et vinum lætificat cor hominis ad exhilarandam faciem in oleo: panis autem cor hominis roborat.

Saturabuntur ligna Domini: cedri Libani quas plantavit.

Ibi aves nidificabunt, milvo abies domus eius.

Montes excelſi cervis: petra refugium herinaciis.

Fecit lunam per tempora: ſol cognovit occubitum ſuum.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa movebuntur omnes beſtiæ ſilvæ.

Leones rugientes ad prædam, & quærentes a Deo eſcam ſibi.

Oriente ſole recedent, & in ſpeluncis ſuis cubabunt.

Egredietur homo ad opus ſuum, & ad ſervitutem ſuam uſque ad veſperum.

Quam multa ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.

Hoc mare magnum & latum manibus: ibi reptilia innumerabilia: animalia parva cum grandibus.

Ibi naves pertranſeunt: Leviathan iſtum plaſmaſti ut illuderet ei.

9. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neque convertentur operire terram.

10. Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ.

11. Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.

12. Super ea volucres cæli habitabunt: † de medio petrarum dabunt voces.

13. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

14. Producens fenum iumentis, & herbam ſervituti hominum:

* Ut educas panem de terra: 15. † & vinum lætificet cor hominis:

Ut exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.

16. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit: 17. illic paſſeres nidificabunt.

Herodii domus dux eſt eorum: 18. montes excelſi cervis: petra refugium herinaciis.

19. Fecit lunam in tempora: ſol cognovit occaſum ſuum.

20. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ.

21. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo eſcam ſibi.

22. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur.

23. Exibit homo ad opus ſuum: & ad operationem ſuam uſque ad veſperum.

24. Quam magnificata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.

25. * Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus.

Animalia puſilla cum magnis: 26. illic naves pertranſibunt.

Omnia

Omnia in te ſperant, ut des cibum eis in tempore ſuo.

Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam replebuntur bono.

Abſcondes vultum tuum & turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.

Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & inſtaurabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in ſempiternum: lætabitur Dominus in operibus ſuis.

Qui reſpicit terram & tremet: tangit montes & fumabunt.

Cantabo Domino in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu ſum.

Placeat ei eloquium meum: ego autem lætabor in Domino.

Deficiant peccatores de terra, & impii ultra non ſint: benedic anima mea Domino, halleluia.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: 27. omnia a te expectant ut des illis eſcam in tempore.

28. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

29. Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.

30. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ:

31. Sit gloria Domini in ſæculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis:

32. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.

33. Cantabo (a) Domino in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu ſum.

34. Iucundum ſit ei eloquium meum: ego vero delectabor in Domino.

35. † Deficiant peccatores a terra, & iniqui ita ut non ſint: benedic anima Domino.

(a) Infra cxlv. 2.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 13. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*. Corrupte quidam legunt ſecundæ perſonæ pronomen *tuis* pro tertiæ *ſuis*.

V. 14. *Ut educas panem de terra*. Non eſt ſecunda perſona *educas* vertenda in tertiam *educat*.

V. 25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus*. Non eſt omittenda vox *manibus*, multoque minus mutanda cum *navibus*.

Lectionum Varietas.

V. 12. *De medio petrarum dabunt voces*. Notat Epanorthotes: *Hebræus, & antiqui, & Græcus, & Hieronymus habent vocem in ſingulari*: quod & nos ita eſſe comperimus.

V. 15. *Et vinum lætificet cor hominis*. In aliis bonis libris eſt indicativus præſens *lætificat*.

V. 35. *Deficiant peccatores a terra*. Alii libri ſcribunt futurum *deficient*.

Notationes.

Verſ. 15. UT (o. *Et*) *educas panem de terra*. Plerique codices ſcribunt ſecunda perſona *educas*; quidam tertia, *educat*, unus Pariſienſium, unus Hentenii. Ex Hebræo & Græco, utrumque legi poteſt, להוציא, τοῦ ἐξαγαγεῖν, ad verbum reddas *ad educendum*. Ex Latinis vero codicibus (*vet. Ge. ar.*) & Tractatoribus genuina noſtræ editionis lectio colligi haud difficulter poteſt. Romani namque Pſalterii noſtra exemplaria *educat* unanimiter ſcribunt, & præcedentia fere quæ græce atque hebraice ambigua ſunt, ſi non ambigue, tertia ſimiliter perſona efferunt. Vulgatæ vero editionis, quotquot habemus antigrapha, *educas* uno conſenſu legunt: & quæ præcedunt, vel ambigue, vel ad eumdem modum in ſecunda perſona (uno dumtaxat atque altero uno in loco diſcrepante) ponunt. Priores inter latinos Tractatores, *edu-*

Digitized by Google

educat, & cetera in eadem explicant perſona; Arnobius, Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus. Poſteriores, *educas*, & alia fere ad ſimilem modum. Videtur igitur noſtræ editionis germana lectio *educas*. Altera vero Romani, aut veteris Pſalterii ſcriptura. De hac varietate, ad Suniam & Fretelam Hieronymus: ,, *Ut educas panem de terra*. ,, Pro quo inveniſſe vos dicitis *ut educat*. ,, Sed non poteſt aliud ad ipſum, aliud ad ,, alium de ſeipſo (1. MS. *ipſe*) dici. Aut ,, omnia quaſi ad Deum loquebatur propheta, ,, aut omnia ad alium de eo referebat. ,, Cum autem pleraque ad ipſum dirigantur, & ea quæ ambigua ſunt, ad ,, ipſius perſonam dirigenda ſunt. " Hæc Hieronymus. Mirum itaque eſt ab eodem ipſo *educat* ex Hebræo verſum: univerſa namque quæ habemus cum ſcripta, tum excuſa Hieronymianæ interpretationis exemplaria *educat* legunt. Et unum quidem, quod ab aliis libenter diſſentit cum hunc, tum præcedentia loca tertia ſcribit perſona: reliqua vero præcedentia ſecunda perſona efferunt; hunc unum tertia. Alium fortaſſe, cum vertendis ex Hebræo Pſalmis occuparetur, vidit huius loci Hieronymus ſenſum, qui tertiam exigeret perſonam. Atque ita nonnulli noſtræ ætatis Interpretes transtulerunt, nimirum cetera antecedentia ſecunda perſona, hoc tertia: *Ut educat panem de terra*. Non enim ad Deum, ſed ad hominem iſtud referunt, de quo antecedit: *Et herbam ſervituti hominis*. Flaminii verſio eſt: *Tu producis gramen iumentis, & herbam homine cultum adhibente, ut educat panem e terra, & vinum* (quod) *laetificat cor hominis*. Sed & alii plerique, qui etiam ea quæ antecedunt perſona tertia interpretati ſunt, eodem retuliſſe videntur, quod hanc partem fere præcedenti adiungant verſui. Nihil autem mirum Interpretes ad hunc modum in ambiguis variare, cum in iis quæ certa ſunt, frequens ſit perſonæ mutatio. Verſu quarto dicitur, *Faciens* (a) *Angelos ſuos ſpiritus miniſtros ſuos ignem urentem*; poſt pabulum autem, (verſ. 7.) *Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt*. Rurſus eodem verſu (verſ. 13.) *Rigans montes de ſuperioribus ſuis* (ubi pro *ſuis* nonnulli corrupte ſcripſerunt *tuis*) *de fructu operum tuorum ſatiabitur terra*. Iterum poſtea, (verſ. 19. 20.) *Fecit Lunam in tempora, Sol cognovit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras & facta eſt nox*.

V. 25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus*. Nonnulli latini codices Græcis ſimiliter omittunt *manibus*: ſed ii fere editionis noſtræ non ſunt: Goticus, & Regius, qui in Bibliorum margine notati ſunt. Goticus Romani Pſalterii exemplar eſt, ac proinde aliis eiuſdem Pſalterii exemplaribus, & Caſſiodoro, qui Romano Pſalterio videtur uſus, conforme. Regius græco textui accomodatus eſt. Ex Gotico D. Lindani Pſalterium, veriſimile eſt, mutatum. Ut autem alias plerumque, ita & nunc veteri Proſperi, Auguſtini, Hilarii, (in Pſal. II.) atque Arnobii Pſalterio, Romanum conſonat. Huiuſce generis haud dubium eſt fuiſſe exemplaria, quæ Varlenius vidit. Noſtræ enim editionis quotquot habemus libri cum poſterioribus Enarratoribus quos hac uſos conſtat editione *manibus* addunt, & quatuor quidem antiqui libri aſteriſco *manibus* notant, qui inditio eſt, hanc vocem ab Hieronymo ex Hebræo additam. Atque hoc ipſe teſtatur Hieronymus ad Suniam hunc in modum ſcribens: ,, Dicitis ,, in Græco *manibus* non haberi, & ego novi αὔτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη καὶ εὐρύχωρος, ,, id eſt, *hoc mare magnum & ſpatioſum*. Sed ,, ex hebraica & Theodotionis editione, in ,, LXX. ſub aſteriſco additum eſt. Denique ,, & in Hebræo ita ſcriptum eſt זֶה הַיָּם ,, גָּדוֹל וּרְחַב יָדָיִם quod Aquila ſic interpretatus eſt, εὐρύχωρος χερσὶν, & omnes Interpretes. " Hactenus Hieronymus. Quod eſt hebraice רְחַב יָדָיִם: Hieronymus tranſtulit *latum manibus*, Chaldæus *latum terminis*, nonnulli *latum ſpatiis*, alii *latum locis*. Hæc enim univerſa יָדָיִם ſignificat. LXXII. ſenes tranſtulerunt εὐρύχωρος, quæ vox per ſe ſola plene videtur exprimere, quod duabus hebraice ſignificatur: eſt enim unum nomen e duobus, ex εὐρὺς quod *latum*, & χώρα quod *regionem* & *locum* denotat: itaque εὐρύχωρος quaſi εὐρὺς χώρα *latus loco*. Atque ita etiam latine non addito *manuum* vocabulo plene exprimitur, quod eſt hebraice: *ſpatioſum* enim eſt, amplum ſpatiis, ſeu latum locis. Sed Hieronymus qui τὸ *manibus*, quod hebræa vox יָדָיִם propie ſignificat, latine editioni addidit; & Aquila qui εὐρύχωρος χερσὶν interpretatus eſt, hebraicam quamdam proprietatem poeticæ fictioni ſimilem, amplius hoc loco intellexere; nempe mari manus attributas, eo quod quaſi expanſas manus habeat, & in ſe cuncta ſuſcipiat. Corrupte autem, quod & Pelbartus annotavit, quidam pro *manibus*, *navibus* legunt.

(a) *Qui facis*. Sic ex latinis noſtræ editionis exemplaribus tria legunt (quod in hoc verſu eſt peculiare) & conſequenter eorum duo, ſuos, non tuos; quod quidem Hebræo præſertim conforme eſt: Sed Hieronymo in his quæ ad Suniam ſcripſit parum placet.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. I. CONFESSIONEM. Hebr. *gloriam*.

V. 3. QUI PONIS NUBEM, &c. Heb. *Qui ponit* (id eſt, facit) *nubem currum ſuum*. Loquitur de ſecunda perſona per tertiam.

V. 4. QUI FACIS; id eſt, qui ſpiritibus utitur pro nuntiis ſuis, & Seraphinis (hos enim vocat ignem ardentem, alludens ad illorum naturam, & nominis etymologiam: inepte quidam per ſpiritus intelligunt ventos, per ignem ardentem fulgura. Cum D. Paulus ad Heb. I. 7. de Angelis interpretetur.

V. 6. ABYSSUS SICUT VESTIMENTUM AMICTUS EIUS, &c. Hebr. *Abyſſo tamquam veſtimento operuiſti eam, ſuper montes ſtabant aquæ*. Alludit ad primam terræ conditionem, cum adhuc aquis tecta eſſet, Geneſ. I.

V. 7. AB INCREPATIONE, &c. Hebr. *Ab increpatione tua fugerunt, a ſonitu tonitrui tui formidarunt*; id eſt, ſolo iuſſu ſeparaſti illas in mare a ſuperioribus partibus terræ, ut appareret arida: Geneſ. I.

V. 8. ASCENDUNT MONTES. Id eſt, montes alti ſunt, & valles humiles; ſicut tu conſtituiſti.

V. 10. IN CONVALLIBUS. Heb. *in fluvios*; id eſt, facis ex fontibus fluvios erumpere.

V. II. EXPECTABUNT ONAGRI IN SITI SUA. *Sedabunt onagri ſitim ſuam*.

V. 12. SUPER EA VOLUCRES. Heb. *Super eos* (montes, ubi facis fluvios erumpere.) Vult cauſam reddere cur Deus montes extare iuſſerit, ſcilicet, ut in eis beſtiæ habitarent.

V. 13. RIGANS MONTES, &c. Heb. *Qui rigat montes de ſuperioribus ſuis*, id eſt ipſius, nempe de cælo, aut nubibus. DE FRUCTU OPERUM TUORUM SATIABITUR TERRA, id eſt pluvia, quam tu nubibus coagmentas. Mutavit tertiam perſonam in ſecundam ſervato ſenſu, ut ſolet.

V. 14. UT EDUCAS PANEM. Heb. *Ut educat*, ſcilicet herba; id eſt, ut herba ex terra germinet granum.

V. 15. UT EXHILARET FACIEM; id eſt, facit oleum ad uſum unguentorum: ut Pſal. XXII. 5. *Impinguaſti in oleo caput meum*. Aut ad illuſtrandam faciem in oleo, id eſt ad uſum lampadum, quibus noctu alii alios videmus.

V. 16. LIGNA CAMPI. Hebr. *Ligna Domini*, id eſt quæ Dominus producit, aut, quorum Dominus curam habet, aut, quæ non habent alium uſum quam ut ſua pulchritudine declarent Dominum auctorem ſuum. Aut ligna Domini vocantur alta, prægrandia, ut *montes Dei* Pſal. XXXV. 7. Septuag. ut ſuſpicor, initio verterunt τοῦ κυρίου, poſtea ſcriptorum vitio τοῦ πεδίου.

V. 17. ILLIC PASSERES, &c. Heb. *Ut ibi paſſeres nidificent. Ciconiæ domus ſunt abietes*.

V. 18. CERVIS, ibicibus.

V. 24. POSSESSIONE TUA, id eſt operibus tuis; quaſi diceret: Nihil eſt in terra quod tu non feceris.

V. 25. MANIBUS. Hebraiſmus pro utraque ex parte, aut undique.

V. 26. DRACO ISTE, &c. Heb. *Leviathan iſte, quem formaſti, ut luderet in eo*, id eſt ut ſpatiaretur per mare, & illud cum vellet, commoveret.

V. 31. SIT GLORIA DOMINI. Hebr. *Erit*.

V. 34. IUCUNDUM SIT EI. Heb. *erit ei*; quaſi diceret: Et ille loquetur libenter mecum, & ego cum illo.

SA.

Invitatio ad Dei laudem.

Verſ. I. MAGNIFICATUS ES; id eſt, agnitus es eſſe magnus. Aug. CONFESSIONEM, id eſt laudem. DECOREM, id eſt pulchritudinem. INDUISTI; id eſt, te velut ornaſti; quaſi dicat: Apparet in omnibus quam ſis laudabilis & glorioſus.

V. 2. PELLEM, id eſt tentorium. Chald. *cortinam*.

V. 3. AQUIS, ſcilicet quæ ſuper cælos ſunt. ASCENSUM; quaſi dicat: Velut nubibus vectus pluvias inde mittis. SUPER PENNAS, id eſt velocius quam pennæ.

V. 4.

Digitized by Google

V. 4. Facis, pro fecit. Spiritus, id eſt veloces ut ventum, vel naturæ ſpiritualis. Ignem, id eſt velut ignem efficaces forteſque.

V. 5. Stabilitatem. Hieron. & Chald. *baſin*; quaſi dicat: Fecit ſtabiliſſimam.

V. 6. Abyssus, id eſt maris aquæ. Eius, ſcilicet terræ, quæ mari magna ex parte amicitur. Quidam tamen referunt ad mundi initium quo terra tecta & montes, tum Dei præcepto retecta. Super montes, ſcilicet in nubibus.

V. 7. Increpatione, id eſt imperio velut increpantis. Fugient, ſcilicet huc illuc diſcurrent nubes. A voce tonitrui, &c. pro velut tonitruum, vocem tuam, id eſt mandatum formidantes.

V. 8. Ascendunt, id eſt ſurgunt. Fundasti, id eſt deſignaſti.

V. 9. Posuisti, ſcilicet aquis maris.

V. 11. Expectabunt, ſcilicet donec ſatientur.

12. Super. Chald. *iuxta*. Ea, ſcilicet montes, & fluvios.

V. 13. Superioribus, ſcilicet nubibus. Suis; pro, ſe. Operum tuorum, id eſt opera tua proveniente. Terra, id eſt terræ habitatores.

V. 14. Herbam, id eſt olera, vel ſegetes. Servituti, id eſt uſui.

V. 15. Exhilaret, id eſt nitidam reddat, ſcilicet homo, vel Deus; quaſi dicat: Dat Deus hominibus non ſolum neceſſaria, ſed & ea quæ delectationi ſerviunt.

V. 16. Saturabuntur, ſcilicet humoris copia.

V. 17. Illic, ſcilicet in arboribus. Domus, id eſt nidus. Dux est; id eſt, obtinet principatum inter nidos avium, ſcilicet altitudine; vel quaſi dicat: Docet reliquas aves nidificare, prima enim omnium dicitur nidificare. Eſt autem *Herodius* ciconiæ genus.

V. 18. Cervis. Chald. *ibicibus*, Herinaciis. Chald. *cuniculis*. Græc. *leporibus*.

V. 19. Tempora, ſcilicet diſtinctionem menſium, & feſtorum. Cognovit; id eſt, ita obſervat, ac ſi noſſet.

V. 20. Pertransibunt, id eſt circum curſabunt.

V. 21. A Deo, ſcilicet ſibi deſtinatum.

V. 22. Cubilibus, id eſt antris. Hieron. *ſpeluncis*. Chald. *latibulis*.

V. 23. Operationem. Hieron. *ſervitutem*. Chald. *culturam*.

V. 24. Magnificata, id eſt magnifica, ſeu mirabilia. Chald. *multa*. Possessione, id eſt opibus.

V. 25. Manibus, id eſt locis, ſeu littoribus. Chald. *terminis*.

V. 26 Draco, id eſt cetus. Hieron. & Chald. *Leviathan*. Formasti. Hieron *plaſmaſti*. Chald. *creaſti*. Ad illudendum ei. Hieron. *ut illuderes ei*. Chald. *ut ludat in eo*, ſcilicet mari: Aug. Illuditur diabolo, dum eius tentationes proſunt iis quibus ipſe obeſſe deſiderat.

V. 28. Bonitate, id eſt bonis, ſcilicet cibo.

V. 29. Avertente autem te. Hieron. *abſcondes*.

V. 30. Emittes, id eſt cum mittis, ſeu miſeris. Spiritum, id eſt vim productivam. Chald. *Spiritum ſanctum*. Creabuntur, ſcilicet res novæ.

V. 31. Sit gloria, &c. id eſt glorificetur Dominus.

V. 32. Montes, ſcilicet ut olim Sinai.

34. Iucundum sit. Hieron. *placeat*. Eloquium. Chald. *meditatio*.

ESTII.

Verſ. 2. & 3. EXtendens caelum sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius. Hoc fere intelligunt de cælo proprie dicto, & aquis, quæ ſupra illud cælum ſunt, ſive proprie dictæ aquæ, ſive cælum aqueum dicatur ob perſpicuitatem. Tamen minime reiicienda eſt expoſitio de cælo aereo; tum propter ea quæ dicta ſunt ad Geneſ. 1. tum quod ipſe hic Pſalmus ſic declaret iſta ſuperiora, quorum hic meminit. Nam verſ. 13. eadem phraſi dicit: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*; quod ſine dubio de nubibus accipiendum eſt, ex quibus pluviæ decidunt. Et utrobique eadem vox Hebraica eſt. Vide etiam noſtra in II. Sentent. diſt. XIV.

V. 4. Qui facis angelos tuos spiritus. Senſus eſt: Qui facit ſpiritus, ange-

gelos, ſeu nuntios ſuos. Et quidem nonnulli hunc locum intelligunt de ventis, de quibus dicitur Pſal. CXLVIII. *Quoniam ſpiritus procellarum faciunt verbum eius:* & ſimiliter quod ſequitur: *& miniſtros eius ignem urentem*: quoniam & ignis, id eſt fulgura faciunt verbum eius. Nihilominus non male ex hoc loco probatur Angelos rationales, creaturas eſſe incorporeas: nam de illis clare hunc locum interpretatur Paulus Heb. I.

V. 17. HERODII DOMUS DUX EST EORUM. Hebr. *Ciconiæ domus in abietibus, vel pinis*: altiſſime enim ciconiæ nidificant. Et apte hoc ſubiungitur ei quod dixerat: *Illic paſſeres nidificabuntur*. Vide tamen, ſi placet, de Herodio in comment. Hieronymo adſcripto.

V. 25. HOC MARE MAGNUM, ET SPATIOSUM MANIBUS. Potentiam Dei declarat a magnitudine, & vaſtitate maris. Græce eſt εὐρύχωρος, quæ eadem vox eſt Matth. VII. ubi dicitur, *Quam ſpatioſa via quæ ducit ad mortem*. Poteſt tamen eadem vox minima mutatione ſignificare (*latum manibus*) nempe ſi ſcribatur εὐρύχωρος. Heb. maniſeſte legitur *latum manibus*. Quod, ut intelligatur, ſciendum, quod ſicut figurate mari tribuuntur brachia, & ſinus, etiam apud ethnicos ſcriptores; ita hic ſimili ſchemate mari tribuuntur manus, id eſt fines & extremitates; ut ſenſus ſit: Mare non tantum capacitate magnum eſſe, ſed etiam longiſſime manus ſuas & fines extendere. Forte Septuag. verterunt εὐρύχωρος.

V. 26. ILLIC NAVES PERTRANSIBUNT. DRACO, ISTE QUEM FORMASTI AD ILLUDENDUM EI, &c. Heb. *Leviathan*, de quo in Lib. Iob cap. III. & XL. ubi dictum eſt, Leviathan ad litteram ſignificare cetum marinum. De hoc piſce, quem Scriptura vocat *leviathan*, mira, & abſurdiſſima fabulantur Hebræi; nos primo litteralem ſenſum, deinde ſeorſim myſticum ponemus. Illud, *ad illudendum ei*, verti poteſt *ad ludendum in eo*, ſcilicet mari; & ſenſus eſt: Illic in mari ſunt animalia parva cum magnis; illic nimirum, ubi naves pertranſeunt: illic etiam eſt cetus ille marinus ingenti mole corporis quem formaſti, ut in mari ludat; id eſt, natatu ſuo & circumgiratione velut ludum quemdam exerceat, ſicut etiam alii piſces in mari ludere ſolent. Et quod ad litteram de bellua aliqua intelligi debeat, patet ex verbis ſequentibus: nam ſubiicitur: *Omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore*. Myſtice autem idem ille intelligendus eſt, qui in Lib. Iob per behemoth, & leviathan ſignificatur, ſcilicet diabolus. DRACO ISTE, QUEM FORMASTI AD ILLUDENDUM EI. Nec ſignificatur tamen hic diabolum a Deo creatum fuiſſe malum, ſed tantum fuiſſe illum præcipuam quamdam Dei creaturam: qnem cum Deus præſciret peccaturum, voluiſſe tamen eum creare, quod ſciret quantum ſuis electis illius malitia ad virtutem eſſet profutura. Qua ratione fieret, ut ei a ſanctis, vel Angelis, vel hominibus conatus, & machinationes ipſius fruſtrantibus, merito illuderetur. Hanc rem pulchre declarat Hilarius in ſerm. quodam de S. Iob, qui quidem non extat, ſed verba leguntur apud Auguſt. Lib. II. cont. Iul. cap. VIII.

MARIANAE.

Verſ. I. IPSI DAVID. Heb. ſine titulo. In Regiis ſic: *Pſalmus David ſuper mundi conſtitutione*; συστάσεως: nimirum ex argumento titulus hic ab aliquo factus eſt. Sane Deum ab opificio celebrat. CONFESSIONEM. Heb. *laudem*, ſeu *gloriam*. ET DECOREM INDUISTI, quaſi dicat: Totus es laudabilis & decorus, omni ex parte ob ea quæ feciſti in mundo, & iam narro.

V. 2. AMICTUS LUMINE. Sic Hieronymus. Sed & verti poteſt: *Amiciens lumine*, ſcilicet mundum. Incipit agere de rerum creatione, in quibus prima mundum perſudit lux. EXTENDENS CAELUM, hoc eſt firmamentum, quo aerem ſignificari diximus aliis locis. SICUT PELLEM: ſic Hieronymus: alii *cortinam* vertunt: ſed utrovis modo pro tabernaculo, ſumitur: ob formam rotundam, quæ tegit terram: ſic pælles *Salomonis* Cantic. I. pro tentoriis Salomonis.

V. 3. QUI TEGIS AQUIS. Heb. *contignans aquis*. SUPERIORA EIUS. Heb. *cænacula eius*, ſcilicet cæli. Aquæ nubes ſunt poſitæ, ut contignatio in ſuperiori parte firmamenti. QUI PONIS NUBEM ASCENSUM TUUM. Heb. *ponens nubem currum ſuum*: nam ex eius voluntate huc & illuc nubes

diſcur.

diſcurrunt adinſtar currus. QUI AMBULAS SUPER PENNAS VENTORUM, ſcilicet ventos dirigens quo vult, quos pennatos facit ob celeritatem.

V. 4. QUI FACIS ANGELOS TUOS; id eſt, ventis, & igne ut miniſtris, & nuntiis utitur. Alioquin de veris Angelis hic non loquitur.

V. 5. QUI FUNDASTI. Heb. *fundavit*, in tertia perſona, ſicut & ſuperiora. Septuag. hæc verba in ſecundam mutarunt. SUPER STABILITATEM SUAM. Hieron. *baſim ſuam*. Vox Heb. & *baſim* & *ſtabilitatem* ſignificat. Fundavit ergo terram ſuper ſtabilitatem ſuam; id eſt, ſuper ſe ipſam, nullo alio ſulcro eget, partibus ad medium conglobatis ſe ſuſtentat. Quod Iob XXVI. 7. dixit: *Et appendit terram ſuper nihilum*. NON INCLINABITUR. Heb. *non mutabit*. IN SAECULUM SAECULI. Hebr. *in ſæculum & uſque*, ſcilicet quamdiu ſæculum ſtabit.

V. 6. ABYSSUS, SICUT VESTIMENTUM. Mare in prima conditione terram operiebat, ut amictus. SUPER MONTES STABUNT AQUAE; pro, ſteterunt aquæ, omnia operiebant.

V. 7. AB INCREPATIONE TUA FUGIENT. Fugerunt, cum dixiſti, *Congregentur aquæ*: quam tonitrui vocem vocat, propter vim eius & poteſtatem. FORMIDABUNT. Heb. *præcipitabunt*, pro præcipitarunt.

V. 8. ASCENDUNT MONTES: tunc terra non manſit æqualis: partes aliæ eminent, aliæ depreſſæ, ut Deus voluit. ET DESCENDUNT CAMPI. Heb. *valles*. IN LOCUM QUEM FUNDASTI EIS; pro, in quo fundaſti ea, montes, & valles.

V. 9. QUEM NON TRANSGREDIENTUR. Vides loqui de prima creatione, & præcepto impoſito: *Uſque huc venies, & non procedes amplius*: Iob XXXVIII. 11.

V. 10. IN CONVALLIBUS emittis fontes. *Nahal* locus eſt declivis, in quem confluunt aquæ: ſic ſumitur hic, non pro *torrente*, etſi locis aliis id etiam ſignificet ſecundario.

V. 11. POTABUNT OMNES BESTIAE. Vides Dei providentiam, omnibus præbet neceſſaria. EXPECTABUNT; alii, *frangent*, ſcilicet ſitim: ſedabunt. Sin ש in verbo *iisberu*, Septuag. legerunt cum *Smol*, modo eſt cum *Iamin*. Ea eſt cauſa variæ interpretationis. ONAGRI. De iis agit, quoniam numquam cicurantur, & quoniam ſolitudines maxime amant loca arida.

V. 12. SUPER EA, id eſt iuxta ea loca, & eos fontes, volucres habitabunt. DE MEDIO PETRARUM. Hebr. *de inter ramos*, aut *frondes*. DABUNT VOCES, cantus edent.

V. 13. DE SUPERIORIBUS. Hebr. *de cœnaculis*, id eſt nubibus, rigans montes. Sic nubes vocavit verſ. 3. DE FRUCTU OPERUM TUORUM, id eſt de fructibus quos tu ea rigatione producis. SATIABITUR TERRA, aut repletur terra.

V. 14. PRODUCENS FENUM IUMENTIS Hic eſt Heb. חציר *hazir*, quæ *herbam* potius ſignificat: & ſic Hieron. vertit. ET HERBAM. Hic eſt עשב *heſeb*, quod *fenum* ſignificat. Porro per *fenum* hic quidam *ſegetes* intelligunt. Sicut in illis verbis Lucæ XII. 28. *Si autem fenum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur*. Alioqui feni in clibano quis uſus? SERVITUTI HOMINUM: ſcilicet ut ex illo veſcantur, ſi *ſegetes* dici intelligimus; aut *fenum*, quod cedat in alios vitæ humanæ uſus. Sed præſtat *ſegetes* intelligere, quoniam præmiſit, *Producens fenum*, aut *herbam iumentis*, ut ſcilicet illa veſcantur; ſic fenum hominibus, ut ex illo vivant. Hoc magis confirmant verba proxima: UT EDUCAS PANEM DE TERRA, ſcilicet ex iis ſegetibus factus.

V. 15. ET VINUM; repete *producens*. LAETIFICET; pro, quod lætificet. UT EXHILARET. Hebr. *nitidam reddat*; ſupple, producens oleum, ut niteat facies. Antiqui oleo ad eſum vix utebantur. Unde illud axioma Democriti, quod affert Plutarchus in Catone, & Plinium tangit Lib. XIV. extremo: *Mel aut vinum intus, oleum foris*. Eo enim ungebantur, eratque pro balneis: Hieronymus Dan. X.

V. 16. SATURABUNTUR, ſcilicet ex iis fontibus. LIGNA CAMPI, id eſt arbores. Hebr. *ligna Dei*, id eſt proceræ arbores. QUAS PLANTAVIT, ſcilicet Deus.

V. 17. ILLIC PASSERES. In illis arboribus nidos conſtruent, ne ſcilicet ſua gurguſtia deeſſe quis putet. HERODII DOMUS. Hebr. *ciconiæ*. Verum ciconiæ in arboribus non nidificant. Hieron. & Pagn. *milvi* poſuerunt, qui fortaſſis *haſida*, id eſt *miſericors* vocatur per antiphraſim.

Porro *herodium* eſt *ardea*: de quo plura Iob. XXXIX. 13. DUX EST EORUM ;| ſcilicet paſſerum eſt dux, id eſt præcipuus in opere nidificandi in arboribus. Præcipua domus ea inter alios nidos. Hebr. *Milvus*, *abietes domus*, id eſt milvi domus abietes. Septuag. pro ברושים *beroſim*, id eſt *abietes*, legerunt בראשם *beroſam*, *in capite eorum*, id eſt dux.

V. 18. MONTES EXCELSI CERVIS. Alii, *ibicibus*, *capreis*. HERINACIIS, alii *cuniculis*, aut *leporibus*.

V. 19. FECIT LUNAM IN TEMPORA. Hebr. *in tempora ſtata*, id eſt feſta, iuxta illud Eccli. XLIII. 7. *A luna ſignum diei feſti*. SOL COGNOVIT OCCASUM SUUM, id eſt habet ſuos ortus, & occaſus, certas periodos, ut luna ſtatas converſiones.

V. 20. NOX: IN IPSA PERTRANSIBUNT. Heb. *reptabunt*; id eſt, diſcurrent nocte beſtiæ.

V. 22. ET IN CUBILIBUS SUIS. Hebr. *habitaculis ſuis*, id eſt luſtris, orto ſole. COLLOCABUNTUR. Heb. *cubabunt*.

V. 24. IMPLETA EST TERRA POSSESSIONE TUA; id eſt, tuis creaturis impleta eſt terra, tua ſunt omnia.

V. 25. ET SPATIOSUM MANIBUS mare, id eſt alveis, ſive littoribus, ſive locis.

V. 26. DRACO ISTE, balena. Heb. *Leviathan*. AD ILLUDENDUM EI. Illuditur, dum tanta moles ab hominibus arte capitur. Heb. *ad ridendum in eo*, ſcilicet piſce: & ſic ſumpſerunt Septuag. & Hieronymus. Aut *in eo*, id eſt in mari: ſic Hebræi. Et ſenſus eſt: Formaſti eum ad ridendum, ludendum in mari, ubi tyrannidem in alios piſces exercet, veſcitur quibus vult.

V. 28. OMNIA IMPLEBUNTUR BONITATE. Heb. *bono*; id eſt, bonis omnia tuo dono implebuntur.

V. 29. ET DEFICIENT. Heb. *& expirabunt*: morientur te avertente faciem.

V. 30. EMITTES SPIRITUM TUUM, id eſt vitam a te datam. Aut alludit ad illud: *Spiritus Domini fovebat aquas*; id eſt, aptas procreationi eo fotu reddebat.

V. 31. LAETABITUR DOMINUS, pro lætatur, quoniam tam ſapienter ſunt facta omnia. Alludit ad illud: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

V. 32. QUI RESPICIT TERRAM: ſolo aſpectu, & nutu terram concutit. QUI TANGIT MONTES, ſcilicet de cælo miſſis fulminibus.

V. 34. IUCUNDUM SIT EI. Heb. *dulcis erit de eo eloquium meum*, ſcilicet mihi. EGO VERO DELECTABOR. Heb. non eſt adverſativa: hoc ſolum: *Ego lætabor in Domino*. Quæ eſt repetitio eius quod dixerat, dulceſcet de illo eloquium meum.

V. 35. DEFICIANT PECCATORES, aut deficient. Longe alia erit pravorum conditio. ET INIQUI ITA UT NON SINT. Heb. *& iniqui amplius non ſint*, aut *non erunt*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. BENEDIC ANIMA MEA DOMINO, &c. Non dubitant, hanc Odam a Davide conſcriptam eſſe, atque ſuperiori Odæ de induſtria coniunctam, veluti cohærentem argumento. Vide notas in Pſalmum præcedentem verſ. 1. MAGNIFICATUS ES VEHEMENTER. Quidam: *Magnus es valde*. Alii: *Rebus geſtis maximus es*. CONFESSIONEM ET DECOREM INDUISTI. Aliqui: *Gloriam atque decus induiſti*; id eſt, ornaris, & commendaris magnificentia & ſplendore. Per ipſos cælos te decorum, & ſplendidum agnoſcimus, ut hominem per veſtem. II. *Laude, & decore amictus es*. III. *Maieſtate & gloria indutus atque exornatus es*. IV. *Decorem & maieſtatem induiſti*; id eſt, magnificentia operum tuorum, quaſi quibuſdam ſpecioſis ornamentis circum veſtiris. Humanitus dictum, ut ſequentia fere omnia attributa Deo.

V. 2. AMICTUS LUMINE SICUT VESTIMENTO. Hebr. *invelans*, ſeu *obvelans*, *operiens*, *amiciens ſe luce velut veſte*. Reſpicit creationem lucis prima die. Geneſ. 1. verſ. 2. EXTENDENS CAELUM SICUT PELLEM. Hebr. *ſicut cortinam*, *aulæum*. Vide in Geneſ. 1. verſ. 1. 6. & 7. Noſter *pellem* pro tentorio militari accepit, quæ ex pellibus conficiebantur: unde frequens illud apud auctores, *exercitum*, vel *militem eſſe*, vel *habere ſub pellibus*, id eſt in tabernaculis, ſeu tentoriis.

V. 3. QUI TEGIS AQUIS SUPERIORA EIUS. Hebr. *Contignans in aquis altanas*, *cœnacula*, *eius*, ſcilicet cælis, vel *ſua*, ſignificat aquas quæ ſuper cælos ſunt, Geneſ. 1. verſ. 6. & 7. Alii: *Qui contignat in aquis*

quis

Digitized by Google

quis cœnacula ſua: vel, *Qui ponit trabes cœnaculorum ſuorum in aquis*. Nonnulli: *Qui facit velut contignationem cœnaculi ſui aquas*, id eſt nubes; quaſi dicat: Qui compingit, ſeu conſtruit ſibi domicilium in nubibus. Aliqui: *Qui contabulat in aquis fornices tuos*; id eſt, qui ipſas nubes facis ut tegant aerem & terram tamquam fornices quidam. Alii: *Qui contignat in aquis cœnacula ſua*; id eſt, regionem aeris velut in cœnacula nubibus diſtinctam. QUI PONIS NUBEM ASCENSUM TUUM. Alii ex Hebr. I. *Nubes in currum tuum aptas*. II. *Qui utitur nubibus pro vehiculo*. III. *Poſuitque nubes ſuum vehiculum*; id eſt, cuius nutu huc illuc impelluntur nubes, ut auriga currum agit. IV. *Ponens denſitates* nubium *equitatum ſuum*, ſeu *equitaturam ſuam*; quaſi dicat: Inequitat nubibus, vel equitatus Dei ſunt nubes. V. *Qui diſponit denſas nubes in vehiculum ſuum*; nimirum ut velociſſime invehatur. Sic Iſaiæ XIX. I. QUI AMBULAT SUPER PENNAS VENTORUM. Heb. *Ambulans ſuper alas ſpiritus*, ſeu *venti*. Alii: *Qui itat ſuper alas venti*. Nonnulli: *Et volat pennis venti*. Quidam: *Ambulat ſuper pennas venti*, id eſt imperat ventis, mittens flatum ventorum quo vult. Alii: *Et alis ventorum aurigaris*. Aliqui: *Volat velocius quam ſi alas haberet ex vento*. Vide in II. Samuel. XXII. II.

V. 4. QUI FACIS ANGELOS TUOS SPIRITUS, ET MINISTROS TUOS IGNEM URENTEM. Hebr. *Faciens angelos ſuos*, ſeu *legatos ſuos*, aut *nuntios ſuos ſpiritus*, vel *ventos*: *miniſtros ſuos ignem inflammantem*. Plerique noſtrorum Hebræos ſecuti, hic Angelos non accipiunt proprie pro ſanctis illis ſpiritibus cælitibus; ſed appellative pro legatis ſeu nuntiis, & adminiſtris: & *Angelos* hic & *miniſtros*, prædicata: *ſpiritus* vero, & *ignem flammantem*, ſubiecta per hyſterologiam accipiunt: atque hunc ſenſum eſſe volunt. Qui flatibus ſive ventis, item fulguribus, fulminibus, igneque cæleſti utitur tamquam nuntiis, legatis, adminiſtris executoribus ſuæ voluntatis; vel in propugnandis ſuis, vel in obterendis adverſariis: ſic vento viam ſtravit Hebræis in mari rubro: ſic igne cæleſti delevit Sodomitas: ſic vento invexit coturnices in caſtra Iſraelitarum, Pſal. LXXVII. verſ. 26. ſic igne & preſteribus conſumpſit opes AEgypti, Pſal. LXXVII. 47. & 48. Sic Pſal. CXLVIII. 8. unde Textus Paraphraſis Campenſis habet: *Tu facis ventos nuntios tuos*, & *flammas ignis clientes tuos*. Campenſis: *Cuius iuſſu nunc huc, nunc illuc flant venti*, & *tamquam miniſtri obſequuntur Domino ſuo*: nec aliter quam miniſtri quocumque illi voluerit, pergunt ignita fulgura. Buchananus:

Apparent accinctæ auræ, flammæque miniſtræ,
Ut iuſſa accipiant.

Hunc ſenſum ſecuti ſunt etiam Vatablus, Iſidorus Clarius, Folengius, Ianſenius. Sed Paulus Hebr. I. 7. perſpicue de ſanctis Angelis hunc locum interpretatur: *Qui facis Angelos tuos*, id eſt cæleſtes & beatas mentes; *ſpiritus*, id eſt naturæ ſpiritalis & incorporeæ: vel velociſſimos ut ventos, ſeu Cherubos, quibus invehitur, ut II. Samuel. XXII. II. & Pſal. XVII. & *miniſtros tuos*, id eſt ipſoſmet Angelos, qui ſunt adminiſtratorii ſpiritus, *ignem urentem*, id eſt celerrimæ ac efficaciſſimæ naturæ: metaphora, nempe Seraphos, Iſaiæ VI. 2. Tremellius, & Iunius utramque expoſitionem coniungunt: *Qui facit Angelos ſuos ventos, miniſtros ſuos ignem flammantem*; id eſt, Angelis utitur nuntiis, adminiſtriſque voluntatis, & iudiciorum ſuorum: adeo commode ut ventis, & igne uti ſolet. *Ignem flammantem*, id eſt corruſcationes, fulgura, & ſimilia ætherea, atque meteora. Senſus Pauli omnino præferendus.

V. 5. QUI FUNDASTI TERRAM SUPER STABILITATEM SUAM. Hebr. *Fundavit terram ſuper baſes eius*.

Ponderibus libratum ſuis,

inquit Ovidius Metamorphoſeos I. NON INCLINABITUR IN SAECULUM SAECULI. Heb. *Non dimovebitur in ſæculum* & *perpetuum*; id eſt, creavit terram immobilem, cum ſedem fixam, & ſtabilem dedit ei. Alii: *Ne dimoveretur in ſæculum* & *perpetuum*; id eſt, tantiſper dum ſæculum duraturum eſt, immota manet; cum alia levitate ſua huc illuc deferantur. Immo & poſt ſæculum expurgata, & in meliorem formam redacta, perpetuo manſura eſt, ut Theologi docent.

V. 6. ABYSSUS SICUT VESTIMENTUM AMICTUS EIUS, ſcilicet terræ. Heb. clarius: *Abyſſo tamquam veſtimento operuiſti tam*.

Digitized by Google

eam. Vide Geneſ. I. verſ. 2. Alii mare accipiunt, quod terram undique cingit, ac circumveſtit. SUPER MONTES STABUNT AQUAE; id eſt, vel qui tum iam erant operti aquis abyſſi in prima rerum creatione; vel qui mox futuri erant. Unde vertunt, *ſupra montes ſtantibus aquis*. Alii de eluvionibus, & inundationibus immiſſis ab irato Deo, quibus etiam montes obruuntur, ut diluvio Noatico, intelligunt.

V. 7. AB INCREPATIONE TUA FUGIENT: A VOCE TONITRUI TUI FORMIDABUNT. Alii per præteritum reddunt: *Ex increpatione tua diffugerunt: a voce tonitrui tui acceleraverunt fugam*, id eſt mandato Dei velut intonante; quod habetur Geneſ. I. 9. Alii ad inundationes referunt, quas Deus boatu ſui imperii frenat, & compeſcit.

V. 8. ASCENDUNT MONTES, ET DESCENDUNT CAMPI, IN LOCUM, &c. Hebr. in futuro: *Aſcendent montes, deſcendent campi ad locum iſtum, quem fundaſti eis*. Varie explanant: I. Tunc cum aquas in locum unum congregaveras, Geneſ. I. 9. *aſcenderunt montes*, id eſt exſtarunt: *& deſcenderunt*, id eſt apparuerunt, *valles ad locum iſtum, quem fundaſti eis*; id eſt, tunc cœperunt apparere montes in ſublimi, & valles in imo, cum terra aquis detecta fuit. Id quod plane Ovidius quoque cecinit, I. Metamorphoſeos.

Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſilvas, lapidoſos ſurgere montes.

II. *Tum ſurgunt montes, deſcendunt valles ad locum iſtum, quem firmaſti eis*. III. *In altum extollent ſeſe, & ſubſident valles: unumquodque eo ſe continebit loco, quem tu deſignaveris illi*. IV. *Conſcenderunt*, ſcilicet aquæ, *per montes*, *deſcenderunt per convalles, in locum quem fundaveras ipſis*; id eſt, dictum ac factum eſt: cum primum mandavit Deus, præcipites aquæ in ſuas ſtationes devenerunt, neque obſtiterunt adverſi montes, convalles, aut aliud quidquam, quin mandato Dei confeſtim obtemperarent.

V. 9. TERMINUM POSUISTI, QUEM NON TRANSGREDIENTUR, &c. Vide Iob XXXVIII. 10. & II. & Iere. V. 22. Hoc autem de ordine naturæ accipiendum eſt: nam diluvium extra ordinem accidit, Geneſ. VI. & VII.

V. 10. QUI EMITTIS FONTES IN CONVALLIBUS. Quidam, *per convalles*: alii, *fontes in torrentes*, id eſt qui mox fiunt torrentes.

V. 13. RIGANS MONTES. Hactenus de aqua fontana; nunc de aqua pluvia, & nubium diſtillatione. DE SUPERIORIBUS SUIS. Hebr. *De altanis, cœnaculis ſuis*: de quibus ſupra verſ. 3.

V. 14. DE FRUCTU OPERUM TUORUM SATIABITUR TERRA. Quidam: *Ut a fructu operum tuorum ſatietur terra*; id eſt, ut homines, & animalia ſingula comedant de fructibus terræ, quos tuum opus ſuppeditat: metonymia. Sic accipiendum eſſe, ſequentes verſus commonſtrant, in quibus primum de voluntariis, & inſativis plantis, verſ. 14. poſtea de ſativis, & cultura provenientibus, verſ. 15. denique de omnibus univerſe agitur uſque ad verſ. 19. UT EDUCAS PANEM DE TERRA. Heb. *Ad educendum panem de terra*. Quidam: *Ut proferat*, vel *depromat*, *cibum de terra*, ſcilicet ipſe Deus, vel homo culturam ſuam, ſibi fruges e terra eliciat.

V. 15. UT EXHILARET FACIEM IN OLEO. Verbum צהל *tzahal* in Hiphil hic tantum legitur in infinitivo: quod varie reddunt. I. *Ad exhilarandas facies ex oleo*. II. *Ut mundet*, ſeu *illuſtret faciem præ oleo*; id eſt, ut illuſtret faciem lætitia, præ unguento, vel magis quam unguentum. III. *Ut ſplendore, lucere faciat nitore*, ſcilicet læto, quaſi vultus ipſe lætitiam proclamet, *oleo*, vel *unguento* delibutus. IV. *ut faciem nitere faciat præ oleo*; id eſt, illo vino nitidiorem reddat vultum & ſplendidiorem, quam poſſit reddi ullo unguento. V. *Ut niteant facies ab oleo*; id eſt, Deus faciet provenire abunde oleum, quo facies nitidæ reddantur. VI. proprie, *ad faciendum hinnire facies ex oleo*; id eſt, ut facies oleo delibutæ, præ nitore, & lætitia veluti petulanter & laſcive hinnire ac geſtire videantur: metaphora. Acute Forſterus conjectatur, forte להצהיל *lehatzhil*, poſitum pro להצהיר *lehatzir*, verbo ab oleo efformato; quaſi dicas, *ad oleificandum facies ab oleo*, id eſt oleo, ſeu unguento perungendas; claras, puras, limpidas, ſplendidas reddendas, oleo. Hunc verſum perſpicuitatis gratia alii ita reddunt. I. *Et vinum quoque producis, ut humanum cor lætificet; tum oleum, ut vultus eo-*

por-

porrigat; & panem, ut vires hominis reficiat. II. *Provenire facit & vinum, quod exhilaret cor hominis variis miſeriis obnoxii; oleum præterea, quo hilarior reddatur vultus illius; & panem, qui cor hominis confirmet.* III. *Qui vino lætificat cor mortalis, nitidam efficit faciem oleo; & cibo cor mortalis fulcit.* Id eſt, qui gratioſe largitur hominibus non tantum vitam, ſed etiam ſubſidia vitæ quælibet; ſive neceſſaria, ut panis eſt; ſive utilia, ut vinum; ſive iucunda, & ad ornatum, voluptatemque pertinentia, ut ſunt unguenta ex oleo. Nam unguentorum uſum maxime olim apud orientales viguiſſe, notiſſimum eſt: vide in Pſal. XXII. 5. Buchananus:

Quæque movent feſſas cerealia munera vires,
Quæque hilarent mentes iucundi pocula vini,
Quique hilaret vultus ſuccus viridantis olivi.

V. 16. SATURABUNTUR LIGNA CAMPI. Heb. *Saturabuntur*, vel *ſatiabuntur*, *arbores Iehveh*. Quidam reddunt: *Reficiuntur arbores excelſæ*: nam omnia excelſa tribuuntur Deo: ſic *cedri Dei*. Pſal. LXXIX. verſ. 11. id eſt, abunde irrigantur imbre cæleſti, de quo ſupra verſ. 13. Alii: *Te Domino arbores ſaginantur*. Nonnulli: *Humoris ſumma copia ſuppeditabitur arboribus maximis*. Aliqui: *Satiantur arbores Iehovæ, cedri Libani, quas plantavit*; id eſt, cuius opere aluntur abunde inſativæ plantæ, non ab hominibus, ſed a Deo poſitæ & cultæ: quod genus plantarum eas fere ſuperat amplitudine quæ ſeruntur arte. Ergo arbores Iehovæ dicuntur quæ non humana manu ſatæ, aut plantatæ, ſeu excultæ ſunt; ſed ſponte natura proveniunt, & creſcunt; quales ſunt pinus, cedri, &c.

V. 17. IBI PASSERES NIDIFICABUNT. Quidam: *Ubi aviculæ nidificent*. HERODII DOMUS DUX EST EORUM. Heb. *Ciconia, abietes domus eius*. Exponunt: Quod ad ciconiam attinet, abietes domus eius ſunt. Si vertas *ciconiæ*, tunc relativum *eius* abundat; id eſt, *Ciconia pro manſione ſua habet abietes*. Tremellius, & Iunius hæc habent: Hebraicam hyſteros in & pleonaſmum relativi cum antecedente in hoc ſermone frequentiſſimum evidentiæ cauſa ſuſtulimus: *Abietes domicilia ciconiæ* ſunt. Alii: *Ubi aves nidificant, & ciconiæ, quarum domus eſt in abietibus*. Nonnulli: *Ut volucres iſtbic nidulentur, ciconiæ domicilium abies præbeat*. Alii: *Ciconia nidum ſuum ponit in abietibus*. Nidum, domum appellat non ſemel Virgilius.

V. 18. MONTES EXCELSI CERVIS, &c. Hunc verſum multifariam ex Heb. transferunt. I. *Montes excelſi capreis petræ opertorium cuniculis*. II. *Montes excelſi ibicibus*, vel *damis*: *petræ hoſpitium, latibulum leporibus*. III. *Ut montes editi damis: petræ vero ſint aſylum cuniculis*. IV. *Montes excelſi pro capreis*, vel *hircis ſilveſtribus*: & petræ *latibulum lepuſculis*. V. *Montes excelſiſſimi rupi caprarum, petræ montanorum murium perfugium*; id eſt, cuius opere etiam aſperrima, & horrentia loca ſaturantur, e verſ. 16.

V. 19. FECIT LUNAM IN TEMPORA. Quidam: *Statuit lunam in ſtata tempora*, de quibus Geneſ. 1. 24. Alii, *in tempora*, id eſt ut menſes diſtinguat. Quidam: *Fecit lunam ad conſtitutum ſuum*. Nonnulli: *Fecit lunam certis modis, & temporibus mutabilem*. Vide Plinium Lib. II. cap. IX. SOL COGNOVIT OCCASUM SUUM. Alii: *Sol novit tempus occaſus ſui, abſque tali, qua luna mutatur variatione*. Quidam: *Solem cognoſcentem occaſum ſuum*; quaſi dicat: Lunam, & ſolem diſponit, ut noctis, & diei inſtrumenta eſſent: quorum uſus in ſequentibus explicatur, uſque ad verſ. 25. Nonnulli: *Et ſol novit ſuum occaſum*; id eſt, novit quà parte occumbere debeat ſingulis anni partibus: & novit metiri curſum ſuum iuxta quatuor anni tempora, quæ diverſo ſolis occaſu diſtinguuntur, nempe ut nobis duo ſolſtitia fiant.

V. 21. RUGIENTES UT RAPIANT. Heb. *Rugientes ad prædam*, id eſt rugitu ſuo tamquam voce eſcam exoptantes a Deo: quo ſequens epexegeſis oſtendit.

V. 24. POSSESSIONE TUA. Heb. pluraliter, *poſſeſſionibus tuis*. Alii: 1. *acquiſitionibus tuis*, id eſt comparatis tuis, quæ tu comparaviſti; 2. *rebus tuis*; 3. *operibus tuis*, vel rebus a te mirabiliter geſtis; 4. *poſſeſſionibus tuis*, id eſt rebus quas poſſides, & regis, ut poſſeſſor iuſtus.

V. 25. ET SPATIOSUM MANIBUS: 1. id eſt, *locis, extenſionibus, litoribus, ſpatiis*:

2. *ſi ni-*

2. *finibus*, *portubus*, *brachiis*: ſic vulgo dicimus *brachia maris*: hæc enim videntur manus & brachia maris: 3. *terminis*. Vide Iſaiæ XXXIII. 21.

V. 26. DRACO ISTE. Heb. *Liviathan iſte*, vel *iſtum*: de quo vide in Iob LX. 20. QUEM FORMASTI. Heb. tantum eſt *formaviſti*, *finxiſti*, *plaſmaviſti*, ſubaudiunt relativum *quem*: vel *Liviathanem iſtum formaviſti ad ludendum in eo*, ut in eo mari ludat, vagetur, ſpatietur, regnet, ludos agat, cetera aquatilia contemnat, omnium Rex & imperator. Quidam reddunt: *Et ipſi ceto eas vires tribuiſti*, *ut videre audeat*, *& contemnere reliqua quæ degunt in mari omnia*. Buchananus:

> .... *tot monſtra ingentia & horrida viſu*
> *Veliferas circumnant puppes*: *grandia cete*
> *Effingunt molles vitreo ſub marmore luſus.*

Bochius:

> .....*immania cete*
> *Mille tuo peragunt ludentes munere formas*.

V. 27. OMNIA A TE EXPECTANT, &c. id eſt, omnia terreſtria, æria, aquatilia. Vide infra Pſal. CXLIV. 15.

V. 30. CREABUNTUR; id eſt, propagatione ſeminis quaſi de integro creantur & recreantur rerum creatarum formæ.

V. 31. LAETABITUR DOMINUS IN OPERIBUS SUIS. Explicant; id eſt, res omnes creatæ ita laborent in promovendo honore Dei, ut ipſis delectetur, & gaudeat Deus: & revereantur potentiam eius; quæ alioquin ſolo intuitu, vel contactu perderet, etiam valentiſſimas ipſarum, niſi honorarent Deum; verſu ſequente.

V. 32. QUI TANGIT, fulminat. Sic Latini. Virgilius egloga 1.

> *De cælo tactas memini predicere quercus*.

Et Cicero: *Tactus eſt ille qui hanc urbem condidit Romulus*.

MONTES: apte, *quia ſummos feriunt fulmina montes*.

V. 34. IUCUNDUM SIT EI ELOQUIUM MEUM. Heb. *Miſcebitur ſuper eum meditatio mea*. Varie alii. I. *Dulceſcet ſuper ipſo eloquium meum*. II. *Dulceſcet*, *dulce erit*, *ei eloquium meum*; id eſt, gratus erit ei ſermo meus. III. *Placeat ei eloquium meum*. IV. *Iucunda ſit coram ipſo oratio mea*. V. *Grata ſit illi cantio mea*. VI. *Suavis ſit ſuper illo ſermo meus*, vel *congruus*, *conveniens*, *temperatus*, *ſit de illo ſermo meus*. VII. *Erit quo ſermo meus de illo dulcis*. VIII. *Suavis erit de eo meditatio mea*; id eſt, ex animo lætiſſimo & alacerrimo honorem ei tribuam, adductus ſuavitate ipſius, & beneficiorum, quæ ab ipſo accipimus: ad hanc inquiunt, interpretationem nos adducit ſequentis membri comparatio. IX. *Attemperabitur ei eloquium eum*; id eſt, eo digna canet. X. Poſſis reddere: *Fide iubebit*, *ſpondebit*, *pro eo*; vel *oppignorabitur*, *obligabitur pro eo*; ſcilicet quod dixi me Deo cantaturum tota vita: *meditatio*, *oratio mea*, quaſi dicat: Meditatio mea, in fidem ſuam recipiet, ſpondebit ſe celebraturam perpetuo laudes Dei.

V. 35. DEFICIANT PECCATORES, &c. Excidium improborum, & omnium qui Dei laudibus adverſantur. *HALLELU-IAH; id eſt, *Laudate Iah*, ſive *extollite*, *evehite laudibus ipſum Iah*; de quo vide in Pſalmum LXVII. 5. Notant, hanc vocem; *Hallelu-Iah*; quando ponitur in fine, aut principio Pſalmorum, non eſſe reddendam in alias linguas, ſed ipſas Hebraicas voces retinendas: quod ſingularem contineant acclamationem, & lætam adhortationem ad laudes Dei: & ſic olim in vetere Eccleſia & Apoſtolorum ſcriptis, ſine interpretatione ſervatas eſſe: ut Apocalyp. XIX. verſ. 1. 3. & ſeqq. & uſque hodie ſervantur in Eccleſia. Vide S. Hieronymum, epiſt. CXXXVII. quæ eſt ad Marcellam.

* Sic iſte Auctor in ſua verſione ex Hebræo finem facit huic Pſalmo.

MENOCHII.

Verſ. 1. BENEDIC, lauda, prædica; Vide dicta Pſal. ſuperiori num. 1. MAGNIFICATUS ES VEHEMENTER. Te magnum oſtendiſti per creationem mundi, & per providentiam, qua illum gubernas. CONFESSIONEM ET DECOREM INDUISTI. Laudis materiam firmiter, copioſe, & arcte poſſediſti; laude, & maieſtate indutus es; totus es laudabilis, & admirandus.

V. 2. LUMINE, gloria, maieſtate. Deus enim inhabitat lumen inacceſſibile. Ex-

TEN,

TENDENS CAELUM SICUT PELLEM. In Hebr. *ſicut cortinam:* ad eum modum, & ea facilitate, qua artifex tentorii cortinam convolutam expandit.

V. 3. QUI TEGIS AQUIS SUPERIORA EIUS, aqueo, ſeu cryſtallino cælo. Alii de veris aquis intelligunt, quæ ſupra firmamentum ſunt. Vide dicta Geneſ. 1. 6. PONIS NUBEM ASCENSUM TUUM, vehiculum tuum, qui nubibus uteris pro curru. AMBULAS SUPER PENNAS VENTORUM. Loquitur de ventis poetice tamquam de alatis animalibus. Qui veheris pennis ventorum currum tuum trahentibus.

V. 4. QUI FACIS ANGELOS TUOS, SPIRITUS, &c. id eſt, qui facis ut ſpirituales creaturæ, quæ in cælo tibi ſemper aſſiſtunt, fiant Angeli tui, id eſt fiant nuntii tui ad homines inſtruendos. Quique facis miniſtros tuos ignem urentem, id eſt qui facis ut illæ eædem ſpirituales creaturæ, quæ caritate ſemper ardent, fiant miniſtri tui, ad efficienda celerrime, & efficaciſſime, quæ iuſſeris. Ita S. Auguſt. & S. Grægor. hom. XXXIV. in Evangelia. Vel ſenſus eſt: Qui facis ut Angeli miniſtri tui habeant velocitatem ſpirituum, id eſt ventorum, & efficacitatem ignis urentis, atque ita ſint quaſi quidam venti ſpirituales in diſcurrendo, & veluti quidam ignes divini in operando. Ita Theodoretus, & D. Thomas in cap. 1. Epiſt. ad Hebr.

V. 5. SUPER STABILITATEM SUAM, in ſua baſi. & ſede, quod eſt centrum mundi. NON INCLINABITUR, &c. Numquam inde dimovebitur vel motu recto, vel in gyrum acto.

V. 6. ABYSSUS SICUT VESTIMENTUM, &c. Pelagus, mare ſcilicet profundiſſimum, terram quaſi amictus circumveſtiebat, & omni ex parte operiebat. SUPER MONTES STABUNT AQUAE. Ipſa etiam montium cacumina aquis erunt operta.

V. 7. AB INCREPATIONE TUA FUGIENT. Tuo iuſſu quodammodo reprehenſæ aquæ fugerunt, loca illa excelſa deſerentes, & ſe ad cavitates, alveos, & conceptacula ſua demittentes. A VOCE TONITRUI TUI, &c. Propter iuſſum tuum, quod erat quaſi ſonus tonitrui, efficaciſſimum, celeriter fugerunt, quaſi timentes te.

V. 8. ASCENDUNT MONTES, &c. Decidentibus enim aquis montes, valles, & planities apparuerunt. IN LOCUM QUEM FUNDASTI EIS: eum locum tenentes, quem eis conſtituiſti.

V. 9. NON TRANSGREDIUNTUR, ſcilicet aquæ. Dictum eſt mari: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Iob XXXVIII. 11. Neque rurſus terram operient aquæ.

V. 10. PERTRANSIBUNT AQUAE, e fontibus manantes, & per valles ad declivia decurrentes.

V. 11. POTABUNT OMNES BESTIAE AGRI. Ex illis aquis bibent pecora, iumenta, & feræ. EXPECTABUNT ONAGRI IN SITI SUA. D. Hieron. vertit: *Onager reſpiciet ſitim ſuam.* S. Auguſt. legit: *Suſcipient onagri in ſitim ſuam.* Quod in noſtra vulgata dicitur, *expectabunt*, idem eſt quod ſperabunt. In eis ſperabunt aſini ſilveſtres quando ſitient. Sic eodem ſenſu dicitur infra num. 27. *Omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore*, id eſt ſperant. Onagrum præ ceteris quadrupedibus commemoravit, quia is cum deſerta loca ſequatur, unde & nomen accepit, & per ſolitudines erret, ſiti maxime vexatur.

V. 12. SUPER EA VOLUCRES CAELI HABITABUNT: prope fontes, fluvios, & rivos libenter verſantur aves, arborum iuxta aquas creſcentium umbraculis gaudentes. DE MEDIO PETRARUM, rupium iuxta aquas, & torrentes ſitarum, in quibus degunt, aut etiam nidulantur. DABUNT VOCES, canent, garrient.

V. 11. RIGANS MONTES DE SUPERIORIBUS SUIS: rigans montes aquis de nubibus demiſſis. DE FRUCTU OPERUM TUORUM. Fructu, quem operaris, dans frugibus ut naſcantur, & creſcant. SATIABITUR TERRA: replebitur terra.

V. 14. HERBAM SERVITUTI HOMINUM, herbas hortenſes, olera, &c. in cibum hominum, vel in medicinam: vel certe herbarum nomine intelligit ſurculos, germina, aut turiones, unde vires poſtea exiſtunt; triticum etiam herbeſcens, & alia huiuſmodi.

V. 15. UT EDUCAS PANEM DE TERRA. Ut ex illis herbis cum ad maturitatem pervenerint, & maturum ſemen ediderint, panem hominibus ſuppedites. ET VI-

VINUM LAETIFICET COR HOMINIS : ut vidcas vinum, quod ad lætitiam excitat homines . UT EXHILARET FACIEM IN OLEO. Oleum enim nitidiorem reddit , & eſt accommodatum ad unguenta, quæ in magno uſu erant apud orientales. PANIS COR HOMINIS CONFIRMET : hominem corroboret , & robuſtum reddat .

V. 16. SATURABUNTUR LIGNA CAMPI. Arbores , quæ in campis naſcuntur , largis imbribus, ſaturabuntur humore neceſſario. ET CEDRI LIBANI QUAS PLANTAVIT : & admodum proceræ cedri , quibus Deus Libanum montem circumveſtivit.

V. 17. ILLIC PASSERES NIDIFICABUNT. Aviculæ in genere : nam , ut diximus Pſal. CI. 8. צפור *tſippor* quamlibet aviculam ſignificat. HERODII. In Hebræo eſt חסידה *chaſida*, in Græco ἐρωδιὸς, quæ vox ſignificat milvum Hieronymo , fulicam Auguſtino, ciconiam Suidæ, ardeam Plinio. DOMUS, nidus. DUX EST EORUM : vel quod altior, & amplior ſit huius avis nidus, quam ceterarum avium; vel quod prima nidum ſtruat.

V. 18. MONTES EXCELSI CERVIS; quaſi dicat: Quemadmodum aviculæ verſantur in arboribus, ita cervi in montium cacuminibus. PETRA REFUGIUM HERINACEIS. *Herinaceis*, Hebraice שפן *ſaphan* eſt is quem Scriptura Levit. XI. 5. appellat *chærogrillum* , Italice appellamus *porco ſpino*. Vide quæ notavi ad locum illum Levitici.

V. 19. FECIT LUNAM IN TEMPORA , in temporum diſtinctiones , & diviſiones: nam anni menſibus conſtant, menſes autem luna monſtrantur . SOL COGNOVIT OCCASUM SUUM . Scit ſol quo curſum ſuum debeat intendere, ut ad occidentem perveniat.

V. 20. POSUISTI TENEBRAS, &c. Cum ſe tenebræ, & nox effundunt . IN IPSA PERTRANSIBUNT OMNES BESTIAE SILVAE : e cubilibus ſuis prodeunt, & ſilvas nocte oberrant.

V. 21. CATULI LEONUM: & catuli leonum. RUGIENTES : rugiunt enim dum prædas agunt . A DEO ESCAM : quam Deus obtulerit.

V. 22. ET CONGREGATI SUNT . Seſe in ſua luſtra recipiunt.

V. 23. EXIBIT HOMO AD OPUS SUUM. Cum illuxerit, homines ad opus prodeunt; contra feræ ſuis ſe cubilibus abdunt.

V. 24. MAGNIFICATA , magnifica . IMPLETA EST TERRA POSSESSIONE TUA , tuis rebus, & operibus, tuis creaturis , tuis opibus, & bonis.

V. 25. HOC MARE , &c. quaſi dicat : Nec minorem admirationis materiam præbet mare quam tellus. MANIBUS , ſinibus; ſic Italice ſinus appellamus, *Bracci di mare*. REPTILIA , natabilia, piſces, qui vel pedes omnino non habent , unde a Græcis ἄποδες, dicti ſunt , vel breviſſimos habent. QUORUM NON EST NUMERUS . Nam piſces copioſius creſcunt , & multiplicantur, quam terreſtres, aut aereæ animantes. ANIMALIA PUSILLA CUM MAGNIS. Quædam enim illic ſunt tantæ magnitudinis, quantæ nullum animal in terra reperitur, ut balena, & quæ Geneſ. cap. I. appellantur *cete grandia*. PERTRANSIBUNT. Hebr. *ambulabunt* . Ambulant , ulto citroque commeant. DRACO ISTE . Loquitur de balenis, & cetis grandioribus. Ut enim omne genus piſcium reptilis nomine comprehendit; ſic quæ in hoc genere ſunt immania , & magnitudinis eximiæ, dracones dicuntur . AD ILLUDENDUM EI, draconi: ut homines ei illudant, & inſultent, & quaſi triumphent cum illum ceperint, aut occiderint . In Hebræo eſt *ad ludendum in eo*, id eſt in mari, huc & illuc ſe ut libuerit circumvolvendo, per mare ſpatiando, & oblectando.

V. 27. A TE , a tua providentia. IN TEMPORE: cum eſurierint , vel tempore congruo, & opportuno.

V. 28. COLLIGENT cibum , paſtum , quem illi obieceris. BONITATE , bonis a tua benignitate, & providentia profectis.

V. 29. AVERTENTE TE FACIEM : ubi curam, & conſervationem illorum ſubduxeris, & manum tuam ſubtraxeris. TURBABUNTUR. Laborabunt anguſtia, & penuria langueſcent , nec ſatis expedient quid agant, aut quomodo ſibi provideant. AUFERES SPIRITUM EORUM, ſpiritum vitalem. DEFICIENT , morientur. IN PULVEREM SUUM REVERTENTUR : ſolventur in pulverem, ex quo formati ſunt.

V. 30. EMITTES SPIRITUM TUUM , ET CREABUNTUR . Emittes ſpiritum vitalem in animalia per novam generationem , &

ſic

ſic renovabis faciem terræ, eam replendo omnis generis animantibus. CREABUNTUR, formabuntur, producentur.

℣. 31. SIT GLORIA DOMINI IN SAECULUM. Laudetur Dominus, & glorificetur in æternum. LAETABITUR DOMINUS IN OPERIBUS SUIS, *videns cuncta quæ fecit eſſe valde bona*, Geneſ. cap. 1.

℣. 32. RESPICIT, &c. nutu ſuo illam tremefaciens. Vultu iracundo terram concutit, & motu labefactat, & findit. TANGIT MONTES, fulmina immittendo, ex quo ignem concipiunt, & fumigant.

℣. 33. CANTABO: celebrabo quamdiu vixero. PSALLAM: ad pſalterii ſonum concinam. QUAMDIU SUM: quamdiu vixero.

℣. 34. IUCUNDUM SIT EI: placeat ei. DELECTABOR IN DOMINO, canens laudes eius, & memorans bonitatem eius.

℣. 35. DEFICIANT PECCATORES A TERRA, &c. Peccatores, qui Deum laudare neſciunt, aut noluut, deficiant, ita ut vel converſi ad Dominum, non ſint amplius peccatores; vel ſi converti noluerint, deiiciantur intra terram, nec amplius compareant.

TIRINI.

Verſ. 1. CONFESSIONEM ET DECOREM (Chald. & Symac. *laudem & pulchritudinem*, ſcilicet omnium rerum creatarum) INDUISTI; id eſt, tamquam polymitam veſtem tibi circumdediſti; quaſi dicat: In omnibus creaturis apparet quam ſis pulcher, glorioſus, & laudabilis.

℣. 2. AMICTUS LUMINE; non ſolo increato divinæ tuæ perfectionis, qua *lucem habitas inacceſſibilem*, 1. Timoth. VI. ſed & creato, ſolis, ſtellarum, & cælorum. Tropologice lumine gratiæ, qua amictus cor noſtrum inhabitas; anagogice lumine gloriæ. Vide S. Dionyſium *a*. SICUT PELLEM, id eſt tentorium, quod e pellibus conſui ſolet; Chald. *ſicut cortinam*, intra quam latitas.

℣. 3. TANGIS AQUIS SUPERIORA EIUS, nempe cæli. De his aquis vide quæ dixi Geneſ. 1. 7. & fuſius Pſalm. CXLVIII. 4. PONIS NUBEM ASCENSUM TUUM; Hieron. *currum*, Chald. *vehiculum tuum*; quaſi dicat: Inequitas nubibus, & ventis, tamquam celerrimis equis, & currui militari, inde iaciens fulmina, grandines, imbres.

Allegorice Chriſtum ad cælos aſcendentem nubes lucida quaſi thronus, & currus triumphalis excepit. S. Hieronymus & Thedoretus.

℣. 4. ANGELOS TUOS FACIS SPIRITUS, ſeu ventos, id eſt tam mobiles, celeres, agiles ad Dei iuſſa exequenda, ac ſi venti eſſent. ET quaſi IGNEM URENTEM, id eſt tam ſubtiles, fervidos, puros, lucentes, ignitos, omnia penetrantes & perrumpentes, ac ſi eſſent flamma ignis. Ita S. Dionyſ. *b* Hieron. Theodor. Euthym.

℣. 5. FUNDASTI TERRAM SUPER STABILITATEM SUAM, id eſt firmitatem, inquiunt S. Auguſt. Aquila, & Symmac. *ſuper ſedem ſuam*; Hieron. & Chald. *ſuper baſim ſuam*, id eſt ſuper centrum ſuum, inquit Molina *c*. Quaſi dicat: Res mira, & merito celebranda, quod terram quaſi pilam in medio univerſi ſuſpendas, nec aliud ei fundamentum ſeu baſim ſubſternas, quam unum punctum, id eſt centrum.

℣. 6. ABYSSUS, id eſt aquarum vorago, inſtar veſtimenti circumdabit totam terram, etiam montes, ſcilicet initio mundi, & rurſus in diluvio: & etiamnum magna pars terræ circumdatur & amicitur aquis.

℣. 7. & 9. AB INCREPATIONE; id eſt, imperio tuo ſevero, quod quaſi increpans & tonans ediditi, dicens: *Congregentur aquæ*, &c. illæ quaſi trepide fugerunt, & ſe in ſuos alveos receperunt. Mox ſubſidentibus aquis *aſcenderunt*, id eſt emanarunt, MONTES ET CAMPI, itemque *termini*, id eſt littora & ripæ, iis locis quæ tu cuique FUNDASTI, id eſt præparaſti. Ita Theodoretus, qui hinc notat, mare, quantumvis furens & littori pene æquale, Dei tamen iuſſu quaſi fræno coerceri, ne innundet terram.

℣. 13. RIGANS pluvia, & rore etiam MONTES DE SUPERIORIBUS SUIS: pnta nubibus. FRUCTU OPERUM TUORUM, id eſt qui provenit ope, & opera tua ex montibus, campis, & agris, ſatiatur univerſa TERRA.

Allegorice Eccleſia paſcitur doctrina cæleſti Apoſtolorum, & Doctorum.

℣. 14. SERVITUTI, id eſt ſervitio & uſui hominum. Poſſunt etiam animalia

vocari *ſervitus*, ſeu ſervitia hominum, quia in eum finem a Deo creata ſunt.

Allegorice per panem intelligit S. Hieron. S. Euchariſtiam.

V. 15. UT EXHILARET homo FACIEM ſuam, ungens illam, & ſe totum OLEO, more veterum. Symmachus vertit, *nitidam faciat*; Chaldæus, *illuminet*. Maxime vero ſerviebat oleum pro balenis; ad eſum vix umquam. Unde illud Democriti axioma *d*: *Mel aut vinum intus*, *oleum foris*. Commendat vero Propheta divinæ providentiæ liberalitatem, ut quæ homini ſuppeditet non modo quæ neceſſitatis ſunt, puta panem & herbam: ſed & quæ voluptatis, recreationis & nitoris ſunt, ut oleum & vinum, inquit Theodoretus *c*.

V. 17. HERODII, חסידה *chaſidah* proprie *ciconiam* ſignificat, quia pia in parentes, quos fovet & alit. Et ita vertunt Chaldæus, Suidas, Emanuel Sa, & Hebræi paſſim, tum hic, tum Iob XXXIX. 13. Dicitur vero *herodius*, inquit Suidas, quaſi helodius, id eſt paluſtris, quia ciconiæ frequentes ſunt in paludibus, ut ranas & anguillas venentur. Porro DOMUS, id eſt nidus, ciconiæ merito dicitur eſſe DUX paſſerum & reliquarum avium, quia omnes anteit; primo, tempore: nam prima omnium ſtruit nidum; ſecundo loco, utpote in vertice domorum & turrium, ut ab omnibus undique conſpici poſſit; tertio, amplitudine; quarto, elegantia; quinto, quia aliæ aves minores in baſi & lateribus nidi ciconiæ ſibi nidificant.

V. 18. MONTES..... CERVIS, ſupple, a Deo deſtinati ſunt in REFUGIUM a venatoribus: ſicut PETRA, id eſt rupes & arcta rupium foramina HERINACIIS, quos alii *ericios*, alii *echinos* vocant: de quibus dixi Levit. XI. 5. quaſi dicat: Deus non ſoli homini, ſed & omnibus avibus & feris, maxime timidioribus, providit de victu, nido, antris & aſylis, inquit Theodoretus & Euthymius.

V. 19. FECIT LUNAM IN TEMPORA; id eſt, ad diſcrimina temporum, quæ ſua gyratione & vario aſpectu atque influxu cauſat in terris; verbi gratia, menſes, annos & feſta; ſecundo, humorem & ſiccitatem; tertio, tempus ferendi, plantandi, metendi.

V. 20. IN IPSA nocte PERTRANSIBUNT OMNES BESTIAE SILVAE, ſcilicet ut tum ſecure oberrent & pabulum quærant: quæ rurſus *orto ſole* congregantur in ſua luſtra, quia lucem & homines fugiunt. Interim *homo exit* tunc *ad opus ſuum*: ita Theodoretus.

Tropologice, ſanctus Hieronymus, & Gregorius *f*, cum nobis per peccatum occidit ſol iuſtitiæ, tunc tranſit in nos leo rugiens, & beſtiæ, id eſt dæmones: donec per pœnitentiam ſol rurſus emergat.

V. 25. MARE SPATIOSUM MANIBUS; id eſt, ſinibus: nam ſinus paſſim vocantur brachia vel manus maris.

V. 26. DRACO ISTE; Hebraice, לויתן *leviathan*, id eſt balena ſeu cetus. De hoc dixi Iob XL. 20. QUEM ſeciſti AD ILLUDENDUM EI: ſcilicet mari: Hebraice & Chaldaice, *ut ludat in mari*, nempe ut natatu ſuo, & circumgyratione ac tyrannica venatione, ludum bellicum exerceat in mari. Hieronymus vertit, *ut illuderes ei*. Poſſet quoque exponi paſſive, ut illudatur ei, ſcilicet ceto iam victo & capto ab homuncionibus: tropologice diabolo, totique inferno, & mundo.

V. 28. OMNIA IMPLEBUNTUR BONITATE, id eſt bonis, ſcilicet alimentis.

V. 30. EMITTES SPIRITUM, id eſt halitum, TUUM vivificantem, ET quotannis CREABUNTUR nova individua: & ſic in vere *renovas* ac reviviſcere facis *terram*. Allegorice, animam noſtram per *Spiritum ſanctum*, inquit Chaldæus.

V. 32. TANGIT MONTES, fulmine ſuo, vel terræmotu, & *fumant*, & flammas vomunt, ut olim mons Sinai, Exodi XIX. AEtna, Veſuvius, & alii de quibus hiſtorici.

(a) S. Dion. de Divin. nom. Part. I. cap. IV.
(b) S. Dionyſ. Cæl. hierar. cap. XV.
(c) Molina ſup.
(d) Apud Plutarc. in Catone & Plinium ſub finem Lib. XIV.
(e) In Proleg. de Idiot. Hebr. n. II.
(f) Greg. Lib. XXVII. Mor. cap. XIX.

GORDONI.

Hic Pſalmus abſque titulo eſt apud Hebræos. Gr. habetur, Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως, pro mundi conſtitutione. Bellarminus putat hoc additum a recentioribus ſcriptoribus. Ceterum ſicut Pſal. CII. laudatur Deus

pro

pro beneficiis gratiæ; ita hic pro donis naturæ. Ibi ergo miſericordia, hic ſapientia extollitur in conditu cælorum, & mundi huius ſublunaris. Initio Propheta ſe excitat, & admiratur res Dei.

Verſ. I. CONFESSIONEM ET DECOREM, &c. Præter alia eximie magnificatus eſt Deus, & notus ex opificio ſapientiæ & potentiæ eius, ex quo decore (ut Rex ex veſtimento) cognoſcitur; dum opera hæc divina enuntiant, ac velut decantant confeſſionem laudis. Miratur hic Bellarminus mortales, (& merito) qui ſolem, quem non intuentur, niſi ex lumine, velut ex effectu, cognoſcunt: & tamen tam ægre excitantur ad cognoſcendum Deum, ex ampliore decoris amictu, & operibus: carnales mentem excæcant cogitationes: & beatiores ſunt mundi corde, quoniam ipſi Deum facile ex hoc amictu intuentur.

V. 3. QUI TEGIS AQUIS, &c. Eſſe quidem aquas ſupra cælum æthereum, quod eſt firmamentum; & non ſolum ſupra cælum aerium, ac locum nubium, docet communis Patrum ſententia. Auguſt. Lib. II. ſuper Gen. cap. IV. Ambroſ. II Hexam. cap. III. & IV. Baſil. homil. III. hexam. Chryſoſt. Beda, & alii. Illud vero; *Qui tegis aquas*. Græce eſt, *ὁ στεγάζων ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα αὐτοῦ*. Latine autem legendum. *tegis*, in ſecunda perſona, & non tegit: nam hoc patitur participium Græcum, & Hebraicum עושה *hhoſeh*. Hieronymus etiam legit in ſecunda perſona. Adde verba præcedentia, & ſequentia poni in eadem ſecunda perſona, v. g. induiſti, qui ponis, qui ambulas.

V. 4. QUI FACIS ANGELOS TUOS SPIRITUS, &c. Senſus litteræ eſt de veris Angelis, ex Hebr. cap. I. quos Deus mittit veloces, ut moneant homines; ubi Paulus hinc probat divinitatem Chriſti, & excellentiam ſupra Angelos. Hos nuntios facit Deus, ut inſpirent hominibus ſalutaria. Alii ventos & ignes mitti, ut nuntios ſcribunt. Ceterum interpretatio prior eſt quam dant Auguſtinus hoc loco, & Gregor. hom. XXXII. in Evang. Alii demum ſenſum dant hunc: Qui facis, ut Angeli tui miniſtri habeant ventorum velocitatem, & vim ignis in operando. Ita S. Thom. I. ad Hebr. non videtur abeſſe a ſenſu Auguſtini.

V. 11. & 12. Adverte, hic Interpretes interdum ex Hebræo ſenſum ſequi potius quam verba; v. g. *In medio petrarum*, ubi Hieron. vertit, *In medio nemorum*: ſic illud, EXPECTABUNT ONAGRI IN SITI SUA; hoc eſt, ſedandam ſitim expectabunt. Septuag. legerunt ישברו *iiſberu*, a rad. שבר cum puncto in cornu ſiniſtro: nam mutato hoc puncto, ſignificat frangere.

V. 17. HERODII DOMUS. חסידה *chaſida*, *milvus* eſt, ex Hieronymo (alii aliter) & vertit, *& milvo abies domus eſt*. At Septuag. putantur legiſſe בראשם *berošim*, in caput & ducem eorum: habent enim, *ἡγεῖται αὐτῶν*; hoc eſt, præeſt illis, velut nidum habens ampliorem; ac ſi dicas, Herodii *κατοικία* præcellit, & habitatio potior eſt.

V. 24. QUAM MAGNIFICATA. Hebr. רבו *rabbu*, ſignificat magnificata, & multiplicata. Noſter priorem dat ſignificatum: nam multitudinem explicant hæc ſequentia verba: IMPLETA EST TERRA POSSESSIONE TUA: plena enim eſt terra poſſeſſione Dei, quia plena eſt bonis, quæ Deus creavit.

V. 26. DRACO ISTE, &c. Obſcurum eſt illud, AD ILLUDENDUM EI, an formatum ſit hoc animal, ut (qua eſt magnitudine) illuderet mari, revolvendo undas, prout voluerit, & ſic ludendo; an etiam ut illuderet aliis piſcibus, contemnendo, & devorando; an tertio paſſive, ut illudatur Draconi. Alii aliud afferunt. De hoc animali vide, quæ dixi Iob XL. & Pſal. LXXIII. 14. Verum de illuſione quæſtio eſt, an active, vel paſſive accipi debeat: utraque expoſitio ſuos habet aſſertores bonos. In Græco eſt, *ὃν ἔπλασας ἐμπαίζειν αὐτῷ*, & recte ſtabit *αὐτῷ*, ſive referatur ad Leviathan, ſive ad ים *iam*, *mare*; quod Hebræis etiam maſculinum eſt; ſicut eſt in Hebr. pronomen בו, *bo*, in eo, לשחק בו, *lewachek-bo*, *ad ludendum in eo*, ut initio dicebam.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. & 2. **B**Enedic, &c. Hic ubi laudatur Deus ob data naturæ, ſeu in naturali ordine beneficia, præfatur Pſalmiſta, Deum eſſe inſigniter magnificatum, & velut amictum inde claro lumine, certe ineffabili.

V. 3. *Extendens cælum*, &c. Inter potentiæ ergo, & ſapientiæ divinæ opera, intra ordinem naturæ; ſunt hæc quæ ſequuntur. Immenſa; firmamenti moles facillime ab eo producta, & ratione admirabili aquæ collocatæ ſupra cælos. Nec hoc tantum, ſed etiam in cælo aereo potentiam ſuam oſtendit. Sic dum phraſi poetica Pſalmiſta ponit nubem ut currum Dei, & ventum velut equos; deſcribit potentiam Dei ex velocitate nubium, quando impelluntur a ventis.

V. 4. *Qui facis Angelos*, &c. varie, ut mox dicam, hoc explicatur. Aliqui ſic: Qui Angelos, & ſpirituales creaturas facis eſſe nuntios, ut inſpirent hominibus tuam voluntatem: & hos miniſtros tuos ignem urentem, ut alios inflamment lumine veritatis, & ad caritatem.

V. 5. uſq. ad 18. *Qui fundat terram*, &c. Dans ſtabilitatem, nec movebitur loco ſuo: præceptum tuum omni fundamento ſolidius eſt, ut ſuo pondere nixa conſiſtat: Abyſſus, ſeu aquæ profundæ, & maria initio, te iubente, ambiebant terram velut veſtimentum (deſcribit enim creationem, & more Hebraico futurum eſt pro præterito) & ſtabant ſuper montes; ſed ab increpatione tua, & mandato, aquæ condenſatæ ſubſiſtent in partibus inferioribus, & tunc apparebunt montes, quaſi aſcenderent, & campi, ac ſi deſcenderent; atque ſic facta eſt arida, ut non ſint reverſuræ aquæ ad operiendam terram: nam quod accidit tempore diluvii Noetici miraculum fuit.

V. 10. uſq. ad 18. *Qui emittis*, &c. Perſequitur Pſalmiſta reliqua Dei opera; ac primum in mirabili eductione fontium & neceſſaria, ne arida inutilis fieret hominibus & beſtiis, quarum aliquas recenſet. Et ne montibus aliquid deeſſet, rigat eos de ſuperioribus ſuis, hoc eſt, per aquoſas nubes montibus ſuperiores. His etiam nubibus ſatiabitur terra, quæ dabit inde mortalibus fructum ſuum, fœnum, herbas, panem, arbores, & alia.

V. 19. uſq. ad 30. *Fecit Lunam*, &c. Alia divinæ providentiæ argumenta ſunt, quæ adhuc recenſet uſque ad verſum 31. Providit divina ſapientia viciſſitudinem temporum per Solem & Lunam; ut ſic tum animalia, tum homines haberent commodam rationem vivendi, & operandi: nec omiſit illis providere, quæ in mari ſunt, ex verſ. 25. & 26. ſed & omnibus dat eſcam, verſ. 27. 28. 29.

V. 30. *Emittes*, &c. Hoc etiam accedit ad omnipotentem providentiam Dei, quod vita omnium ſit in eius poteſtare: Ipſe enim, ut auferre poteſt, ita & dat ſpiritum vitæ omnibus. Non quidem modo per veram creationem (ſi animam humanam excipias) ſed per continuam generationem. Et hæc quidem ad litteram, quamvis myſtice nil vetet referre hunc ſpiritum Dei ad vitam, quam dat Deus etiam per gratiam.

V. 31. & ſeq. *Sit gloria Domini* laudata in æternum pro ſua providentia, & potentia tanta, ut ſub eius nutu tremat terra, & ardeant montes, ac tandem definit longa hæc narratio in laudem tanti opificis.

BOSSUET.

Verſ. 2. **E**XTENDENS CAELUM SICUT PELLEM. Tam facile ac tentorium extenditur: Theod.

V. 3. QUI TEGIS AQUIS SUPERIORA EIUS: cæli ſcilicet populari ſenſu ſumpti: ὑπερῷα LXX. *cœnacula* Hier. partem ſuperiorem domus. Alluſum ad illud Gen. 1. 6. *Fiat firmamentum* (hoc eſt expanſum) *in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis*; hoc eſt, ab aquis inferioribus, illas aquas quas agris deſuper irrigandis, fecundandiſque nubes circumferunt. Vide Pſal. CXLVIII. 5. QUI PONIS NUBEM ASCENSUM, *currum*, Hier.

V. 4. QUI FACIS ANGELOS TUOS SPIRITUS, &c. Citat Paulus Heb. 1. 7. natura ſua ſpiritus ſumma intelligentia præditi, imperio quoque divino fiunt ignis urens, promptique ad ulciſcendas Dei contumelias: qua comparatione potentia illorum, ac velocitas deſignatur. Theodor.

V. 5. STABILITATEM SUAM, baſim.

V. 6.

V. 6. ABYSSUS... AMICTUS EIUS, terræ ſcilicet quam cingit. SUPER MONTES STABUNT AQUAE: ſtabant, tota tellure aquis cooperta; ſed poſtea te comminante fugerunt, ac velut trepidæ deſcenderunt in locum ſuum, dicente Deo: *Congregentur aquæ in locum unum*: Gen. 1. 9. & velut increpante tarditatem.

V. 9. CONVERTENTUR, *revertentur*, Hier.

V. 11. EXPECTABUNT ONAGRI, &c. Et *reficiat onager ſitim ſuam*: Idem.

V. 12. SUPER EA: ſuper eos montes de quibus verſ. 10. vel iuxta fontes. PETRARUM, *nemorum*, Hier.

V. 14. PRODUCENS FENUM IUMENTIS, ultro nec laborantibus; at HERBAM SERVITUTI HOMINUM: labori quo terræ excolendæ ſervili ritu addicuntur. Alii ſimpliciter, ad uſum hominum.

V. 15. VINUM LAETIFICET, &c. En vinum quod lætificet, panem qui confirmet, oleum quod niteſcere faciat.

V. 16. LIGNA CAMPI, *lingua domini*, Hier. vetuſtæ ſilvæ non ab hominibus conſitæ, ſed iam inde ab orbis initio ipſa Dei manu.

V. 17. HERODII DOMUS, &c. *milvo abies domus eius*: Hier. alii, ciconiæ.

V. 18. HERINACIIS: alii, cuniculis.

V. 24. POSSESSIONE TUA, bonis tuis.

V. 25. SPATIOSUM MANIBUS. Similis locutio Gen. XXXIV. 21. in Heb. ubi LXX. vertunt ſimpliciter latum, ſpatioſum, ut hic; quod & Vulgata habebat, teſte Hier. ſuppletumque *manibus* ex Theodotione, & Aquila; quod idem Hier. docet ſecundum hebraicam proprietatem dici metaphorice; quaſi mare expanſas manus habeat & in ſe cuncta ſuſcipiat.

V. 26. DRACO ISTE: *Leviathan*, &c. Hier. quo ceti deſignantur. AD ILLUDENDUM EI, mari. Cetum formaſti ut in mari luderet.

V. 30. EMITTES SPIRITUM TUUM, &c. Mittis vim tuam qua omnia ſuſtentantur: vel, Etiam deſtructa flatu inſtauras.

Alleluia hic additur Heb. quod Vulgata in ſequentem tranſtulit. Eſt autem *Hallelu-Iah*, *laudate Dominum*, vox ad cantantes in ſumma lætitia ſuſcitandos.

PSALMUS CIV. EUCHARISTICUS.

Gratiarum actio pro beneficiis a Deo in populum Iſrael collatis, ab Abraham uſque ad Moſen, & introductionem in terram ſanctam. Refertur iſte Pſal. ad Davidis tempora I. *Paral.* XVI. 8. *non tamen integer, ſed uſque ad verſ.* 15.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
	Alleluia. (I. *Paral.* XVI. 8.)
Confitemini Domino, invocate nomen eius: notas facite populi cogitationes eius.	1. Contemini Domino, & invocate nomen eius: annuntiate inter Gentes opera eius.
Cantate ei, & pſallite ei: loquimini in univerſis mirabilibus eius.	2. Cantate ei, & pſallite ei: narrate omnia mirabilia eius.
Exultate in nomine ſancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.	3. Laudamini in nomine ſancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.
Quærite Dominum & virtutem e-	4. Quærite Dominum, & confirmamini:

Google

ius: quærite faciem eius iugiter.

Recordamini mirabilium eius quæ fecit: ſignorum & iudiciorum oris eius.

Semen Abraham ſervi eius: filii Iacob electi eius.

Ipſe Dominus Deus noſter: in univerſa terra iudicia eius.

Recordatus eſt in æternum pacti ſui: verbi quo præcepit in mille generationes.

Quod pepigit cum Abraham, & iuramenti ſui cum Iſaac.

Et firmavit illud cum Iacob in lege: cum Iſrael in pactum ſempiternum.

Dicens, tibi dabo terram Chanaan: funiculum hereditatis veſtræ.

Cum eſſent viri pauci, modici & advenæ in ea.

Et tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

Non dimiſit hominem ut noceret eis, & corripuit pro eis Reges.

Nolite tangere chriſtos meos, & prophetas meos nolite affligere.

Et vocavit famem ſuper terram: omnem virgam panis contrivit.

Miſit ante faciem eorum virum: in ſervum venumdatus eſt Ioſeph.

Afflixerunt in compede pedes eius: in ferrum venit anima eius.

Uſque ad tempus donec veniret ſermo eius: eloquium Domini probavit eum.

Miſit Rex & ſolvit eum: principes populorum & dimiſit illum.

Poſuit eum dominum domus ſuæ, & principem in omni poſſeſſione ſua.

Ut erudiret principes eius ſecundum voluntatem ſuam, & ſenes eius ſapientiam doceret.

Et ingreſſus eſt Iſrael in AEgyptum: & Iacob advena fuit in terra Cham.

mamini: quærite faciem eius ſemper:

5. Mementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & iudicia oris eius.

6. Semen Abraham, ſervi eius: filii Iacob electi eius.

7. Ipſe Dominus Deus noſter: in univerſa terra iudicia eius.

8. Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui: verbi, quod mandavit in mille generationes:

9. Quod (*a*) diſpoſuit ad Abraham: & iuramenti ſui ad Iſaac.

10. Et ſtatuit illud Iacob in præceptum: & Iſrael in teſtamentum æternum.

11. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis veſtræ.

12. Cum eſſent numero brevi, pauciſſimi & incolæ eius.

13. Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

14. Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis Reges.

15. Nolite (*b*) tangere chriſtos meos: & in prophetis meis nolite malignari.

16. Et vocavit famem ſuper terram: & omne firmamentum panis contrivit.

17. Miſit ante eos (*c*) virum: in ſervum venumdatus eſt Ioſeph.

18. Humiliaverunt (*d*) in compedibus pedes eius, † ferrum pertranſiit animam eius, 19. donec veniret verbum eius.

Eloquium Domini inflammavit eum:

20 Miſit (*e*) Rex, & ſolvit eum; princeps populorum, & dimiſit eum.

21. Conſtituit eum dominum domus ſuæ: & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

22. Ut erudiret principes eius ſicut ſemetipſum: & ſenes eius prudentiam doceret.

23. Et (*f*) intravit Iſrael in AEgyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Et

Et creſcere fecit populum ſuum nimis, & roboravit eum ſuper hoſtes eius.

Convertit cor eorum ut odio haberent populum eius, ut doloſe agerent contra ſervos illius.

Miſit Moyſen ſervum ſuum: Aaron quem elegit ſibi.

Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & portentorum in terra Cham.

Miſit tenebras & contenebravit, & non fuerunt increduli verbis eius.

Commutavit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.

Ebullivit terra eorum ranas: in cubilibus Regum eorum.

Dixit, & venit muſca omnimoda, ſciniphes in univerſis terminis eorum.

Dedit pluvias eorum grandinem, ignem flammantem in terra eorum.

Et percuſſit vineam eorum, & ficum eorum, & confregit lignum eorum.

Dixit, & venit locuſta, & bruchus cuius non erat numerus.

Et comedit omne fenum terræ eorum, & devoravit fructum terræ eorum.

Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias univerſi partus eorum.

Et eduxit eos cum argento, & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata eſt AEgyptus cum egrederentur, quoniam irruerat terror eorum ſuper eos.

Expandit nubem in tentorium, & ignem ut luceret nocte.

Petierunt & adduxit ortygometram, & pane cæli ſaturavit eos.

Aperuit petram & fluxerunt aquæ, concurrerunt in aridis flumina.

Quia recordatus eſt verbi ſancti ſui, cum Abraham ſervo ſuo.

24. Et (g) auxit populum ſuum vehementer: & firmavit eum ſuper inimicos eius.

25. Convertit cor eorum ut odirent populum eius: & dolum facerent in ſervos eius.

26. Miſit (h) Moyſen ſervum ſuum: Aaron, quem elegit ipſum.

27. Poſuit (i) in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigiorum in terra Cham.

28. Miſit (k) tenebras, & obſcuravit: & non exacerbavit ſermones ſuos.

29. Convertit (l) aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum.

30. * Edidit (m) terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum.

31. * Dixit (n), & venit cœnomyia: & cinifes in omnibus finibus eorum.

32. Poſuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum.

33. Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contrivit lignum finium eorum.

34. Dixit (o), & venit locuſta, & bruchus, cuius non erat numerus:

35. Et comedit omne fenum in terra eorum: & comedit omne fructum terræ eorum.

36. Et (p) percuſſit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

37. Et (q) eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.

38. Lætata eſt AEgyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos.

39. Expandit (r) nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem.

40. Petierunt (ſ), & venit coturnix: & pane cæli ſaturavit eos.

41. Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.

42. Quoniam (t) memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum.

Digitized by Google

Et eduxit populum ſuum in lætitia, laudantes electos ſuos.

43. Et (*u*) eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

Et dedit eis terras gentium & laborem tribuum poſſederunt.

44. Et dedit illis regiones Gentium: & labores populorum poſſederunt.

Ut cuſtodirent cæremonias eius, & leges eius ſervarent Halleluia.

45. Ut cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.

(a) Geneſ. xli. 16. (b) II. Reg. 2. 19. I. Paral. xvi. 22. (c) Geneſ. xxxvii. 36. (d) Geneſ. xxxix. 20. (e) Geneſ. xli. 14. (f) Geneſ. xlvi. 6. (g) Exod. 1. 7. Actor. vii. 17. (h) Exod. iii. 10. & iv. 29. (i) Exod. vii. 10. (K) Exod. x. 21. (l) Exod. vii. 20. (m) Exod. viii. 6. (n) Exod. viii. 16. & 25. (o) Exod. x. 12. (p) Exod. xii. 29. (q) Exod. xii. 35. (r) Exod. xiii. 21. Pſalm. lxxvii. 14. I. Corinth. x. 1. (ſ) Exod. xvi. 13. (t) Numer. xx. 11. (u) Geneſ. xvii. 7.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 30. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum*. Unam vocem *edidit*, quæ eſt produxit, non diſtrahaas in duas *& dedit*, multoque minus legas *terram* quarto caſu.

V. 31. *Dixit, & venit cœnomyia*. Romani Patres, ex D. Hieronymo, correxerunt *cœnomyia*, quemadmodum & ſupra Pſalm. lxxvii. 45.

Lectionum Varietas.

V. 18. *Ferrum pertranſiit animam eius*. Pro quarto caſu in optimis libris eſt primus *anima*; qua de re lege Notationes.

Notationes.

V. 18. *Ferrum pertranſiit animam eius*. Sic multi libri cum multis Tractatoribus. Alii vero non pauci libri ſcribunt: *ferrum pertranſiit anima eius*; novem noſtri, iique fere emendatiores cum duobus Romani Pſalterii antigraphis; nonnulli Lugdunenſium, & antiqui Epanorthotæ. Atque hæc Hieronymi fuiſſe videtur lectio, quantum quidem ex commentariis colligi poteſt,,, Ferrum, inquit, ipſum dicit peccatum, quod occidit animam. Utique autem non peccatum Ioſephi animam, ſed Ioſephi anima peccatum pertranſivit. Superavit enim heræ ſæpius ad concubitum invitantis blanditias." Caſſiodorus hoc (id quod textus habet) an illud legerit, colligere non ſatis poſſum. Utriuſque P. Lombardus, Hugo Cardinalis, & ordinaria Gloſſa meminerunt. Eſt autem poſterior græcis codicibus conſentanea: σίδηρον, διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, quæ & Euthymii fuit lectio. Hebraico eſt ברזל באה נפשו id quod utroque modo interpretatum invenio. Chaldæa paraphraſis, ut in regia eſt editione, eſt בשיר הפרזלא עלת נפשה *In catenam ferream intravit anima eius*. Ut autem in Veneta, & Nebienſi שיר הפרזל עלת בנפשיה *Catena ferrea intravit in animam eius*. Felix Pratenſis pro textu interpretatus eſt: *In ferrum ingreſſa eſt anima eius*; ad marginem autem poſuit: *Ferrum ingreſſum eſt in corpore*, vel *in anima eius*. Symmachus, Theodorito teſte, dixit: *In ferrum pertranſiit anima eius*. Simili modo D. Hieronymus, & poſt eum Vatablus, & Flaminius traſtulerunt (*a*): *In ferrum venit anima eius* (additur *in* præpoſitio). Alii inter quos Pagninus: *Ferrum ingreſſum eſt animam eius*. Nam Pagninus ait, anima affligitur afflicto corpore; & hæc quidem interpretatio verborum ſitui conveniens eſt; ſed feminei generis verbum *baah*; *nepheſch* potius, ideſt *anima* optare videtur ſuppoſitum, quam *barzel*, quod eſt *ferrum*. *Nepheſch* enim feminei generis eſſe conſtat: *barzel* vero maſculino genere, non feminino extra præſentem locum invenio; atque hac quod veriſimile eſt, ratione moti 72., Hieronymus, & alii verterunt: *ferrum pertranſiit anima eius*, aut ad ſimilem modum, cuius ſenſus eſt: Ipſe in ferrea vincula coniectus eſt; vel: Vitam egit in vinculis ferreis.

V. 30. M. N. Auguſtini Hunnæi duo manuſcripta, G, & R, cum nonnullis aliorum libris legunt: *Et dedit terram eorum ranas*; ea quæ D. Auguſtini eſt lectio: *Et*

dedit

dedit terram eorum ranas in penetralibus Regum „ *ipſorum* : tamquam diceret, inquit, Terram „ eorum convertit in ranas : tanta enim erat „ ranarum multitudo, ut hoc per ὑπερβολὴν „ convenienter diceretur. " Auguſtinum Proſper ſecutus eſt. Alia noſtra complura cum Hentenii 13. habent: *Et dedit terra eorum ranas*. Rurſus alia non pauca, eaque integritate ſpectatiora cum Ioanne de Paſtura: *Edidit terra eorum ranas*. Atque hæc Græcis & Hebraicis libris conveniunt. Non enim græce & hebraice (idem eſt de Chaldæo iuditium) coniunctio legitur : ſed a verbo inchoatur oratio, eoque huiuſmodi, quod *edidit*, *ebullivit*, vel *produxit* conſtanter interpretantur. ἐξῆρψεν ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους. שרץ ארצם צפרדעים ἐξέρπειν non tantum *edere*, ſed *reptilia edere* ſignificat; id quod reptili ranarum naturæ apprime convenit. שרץ *in multitudine gignere*, vel *producere* denotat; quod & ipſum loco aptiſſime congruit. Hæc igitur poſtrema manuſcripta, merito ſequenda ſunt. Eamdem lectionem clariſſimi noſtri Belgii Scriptores Titelmannus, Lindanus, & Ianſenius probant: eiuſdem ſententiæ eſt Epanorthotes: „ Non eſt tibi, ait, *&* *dedit*, ſed *edidit* ſe„ cundum Hebræum, & antiquos, & Hie„ ronymum, & Græcum " Poſtremo Hieronymus rem univerſam conficiens in epiſtola de Pſalmorum correctione teſtatur „ hanc fuiſſe antiquam interpretationem, „ eamque a ſe relictam. *Edidit terra eorum* „ *ranas*. Pro quo in Græco ἐξῆρψεν (*b*) „ ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους; vos legiſſe dicitis, „ quod poteſt ita interpretari : *Ebullivit* „ *terra eorum ranas*. Sed & in hoc nulla „ eſt in ſenſu mutatio, & nos antiquam „ interpretationem ſequentes, quod non „ nocebat, mutare noluimus."

(*a*) Ita vertit Hieronymus, ſi octo noſtris exemplaribus, & Epanorthotæ, ac pleriſque noſtræ ætatis ſcriptoribus creditur. Unum recentius manuſcriptum Hunnæi O legit : *Ferrum venit in animam eius*; familiare huic exemplari eſt, in Pſalmis ab aliis omnibus diſcrepare.

(*b*) Noſtra exemplaria cum Euthymio, ἐξῆρψεν.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. ET CONFORTAMINI. Hebr. ועזו *& fortitudinem eius*. Melius fortaſſe legerunt Septuag. ועזו κραταιώθητε.

V. 6. FILII IACOB ELECTI EIUS. Hebr. nominativus pluralis, non genitivus ſingularis.

V. 12. CUM ESSENT NUMERO BREVI. Hebr. *Cum eſſent homines numero pauci, & peregrini in ea.*

V. 15. NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS; ſupple, dicens.

V. 18. HUMILIAVERUNT IN COMPEDIBUS PEDES EIUS, &c. Hebr. *Contriverunt compedibus pedes eius, ferrum penetravit animam eius*; id eſt, vita eius proxima fuit morti; aut, Hebræorum more, anima ponitur pro corpore animato.

V. 22. UT ERUDIRET PRINCIPES EIUS SICUT SEMETIPSUM. לאסר שרין בנפשו: aliqui, *ad vinciendos principes eius pro arbitrio ſuo*. Melius Septuag. τοῦ παιδεῦσαι τοὺς ἄρχοντας αὐτοῦ ὡς ἑαυτὸν, *ut animam ſuam*; id eſt, ſicut ipſe eruditus erat: quia ſtatim ſequitur: ET SENES EIUS, &c.

V. 27. POSUIT IN EIS VERBA SIGNORUM SUORUM. Hebr. *Poſuerunt* (Moſes, & Aaron) *in eos*, id eſt contra hoſtes, *verba ſignorum eius* (Dei); id eſt, fecerunt ſigna quæ Deus dixerat. Septuag. legerunt שם ſenſu meliore : *Poſuit* (Deus) *in eis* (Moſe, & Aaron) *verba ſignorum*; id eſt, dixit illis quæ ſigna, & quomodo facturi eſſent.

V. 28. ET OBSCURAVIT. Hebr. *obtenebravit* totam terram: Exod. x. ET NON EXACERBAVIT SERMONES SUOS. Hebr. *Et non fuerunt inobedientes ſermonibus eius*, Moſes, & Aaron: fecerunt audacter, & libere quod Deus illis præceperat. Septuag. ὅτι παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ. Suſpicor irrepſiſſe ὅτι pro οὔτι, ſcriptorum culpa.

V. 31. DIXIT, ET VENIT COENOMYIA, ET SCYNIPHES. Hebr. ערבכנים, alii vertunt *congregatio mixta beſtiarum*.

V. 36. PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM. Hebr. *principium omnis virtutis eorum*. Sic enim vocant Hebræi primogeni-

nitum, ut Pſalm. LXXVII. 51. & Geneſ. XLIX. 3.

SA.

Invitatio ad Dei laudem, ut indicat Titulus apud LXX. *ſcilicet* Alleluia; id eſt, laudate Deum: *idque cum iubilo, ut quidam notant: id enim ſignificare* הלל, *unde* Alleluia.

Verſ. 1. ALLELUIA; id eſt, *laudate Deum*, ſeu *Dominum*. OPERA. Hieron. *cogitationes*.

V. 3. LAUDAMINI; quaſi dicat, Gloriamini, ſeu gratulamini. Hieron. *exultate*. Chald. *laudate*.

V. 4. CONFIRMAMINI; quaſi dicat: Eſtote in quærendo conſtantes; vel pro, confirmabimini. Hieron. *virtutem eius*. Chald. *legem eius*. FACIEM, id eſt præſentiam: Aug.

V. 6. SEMEN, id eſt o poſteri. SERVI, plurale eſt, itemque electi.

V. 7. IUDICIA, ſcilicet exercentur.

V. 8. SAECULUM. Hieron. & Chald. *æternum*, ſcilicet facti. TESTAMENTI. Hieron. & Chald. *pacti*. MANDAVIT, ſcilicet obſervari. MILLE, id eſt omnes: Auguſt.

V. 9. DISPOSUIT AD. Hieron. & Chald. *pepigit cum*.

V. 10. STATUIT. Hieron. *firmavit*. IACOB. Hieron. *cum Iacob*. Vide Geneſ. XXVII. XXVIII. IN PRAECEPTUM; id eſt, ut eſſet præceptum, ſeu lex. Hieron. *in legem*. Chald. *pro decreto*. TESTAMENTUM. Hieron. & Chald. *pactum*.

V. 11. DICENS; quaſi dicat, Simul promittens dicendo. FUNICULUM. Chald. *ſortem*, ſcilicet, funiculis hereditates menſurabantur.

V. 12. CUM ESSENT, &c. iungendum cum ſequentibus. INCOLAE. Hieron. *advenæ*.

V. 13. PERTRANSIERUNT; pro pertranſirent.

V. 14. RELIQUIT, id eſt permiſit. CORRIPUIT, id eſt increpavit, ſeu caſtigavit. PRO EIS. Chald. *propter eos*. REGES, ut Pharaonem & Abimelech.

V. 15. NOLITE, ſcilicet dicens. TANGERE, id eſt lædere. CHRISTOS, id eſt unctos; ſcilicet, cæleſti unctione, vel oleo: ungebantur enim Prophetæ interdum. IN PROPHETIS; pro, Prophetis. MALIGNARI. Chald. *maleſacere*. Hieron. *affligere*.

V. 16. FIRMAMENTUM. Chald. *ſuſtentamentum*. Hieron. *virgam*, id eſt baculum, ſcilicet ſuſtentaculum. CONTRIVIT, id eſt conſumpſit: Auguſt.

V. 17. VIRUM. Chald. *virum ſapientem*.

V. 18. HUMILIAVERUNT. Hieron. & Chald. *afflixerunt*. FERRUM, id eſt dura tribulatio: Auguſt. Hieron. *In ferrum venit anima eius*. Chald. *In catenam ferream intravit anima eius*, id eſt ipſe. PERTRANSIIT ANIMAM; id eſt, ipſum afflixit: ſic Lucæ 1. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*.

V. 19. VENIRET VERBUM; id eſt, fieret quod prædixerat; ſcilicet dum ſomnia eſt interpretatus vinctorum. ELOQUIUM, id eſt oraculum. INFLAMMAVIT, id eſt accendit ad divinandum. Hieron. *probavit*. Chald. *purgavit:* ſcilicet, paſſus eſt multa ob ſomnium a Deo immiſſum, quod fratribus narraverat.

V. 22. ERUDIRET, id eſt inſtitueret, ſeu caſtigaret. SICUT SEMETIPSUM, id eſt ut vellet, ſeu ad formam vitæ ſuæ. Hieron. *ſecundum voluntatem ſuam*.

V. 23. ACCOLA. Hieron. *advena*. CHAM; id eſt AEgyptiorum, qui ex Miſraim primogenito Cham orti.

V. 24. FIRMAVIT. Hieron. *roboravit*. Chald. *fecit fortem*. SUPER, id eſt pluſquam.

V. 25. CONVERTIT, ſcilicet permittendo; vel, dando ſuis tantam proſperitatem, ut illis AEgyptii inviderent. Chald. *converſum eſt*.

V. 27. VERBA SIGNORUM, id eſt ſigna, ſeu res mirabiles: verba enim pro rebus; vel quaſi dicat, Præceptum, ſeu rationem edendi ſigna.

V. 28. EXACERBAVIT, id eſt irritos fecit. Hieron. *Non fuerunt increduli verbis eius*. Chald. *Non reſtiterunt verbo eius*, ſcilicet Hebræi; nam Moyſi crediderunt.

V. 30. EDIDIT. Græc. Hieron. & Chald. *ebullivit*.

V. 31. COENOMYIA, id eſt *muſca omnimoda*: ſic Hieron. Chald *inſectorum commixtio*. Vide Pſal. LXXVII. CINIFES. Chald. *pediculi*.

V. 32. PLUVIAS; id eſt, pro, pluvia.

IGNEM,

IGNEM, ſcilicet mixtum grandini. Vide Exod. IX. Sap. XVI.

V. 33. LIGNUM, id eſt arborem.

V. 34. BRUCHUS, eſt ſpecies locuſtæ.

V. 35. FENUM. Chald. *herbam*; ſcilicet quidquid virebat.

V. 36. PRIMITIAS, id eſt primogenita. LABORIS. Hieron. *partus*. Chald. *fortitudinis*: ſcilicet, principium roboris viri eſt primogenitus. Vide Gen. XLIX. Pſal LXXVII.

V. 38. INCUBUIT. Hieron. irruerat. TIMOR, &c. quaſi dicat: Timebant enim Ægyptii ſibi valde a Iudæis.

V. 39. PROTECTIONEM. Hieron. & Chald. *tentorium*,

V. 40. PETIERUNT. Chald. *petierunt carnes*. CAELI, id eſt ex aere demiſſo.

V. 41. FLUMINA. Chald. *flumiois instar*.

V. 42. VERBI, id eſt promiſſionis.

V. 43. LAETITIA. Hieron. & Chald. *laude*.

V. 45. IUSTIFICATIONES. Hieron. *cerimonias*. Chald. *præcepta*. REQUIRANT. Chald. *cuſtodiant*.

ESTII.

Verſ. 3. LAUDAMINI IN NOMINE SANCTO EIUS. Hebræo ſonat: *Laudate vos in nomine ſanctitatis eius*; id eſt, gloriemini in nomine ſancto eius: nam qui gloriatur, laudat ſeipſum. Hoc autem non male fit, quamdiu fit in nomine Domini, iuxta illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, II. Corinth. X.

V. 18. HUMILIAVERUNT IN COMPEDIBUS PEDES EIUS, FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EIUS. Simile eſt illud Lucæ II ad beatam Virginem: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, qua phraſi vehemens tantum, & acerbus dolor ſignificatur. Neque enim ex hiſtoria Geneſis apparet Ioſephum, de quo hic Pſalmiſta loquitur, ita male in Ægypto tractatum, ut aliqua pars corporis eius fuerit ferro perforata, ſicut nec de Deipara Virgine gladius corporalis accipitur; ſed tantum prædicebatur a Simeone, eam ſuo tempore graviſſimis angoribus & triſtitiis exercendam.

MARIANAE.

ALLELUIA. Hæc vox in Hebræo claudit Pſalmum ſuperiorem. Sept. ſumpſerunt pro titulo ſequentis. Sic etiam Hieron. Porro ſignificat ea vox, *laudate Deum*, non nude, ſed cum iubilo & lætitia. Pſalmi enim qui ſic inſcribuntur, læti ſunt. Ita hic Pſalmus laudes Dei continet ob beneficia illi populo collata.

Verſ. 1. CONFITEMINI, celebrate. OPERA EIUS; adde, eximia.

V. 2. CANTATE EI, voce. ET PSALLITE EI, inſtrumento. Id ſignificant verba Hebraica.

V. 3. LAUDAMINI. Hieron. *exultate*: Alii, *gloriamini*. LAETETUR COR QUAERENTIUM: id eſt, colentium Deum, eos lætitia decet.

V. 4. ET CONFIRMAMINI. Hebr. *&* *fortitudinem eius*, ſcilicet quærite. Hieron. *virtutem eius*. Porro per *fortitudinem* Dei arcam intelligit Hebr. Scholiaſtes ob miracula quæ ad eam fiebant: ſic Pſal. CXXXI. verſ. 8. ubi nos, *Tu & arca ſanctificationis tuæ*, Hebr. eſt, *Tu & arca fortitudinis tuæ*. Provocat ad eundum in templum, ut ibi Dei laudes celebrent: quod verba ſequentia magis declarant. QUAERITE FACIEM EIUS. *Dei facies* vocabatur Propitiatorium.

V. 6. SEMEN. O ſemen, o filii Iacobi electi eius, in genitivo.

V. 7. IUDICIA EIUS, id eſt exempla & argumenta virtutis & ſapientiæ ſunt ubique.

V. 8. MEMOR FUIT IN SAECULUM, id eſt perpetuo meminit. TESTAMENTI, pacti. VERBI, id eſt promiſſionis, quam fecit, meminit IN MILLE GENERATIONES, id eſt ſemper.

V. 9. QUOD DISPOSUIT, pepigit. ET IURAMENTI SUI, ſupple facti Iſaaco.

V. 10. IACOB .... ET ISRAEL: utrumque in dativo. Voluit Deus ut id pactum pro lege & præcepto eſſet Iſraeli. IN TESTAMENTUM, in pactum æternum, non ad tempus breve id conſtituit, ſed in omne tempus.

V. 11. DICENS. Ea erant pacti verba. FUNICULUM; id eſt, ut ſit ea tua hereditas, portio terræ tibi deſignata. Funi-

nibus metiebantur agros, dividebant poſſeſſiones: ſic per *funes* ſæpe ipſa hereditas ſignificatur.

V. 12. CUM ESSENT NUMERO BREVI, id eſt pauci initio, cum facta eſt promiſſio. Hebr. *viri numeri*, id eſt qui facile numerari poterant. PAUCISSIMI ET INCOLAE EIUS, ſcilicet terræ. Hieron. *modici & peregrini in ea*, ſcilicet terra. Hebr. *ſicut parum* (ſcilicet temporis) *& peregrini in ea*. Itaque pauco tempore manſerunt ibi; nam propter famem abierunt in AEgyptum.

V. 14. NON RELIQUIT, non permiſit. HOMINEM, id eſt quemquam. NOCERE EIS. Hebr. *opprimere eos*. ET CORRIPUIT: Hebr. *arguit*, punivit. REGES AEgypti, & Palæſtinæ, Pharaonem, & Abimelech.

V. 15. NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS. Sic vocat Patriarchas, quod eſſent magni, & quaſi Reges, qui ungebantur. Vocat & Prophetas, quoniam multa futura prædixerunt. MALIGNARI. Hebr. *& Prophetis meis ne male faciatis*.

V. 16. ET VOCAVIT FAMEM; id eſt, ſtatuit ut eſſet fames. ET OMNE FIRMAMENTUM PANIS. Hebr. *baculum*. Baculo innitimur. Sic Sept. *firmamentum* poſuere; id eſt, abſtulit omne ſubſidium adverſus famem, quod in pane eſt.

V. 18. FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EIUS. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius:* Lucæ II. 35. Ea eſt hic forma loquendi. Hebr. (in) *ferrum venit anima eius*; id eſt, corpus eius vinctum eſt catenis, aut ipſemet Ioſeph. *Anima* aliquando pro *corpore* ſumitur, ſæpius pro toto compoſito. Sed & anima vincta dici poteſt ob moleſtiam, quam concipit ex vinculis corporis.

V. 19. DONEC VENIRET VERBUM EIUS, id eſt vaticinium Ioſephi de pincerna impleretur. ELOQUIUM DOMINI. Idem vaticinium quod Ioſephi, fuit & Domini. INFLAMMAVIT EUM. Hebr. (quaſi) *igne* (metalla) *examinavit*, aut *probavit eum*, ſcilicet eſſe veracem.

V. 20. MISIT REX: ſcilicet, Pharao eo vaticinio motus e carcere & vinculis exemit.

V. 21. ET PRINCIPEM OMNIS POSSESSIONIS SUAE. Hebr. *dominum in omni poſſeſſione ſua*, id eſt ditione.

V. 22. UT ERUDIRET. Sic Hieron. id eſt corriperet. Hebr. *ut vinciret principes eius*. SICUT SEMETIPSUM; id eſt, ut ſe corripere poterat, ſic illos corripuit. Hebr. *in anima ſua*, id eſt pro ſua voluntate & arbitratu. Hieron. *ſecundum ſuam voluntatem*.

V. 23. ACCOLA FUIT. Hebr. *peregrinatus eſt*. IN TERRA CHAM; id eſt, AEgypto, quam poſſidebant poſteri Cham: nam filius eius fuit Mizraim, a quo AEgyptii.

V. 24. ET AUXIT, multiplicavit numero. FIRMAVIT, ſeu roboravit. SUPER, præ inimicis, eum populum, Iſraelitas.

V. 25. CONVERTIT COR EORUM: ſcilicet, AEgyptiorum, non poſitive, ſed permiſſive populo ſuo benefaciendo, unde excitabatur invidia in AEgyptiis.

V. 26. QUEM ELEGIT IPSUM, ſcilicet Moyſem: *ipſum* redundat ex uſu linguæ eius.

V. 27. POSUIT IN EIS, Deus. VERBA SIGNORUM; id eſt, ſigna, miracula, dedit poteſtatem ea faciendi. Hebr. *poſuerunt in eis:* ſcilicet, Moyſes & Aarón inter AEgyptios miracula ediderunt.

V. 28. ET NON EXACERBAVIT SERMONES SUOS; id eſt non irritos reddidit Deus ſermones ſuos, ſcilicet quos promiſerat. Hebr. *neque repugnarunt*, ſcilicet Moyſes & Aaron: obedierunt verbis Dei. Græce in Regiis, *ὅτι παρεπίκραναν λόγους αὐτοῦ*, *quoniam exacerbaverunt*: ſic in Pſalt. Roman. In Gotth. *Et exacerbaverunt verbum eius*: ſic Græc. in Rom. *καὶ παρεπίκραναν λόγους αὐτοῦ*. Sed alii Græci Interpretes, *καὶ οὐ παρεπίκραναν* habent, *& non exacerbaverunt*, id eſt non repugnarunt. De quo in Bibliis Græcis Romæ editis.

V. 30. IN PENETRALIBUS, in cubiculis & conclavibus ranas EDIDIT: non legas, *& dedit*.

V. 31. COENOMYIA, id eſt *congregatio muſcarum*. Græce legendum *κοινόμυια* ex Hieron, ad Suniam & Fretellam epiſtola extrema: ſic hoc loco vertit, *muſca omnimoda*: codices Græci habent *κυνόμυια*, id eſt *muſca canina*. ET CINIFES. Vox כנים ſignificat *pediculos*, ut Hebræi putant: ſic Pagn. at Hieron. *cinifes* ponit, cui & Sept. magis credo. De quo plura Exod. VIII. 17.

V. 32. POSUIT PLUVIAS EORUM GRANDINEM; id eſt, pro pluviis grandinem dedit.

Digitized by Google

dit. Ignem comburentem. Hebr. *ignem flammarum*.

V. 33. Et percussit vineas. Hebr. *vitem*, pro *vites*. Lignum, id eſt arborem; pro, arbores.

V. 35. Et comedit, ſcilicet locuſta & bruchus.

V. 36. Et percussit, ſcilicet Deus. Laboris eorum. Sic vocat primogenita primitias laboris in gignendo, in educando. Alii vertunt *primitias roboris eorum*, quoniam patres, dum viribus valent, liberos gignunt. Vox און *on*, & *laborem* ſignificat & *robur*. Chald. *primitias fortitudinis eorum*.

V. 37. Infirmus non erat; id eſt, debilis, qui iter ingredi non poſſet, quod fuit mirum, potuiſſe omnes Iudæos iter arripere.

V. 39. Expandit nubem in protectionem eorum. Hebr. *in tegumentum*, umbraculum, ut protegeret a ſolis ardore. Et ignem. Columnam igneam contra tenebras noctis.

V. 40. Et pane caeli. Manna, quod pro pane fuit, ſaturavit eos.

V. 41. Dirupit petram. Hebr. *aperuit rupem*, id eſt dirupit. Abierunt in sicco; id eſt, per deſertum & loca arida fluxerunt flumina. Ita fuit aqua copioſa, quæ fluxit e petra.

V. 42. Verbi, id eſt promiſſionis memor fuit. Ad Abraham puerum suum. Hebr. *quod ad ſervum ſuum Abraham habuit*.

V. 44. Et labores. Opes multo labore ab illis partas Iſraelitæ poſſederunt.

V. 45. Ut custodiant iustificationes eius. Hebr. *Ut ſtatuta*, præcepta, *cuſtodiant*, obſervent. Requirant. Hebr. *conſervent*; ſcilicet opere impleant.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Confitemini Domino, &c. Auctorem huius Pſalmi eſſe Davidem, perſpicue dicitur I. Paralipom. XVI. 7. Continet exordium ſive propoſitionem hortatoriam ad celebrandum & colendum Deum, uſque ad verſum 7. Deinde enarrationem cauſarum ſingulari modo ad Eccleſiam pertinentium, ob quas celebrandus eſt; nimirum, ex quibus Eccleſia provocatur ad laudandum & colendum Deum; ſunt autem in univerſum duæ: una eſt, fœdus ipſius gratuitum cum Eccleſia; altera, mirabilis adminiſtratio ex fœdere: quæ duo ordine tractantur: fœdus quidem a verſ. 8. ad 12. adminiſtratio vero, inde uſque in finem. Quamobrem hic Pſalmus appoſite duobus præcedentibus adiunctus eſt. Vide Notas in Pſal. CII. 1. Et vero ab hoc 1. verſu, ad 16. eadem omnia ſunt cum I. Paralip. XVI. a verſ. 8. ad 23. inde accerſendæ notæ.

V. 16. Et vocavit famem super terram; id eſt, effecit potenti verbo ſuo, ut fames eſſet in terra: humanitus dictum, ut II. Regum VIII. 1. Eam famem intelligit, quæ deſcribitur Gen. XII. XLII. & XLIII. capitibus. Et omne firmamentum panis contrivit. Hebr. *Et omnem baculum*, ſeu *ſcipionem panis confregit*: vide de hac locutione in Levitic. XXVI 26.

V. 17. Misit ante eos virum, &c. Hiſtoriam hanc venditi in AEgypto Ioſephi, vide Geneſ. XXXVII. 28. & 36. & quomodo id factum fuerit divina providentia, ut Iſraelitas aleret, Geneſ. XLV. 5. & 7. cap. L. 20.

V. 18. Humiliaverunt in compedibus, tanquam ſi criminis capitalis fuiſſet reus: vide Geneſ. XXXIX. 20. Hebr. ſingulariter. *In compede*. כבל *cebel*, non alibi invenitur niſi hic, & Pſalmo CXLIX. 8. ubi Noſter, *Manicas* dicit: aiunt eſſe vinculum, quo homo detinetur, ita appellatum, ſive a duobus foraminibus, ut cognationem habeat cum כפל *caphal*, *duplicare*; ſive a vilitate, ut conveniat cum *celeb*, *canis*, tranſpoſito; unde reddunt: *Suppreſſerunt in foraminato pedes eius*. Alii aiunt eſſe vinculum, nexum, lorum, quo canes trahuntur, ut cognationem habeat cum כבל *cebel*, *canis*, cui vincula & lora conveniunt: atqui conſona voce volunt eſſe, quod Latini vocant *copulam*, qua canes vincti ducuntur, Hiſpanice, *trailla*. Apuleius Lib. IX. Aſini: *Copulæ ſpartæ tritura continua exulcerati*. Ovidius:

Copula detrahitur canibus. ——

id eſt vinculum colli. Plautus in Epidico:

Quæritant me, in manibus geſtant copulas.

Nonius cap. III. §. 66. refert verſum Accii, Phœniſſis:

O torque proram, ac ſupra tortas copulas.

quam.

quamquam hic nonnulli, *Capulas* legant a capiendo, eodem ſenſu. Gloſſæ, *copula*, *Αλυσίδιον*; *Hebræi*, *compedem*, *& catenam* exponunt. FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EIUS. Sic erit diſcordia generis Hebraice: nam *ferrum* eſt maſculeum, *pertranſiit* ſemineum. Concordant: *Ferrum pertranſiit*, vel *ingreſſa eſt*, *anima eius*. Hiſpanice, *paſſò por hierro ſu alma*. Alii varie: I. *Et in ferrum venit anima eius*; vel per hypallagem: *Ferrum ingreſſum eſt animam eius*. Animam volunt poni pro corpore, quod afflicto corpore affligatur & anima; quaſi dicat: Corpus eius vinctum fuit catenis. II. *Ferrum penetrabat mentem eius*. III. *Ferro afflicta fuit vita illius*. IV. *Ferrum ſubivit ipſe*; *anima eius*, *pro*, *ipſe*.

V. 19. DONEC VENIRET VERBUM EIUS. Quidam reddunt: *Uſque ad tempus*, *quo erat adventurum verbum ipſius*, Dei videlicet, qui Ioſepho per ſomnia revelavit ea, quæ ipſi erant eventura, Geneſ. XXXVII. 7. & 9. id eſt, uſque ad illud tempus, quo ſomnia illa Ioſephi erant adimplenda; & ipſe dominaturus eſſet AEgypto, & adorandus a fratribus. Alii: *Donec venit verbum eius*; id eſt, donec completum fuit, quod decrevit Deus de ipſo Ioſepho. ELOQUIUM DOMINI INFLAMMAVIT EUM. Alii ex Heb. I. *Dictum Domini purificavit eum*. II. *Eloquium Domini conflando exploravit eum*; id eſt, & tum oraculum Domini; id eſt, interpretatio ſomnii Pharaonis immiſſa a Deo, reddidit illum probatum ipſi Pharaoni, quemadmodum igne probatur argentum. III. *Sermo Iehovæ probavit eum*; id eſt, Iehova ex conſilio, arcano, & voluntate ſua exploravit his modis fidem eius in ſervitute & carcere, ut metalla in catino probari ſolent: hypallage. Quidam totum verſum ita reddunt: *Conſilio Domini probabatur uſque dum tempus*, *quod ille conſtituerat*, *veniret*. Alii: *Uſque ad tempus*, *quo id evenit*, *quod decretum illi a Deo fuerat*, *ſermo videlicet ille*, *quem ſuggeſſit illi Dominus*, *qui & liberavit illum*, *& a ſqualore carceris purgatum reddidit illum*.

V. 20. DIXIT REX, ET SOLVIT EUM. Heb. *Et tranſilire fecit eum*. Elegans Hebraiſmus, & Hiſpaniſmus: *y le hizo ſaltar*, *o ſurtir de la carcel*; id eſt, ut liber compedibus ac vinculis, hinc inde ſubſilire & exilire poſſet: Alii: *Et expediri iuſſit eum*. Vide Geneſ. XLI. 14.

V. 21. CONSTITUIT EUM DOMINUM DOMUS SUAE, &c. Vide in Geneſ. XLI 40.

V. 22. UT ERUDIRET PRINCIPES EIUS SICUT SEMETIPSUM. Hebr. *Ad vinciendum principes eius in anima ſua*. Alii: I. *Ad ligandum*, ſeu *obligandum principes eius*, *in anima ſua*; hoc eſt, poteſtate a Pharaone accepta, ad obligandum principes regni, pro ut ipſi Ioſepho videretur. II. *Ut alligaret*; id eſt, ut vinculis etiam coerceret *principes* viros: *ſecundum animam ſuam*; hoc eſt, pro arbitrio ſuo. III. *Ut erudiret principes eius pro ſuo magiſterio*. IV. *Liberum fecit illi*, *etiam principes regni coniicere in vincula*. V. *Ut vinciret principes eius pro ſuo arbitratu*. VI. *Ut vinciret principes eius ex animo ſuo*; id eſt, ut ſummus in regno eſſet, & ſecundus a Rege, regiam poteſtatem obtinens, Geneſ. XLI. 40. & 44. אסר *aſar*, *ligavit*, quod hic ponitur; & יסר *iaſar*, *caſtigavit*, *erudiit*, cognatæ radices: *in anima ſua*, vel *ſicut animam ſuam*, id eſt, ſicut ſe ipſum; nam eſt duplex lectio, per Beth, & Caph, ſimillimas litteras. ET SENES EIUS PRUDENTIAM DOCERET. Heb. *Et ſenes eius efficiet ſapientes*. Alii: *Et ſeniores eius informaret*; ut factum eſt Geneſ. XLI. 33. & ſequentibus.

V. 23. ET INTRAVIT ISRAEL IN AEGYPTUM. Vide hiſtoriam Geneſ. XLVI. IN TERRA CHAM; ſeu in regione Chami. Vide in Pſal. LXXVII. 51. ſic infra verſ. 27.

V. 24. ET AUXIT POPULUM SUUM VEHEMENTER. Hebr. *Et fructificare*, ſeu *fœtificare fecit populum ſuum valde*. Vide Exodi I. 7. & ſequentibus.

V. 25. CONVERTIT COR EORUM UT ODIRENT POPULUM EIUS. Quidam: *Mutavit animam illorum*, *ut odio haberent populum ſuum*; id eſt, effecit, ut Rex & AEgyptii novi exiſterent, qui non agnoſcerent Ioſephum, Exodi I. 8. & ſequentibus: de hoc autem loquendi genere vide Exodi IV. 19. ET DOLUM FACERENT IN SERVOS EIUS. Varie reddunt: I. *Ad machinandum*, ſeu *ut machinarentur*, *in*, vel *contra ſervos ſuos*. II. *Ut dolum commolirentur in ſervos ſuos*. III. *Et ſervis eius inſidiabantur*. IV. *Et dolos meditarentur*

tur

Digitized by Google

tur adverſus ſervos ſuos. V. *Ut callide agerent in ſervos eius*. Verbum נחל *nachal*, in Hithpahel, hic tantum, & Geneſ. XXXVII. 18. legitur: & magnam vim in ea formula habet; quaſi ſit, Ut ſtatuto, pleno, perfectoque, atque conſummato conſilio malum machinarentur, aut *ſtruerent in ſervos illius*.

V. 26. MISIT MOYSEN SERVUM SUUM, &c. Vide Exodi III. verſ. 13.

V. 27. POSUIT IN EIS VERBA SIGNORUM SUORUM. Hebr. *Poſuerunt in eis verba ſignorum eius*. Quidam hypallagem eſſe volunt: Ediderunt Moſes & Aharon ſigna & prodigia verborum eius, ſcilicet Dei; hoc eſt, a Deo ipſis mandata, & imperata. Unde reddunt: *Hi ediderunt inter illos, præſcriptis ab ipſo verbis ſigna, quæ iuſſerat ipſe*. Alii, *verba ſignorum eius, & prodigiorum*; id eſt, facta, res, negotia ſignorum & miraculorum, &c. Quidam: *Qui prodigioſa ipſius negotia geſſerunt inter eos*. Nonnulli: *Qui expoſuerunt apud eos*, cum Iſraelitas, tum Ægyptios, *verba ſignorum eius*, id eſt res, aut mandata conficiendorum miraculorum. Vide Exodi V. & ſequentibus.

V. 28. MISIT TENEBRAS. Vide Exod. X. 21. & ſequentibus. ET NON EXACERBAVIT SERMONES SUOS. Hebr. varie exponuntur: I. *Et non rebellaverunt verbis eius*; id eſt, Iſraelitæ aſſenſi ſunt, ac fidem dederunt verbis Moſis ex parte Dei propoſitis; ut iungatur cum verſu ſuperiore: *Poſuerunt in eis verba ſignorum eius*. II. *Et non fuerunt increduli verbis eius*. III. *Neque repugnaverunt verbo eius*. IV. *Bona enim fide executi ſunt abſque ulla rebellione quidquid ab ipſo Deo iniunctum fuerat illis*. V. *Neque reluctati ſunt verbo eius*, ſcilicet Moſes, & Aharon: ut iuſſerat Deus ita faciebant ſigna. VI. *Neque rebellarunt* ſigna *contra verbum eius*; id eſt, non fuerunt irrita, ſed plane ut Moſeh dicebat, effecta ſunt. Buchananus:

Ergo natura imperantis, non rebellis iuſſibus. Quidam totum verſum ita reddunt: *Mittebat tenebras, & atra nocte implebat omnia: non enim detrectabant iuſſum eius*, ſcilicet creaturæ. Nos vertimus: *Et non mutaverunt verba eius*; id eſt, nihil immutarunt Moſes & Aharon ex his, quæ eis præceperat Deus: omnia ex præſcripto verborum Dei fecerunt.

V. 29. CONVERTIT AQUAS EORUM IN SANGUINEM. Vide Exod. VII. 20. & ſequentibus.

V. 30. EDIDIT TERRA EORUM RANAS. Vide Exod. VIII. 5. & ſequentibus. IN PENETRALIBUS REGUM IPSORUM. Quidam reddunt: *Invadentes penetralia Regum illorum*: ſeu *in Regum arcaniſſima loca penetrantes*: non enim ranæ producebantur in penetralibus, ſed in fluminibus, rivis, & ſtagnis; inde pervadebant intima Regis, & principum ſeu procerum cubicula.

V. 31. VENIT COENOMYIA. Hebr. *Mixtio, colluvies animalium*. Vide Exod. VIII. 21. & 24. ET CINIPHES. Vide Exod. VIII. 16. & ſequentibus.

V. 32. POSUIT PLUVIAS EORUM GRANDINEM. Quidam: *Et pro pluviis eorum dedit grandinem*. Alii: *Reddidit pluvias eorum grandinem*. Vide Exod. IX. 23. & ſequentibus. IGNEM COMBURENTEM. Heb. *Ignem flammarum*; alii, *ignem maxime flammantem*, ſeu *conflagrantem*. Vide ibidem.

V. 34. ET VENIT LOCUSTA. Vide Exod. X. 12. & ſequentibus. ET BRUCHUS. Falluntur omnino Reuchlinus, Forſterus, & Mercerus, qui putant S. Hieron. commentariis in Nahum. III. 16. & 17. vocem, quæ hic & ibi ponitur ילק *ielek*, interpretatum, *Attalubum*; de quo vide Notas noſtras in Levit. XI. 20. nimis enim perſpicue ibi גוב *gob*, non *ielek*, *Attalabum* expoſuit, ſi quis tantiſper animum adverterit: & *ielek*, ibi, ut hic, *bruchum* tranſtulit. Ergo de ſignificato *ielek* variant; quidam aiunt eſſe ſpeciem quamdam locuſtarum, quæ aculeo tamquam lingua utuntur, allambendis herbis & frugibus accommodo, magnaque copia volant; ideo ſemper eſſe collectivum: & Apocal. IX. 7. cuiuſdam ſpeciei locuſtarum meminiſſe, quæ huic ſpeciei propemodum convenit. *Locuſtam aculeatam*, interpretantur. Sanctes hæc habet: *Ego puto genus eſſe locuſtæ, quod ſæpius vidi in Gallia, præcipue Lugduni, inſtar crabronis, ſed minoris quantitatis, alatum, quod arborum folia depopulatur, & vaſtat, in maxima multitudine*. Marinus, *gryllum* eſſe mavult. Schindlerus, *cicadam*. Tremellius, Iunius, Buxtorfius, *Melolontham*, ſcarabæi viridis ſpeciem: de qua vide, Theſauri Henriciani tomo II. colum. 1638. Ple-

rique cum LXX. & Noſtro, *bruchum* eſſe volunt. Reuchlinus: *Rectiur antem ielek, bruchum vermen piloſum, & exſtantibus comis horripilantem puto, iuxta Ieremiam*, cap. LI. 27. *Adducite equitatum quaſi bruchum horripilantem*. Conſentiunt omnes a לקק *lakak*, *lambere*, dictum, quod viridia lambendo depaſcat. Hæc ſpecies omiſſa eſt in Exodo, ſi iam non ſub generico *locuſtæ* nomine comprehenſa.

V. 36. ET PERCUSSIT OMNE PRIMOGENITUM IN TERRA EORUM. Quidam: *Tandem percuſſit omne primogenitum in regione illorum*. Vide Exod. XII. verſ. 29. PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM. Heb. *Principium omnis concupiſcentiæ eorum*. Alii, *roboris*, *potentiæ*, *eorum*. Vide de hac locutione in Pſal. LXXVII. 51. & in Gen. XLIX. 3.

V. 37. ET EDUXIT EOS CUM ARGENTO ET AURO. Vide Exod. XII. 35. ET NON ERAT IN TRIBUBUS EORUM INFIRMUS. Heb. *Et non in tribubus eius impingens*. Alii: *Nec fuit in tribubus eius*; ſcilicet, Dei, vel Iſraelis, *qui laboret*; quaſi dicat: Omnes incolumes ex AEgypto egreſſi ſunt, liberi ab omnibus, non tantum externis, ſed etiam internis impedimentis; quemadmodum Deus promiſſione ſua declaraverat, Exod. XI. 7. quo etiam pertinent verba promiſſionis, quæ poſtea redintegrata eſt ad fontes amaros, Exod. XV. 26.

V. 39. EXPANDIT NUBEM IN PROTECTIONEM EORUM. Alii. I. *Expandit nubem in tentorium*, vel *in operimentum*. II. *Hic extendebat Dominus nubem ut eſſet opertorium*. III. *Expandit nubem, quæ eſſet illis inſtar umbraculi per diem*, ex antitheſi membri ſequentis. IV. *Expandit nubem pro tegumento*, ſeu *pro velo*. Vide Exod. XIII. 21. & 22.

V. 40. PETIERUNT, ET VENIT COTURNIX, &c. Heb. *Poſtulavit* populus, *& adduxit coturnicem*. Quidam: *Petente* populo *adduxit coturnices*, ſcilicet Deus: vide de hoc verſu Exod. XVI. 13. & ſequentibus, & Numeror. XI. 7. & ſequentibus, & XXXI. & ſequentibus.

V. 41. DIRUPIT PETRAM, ET FLUXERUNT AQUAE. Vide Exod. XVII. 6. & Numer. XX. 11. ABIERUNT IN SICCO FLUMINA. Heb. *Ambulaverunt in ſiccitatibus flumen*. Quidam: *Quæ decurrerunt per loca arentia, ut flumen*: Alii: *Ambulantes per ſiticuloſa loca ut fluvius*, id eſt per deſerta Sinis, & Tzinis.

V. 42. QUOD HABUIT AD ABRAHAM PUERUM SUUM. Geneſ. XV. 14. & 16.

V. 43. IN EXULTATIONE, ET ELECTOS SUOS IN LAETITIA. Heb. *Cum gaudio, cum ovatione (iubilo, cantu) electos ſuos*. Vide Exod. XV. & Numer. XXXIII.

V. 44. ET LABORES POPULORUM POSSEDERUNT. Heb. *Et laborem nationum iure hereditario poſſidebunt*, ut promittitur Deuter. X. 11. & cap. XI. 8. & ſequentibus.

V. 45. UT CUSTODIANT IUSTIFICATIONES EIUS, &c. Hunc verſum ex Heb. alii ita dilucidius transferunt: I. *Ut cuſtodirent ſtatuta eius; & leges eius conſervarent. Haleluiah*. II. *Ut ſervarent iuſta eius, & leges ipſius cuſtodirent. Haleluiah*. III. *Nihil aliud pro omnibus his ab illis requirebat, quam ut parerent ſtatutis ipſius, & legem ab ipſo latam non violarent. Haleluiah*. IV. *Nimirum ut ſervarent decreta eius, & leges ipſius tenerent. Haleluiah*. V. *Ut obſervent ſtatuta eius, & leges eius cuſtodiant*. Vide Deuteron. XXXI. 12. & ſequentibus. Ad verbum: *In tranſitione*, ſive *in tranſactione*, *obſervabunt ſtatuta eius*, &c. id eſt, ita tranſactum eſt inter Deum, & illos, ita pactum conventum fuit, ut illis daret terram promiſſam, & illi ſtipularentur obſervationem legis. De voce *Haleluiah* vide in Pſal. CIII. 35.

MENOCHII.

ALLELUIA. Quamvis non habeatur apud Hebræos, *Alleluia*, in principio Pſalmi, habetur tamen in fine ſuperioris. Probabile eſt Septuaginta viros illud legiſſe initio, & ita in ſua interpretatione quaſi titulum poſuiſſe. Bene autem convenit huic Pſalmo, & duobus ſequentibus, quia, *Alleluia*, ſignificat, *Laudate Deum*; hiſce vero Pſalmis narrantur beneficia a Deo populo Iſraelitico præſtita, quæ laudis Dei ſunt argumentum.

V. 1. CONFITEMINI DOMINO: laudate Dominum. INVOCATE NOMEN EIUS: cum aliqua vos urſerit neceſſitas. ANNUNTIATE INTER GENTES: notas facite, & prædicate inter exteras nationes opera eius.

V. 2. CANTATE EI, ET PSALLITE EI:

ore

Digitized by Google

ore canite, & muſicis inſtrumentis perſonate in eius laudem.

V. 3. LAUDAMINI IN NOMINE SANCTO EIUS: gloriamini eius nomine. Ex Hebræo verti poteſt, *Laudate vos ipſos*; id eſt, gloriamini, & placete vobis, quod tam beneficum in vos Deum experti ſitis. LAETETUR COR QUAERENTIUM EUM: lætentur ex corde, & ſolido gaudio omnes qui placere ſtudent ei, & qui in neceſſitatibus quærunt, & invocant eum.

V. 4. CONFIRMAMINI; id eſt, forti & conſtanti eſtote animo ad eum quærendum. Vel ſenſus eſt, Et confirmabimini, & robuſti efficiemini. FACIEM EIUS, eum, eius conſpectum, favorem, & gratiam.

V. 5. IUDICIA ORIS EIUS, legem, & præcepta ore ſuo tradita per Moyſen.

V. 6. SEMEN ABRAHAM SERVI EIUS. Vocativi caſus: O ſemen Abraham cultores eius. ELECTI EIUS. Græce ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ, eſt caſus nominativi, vel vocativi: Vos qui electi eius eſtis.

V. 7. IN UNIVERSA TERRA IUDICIA EIUS: exempla, & argumenta omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatis, & veritatis ſive fidei, vel prodigia, & miracula ut n. 1. ubi hæc coniungit: *Prodigia eius & iuditia oris eius.*

V. 8. MEMOR FUIT IN SAECULUM TESTAMENTI SUI, memorem ſe oſtendit promiſſionis ſuæ, quam ſempiternam eſſe vult. VERBI, promiſſionis ſuæ. QUOD MANDAVIT, quod iuſſit, ſtabile eſſe voluit. IN MILLE GENERATIONES, in æternum: ponitur enim numerus certus, & definitus, pro incerto, & indefinito, ſcilicet millenarius, qui etiam longe excedit numerum generationum, quæ ab orbe condito uſque ad hanc diem fuerunt, & fortaſſe etiam earum, quæ futuræ ſunt: nam probabile eſt mundum non duraturum annos quindecim mille, quot eſſent neceſſarii ad explendas mille generationes, etiamſi cuilibet generationi breviſſimum ſpatium tribueremus; hoc eſt, annos quindecim, quot fere in homine requiruntur ad generandum.

V. 9. QUOD DISPOSUIT AD ABRAHAM, quod pepigit cum Abraham Gen. XII. 7. & XIII. 15. & XVII. 7. ET IURAMENTI SUI AD ISAAC, memor fuit iuramenti Iſaaco præſtiti, Gen. XXVI. 3.

V. 10. STATUIT ILLUD, firmiter pactum, & iuramentum conſtituit. IACOB, Iacobo. IN PRAECEPTUM; ut eſſet quaſi ſtatutum, & lex qua ſeipſum obligavit Iacobo, ut ſcilicet nullam gentem æque caram haberet, & peculiarem, ac Iſraeliticam; & viciſſim Iacobum ſibi, ne præter ipſum, alium Deum coleret. ET ISRAEL, & Iſraeli, Iacobo nimirum, & poſteris eius. TESTAMENTUM AETERNUM, pactum æternum, ut explicatum eſt.

V. 11. TIBI DABO TERRAM CHANAAN. Habetur hæc promiſſio Gen. XXVIII. 13. FUNICULUM HEREDITATIS VESTRAE, ut ſit veſtra hereditas. De funiculis, qui adhibebantur ad dividendos agros dixi Pſal. LXXVII. 54.

V. 12. CUM ESSENT NUMERO BREVI. In Hebræo eſt, *Viri numeri*, id eſt pauci, quos proinde facile erat omnes numerare. ET INCOLAE EIUS, peregrini in terra Chanaan: erant enim ipſi oriundi ex Chaldæa, & Meſopotamia.

V. 13. PERTRANSIERUNT DE GENTE IN GENTEM: cum fixas ſedes non haberent, huc, illucque vagabuntur de Chaldæa in Meſopotamiam, in Chananæam, Palæſtinam, & AEgyptum. ET DE REGNO AD POPULUM ALTERUM: eſt repetitio præcedentis hemiſtichii.

V. 14. HOMINEM, quemquam. CORRIPUIT; increpavit, caſtigavit propter eos Reges Palæſtinæ, & AEgypti, Abimelech ſcilicet, & Pharaonem. Vide Gen. XII. 17. & XX. 3.

V. 15. NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS. Sunt verba Dei Reges increpantis. *Chriſtos meos*. Reges, & principes meos, id eſt a me conſtitutos, & quaſi inunctos. IN PROPHETIS MEIS. Abrahamum Deus vocavit Prophetam Gen. XX 7. & Iſaac de ſua poſteritate prophetavit Gen. XXVII. & Iacob morti proximus mira vaticinatus eſt de Chriſto, & poſteris, Gen. XLIX. MALIGNARI, male facere, nocere.

V. 16. VOCAVIT FAMEM SUPER TERRAM. Loquitur de ſame quæ fuit tempore Iacob, cum Ioſeph AEgyptum ſervavit Gen. XLI. Dicitur a Domino vocata fames, ne quis eam tribuat naturæ, vel fato, vel caſui. FIRMAMENTUM PANIS. Panem, cibum quo ſuſtentatur, & confirmatur cor hominis: ſic Lev. XXVI. 26. legimus: *Poſtquam confregero baculum panis veſtri.*

V. 17. VIRUM Ioſeph in AEgyptum præmiſit Gen. XXXVII.

V. 18. HUMILIAVERUNT IN COMPEDIBUS PEDES EIUS. Heb. *Afflixerunt in compede pedem eius*. FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EIUS; ferrei compedes cruciaverunt animam eius, illum valde vexaverunt.

V. 19. VERBUM EIUS. Decretum Dei de Ioſeph e carcere educendo. Vel ſenſus eſt: Donec eveniret verbum, quod ipſe Ioſeph prædixerat referens fratribus, & patri ſomnia a ſe viſa de ſua magnitudine, Gen. XXVII. ELOQUIUM DOMINI, prophetiæ ſpiritus. INFLAMMAVIT EUM: accendit eum, & effecit ut in prophetiam erumperet, & ſomnia ſuis concaptivis, & poſtea Pharaoni interpretaretur, & quæ ventura erant prædiceret.

*V.*20. REX, Pharao AEgypti Rex. SOLVIT EUM, e carcere eduxit. PRINCEPS POPULORUM, ſcilicet AEgypti Pharao: eſt enim uſitata repetitio. DIMISIT EUM, compedibus eximens, & e carcere educens.

V. 21. PRINCIPEM OMNIS POSSESSIONIS SUAE; adminiſtratorem regni, Proregem, & gubernatorem omnium, quæ in ditione erant Pharaonis.

V. 22. UT ERUDIRET, &c. In Hebræo eſt, *ut vinceret*, alligaret, caſtigaret, coerceret corruptelam aulicam, & revocaret ad moderationem, atque virtutem, qua ipſe erat præditus: hoc enim ſignificatur verbis illis, SICUT SEMETIPSUM. PRINCIPES EIUS, proceres AEgypti. SENES EIUS; ſenatores, conſiliarios, magiſtratus.

V. 23. ISRAEL, Iſraelitæ; Iacob ſcilicet cum familia ſua. INCOLA FUIT, peregrinatus eſt. IN TERRA CHAM; in terra AEgyptiorum, qui ſunt a Cham Noe filio prognati per Mizraim Gen. x. 6.

V. 24. AUXIT, multiplicavit, fœcundavit: nam cum deſcenderunt in AEgyptum, erant tantum ſeptuaginta capita; cum vero egreſſi ſunt erant *ſexcenta* fere *millia* peditum virorum, *abſque parvulis* Exod. XII. 37. FIRMAVIT EUM; validum, & potentem fecit.

V. 25. CONVERTIT COR EORUM. Deus dicitur convertiſſe cor AEgyptiorum in odium & in ruinam Hebræorum, non odium infundendo, ſed benefaciendo populo ſuo, quod AEgyptios accendebat, & urebat invidia. DOLUM FACERENT: machinarentur, pernicioſa conſilia agitarent infantes occidendo, & nimiis operibus Hebræos fatigando, & vexando.

*V.*26. QUEM ELEGIT IPSUM, ad perficiendum una cum Moyſe fratre opus redemptionis populi ſui de AEgypto.

V. 27. POSUIT IN EIS, &c. ornavit eos vi, & dono patrandorum miraculorum.

V. 28. ET OBSCURAVIT; totam EAgyptum per triduum. NON EXACERBAVIT SERMONES SUOS. Moyſes, & Aaron non exacerbavit ſermones ſuos, id eſt eius, Dei ſcilicet, ſed quæ ille mandavit effecta dedit, licet grave, & periculoſum videri poſſet tantum Regem, quantus erat Pharao, provocare ad iracundiam.

V. 31. COENOMYIA. Vide dicta Pſal. LXXVII. 45. CINIPHES. Vide dicta Exod. cap. VIII. 17.

V. 32. PLUVIAS EORUM GRANDINEM; pro pluvia grandinem miſit. IGNEM COMBURENTEM; & cum grandine mixtum ignem fulminum, omnia comburentem, & vaſtantem.

V. 33. LIGNUM FINIUM EORUM: omne lignum, omnes arbores in finibus eorum.

V. 34. DIXIT, iuſſit. De plaga locuſtarum vide dicta Exodi x. 8. BRUCHUS. In Heb. eſt ילק *ieleq*; ſpecies locuſtæ omnia lambentis, & abſumentis.

V. 36. PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM. Vide dicta Pſal. LXXVII. 51.

V. 37. CUM ARGENTO ET AURO. Aureis, & argenteis vaſis ab AEgyptiis commodato acceptis. INFIRMUS. Vox Hebraica כושל *coſel*, ſignificat corruentem, labentem, nutantem, debilem. Nullus erat non modo æger, ſed ne debilis quidem, ſed ſani omnes, & validi.

V. 38. LAETATA EST AEGYPTUS IN PROFECTIONE EORUM. Adeo AEgyptii non retinuerunt Hebræos propter vaſa aurea, & argentea, ut potius lætati ſint eorum diſceſſu, timore maioris mali; ne ſcilicet omnes perirent, ut perierant primogeniti eorum.

V. 39. EXPANDIT NUBEM, &c. Interdiu enim nubes caſtra Iſraelitarum præcedebat, quemadmodum nocte columna ignis. IN PROTECTIONEM EORUM; in umbraculum, & tegumentum adverſus ſolem, & ardorem: nam deſerta per quæ ambulaverunt Iſraelitæ, torrida ſunt &

ratio-

ratione climatis, & arenarum cauſa, ſolis radios reflectentium.

V. 40. COTURNIX. Vide dicta, Exod. XVI. 13. PANE CAELI, manna. Vide ibidem.

V. 41. DIRUPIT PETRAM. Hebræus habet, *aperuit*. Vide Num. XX. II. ABIERUNT IN SICCO FLUMINA; per aridum ſolum copioſe fluxit aqua.

V. 42. QUONIAM MEMOR FUIT, &c. Hæc autem omnia tam benigne Deus cum Iſraelitis operatus eſt, quia memor fuit promiſſi ſancti, & inviolabilis, quod Abraham ſervo ſuo promiſerat.

V. 43. IN EXULTATIONE, exultantes, & lætos.

V. 44. GENTIUM, Chananæorum. LABORES POPULORUM: opes, & bona, quæ ſibi multo labore populi Chananæorum paraverant.

V. 45. UT CUSTODIANT IUSTIFICATIONES, &c. Hæc autem omnia Deus Iſraelitis præſtitit, ut ſtatuta religionis, & cæremonias in lege inſtitutas ſervarent. LEGEM EIUS REQUIRANT: ſervent divinam legem.

TIRINI.

INſcribitur, ut & multi ſequentes, titulo הללויה *Halleluia*; id eſt, laudate cum iubilo Deum; ita Iuſtinus Martyr. Continent enim res lætas & iubilo dignas; ac fere reſpiciunt Chriſtum vel Eccleſiam Chriſti.

V. 3. LAUDAMINI, ſcilicet a toto orbe; Chaldæus, *laudate*; Hieronymus, *exultate*; Aquila, *gloriamini in nomine ſancto eius*; id eſt, quod Deus ſanctus ſit veſter Deus.

V. 4. CONFIRMAMINI; id eſt, eſtote fortes & conſtantes in *quærendo faciem*, id eſt præſentiam *eius*, inquit ſanctus Auguſtinus, puta in templo, & aliis locis ſanctis. SEMPER; id eſt, omni tempore, omni occaſione, ſine fine, ſine menſura.

V. 5. IUDICIA ORIS EIUS, id eſt præcepta data per Legiſlatorem Moyſen.

V. 12. & 14. CUM ESSENT NUMERO BREVI, id eſt exiguo, puta, non niſi ſeptuaginta animæ Hebrææ, INCOLAE terræ Chanaan, in qua pertranſibant peregrinantes de loco in locum. Cumque propter hoc, & propter paucitatem paterent iniuriæ omnium, Deus tamen *non permiſit* quemquam NOCERE EIS: immo propter illos CORRIPUIT REGES AEgypti & Paleſtinæ, Pharaonem & Abimelech, Geneſ. XII. & XX. dicens tum verbis, tum flagris,

V. 15. NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS, id eſt Prophetas & principes gentis meæ a me conſtitutos, puta Patriarchas. Ita ſanctus Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus.

V. 16. FIRMAMENTUM; id eſt robur, PANIS; id eſt, panem qui roborat & confirmat hominem, ſuſtulit Deus per famem ſeptennem tempore exaltati Ioſephi in AEgypto, Geneſ. XLI.

V. 18. FERRUM, pro catena ferrea. Unde Chaldæus: *In catenam ferream intravit anima eius*, id eſt ipſe Ioſephus, Geneſ. XXXIX.

V. 19. DONEC VENIRET VERBUM EIUS; id eſt, donec impleretur ſomnium Ioſephi, quod olim patri & fratribus narrat, Geneſ. XXXVII. ELOQUIUM DOMINI, id eſt obſervatio legis divinæ, INFLAMMAVIT, ſeu excoxit EUM; id eſt, cauſa fuit cur flamma tribulationis purgaretur, ut vertit Chaldæus; vel probaretur, ut Hieronymus, nempe a fratribus ſuis, ab hera & hero in AEgypto; vel efflatis ſordibus purus redderetur.

V. 23. TERRA CHAM; id eſt, AEgypto: quia AEgyptii ex Meſraim primogenito Cham prognati ſunt, Geneſ. X.

V. 25. CONVERTIT, non per ſe, vel directe, ut vult Calvinus; ſed tantum per accidens & occaſionaliter: nempe *firmando*, id eſt roborando & multiplicando Hebræos tam prolibus, quam opibus: ita ſanctus Auguſtinus.

V. 28. NON EXACERBAVIT SERMONES SUOS; id eſt, non irritavit, non irrita fecit, non immutavit promiſſa ſua facta Moyſi de plagis Pharaoni & AEgypto infligendis: quas vide ſupra Pſalmum LXXVII. & Exodi cap. VII. & ſequentibus.

GOR-

GORDONI.

Titulus Pſalmi eſt ALLELUIA (הללו יה *hallelu-Iah*) translatus a fine præcedentis Pſalmi, ubi eſt vox in Hebræo (quod fecerunt Septuaginta) ad principium huius Pſalmi, ut eſſet pro titulo, & recte: nam explicat argumentum. Idem titulus eſt quibuſdam inſequentibus Pſalmis. Ergo pro argumento narrantur beneficia a Deo facta populo, ob quæ proinde merito laudandus eſt.

Verſ. 1. & 3. CONFITEMINI DOMINO, &c. Hi quindecim inſequentes verſiculi habentur I. Paral. cap. XVI. Propheta hic initio incitat per aliquot verſus ad Deum laudandum: immo verſ. 3. *Laudamini & vos*, ἐπαινεῖσθε, Hebr. התהללו *hith-hallelu*, *laudate vos ipſos*, ſed (quod ſequitur) IN NOMINE SANCTO EIUS: laus enim noſtra a Deo eſt.

V. 4. QUAERITE DOMINUM, ET CONFIRMAMINI. Oportet Septuaginta legiſſe in Hebr. עזו *hhozzu*, *confirmemini*, non autem עזו *hhuzzo*, *virtutem eius*, rad. עזז *hhazaz*, roborare, confortare.

V. 5. MEMENTOTE, &c. Dat Propheta deinceps materiam laudis: hæc ſunt mirabilia facta a Deo, & effectus potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, per quarum rerum meditationem, velut per ſcalam aſcendit anima ad amorem Dei.

V. 6. SEMEN ABRAHAM SERVI EIUS. Hoc eſt, filii Abraham ſunt ſervi eius: nam Græce eſt δοῦλοι αὐτοῦ, nominativus pluralis, ac proinde Septuag. legerunt in Hebræo עבדיו *hhabdau*, *ſervi* in numero multitudinis, non autem עבדו *hhabdo* in ſingulari.

V. 8. MEMOR FUIT IN SAECULUM TESTAMENTI, &c. Incipit mirabilia recenſere, ducens initium a pacto cum Abrahamo.

V. 18. FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EIUS. Hebr. נפשו *naphſo*. Græce ἡ ψυχὴ, in caſu nominandi. Utramque lectionem patitur Hebræus codex; & Vulgatæ editionis ſenſus clarior eſt.

V. 19. ELOQUIUM DOMINI INFLAMMAVIT EUM. Septuag. legerunt שרפתהו *ueraphthehu*, quod eſt *inflammare*. Hieronymus aliter & legit, & vertit. Græce eſt ἐπύρωσεν αὐτόν.

V. 22. SICUT SEMETIPSUM. Græce ὡς ἑαυτόν. At Hieronymus vertit, *ſecundum voluntatem ſuam*. Hebr. בנפשו *benaphſo*, & Septuaginta legerunt כנפשו *chenaphſo*, *ſecundum animam eius*, ſeu ſecundum ſcientiam, quam habebat in anima ſua, ut doceret principes regni, & rectores; præſertim in politico regimine, & ut occurreretur ſterilitati venturæ.

V. 26. AARON QUEM ELEGIT IPSUM. Græce ὃν ἐξελέξατο ἑαυτῷ, *ſibi*. In emendatis eſt αὐτῷ. Hebr. בו *bo*, *in eo*, vel *ei*.

V. 28. ET NON EXACERBAVIT SERMONES; &c. Interpretes obſcurum locum hunc omnes agnoſcunt. In Hebr. eſt מרו *maru*, quæ vox (derivata a מרה) eſt numeri pluralis, ſignificans mutaverunt, rebellaverunt, tranſgreſſi ſunt, inobedientes fuerunt; & ſenſus erit: Moſes & Aaron non fuerunt obedientes ſermonibus Dei; vel verbo quod acceperunt, ut facerent mirabilia. Ita quidem aliqui, ſed imprimis quod ſpectat ad negationem, in Latinis quidem codicibus, nunc eſt textus cum negatione, nunc ſine illa, ſed recte eſt addita in Vulgata editione; tum quia ita expreſſe eſt in Hebræo ולא מרו *velo maru*; tum quia in Græco pro ὅτι, legendum eſt οὔτε, *neque*. Iam de verbo *exacerbavit*. Alia eſt expoſitio, affirmans, in Hebræo Septuaginta legiſſe מרר, *marar* in ſingulari, quod eſt amaricare, vel amaritudine afficere: & hinc etiam cum negatione, eſt in Vulgato, *non exacerbavit*; ſeu Deus non reddidit amaros ſuos ſermones: quem ſenſum ſecuti hic ſunt aliqui. Et mihi quidem placet hæc interpretatio. Quod ſi obiicias apud Sept. eſſe παρεπίκραναν, in plurali, occurrendum eſt, variam eſſe lectionem: nam ſunt qui etiam legant, καὶ οὐ παρεπίκρανεν, quod conſentit cum Vulgato. Denique iuxta noſtram Vulgatam editionem oportet τὸ *ſermones* eſſe accuſativi caſus; ſicut etiam ex eadem editione, accipio in plurali *ſermones*; quamvis varia ſit lectio דברו vel דבריו *devaro*, vel *devarau*, *eius verbum* vel *verba*.

EIU.

Digitized by Google

Eiuſdem Paraphraſis.

Verſ. I. CONſitemini, &c. Initio uſque ad verſum 7. hortatur ad laudem Dei, ut quærant eum omnes, & memores ſint tot mirabilium, quæ fecit; memores vero ſint, ut explicat Auguſtinus, non tantum filii Abraham, ſecundum carnem, ſed etiam ſecundum fidem ſpirituales filii.

V. 7. uſq. ad 13. *Ipſe Dominus*, &c. Initium eſt narrationis. Memor fuit reſtamenti, pacti & promiſſionis factæ Abrahamo, ut eam impleret. Pactum vocat in mille generationes, hoc eſt, æternum. Clarius explicat hoc pactum verſu 11. de terra Chanaan, & promiſſionis; in quo promiſſo latet hereditas præcipua, quæ eſt æterna.

V. 13. uſq. ad 16. *Et pertranſierunt*, &c. Secundum videtur eſſe hoc beneficium, conſiſtens in ſpeciali protectione Patriarcharum, dum eos ſemper liberavit a periculis. Nota eſt hiſtoria de Abrahamo, Gen. XII. & XX. de Iſaaco, Gen. XXVI. de Iacob, Gen. XXXI. & XXXII. adfuit illis in ſuis peregrinationibus. Hi Prophetæ fuerunt, & proinde uncti ſpirituali unctione. De horum prophetia habes Geneſ. XV. XXVII. & XLIX.

V. 16. uſq. ad 23. *Et vocavit famem*, &c. Non male hoc numeratur a quibuſdam tertium beneficium. Vide Geneſ. cap. XXXVII. & ibidem de vendito Ioſeph, qui recte dicitur miſſus a Deo ad ſalutem multorum. Porro humiliatus eſt in compedibus, Geneſ. cap. XXXIX. quando ferrum (dolor) pertranſivit animam eius; ſed liberatus & exaltatus eſt, immiſſo illi eloquio a Domino, Geneſ. XLI. & tunc venit Iacob in terram Cham, ſive in AEgyptum, cap. XLVI.

V. 23. uſq. ad 25. *Et intravit*, &c. Hoc numero ut quartum beneficium, quando Deo providente, Iacob fugiens famem venit in AEgyptum, ubi multiplicatus eſt populus.

V. 25. uſq. ad 37. *Et convertit*; &c. Quintum beneficium. Convertit Deus cor AEgyptiorum, ut odirent Iſraelitas; hoc eſt, dum benefaceret inſigniter Iſraelitis, AEgyptii ex invidia incitarunt ſe, ut odirent populum; Deo operante bona pro Iſraelitis. Et ſic dicitur Deus convertiſſe AEgyptios, ex data hac occaſione, atque hinc iam natum eſt hoc quinrum beneficium, quo miſit Deus Moyſen (Exod. 2. & deinceps) patratorem miraculorum, ad liberandum populum. Hæc prodigia hic recenſentur, & ſupra Pſalmo LXXVII. Explicata vero ſunt in Exodo ad cap. VII. & deinceps.

V. 37. & ſeq. *Et eduxit eos*, &c. Sextum beneficium eſt, de eductione populi ex AEgypto, onuſti etiam diviriis, & ſpoliis AEgyptiorum. Adde ſubmerſum Pharaonem, & cetera hic addita de nube, de eſca in deſerto, de ſciſſa petra, & dara terra promiſſa: magna ſunt hæc & nova beneficia. Data, inquit, ut cuſtodiant iuſtificationes eius, & hic recenſita pro nobili argumento laudis.

BOSSUET.

Verſ. I. GENTES, *populi*, Hier. *Opera*, *cogitationes*, Idem.

V. 3. LAUDAMINI. *Exultate*, Idem.

V. 6. SERVI, genitivo caſu. *Electi* (nominativo plurali) vos Deum laudate.

V. 12. INCOLAE EIUS, *advenæ in ea*, Hier. Abraham enim, & Iſaac, & Iacob cum liberis quaſi exteri in Chanaanitide habitabant.

V. 14. REGES, Pharaonem, & Abimelech. Gen. XII. &c.

V. 15. CHRISTOS, Patriarchas, non unctione carnali, ſed Spiritu ſancto unctos: qui locus valet adverſus Iudæos qui Ieſum negabant Chriſtum, quod carnali unctione caruiſſet. Comm. Hier. Ideo autem Chriſti, ſive uncti dicunrur, quod eſſent & ſacerdotes, & Reges: ſumma quippe poteſtate præditi, nullique obnoxii: hinc fœdera æquo iure pacta cum Regibus: hinc bella ſuſcepta, & quidem nutu ſuo, auſpiciis, ut aiunt, ſuis: Gen. XIV. 21. hinc Hebræi ad Abrahamum: *Audi nos Domine: Princeps Dei es apud nos:* ibid. XXIII. 6. nemini obnoxius niſi Deo. Quo iure Iſaacus, & Iacobus uſi ſunt Gen. XXVI. &c. Ad hæc Prophetæ erant, ut hic, & Gen. XX. 7. Quos omnes titulos unum Chriſti nomen complectitur. Chriſti autem dicuntur in typo Chriſti ipſius ab eis orituri. Hic deſinit Pſal. in Paral.

V. 16.

V. 16. Firmamentum panis ; baculum, ſuſtentaculum, panem quo ſuſtentamur.

V. 18. Animam eius, pro perſonam eius: *anima*, LXX. *in infernum venit anima eius* : Hier. ipſe in vincula miſſus eſt.

V. 19. Donec veniret verbum eius: donec implerentur Ioſephi vaticinia de pincerna, & piſtore: Gen. xl. Inflammavit, *probavit*, Hier. quaſi in igne, tot immiſſis calamitatibus.

V. 23. In terra Cham, *AEgypto*, idem infra verſ. 27. Pſal. lxxvii. 51.

V. 28. Et non exacerbavit: *non fuerunt increduli*: Hier. Moſes, & Aaron.

V. 29. 30. Aquas eorum, AEgyptiorum.

V. 36. Eduxit eos, Iſraelitas.

V. 38. Timor eorum, Iſraelitarum, super eos, AEgyptios.

V. 39. In protectionem eorum, ut tegeret eos.

V. 41. Abierunt in sicco flumina: flumen in deſerto decucurrit.

V. 45. Ut custodiant, &c. eo enim tot beneficia pertinebant.

PSALMUS CV. EUCHARISTICUS ET INCREPATORIUS.

Commemoratio beneficiorum Dei ab Exodo ad Iudices : ut populum peccantem & caſtigatum mox veniam deprecantem a miſeriis erueri. Eſt autem Davidis hic Pſalmus, ut patet I. *Paral.* xvi. 34. *ubi initium eius & finis referuntur.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.

Quis loquetur fortitudines Domini, auditas faciet omnes laudes eius?

Beati qui coſtodiunt iuditium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.

Recordare mei Domine in repropitiatione populi tui: viſita me in ſalutari tuo.

Ut videam bona electorum tuorum; in lætitia gentis meæ: & exultem cum hereditate tua.

Peccavimus cum patribus noſtris: inique fecimus, impie egimus.

VERSIO VULGATA.

Alleluia. (*Iudith* xiii. 21.)

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

2. (*a*) Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?

3. Beati, qui cuſtodiunt iuditium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.

4. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo:

5. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hereditate tua.

6. (*b*) Peccavimus cum patribus noſtris: iniuſte egimus, iniquitatem fecimus.

Pa.

Patres noſtri in AEgypto non intellexerunt mirabilia tua.

Non ſunt recordati multitudinis miſericordiæ tuæ: & ad iracundiam provocaverunt ſuper mare in mari rubro.

Salvavit autem eos propter nomen ſuum, ut oſtenderet fortitudinem ſuam.

Et comminatus eſt Mari rubro, & aruit: & transduxit eos per abyſſos quaſi in deſerto.

Et ſalvavit eos de manu odientis, & redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua hoſtes eorum: unus de ipſis non ſuperfuit.

Et crediderunt verbis eius, cecineruntque laudem eius.

Cito obliti ſunt operum illius: nec expectaverunt voluntatem eius.

Et deſideraverunt deſiderium in deſerto, & tentaverunt Deum in ſolitudine.

Et dedit eis petitionem ipſorum, & miſit tenuitatem in animam eorum.

Et zelati ſunt Moyſen in caſtris: Aaron ſanctum Domini.

Aperta eſt terra, & devoravit Dathan, & operuit ſynagogam Abiram.

Et ſuccenſus eſt ignis in ſynagoga eorum: flamma exuſſit impios,

Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt conflatile:

Et mutaverunt gloriam ſuam, in ſimilitudine bovis comedentis fenum.

Obliti ſunt Dei ſalvatoris ſui: qui fecit magnalia in AEgypto.

Mirabilia in Terra Cham: terribilia ſuper Mare rubrum.

Dixit ergo ut contereret eos: niſi Moyſes electus eius ſtetiſſet medius contra faciem illius, & converteret indignationem eius, ut non interficeret.

Et deſpexerunt terram deſiderabilem: nec crediderunt ſermoni eius.

7. Patres noſtri in AEgypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.

Et irritaverunt aſcendentes in mare, Mare rubrum.

8. Et ſalvavit eos propter nomen ſuum: ut notam faceret potentiam ſuam.

9. (c) Et increpuit Mare rubrum, & exſiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.

10. Et ſalvavit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

11. (d) Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remanſit.

12. * Et crediderunt verbis eius: & laudaverunt laudem eius.

13. Cito fecerunt, obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius.

14. (e) Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto: & tentaverunt Deum in inaquoſo.

15 (f) * Et dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum.

16. Et irritaverunt Moyſen in caſtris: Aaron ſanctum Domini.

17. (g) Aperta eſt terra, & deglutivit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abiron.

18. Et exarſit ignis in ſynagoga eorum: flamma combuſſit peccatores.

19. (h) Et fecerunt vitulum in Horeb: & adoraverunt ſculptile.

20. Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fenum.

21. Obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos, qui fecit magnalia in AEgypto, 22. mirabilia in Terra Cham: terribilia in Mari rubro.

23. (i) Et dixit ut diſperderet eos: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius:

Ut averteret iram eius ne diſperderet eos: 24. & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem:

Et murmuraverunt in tabernaculis
ſuis: non exaudierunt vocem Domini.

Et elevavit manum ſuam ſuper eos,
ut deiiceret eos in deſerto.

Et ut deiiceret ſemen eorum in gentibus,
& diſpergeret eos in terris.

Et conſecrati ſunt Beelphegor, &
comederunt victimas mortuorum:
Et concitaverunt eum in ſtudiis ſuis,
& percuſſit eos plaga.

Stetit autem Phinees, & diiudicavit:
& eſt retenta percuſſio.
Et reputatum eſt ei in iuſtitiam: in
generatione & generatione uſque in æternum.
Et provocaverunt eum ſuper aquam
contradictionis, & afflictus eſt Moyſes
propter eos.
Quia provocaverunt ſpiritum eius,
& præcepit labiis ſuis.
Non exterminaverunt populos: quos
dixit Dominus eis.
Et commixti ſunt gentibus, & didicerunt
opera eorum.
Et ſervierunt ſculptilibus eorum, &
factum eſt eis in ſcandalum.
Et immolaverunt filios ſuos, & filias
ſuas demonibus.
Et effuderant ſanguinem innocentem:
ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum
ſuarum, quos immolaverunt ſculptilibus
Chanaan: & polluta eſt terra
ſanguinibus.
Et coinquinati ſunt in operibus ſuis,
& fornicati ſunt in ſtudiis ſuis.

Iratus eſt itaque furor Domini in populum
ſuum, & abominatus eſt hereditatem
ſuam.
Et dedit eos in manu gentium, &
dominati ſunt eorum qui oderunt eos.

Et afflixerunt eos inimici ſui, &

Non crediderunt verbo eius, 25. &
murmuraverunt in tabernaculis ſuis:
non exaudierunt vocem Domini.
26. [K] Et elevavit manum ſuam
ſuper eos: ut proſterneret eos in deſerto:
27. Et ut deiiceret ſemen eorum in
Nationibus: & diſpergeret eos in regionibus.
28. Et initiati ſunt Beelphegor: &
comederunt ſacrificia mortuorum.
29. Et irritaverunt eum in adinventionibus
ſuis: & multiplicata eſt in eis
ruina.
30. [l] Et ſtetit Phinees, & placavit:
& ceſſavit quaſſatio.
31. Et reputatum eſt ei in iuſtitiam,
in generationem & generationem uſque
in ſempiternum.
32. [m] Et irritaverunt eum ad
Aquas contradictionis: & vexatus eſt
Moyſes propter eos: 33. quia exacerbaverunt
ſpiritum eius.
Et diſtinxit in labiis ſuis: 34. non
diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus
illis.
35. Et commixti ſunt inter gentes,
& didicerunt opera eorum: 36. & ſervierunt
ſculptilibus eorum: & factum
eſt illis in ſcandalum.
37. Et immolaverunt filios ſuos, &
filias ſuas demoniis.
38. Et effuderunt ſanguinem innocentem:
ſanguinem filiorum ſuorum &
filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt
ſculptilibus Chanaan.
* Et infecta eſt terra in ſanguinibus,
39. & contaminata eſt in operibus
eorum: & fornicati ſunt in adinventionibus
ſuis.
40. Et iratus eſt furore Dominus in
populum ſuum: & abominatus eſt hereditatem
ſuam.
41. Et tradidit eos in manus gentium:
& dominati ſunt eorum qui oderunt
eos.
42. Et tribulaverunt eos inimici eo-
hu-

Digitized by Google

humiliati ſunt ſub manu eorum.
Multis vicibus liberavit eos: ipſi vero provocabant in conſiliis ſuis, & humiliati ſunt, propter iniquitates ſuas.

Et vidit tribulationem eorum: cum audiret eos rogantes.
Et recordatus eſt pacti ſui cum eis: & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.
Et dedit eos miſerabiles: coram omnibus qui ceperant eos.
Salva nos Domine Deus noſter, & congrega nos de gentibus, ut confiteamur nomini ſancto tuo, & canamus in laude tua.
Benedictus Dominus Deus Iſrael ab æterno, & uſque in æternum: & dicet omnis populus, amen, halleluia.

eorum, & humiliati ſunt ſub manibus
eorum: 43. ſæpe liberavit eos.
Ipſi autem exacerbaverunt eum in
conſilio ſuo: & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.
44. Et vidit cum tribularentur: &
audivit orationem eorum.
45. (n) Et memor fuit teſtamenti
ſui: & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.
46. Et dedit eos in miſericordias in
conſpectu omnium qui ceperant eos.
47. Salvos nos fac Domine Deus noſter: & congrega nos de Nationibus.
Ut confiteamur nomini ſancto tuo:
& gloriemur in laude tua.
48. Benedictus Dominus Deus Iſrael
a ſæculo & uſque in ſæculum: & dicet omnis populus: Fiat, fiat.

(a) Iudith xiii. 23. Eccli. xliii. 35. (b) Iudith vii. 19. (c) Exod. xiv. 22. (d) Exod. xiv. 27. (e) Exod. xvii. 2. (f) Num. xi. 31. (g) Num. xvi. 32. (h) Exod. xxxii. 4. (i) Exod. xxxii 10. (K) Num. xiv. 32. (l) Num. xxv. 7. (m) Num. xx. 10. (n) Deut. xxx. 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 12. *Et crediderunt verbis eius*. Non addas *in* præpoſitionem.
V. 15. *Et dedit eis petitionem ipſorum*. Non omittas coniunctionem *&*.
V. 38. *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*. Romani Patres prætulerunt *infecta*, quod eſt polluta, voci interfecta, quam alii legunt cum D. Auguſtino.

Notatio.

Verſ. 38. Latinorum codicum quidam habent: *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*. Alii: *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus*. Inter expoſitores Nicolaus Lyranus, & Petrus Herentalenſis *infecta* legunt: Arnobius, Proſper, & Caſſiodorus *interfecta*. Auguſtinus: „ Putaremus, inquit, hic ſcriptoris errorem eſſe, atque eum diceremus, pro eo quod eſt *infecta* feciſſe *interfecta*, niſi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas ſuas in multis linguis eſſe voluit, atque ita eſſe ſcriptum: *Interfecta eſt terra in ſanguinibus*, inſpectis Græcis codicibus videremus. “ Sic S. Doctor Auguſtinus. *καὶ ἐφονοκτονήθη ἡ γῆ ἐν τοῖς αἵμασι* eſt Græce. *φονοκτονεῖν interficere* denotat; quamobrem veriſimile eſt *interfecta* Interpretem tranſtuliſſe. Neque id videtur ab Hieronymo veteris editionis caſtigatore in *infecta* mutatum, cum ut plerique, ita & integerrimi quique eorum librorum, quos ex Hieronymi emendatione habemus, *interfecta* legant. Nos id ſane in noſtris exemplaribus animadvertimus. Sed & Epanorthotes, & R. Lindanus hoc ipſum in ſuis codicibus obſervaſſe videntur: hic enim legit, ille legendum docet *interfecta*. Complures etiam poſteriorum Enarratorum ad hunc legunt modum. Haymo, Beda, Remigius, Turre-cremata, Ludolphus, Bruno, Pampolitanus, Carenſis, Richelius, Paſtura. Intelligunt autem iſtud poſt Auguſtinum per metonymiam de terræ habitatoribus, qui interfecerunt, trucidaruntque animas ſuas, effundendo, idoliſque offerendo ſanguinem filiorum, & filiarum ſuarum. Ceterum & de terra ipſa non male intelligatur: fit enim populi peccatis terra ſterilis, & quaſi eſt mortua, quæ non parit, quos ſolita eſt, fructus. Hæc igitur noſtræ æditionis germana videtur lectio: *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus*.

Porro vox græca ἐφονοκτονήθη non minus recte transferatur *infecta*: nam quamquam φονοκτονεῖν *interficere* denotet, nonnumquam tamen pro *inficere*, idque cæde præſertim ponitur. Exemplum eſt Numer. xxxv. cap. verſ. 33. καὶ οὐ μὴ φονοκτονήσητε τὴν γῆν, ἐφ᾽ ἧς ὑμεῖς κατοικεῖτε ἐπ᾽ αὐτῆς. τὸ γὰρ αἷμα τοῦτο φονοκτονεῖ τὴν γῆν: *Et ne polluatis terram in qua habitatis; hic enim ſanguis terram polluit*. Multi itaque ex Græco Interpretes vertunt: *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*. Quin & Euthymius Græcus enarrator id notare videtur ἐφονοκτονήθη hoc in loco idem eſſe, quod *cæde infecta*; videtur inquam; nam ambigere nonnihil facit verſio. Denique Græcus poeta Apollinaris hoc iſtud modo accepiſſe videtur: ſic namque canit: αἵματι δ᾽ ὀλλυμένων ἐρρυθραίνετο πάντοθεν αἶα, *Sanguine cæſorum rubefacta eſt undique terra*. Ex Hebræo noſtræ ætatis Interpretes *infecta*, ſeu *polluta* conſtanter transferunt. Chaldæus Paraphraſtes ſimiliter. ואטנפת ארעה בחובין דקטול quod eſt: *Et maculata eſt terra peccati homicidii*. D. Hieronymi quædam exemplaria legunt: *Et polluta* (o. *contaminata*) *eſt terra* (in 1. MS.R.) *ſanguinibus*; quædam: *Et adulterata eſt terra per ſanguinem*: illo noſtra pleraque; hoc modo cum Epanorthote Lobienſis cœnobii antigraphum, tametſi & alteram annotet lectionem. *Adulterata* autem potius ex חנאף eſſe videtur, quam ex eo quod nos habemus ותחנף: quamquam חנף etiam *impie agere* ſignificet: unde in Lexico Pagninus, *Et impie egit terra in ſanguinibus*, exponit. Illo Numerorum loco xxxv. 33. eadem eſt vox חנף, quam eo loci Latinus Interpres *polluere* & *maculare* tranſtulit: *Ne polluatis terram habitationis veſtra, qua inſontium cruore maculatur*, ſed & alibi ſimiliter interpretatus eſt. Recte igitur, & iuxta Græcos, & iuxta Hebraicos libros legatur: *Et infecta eſt terra in ſanguinibus*; quomodo tria Romani Pſalterii Antigrapha concorditer legunt: verum, uti diximus, videtur (ſalvo iuditio meliori; nam diverſas legimus hac de re diverſorum ſententias) noſtræ æditionis genuina lectio, *Et interfecta eſt terra in ſanguinibus*. Porro ut Græca vox ἐφονοκτονήθη pro *cædibus infecta* poteſt accipi; ſic & Latina, quæ ex ea tranſlata eſt pro *interfectionibus maculata* accipi poſſit.

Iſaiæ xxiv. capite verſ. 5. eadem eſt in noſtra editione lectionis varietas. Quidam typis excuſorum codicum habent: *Et terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis*. Quidam cum pleriſque omnibus manuſcriptis noſtris: *Et terra interfecta eſt ab habitatoribus ſuis*; atque eſt Hebraice vox eadem חנף, quam eo loci Chaldæus, & LXXII. reddiderunt *peccavit*, ſeu *impie egit*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. MEMENTO NOSTRI DOMINE. Heb. זכרני *memento mei*. Septuag. legerunt זכרנו, fortaſſe melius, ſicut quod ſequitur פקדני, legerunt פקדנו. Quod autem ait, IN BENEPLACITO POPULI TUI, ב ſumitur pro כ: ſicut Pſal. LXXIII. 19. & LXXVII. 15. & XCIII. 19. & CIV. 22. quod Latine diceretur, *Pro ea benevolentia, qua proſequeris populum tuum*.

V. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE, &c. Heb. *ut videam bonum* (felicitatem) *electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ, ut glorier in hereditate tua*.

V. 7. ET IRRITAVERUNT ASCENDENTES IN MARE. Heb. *Rebelles fuerunt*, על־ים *iuxta mare*, mare rubrum. Septuag. videntur legiſſe עלים *aſcendentes mare*.

V. 13. CITO FECERUNT. Heb. *Feſtinaverunt*. OBLITI SUNT; id eſt, cito obliti ſunt.

V. 14. ET TENTAVERUNT DEUM IN INAQUOSO. Heb. id eſt, propter aquæ inopiam.

V. 15. ET MISIT SATURITATEM. Hebræi nunc legunt, רזון, *maciem*, *perniciem*, & interpretantur: Dedit illis quod petebant, id eſt carnes, quibus ſe putabant pinguiores futuri, & facti ſunt potius macilenti, mortuique ſunt. Ego vero ſuſpicor Sept. legiſſe רויה, πλησμονὴν *ſaturitatem*, quo multo magis hæret loco, ubi non agit, quomodo eos Deus punierit, ſed quomodo ad ſatietatem dederit quidquid petiverunt.

V. 23. IN CONFRACTIONE. Heb. *in ruptione*, ſumpta metaphora ab urbium expugnatione, ubi cum aliqua parte murus diſruptus fuerit, urbs capitur, niſi vir aliquis

quis fortis ſeſe quaſi murum in ipſa ruptura opponat: ut Ezech. XXII. 30. *Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, pro terra, & non inveni.*

V. 28. ET COMEDERUNT SACRIFICIA MORTUORUM. Heb. *deorum qui mortui ſunt, non viventes.*

V. 29. ET MULTIPLICATA EST IN EIS RUINA. Heb *plaga.*

V. 33. ET DISTINXIT IN LABIIS. Suis murmurationibus compulerunt Moſem verba illa pronuntiare: *Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* Quorum verborum cauſa prohibitus eſt Moſes ingredi in terram Chananæorum, quod videretur dubitare de verbis Dei: *Quia non credidiſtis mihi,* &c. Numer. XX. Hoc eſt quod dicit hoc loco, Moſem vexatum fuiſſe propter illos, id eſt punitum; hoc eſt Heb. *Malum fuit Moſi.*

V. 39. ET INTERFECTA EST TERRA IN SANGUINIBUS. Heb. *infecta.*

V. 44. ET VIDIT CUM TRIBULARENTUR, &c. *Reſpexit eos cum tribularentur, & audivit clamorem eorum.* Vel, Reſpexit tribulationem eorum, & clamorem eorum.

V. 45. ET MEMOR FUIT TESTAMENTI SUI. Hebr. *Memor fuit illis*, vel erga illos, *teſtamenti ſui*; id eſt, ſervavit illis promiſſionem ſuam.

V. 46. ET DEDIT EOS IN MISERICORDIAS; id eſt, fecit ut ii apud quos captivi erant, humaniter eos tractarent.

S A

Invitatio ad Dei laudem.

Verſ. 1. SAECULUM. Hieron. & Chald. *æternum.*

V. 2. LOQUETUR; ſcilicet, ut pars eſt. Chald. *eloqui poterit.* POTENTIAS. Hieron. & Chald. *fortitudines*, ſcilicet fortiter facta. AUDITAS. Chald. *notas.*

V. 3. IUDICIUM, ſcilicet recte iudicando: Aug. IUSTITIAM, ſcilicet recte agendo: Aug.

V. 4. BENEPLACITO POPULI, id eſt benevolentia in populum. Chald. *bona voluntate cum populo.* Hieron. *propitiatione populi.* SALUTARI id eſt, ſalute. Chald. *redemptione*, ſcilicet Chriſto, ſecundum Aug.

V. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE. Hieron. *Ut videam bona.* LAUDERIS. Hieron. *exultem.* Chald. *laudem.* HEREDITATE, id eſt populo.

V. 6. CUM PATRIBUS, id eſt ſicut patres: Aug. INIQUITATEM. Hieron. & Chald. *impie.*

V. 7. IRRITAVERUNT, ſcilicet te. Hier. *ad iracundiam provocaverunt.* Chald. *rebelles fuerunt.*

V. 9. INCREPUIT. Hieron. & Chald. *comminatus eſt.* IN DESERTO. Chald. *per deſertum.*

V. 12. CREDIDERUNT, ſcilicet tunc. LAUDAVERUNT. Hieron. & Chald. *cecinerunt.*

V. 13. CITO FECERUNT. Græc. *feſtinarunt*, ſcilicet obliviſci, ut ſtatim dicitur. Hieron. & Chald. *cito.* SUSTINUERUNT. Hieron. *expectaverunt.* CONSILIUM; id eſt, quod de illis decreverat; quaſi dicat, Non ſe eius providentiæ regendo crediderunt.

V. 14. CONCUPISCENTIAM, ſcilicet carnes. *Concupiſcentia*, pro re concupita. INAQUOSO. Hieron. *ſolitudine.* Chald. *loco arido.*

V. 15. SATURITATEM. Hieron. *tenuitatem.* Chald. *maciem*; quaſi dicat, Statim punivit. Græc. πλησμονὴν, id eſt *repletionem*: genus eſt morbi, ex quo ſequitur tabes & macies, ſcilicet ex nimia repletione.

V. 16. IRRITAVERUNT. Hieron. *zelati ſunt.* Chald. *invidia commoti ſunt contra.* SANCTUM, id eſt conſecratum.

V. 17. SUPER CONGREGATIONEM, &c. quaſi dicat: Eos qui cum Abiron conſpiraverunt.

V. 18. SYNAGOGA, id eſt congregatione. PECCATORES. Hieron. & Chald. *impios.*

V. 20. GLORIAM SUAM. Chald. *gloriam Domini ſui.*

V. 21. DIXIT, ſcilicet Moyſi. UT DISPERDERET, id eſt ſe velle diſperdere. Chald. *ſe exterminaturum.* CONFRACTIONE; id eſt, plaga, qua erant feriendi a Deo: Aug. Græc. *vulneratione.*

V. 24. VERBO: ſcilicet, quo promiſerat ſe eam daturum.

V. 26. ELEVAVIT, ſcilicet iurando; vel, ut ſolent qui volunt percutere.

V. 27.

V. 27. Deiiceret. Chald. *migrare faceret*. In Nationibus, id eſt inter gentes.

V. 28. Initiati ſunt. Hieron. *conſecrati ſunt*. Chald. *adiunxerunt ſe*. Mortuorum, id eſt oblata mortuis, ſeu non viventibus diis.

V. 29. Adinventionibus. Hieron. *ſtudiis*. Chald. *operibus*. Ruina. Hieron. *plaga* Chald. *peſtis*

V. 30. Placavit, ſcilicet Deum. Chald. *oravi* Quassatio. Hieron. *percuſſio*. Chald. *mors*.

V. 31. Iustitiam. Chald. *meritum*. Sempiternum, ſcilicet dato ei ſacerdotio: nempe, quamdiu lex duraret: quamquam fuit aliquando in poſteris Ithamar, a quo Heli; ſed reſtitutum eſt poſteris Phinees: III. Reg. II.

V. 32. Vexatus. Hieron. *afflictus*, ſcilicet a Deo.

V. 33. Exacerbaverunt, id eſt offenderunt; ſeu, irritarunt. Eius, ſcilicet Moyſis, vel Dei. Distinxit, id eſt diſtincte dixit; ſcilicet, Deus, non ingreſſurum Moyſen terram promiſſam. Chald. *explicavit*: vel ſignificatur hic, quod Moyſes ad petram dixit dubitando: Num. xx. quaſi dicat, hæſitavit.

V. 34. Disperdiderunt, ſcilicet terram ingreſſi.

V. 36. Scandalum, id eſt offendiculum, ſeu ruinam.

V. 38. Infecta. Hieron. *polluta*. Chald. *maculata*. In sanguinibus. Chald. *homicidiis*; ſcilicet, cæde filiorum, quos immolabant.

V. 39. Adinventionibus. Hieron. *ſtudiis*.

V. 43. Consilio suo. Hieron. & Chald. *conſiliis ſuis*. In iniquitatibus. Hieron. *propter iniquitates*.

V. 45. Testamenti. Hieron. *pacti*. Poenituit eum. Chald. *converſus eſt ab ira ſua*.

V. 46. In misericordias; quaſi dicat: Miſertus eſt eorum. Hieron. *miſerabiles*.

V. 47. Nationibus. Hieron. *gentibus*. Gloriemur, &c. Hieron. *Canamus laudem tuam*.

V. 48. A saeculo, &c. Hieron. *ab æterno, & uſque in æternum*. Chald. *a mundo hoc uſque ad mundum venturum*. Dicet; pro, dicat itaque. Fiat, fiat. Hieron. & Chald. *Amen*. Not. hunc Pſalmum eſſe finem quarti libri Pſalmorum apud Hebræos. Apponitur autem ſingulis libris ad finem, *Amen*.

ESTII.

Verſ. 6. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus. Ezechiel. xviii. reprehenduntur quidam qui dicebant: *Patres noſtri peccaverunt, & dentes filiorum obſtupeſcunt*. Sed hoc dicitur contra eos, qui ſe putabant innocentes. Alioqui Ieremias quoque Thren. ult. cap. ſic quæritur: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus*, non tamen ſua vel populi peccata excludens, ſicut & hic maniſeſte utrumque exprimit Pſalmiſta, dum dicit: *Peccavimus cum patribus noſtris*.

V. 20. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum. Rectius, *gloriam eius*, nempe Dei, iuxta illud ad Rom. I. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*. Nam Græce eſt αὐτῶ, non αὑτῶν. Hebraice tamen videtur ſonare, *gloriam ſuam ipſorum*; ſed & ſic accipi poteſt pro gloria Dei; quandoquidem Deus illorum erat gloria. Pagninus itaque vertit quoque ex Hebræo *gloriam ſuam*. Vide ad Romanos primo.

V. 28. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum. Heb. ſonat, *adunati ſunt*; vel, ut ſic loquamur, adiuncti ipſi Beelphegor, ita ut ei tenaciſſime adhærerent. Et alluditur ad hiſtoriam Numer. xxv. ut etiam patet ex ſubiectis verbis de Phinees. Eadem phraſi dicitur ab Apoſtolo II. Cor. vi. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Quod autem additur, *& comederunt ſacrificia mortuorum*; ſenſus eſt, Et comederunt immolata mortuis, ſeu vita carentibus, ſcilicet Diis ipſorum: nam Deus verus ſolus eſt Deus unus.

V. 32. Et vexatus est Moyses propter eos quia exacerbaverunt spiritum eius. Vexatus eſt a Domino, quia excluſus a terra ſancta, quod Deum non ſanctificaſſet ad aquas contradictionis: cuius peccati eius, populi malitia dederat

rat

rat occaſionem. Hebr. eſt: *Et malum fuit Moyſi propter eos*. Vide Deuteronomii 1. 3. *Quia exacerbaverunt ſpiritum eius:* vel Moyſis; vel, ut mavult Ianſenius, Domini: Deus enim exacerbatus incredulitate & rebellione populi etiam in Moyſen excanduit. Unde illa verba Moyſi, Deuteronomii 1. *Nec curanda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc*.

MARIANAE.

ALLELUIA. De hoc titulo in ſuperiori Pſalmo. Heb. & ſuperior Pſalmus clauditur hac voce, & initio huius quaſi titulus repetitur. Sua & maiorum peccata confitetur, veniamque petit & pacem.

V. 1. CONFITEMINI, laudate. IN SAECULUM, perpetua eſt, numquam ab eo recedit miſericordia.

V. 2. POTENTIAS. Hebr. *fortitudines*, id eſt fortia eius facta. AUDITAS FACIET: quis evulgabit?

V. 3. BEATI, QUI CUSTODIUNT; quaſi dicat: Innocentia opus eſt ad id, quæ mihi deeſt.

V. 4. MEMENTO NOSTRI. Hebr. *mei*. IN BENEPLACITO. Chald. *bona voluntate;* id eſt, quod mihi deeſt ad celebrandas tuas laudes, ſuppleatur ex ea benignitate, qua tuum populum proſequeris, eique es pollicitus. VISITA NOS, in bonum ſcilicet. IN SALUTARI TUO. Hebr. *in ſalute tua*; id eſt, da nobis ſalutem.

V. 5. AD VIDENDUM; id eſt, ut nos reſpicias, quibus oculis ſoles bonitatem tuorum aſpicere, & qua lætitia lætaris cum tua gente. UT LAUDERIS; id eſt, ut te & ſimul hereditatem tuam digne laudare poſſim. Hactenus exordium.

V. 6. PECCAVIMUS CUM PATRIBUS NOSTRIS; id eſt, ut patres peccarunt, ſic nos.

V. 7. NON INTELLEXERUNT, id eſt non perpenderunt, non æſtimarunt. ET IRRITAVERUNT ASCENDENTES IN MARE. Hebr. *Et rebellarunt ſuper* (id eſt iuxta) *mare*. MARE RUBRUM. Sic vocatur vel a rubentibus arenis, vel a ſpecie rubra, quam maris aqua exhibet, ob promontoria; aut quod magis credo, ab Erythro Rege, *Erythræum* Græce dictum, quæ vox cum *rubrum* ſignificet, vocatum eſt Latine *Rubrum*. Sane *Erythræum mare* vocari invenio, non ſinum Arabicum, ſed totum id mare uſque ad ſinum Perſicum. Hebr. ſinus Arabicus vocatur *mare Suph*, id eſt *carectoſum*, a copia caricum & iuncorum.

V. 9. ET INCREPUIT MARE RUBRUM; id eſt, præcepit, voluit, ut ſiccaretur: quod fecit vento immiſſo, quo mare ſiccatum eſt: ſic Nahum 1. 4. *Increpans mare, & exiccans illud*. SICUT IN DESERTO; id eſt, per mare gradiebantur quaſi per aridam.

V. 10. ET SALVAVIT EOS DE MANU ODIENTIUM. Hebr. *odientis*; id eſt, de manu hoſtili liberavit eos. Ii erant AEgyptii.

V. 11. NON REMANSIT; id eſt, non evaſit quiſquam, omnes ſunt ſubmerſi.

V. 12. ET LAUDAVERUNT. Hebr. *cecinerunt*; ſcilicet hymnum Moyſis & Mariæ: Exod. XV.

V. 13. CITO FECERUNT, ſcilicet quod ſequitur, *obliti ſunt*. Quidam legunt *defecerunt*, ſed falſo. Hebr. *feſtinarunt, obliti ſunt*; pro, cito obliti ſunt: verbum *feſtinarunt*, pro adverbio *cito*. ET NON SUSTINUERUNT, id eſt non expectaverunt, non reſpexerunt. CONSILIUM EIUS; id eſt, quod illis præceperat, non curarunt.

V. 14. CONCUPISCENTIAM, carnes pro manna. Numer. XI. Exod. XVII. IN INAQUOSO, id eſt in ſolitudine, concupierunt.

V. 15. ET MISIT SATURITATEM. Græc. πλησμονὴν, id eſt *repletionem*. Hebr. *maciem*. Sed *repletio* genus morbi eſt, ex quo macies ſequitur. Ita *macies* pro ſagina eſt conſecuta, quæ illis mortem conciliavit. Poteſt etiam vox Hebr. *luem* ſignificare, qua ſcilicet conſumpti ſunt, *miſit luem*.

V. 16. ET IRRITAVERUNT. Hieron. *Zelati ſunt*. Hebr. *inviderunt Moyſem*, quod ſcilicet Aaroni dediſſet ſacerdotium: SANCTUM DOMINI: ſic Aaronem vocat propter unctionem.

V. 17. CONGREGATIONEM; id eſt, familiam Abiron terra abſorbuit.

V. 18. ET EXARSIT IGNIS IN SYNAGOGA EORUM. Heb. *in cœtu*: ignis 250. viros conſumpſit. COMBUSSIT: ſic Hebr. & Græc.

Græc. Gotth. *Comedit peccatores.*

V. 9. IN HOREB. Mons eſt vel ipſe Sinai, aut illi proximus. Ibi vitulum fecere.

V. 20. GLORIAM SUAM; Deum ſcilicet qui erat eorum decus, mutarunt vitulo.

V. 23. ET DIXIT, voluit, ſtatuit diſperdere eos. SI NON MOYSES ELECTUS EIUS STETISSET IN CONFRACTIONE. Heb. *in ruptura*; id eſt, tumultu aut pernicie, quam Deus inferre voluit. Metaphora a muro, quando evertitur, & hoſtes irrumpere volunt, niſi quis repellat.

V. 24. ET PRO NIHILO HABUERUNT. Heb. *& ſpreverunt*. TERRAM DESIDERABILEM, fluentem lacte terram.

V. 26. ET ELEVAVIT MANUM SUAM, id eſt iuravit. Deuter. XXXII. *Levabo ad cælum manum meam*. SUPER EOS. Heb. *eis*, id eſt propter eos, aut contra eos. UT PROSTERNERET, cadere faceret eos.

V. 27. ET UT DEIICERET. Hebr. *proſterneret*. Idem verbum quod in ſuperiori verſu, ubi Interpres dixit, *Ut proſterneret*. IN NATIONIBUS, id eſt inter Nationes. IN REGIONIBUS. Hebr. *in terris*, id eſt per terras.

V. 28. ET INITIATI SUNT BEELPHEGOR. Heb. *Adhæſerunt, coniugati ſunt*, ut iumenta ſub iugum ad colendum Beelphegor. MORTUORUM; id eſt, idolorum ſacrificia comederunt. Dei veri epithetum eſt *vivens*: aliorum deorum quod ſint mortui.

V. 29. ET IRRITAVERUNT EUM IN ADINVENTIONIBUS SUIS. Hebr. *in operibus ſuis, prohibita fecerunt*. ET MULTIPLICATA EST IN EIS RUINA. Hieron. *Et percuſſit eos plaga*; aut ſic: *Et erupit in eos plaga*.

V. 30. ET PLACAVIT. Hebr. *& iudicavit Phineos*; id eſt, ſe vindicem præbuit. Hieron. *& diiudicavit*. ET CESSAVIT QUASSATIO. Hebr. *& ſedata eſt plaga*; id eſt, cædes, qua perierant viginti quatuor millia homines.

V. 31. IN IUSTITIAM reputatum eſt illi. Data eſt enim illi & poſteris dignitas ſacerdotii: Num. XV. Eccli. XLV.

V. 32. ET IRRITAVERUNT EUM, ſcilicet Deum. Hebr. non eſt *eum*. AD AQUAS CONTRADICTIONIS. Hebr. *aquas iurgii*, aut *litis*: aut dic, *ad aquas Meriba*, loci nomen ab eo iurgio. ET VEXATUS EST MOYSES. Heb. *Et malum fuit Moyſi propter ipſos*. Nam expulſione Terræ ſanctæ mulctatus eſt ea de cauſa.

V. 33. QUIA EXACERBAVERUNT. Heb. *rebellare fecerunt ſpiritum eius*, ſcilicet contra Deum. ET DISTINXIT IN LABIIS SUIS. Græce διέστειλεν, *hæſitavit, diviſus fuit*. Hebr. *temere locutus eſt*, בטא *bata* id ſignificat. Nimirum cum Num. XX. 11. dixit: *Num aquam de petra hac poterimus vobis eiicere?* dubitanter id locutus eſt. Id fuit peccatum.

V. 34. NON DISPERDIDERUNT GENTES. Hebraice, *deleverunt*. Crimina alia obiicit, ob quæ ſunt puniti Iſraelitæ.

V. 35. ET COMMIXTI SUNT. Hebr. *ſe miſcuerunt in gentibus*; ſcilicet omni genere commercii, coniugiis, moribus, cultu.

V. 36. IN SCANDALUM, in laqueum, in ruinam.

V. 38. ET INFECTA EST TERRA. Sic Hebr. ותחנף *thechenaph*, Græce, ἐφονοκτονήθη ſic Lovan. & verſio Septuaginta Romana poſuerunt, *interfecta eſt terra*. Romani *infecta* dixerunt: ſic Hieron. & Pſalt. Rom.

V. 39. ET FORNICATI SUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS. Heb. *operibus*, ſcilicet idola coluerunt. Impius cultus ſæpe *fornicatio* vocatur.

V. 41. ET DOMINATI SUNT EORUM QUI ODERUNT EOS; id eſt, inimici eorum eos ſubdiderunt.

V. 43. SAEPE LIBERAVIT EOS, flexus eorum miſeria. IPSI AUTEM EXACERBAVERUNT EUM. Hebr. *& ipſi rebellaverunt*. IN CONSILIO SUO, id eſt data opera, ex animo & deliberatione. ET HUMILIATI SUNT IN INIQUITATIBUS SUIS, propter iniquitates.

V. 44. ET VIDIT; quaſi dicat: Nil motus eorum levitate, denuo vidit afflictionem, & audivit eorum clamores.

V. 45. ET MEMOR FUIT TESTAMENTI SUI, pacti cum Patribus facti. ET POENITUIT, quoad effectum mutavit quod de illis decreverat.

46. ET DEDIT EOS IN MISERICORDIAS; id eſt, fecit ut illis benigni eſſent. QUI CEPERANT EOS; id eſt, eos captivos tenebant.

V. 47. SALVOS NOS FAC. Brevis pero-

ra-

Digitized by Google

ratio. Rogat ut populum e captivitate reſtituat. UT CONFITEAMUR, laudemus. ET GLORIEMUR. Hieron. *& canamus laudem tuam.*

V. 48. BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL A SAECULO ET USQUE IN SAECULUM; id eſt, a primo tempore ad poſtremum, ab initio ſæculi ad finem eius. FIAT, FIAT. Hebr. eſt unum tantum *Amen.*

MALVENDAE.

Verſ. 2. QUIS LOQUETUR POTENTIAS DOMINI, &c. Correctio ſuperioris exhortationis, ac propoſitio imbecillitatis humanæ, quæ Deum neque verbis, neque operibus pro merito celebrare poteſt; ſed Deum glorificat confeſſione infirmitatis ſuæ, ut loquitur Paulus II. Corinth. XII. 9. Quidam exponunt; quaſi dicat Pſaltes: Quid ergo? an Deus ab homine convenienter laudari poteſt? eſſent profecto beati, ſi qui id præſtarent: ſed eheu plurimum abſumus ab eo convenienter celebrando, qui neque lingua valemus, neque vitæ integritate comparati ſumus, eum ad condigne celebrandum, hoc verſu 2. & 3. Quamobrem nullum melius celebrandi eum argumentum datur, quam ſi imploremus miſericordiam eius, verſ. 4. & 5. & confiteamur peccata noſtra, verſ. 6. *Potentias Domini?* Quidam, *ſummam potentiam Iehovæ?* vel *omnimodam potentiam Iehovæ?* Numerus enim pluralis auget ſignificatum. Aliqui reddunt: *Quis digne diſſerat de fortibus factis Iehovæ?* AUDITAS FACIET OMNES LAUDES EIUS? Hebr. *Audire faciet omnem laudem eius?* Varie alii: *Divulget, commemoret, prædicet, efferat, enarret, promat, ſonet, omnem, totam, univerſam, laudem eius?*

V. 3. BEATI QUI CUSTODIUNT IUDICIUM, ET FACIUNT IUSTITIAM IN OMNI TEMPORE. Alii ex Hebr. I. *O beatos, qui ſervata æquitate, quod iuſtum eſt faciunt omni tempore.* II. *Felices ſunt illi, qui ſervant æquitatem a Deo præſcriptam: & quiſquis ex eo præſcripto iuſtitiæ facit, quæ facit, omni tempore.* Hunc verſum ita ſuperioribus nectunt; quaſi dicat: Ii ſoli digni ſunt, qui laudes Dei celebrent. Alii: Cum tanta ſit Dei potentia, quam nemo vitare poteſt, beati illi ſunt, qui æquum & iuſtum ſectantur. III. *O beatos, qui obſervarent rationem hanc*, ore prædicandi & celebrandi Deum: *qui exerceret iuſtitiam quovis tempore*; id eſt, vitam ſuam componeret, velut ſpectatum aliquod ſimulacrum & documentum laudis eius conſtans atque perpetuum.

V. 4. MEMENTO NOSTRI DOMINE. Heb. *Recordare mei Iehveh*, ut Gen VIII. 1. IN BENEPLACITO POPULI TUI. Diverſimode reddunt: I. *Per gratiam, qua proſequeris populum tuum.* II. *Per favorem erga populum tuum.* III. *Cum eo favore, quo proſequi ſoles populum tuum.* IV. *Pro benevolentia, qua proſequeris populum tuum*; id eſt, pro gratuita miſericordia, qua duceris in populum tuum, & ante hac in maiores noſtros ductus es; prout ſequens narratio explicat: ſimile argumentum eſt, ſupra Pſal. LXXXIV. 2. VISITA NOS IN SALUTARI TUO. Hebr. *Viſita me in ſalute tua.* Alii: I. *Viſita me ſalute tua*, ut Geneſ. XXI. 1. II. *Inviſe me ope tua ſalutifera.* III. *Meique rationem habeto per tuam ſalutem.* IV. *Inviſe me, & divinæ ſalutis tuæ participem fac me.*

V. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE, &c. Alii clarius hunc verſum ex Hebr. transfundunt: I. *Ut videant bonum*: vel *fruar bono; electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ: & glorier cum hereditate tua.* II. *Ut bonitatem tuam videant electi tui, ut gentes tuæ lætentur: & plaudat populus tuus ille peculiaris.* III. *Ut videam & frui liceat bono, quo hi fruuntur, quos elegiſti tibi, ut gaudeam quomodo gentes, quæ caræ ſunt tibi, gaudere ſolent: ut oblectem me una cum populo, quem tibi veluti hereditario iure conquiſiviſti.* IV. *Ut videam bonum electis tuis hominibus paratum, & gaudeam gaudium gentium tuarum: & glorier cum hereditario tuo populo*; id eſt, iactem me habere Deum propitium & non iratum. V. *Ut fruar bono electorum ut læter lætitia gentis tuæ: ut me laudibus efferam cum poſſeſſione tua. Videre bonum*, pro, *frui bono*, ut Pſal. XXXIII. 13.

V. 7. PATRES NOSTRI IN AEGYPTO NON INTELLEXERUNT MIRABILIA TUA, &c. Hinc incipit narratio indigniſſimorum facinorum, quæ maiores perpetraverant, coniuncta cum explicatione beneficiorum Dei quæ in homines ingratiſſimos geſ-

geſſerat, remittendo ac condonando eis peccata: unde maior occaſio oritur celebrandi Deum. Extenditur autem narratio uſque ad verſ. 47. MIRABILIA TUA; id eſt, opera, quæ inde a creatione Deum feciſſe audiverant, magna, ſtupenda, mirifica. NON FUERUNT MEMORES MULTITUDINIS MISERICORDIAE TUAE. Hebr. *Non recordati fuerunt multitudinis benignitatum tuarum*. Alii: I. *Non reputabant in animo magnitudinem bonitatis tuæ*. II. *Non diu memores fuerunt omnimodæ, quam toties experti fuerant, clementiæ tuæ*. III. *Neque memores fuerunt maximorum beneficiorum tuorum*. IV. *Non recordati fuerant amplitudinis benignitatum tuarum*, quas inde a tempore vocati Abrahami exercueras in populum tuum, ac nominatim in AEgypto coram oculis ipſorum, de quibus actum eſt ſuperiore Pſalmo a verſ. 24. ad 37. ET IRRITAVERUNT Deum ASCENDENTES ipſi IN MARE, MARE RUBRUM. Varie ex Hebr. I. *Et rebellarunt ſuper mare, in mari Rubro*. II. *Et rebelles fuerunt in mari, in mari Rubro*. III. *Sed rebellaverunt iuxta mare in mari Suph*, dum ſcilicet tranſituri eſſent. IV. *Et mutabiles fuerunt ad mare, in mari iuncoſo*. V. *Sed rebellaverunt potius iuxta mare, & in ipſo mari Rubro*; ut ſit ſenſus, illos non ſolum in littore, ſed etiam dum ipſum mare pedibus tranſmitterent, in Deum obmurmuraſſe. VI. *Et immorigeri fuerunt ad mare, ad mare, inquam, Rubrum*. VII. *Sed occaſionem dederant mutandi eas*, ſcilicet benignitates; *ad mare, ingreſſuri mare algoſum*; id eſt, quantum in ipſis erat, ſalutem cœptam indignitate ſua obruperant. Vide Exodi XIV. 10. & ſequentibus. De *mari Suph*, vide Exod. X. 19.

V. 9. ET INCREPUIT MARE RUBRUM. Sic Lucas VIII. 24. de Chriſto: *Et increpavit ventum, & tempeſtatem aquæ*: ἐπετίμησε, *obiurgavit, increpavit*: quo verbo uſi ſunt etiam Interpretes Græci, Matt. VIII. 26. *Increpavit ventos, & mari*: & Marci IV. 39. nec dubium Matthæum uſum verbo גער *gagbar*, quod hic ponitur, ut ad hunc locum reſpiceret, & confirmaret Ieſum Chriſtum illum met Deum fuiſſe, qui mare algoſum increpaverat. ET DEDUXIT EOS IN ABYSSIS SICUT IN DESERTO. Quidam: I. *Et ambulare fecit eos per abyſſos tamquam per deſertum*. II. *Et perduxit eos per profundiſſimas aquas*, vel *per immenſitates aquarum tamquam per deſertum*. III. *Et deduxit eos per abyſſos eius quaſi per deſertum*; id eſt, inter duas aquarum congeries, quæ Iſraelitis ceſſerunt, ac ſi locus a natura aridus ac ſiticuloſus ut deſertum fuiſſet: vide Exod. XV. 5. Buchananus:

Suſpenſa moles hinc & inde per ſali
Tranquilli arenas aridam dedit viam,
Ceu ſolida campis figerent veſtigia.

V. 11. ET OPERUIT AQUA TRIBULANTES EOS, &c. Hebr. *Et cooperuerunt aquæ hoſtes eorum*. Vide de hoc verſu Exodi XIV. 28. & Exod. XV. 5.

V. 12. ET CREDIDERUNT VERBIS EIUS. Vide Exod. XIV. 31. ET LAUDAVERUNT LAUDEM EIUS. Hebr. *Et cantaverunt laudem eius*. Vide Exod. XV. 1. & ſequentibus.

V. 13. CITO FECERUNT, OBLITI SUNT OPERUM EIUS. Hebr. *Feſtinaverunt, obliti ſunt operum eius*; id eſt, *feſtinanter obliti ſunt*, &c. Vide Exodi XV. 24. ET NON SUSTINUERUNT CONSILIUM EIUS. Ex Hebr. I. *Non expectaverunt conſilium eius*, id eſt non curarunt. II. *Non inhiaverunt, anhelaverunt, ad conſilium eius*. III. *Neque morati ſunt conſilium eius*; id eſt, nullum reſpectum habuerunt conſilii eius, pro nihilo habuerunt. IV. *Non perdurarunt ad conſilium eius*, ſed obmurmurarunt ei re adhuc recentiſſima. Exodi XV. 24. Nos reddidimus: *Non prolongarunt conſilio eius*; id eſt, non longum tempus dederunt ſectando conſilio eius, non diu inſtiterunt conſilio eius.

V. 14. ET CONCUPIERUNT CONCUPISCENTIAM IN DESERTO, &c. Vide Numer. XI. 1. & 4.

V. 15. ET DEDIT EIS PETITIONEM IPSORUM. Vide Numer. XI. 31. ET MISIT SATURITATEM IN ANIMAS EORUM. רזון *razon*, proprie, *tenuitatem, maciem, macritudinem, macilentiam*; ſic enim hanc vocem exponit Noſter Iſaiæ X. 16. exponunt: Id eſt, *Immiſit maciem in illos ipſos*, ſeu emaciavit eorum corpora, qui concupierant carnem, & morte affecit: liptoles. Alii, maciem illam intelligunt, quæ ex faſtidio, repletione, & aſpernatione cibi ſequi ſolet: vide Numer. XI. 20.

V. 16. ET IRRITAVERUNT MOSEN IN CASTRIS, AARON SANCTUM DOMINI.

Heb.

Digitized by Google

Hebr. *Et æmulati ſunt Moſi in caſtrametatione, Abaroni ſancto Iebveb*. Alii: I. *Et exacerbaverunt Moſen in caſtris, ipſum Abaronem conſecratum Domino*. II. *Poſtea invidentibus Moſchi in caſtris, Abaroni ſancto Iebovæ*; id eſt, quem ſanctificavit Deus ad obeundum ſacerdotium ſuum, & ſanctum eſſe re ipſa demonſtravit. Numer. XVI. 5. 7. Hiſtoriam trium horum verſuum habes num. 16.

V. 18. IN SYNAGOGA EORUM. Hebr. *In cœtu, conventu, eorum*, ſcilicet, Korachi, & aliorum, qui admoverant thus, Num. XVI. 35. & 45. & ſequentibus.

V. 19. ET FECERUNT VITULUM IN HOREB, &c. Vide Hiſtoriam Exod. XXXII.

V. 20. GLORIAM SUAM. Exponunt: Id eſt, divinam maieſtatem, quæ gloria illorum fuerat, Romanor. I. 23. Alii, *bonorem ſuum*; id eſt, Deum, quo nudati, omnem ignominiam apud inimicos fuerant ſubituri, Exod. XXXII. 25.

V. 21. IN TERRA CHAM. Alii, *in regione Chami*. Vide in Pſal. LXXVII. 51. IN MARI RUBRO. Alii, *ad mare algoſum*, ſeu *iuncoſum*, aut *caricoſum*: ut ſupra, verſ. 7.

V. 23. STETISSET IN CONFRACTIONE IN CONSPECTU EIUS. Varie ex Hebr. I. *Steriſſet in ruptura ad facies eius*; id eſt, niſi in puncto iræ occurriſſet Deo, recenti adhuc ſcelere: quod non minus erat periculoſum, quam eſt ruptura murorum, quod ea parte pateat hoſtibus in urbem aditus. Metaphora a ruptione murorum obſeſſorum, qua parte hoſtes irrumpunt. II. *Interceſſiſſet ei ſedans iram ipſius*. III. *In ipſo procinctu obſtitiſſet in conſpectu eius*. IV. *Obſtitiſſet in media vaſtatione in conſpectu eius*. V. *Stetiſſet pro flagello* avertendo *contra faciem illius*. VI. *Stetit in diviſione coram faciebus eius*; id eſt, oppoſuit ſe medium inter Deum, & populum; quaſi dicat: Niſi ipſe Moſes mediatorem & ſequeſtrem ſeſe interpoſuiſſet. VII. *Conſtitiſſet in irruptione illa coram ipſo*; id eſt, interceſſiſſet deprecans iram Dei, & populum labefactatum reconciliaſſet Deo: metaphora a re caſtrenſi. Sic Ezechiel. XIII. 5. & infra verſ. 29. & 30.

V. 24. ET PRO NIHILO HABUERUNT TERRAM DESIDERABILEM. Heb. I. *Et deſpexerunt in terra deſiderabili*; id eſt, ipſam terram, & omnia, quæ in ea erant. II. *Quin & cupitam terram aliquando aſpernabantur*. III. *Reſpuerunt etiam terram exoptatam*. IV. *Spreverunt quoque terram deſiderabilem*, ſpiritualium benedictionum, temporaliumque nomine opimam, Deuteronom. VIII. 7. & ſequentibus, & cap. X. verſ. 10. & ſequentibus. Huius & ſequentis verſus hiſtoriam vide Numer. XIII. & XIV.

V. 25. NON EXAUDIERUNT VOCEM DOMINI. Quidam: *Non auſcultaverunt, obtemperaverunt, voci Iebovæ*; id eſt, mendato eius, quod habetur Deuteron. I. 21.

V. 26. ET ELEVAVIT MANUM SUAM SUPER EOS, UT PROSTERNERET EOS, &c. Exponunt, ut altius ſublata manu valentius eos ſterneret: ut Pſal. CI. 11. unde reddunt: I. *Stringebat igitur manum ſuam in eos, ut ſterneret eos in deſerto*. II. *Quare tamquam graviter percuſſurus extulerat in altum manus ſuas contra illos, ut proſterneret illos in deſerto*. Alii elationem manus, ad iuramentum referunt, quod olim iurantes manum in cælum tenderent. Vide in Geneſ. XIV. 22. quare convertunt, III. *Quapropter ſublata manu ſua iuravit eis, ſe deiecturum eos in ipſo deſerto*; ut factum eſſe legimus, Deuteron. II. 14. & ſequentibus. Vide Numer. XIV. 28. 29. 30. & Ezechiel. XX. 23.

V. 27. ET UT DEIICERET SEMEN EORUM IN NATIONIBUS. Quidam: *Etiam deiecturum ſemen eorum in gentibus*; id eſt, filios eorum erroribus, captivitate, & cædibus afflicturum, Numer. XIV. 33. & Ezechiel. XX. 23. quomodo completum eſſe legimus Num. XIV. 45. & cap. XX. I. I. & Deuter. I. 44. & cap. II. verſ. 12.

V. 28. ET INITIATI SUNT BEELPHEGOR. Vide Numer. XXV. 3. Atqui hiſtoriam quatuor horum verſuum vide latius expoſitam Num. XXV. MORTUORUM; id eſt, oblata diis vita carentibus & nihili. Vide Numer. XXV. 2. Alii, *ſacrificia, quæ in honorem mortuorum fiebant*. Deuteron. XXVI. 14.

V. 30. ET STETIT PHINEES, ET PLACAVIT, ET CESSAVIT QUASSATIO. Multifariam ex Heb. transfundunt. I. *Et ſtetit Pinchas, & iudicavit; & eſt reſtricta mortalitas*. II. *Stetit autem Pinchas & oravit; & eſt retenta percuſſio*. III. *Et ſtetit Pinchas, & diiudicavit*; id eſt, vindicavit: vel iudicavit, id eſt iudicem egit: non

K 2 exſpe-

expectata iudicum ſententia, præbuit ſe iudicem utroque confoſſo: *& cohibita eſt plaga*. IV. *At Pinchas protinus vindex aderat, & peſtis remittebat*. V. *Exiitit autem Phinees, & ſupplicium ſumpſit de tranſgreſſoribus: & peſtis ceſſavit continuo*. VI. *Quando Phinchas ſtetit, ac vindicandum iudicavit; & cædes prohibita eſt*, vel *ſedata eſt*. VII. *Donec conſiſtente Pinchaſo & iudicium exercente; coercita eſſet plaga illa*. Hiſpanicus Interpres: *Y puſo ſe Phinees, y Iuzgo*; id eſt, *executo iuſtitia: y la mortaldad eſtancò*.

V. 31. ET REPUTATUM EST EI IN IUSTITIAM. Hebr. verbum eſt femineum. *Et imputata eſt*, hæc res: vel hæc eius actio, ſeu zelotypia: vel neutraliter, *Et imputatum eſt ei*.

V. 32. ET IRRITAVERUNT EUM AD AQUAS CONTRADICTIONIS. Quidam reddunt: *Item ferventem iram concitarunt ad aquas contentionis*. Heb. *ſuper aquas Meribah*. Vide hanc narrationem Num. xx. ET VEXATUS EST MOYSES PROPTER EOS. Hebr. *Et maleſuit Moſi in tranſitione eorum*. Elegans Hebraiſmus, & Hiſpaniſmus: *en lo que paſsò con ellos*. Alii: I. *Id quod Moſen peſſime habebat propter ipſos*. II. *Ubi & male affectus fuit Moſes ipſe propter illos*. III. *Et Moſen* Deus *affecit malo propter ipſos*, quia privatus fuit a Deo ingreſſu terræ ſanctæ, propter incredulitatem, cuius tota occaſio ipſi fuerant. IV. *Ita ut male fuerit Moſchi propter ipſos*; id eſt, eorum occaſione ab ingreſſu terræ promiſſæ excluſus ſit Moſches, ut ipſe conqueritur Deuteronom. I. 37. & cap. IV. 21.

V. 33. QUIA EXACERBAVERUNT SPIRITUM EIUS, ET DISTINXIT IN LABIIS SUIS. Varie ex Hebr. convertunt: I. *Quia fecerunt rebellare ſpiritum eius*, ſcilicet Moſis: *& locutus eſt in labiis ſuis*: rebellionem vocat incredulitatem Moſis, quam ipſe t... ...iſi verbis ambiguis inter labia ſuppreſſiſſe videretur, non clare & diſerte ipſam exprimens; Deus tamen eam patefecit. II. *Quia renitentes fuerunt ſpiritui eius*, Dei: *& pronuntiavit, prompſit labiis ſuis*. III. *Quia amaricaverunt, amarum reddiderunt, exacerbaverunt, ſpiritum*, ſeu *animum eius: ut effutiret labiis ſuis*. IV. *Quoniam ſpiritum Dei exacerbaverant*, vel *exaſperaverant, ut labiis ſuis effaretur*, Non *exſtirpaturos gentes*, &c. V. *Vexaverant enim animum illius: & vacillavit nonnihil labiis ſuis*. VI. *Quia mutaverunt ſpiritum eius*, a conſtàntia & fide in Deum: *ut lubrice loqueretur labiis ſuis*: ſive, *ut inconſiderate, temere, perperam effutiret, pronuntiaret deblatteraret, proferret, labiis ſuis*. VII. *Quia contradixerunt ſpiritui eius*, Dei: *& pronuntiavit labiis ſuis*, ſententiam in eos. VIII. *Quia rebelles fuerunt ſpiritui eius:* vel rebellare fecerunt, ſubaudi, Moſen, *ſpiritui eius*, ſubaudi, Dei: *tunc pronuntiavit labiis ſuis*, ſubaudi, verba, quæ dubitationem præſeferrebant. Vide Numer. xx. 10. IX. *Cum exacerbantibus illis ſpiritum ipſius*; ſcilicet Moſchis, indignatione abrepti, Numer. xx. 10. *pronuntiaſſet labiis ſuis exacerbationem*, ſeu *indignationem ſuam*. Volunt eſſe ellipſin coniugati nominis, ut alibi ſæpe: vide in Numer. XI. 14. De ſignificato verbi בטא *bata*, quod hic Noſter dixit, *diſtinxit*, vide in Levitici v. 4.

V. 34. NON DISPERDIDERUNT GENTES, &c. Vide Iudicium I. 21. uſque ad finem capitis. QUAS DIXIT DOMINUS ILLIS. Alii: *De quibus edixerat Iehova ipſis*. Deuteron. VII. I. & ſequentibus.

V. 35. ET COMMIXTI SUNT INTER GENTES, &c. Vide de his late Iudicum II. & III. ET FACTUM EST ILLIS IN SCANDALUM. Heb. *Et fuerunt eis ad illaqueationem*. Alii: *Quæ ipſis fuerunt in tendiculam*: ut prænuntiaverat Deus Exod. XXIII. 33. Quidam; *id quod eos ad caſum traxit*.

V. 37. ET IMMOLAVERUNT FILIOS SUOS, &c. contra quam præceperat Deus Levitic. XX. 2. & Deuteronom. XII. 31. & cap. XVIII. 10.

V. 38. ET INFECTA EST TERRA IN SANGUINIBUS. Quidam: *Terra quæ polluta eſt capitalibus ſceleribus*. Alii: *Adeo ut contaminata eſſet terra cædibus iſtorum*, pro ut ſanguine contaminari dicitur Num. XXXV. 33.

V. 39. ET FORNICATI SUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS. Varie ex Hebr. reddunt: 1. *& ſcortati ſunt ſtudiis ſuis*; 2. *& conſiliis ac cœptis ſuis ſcortarentur*; 3. *& idololatræ facti ſunt ſtudiis ſuis*; 4 *Actionibus ſuis ſcortantes*; id eſt, miſſo coniugali erga Deum officio, quibus aliud potius quam Deum pro libita animi ſui amplectentes: quod vetuerat Deus Numer. XV. 39.

V. 41.

V. 41. ET TRADIDIT EOS IN MANUS GENTIUM, &c. Vide Iudic. II. 14.

V. 43. SAEPE LIBERAVIT EOS. Hebr. *Vicibus multis eripuit eos*. Vide Iudicum III. & ſequentibus. IPSI AUTEM EXACERBAVERUNT EUM IN CONSILIO SUO, ET HUMILIATI SUNT IN INIQUITATIBUS SUIS Pluriſaria ex Hebr. convertunt. I. *Ipſi autem ſæpe numero conſiliis ſuis rebellabant; propter ſcelera igitur ſua opprimebantur.* II. *Et ipſi mutabiles fuerunt in conſilio ſuo;* id eſt, conſiliis & ſtudiis mutabant paſſim a vero Dei cultu & fide: *& opprimentur in iniquitate ſua.* III. *Verum ipſi laceſſiverunt Deum*, vel *repugnarunt* Deo, *ſuo conſilio: & in paupertatem devenerunt per ſuam iniquitatem.* IV. *Et ipſi amaricaverunt, exacerbaverunt, conſilio ſuo: & macuerunt propter iniquitatem ſuam:* vel *emaciati ſunt*, exhauſti, attenuati ſunt. V. *Verum ipſi ſemper ſibi ſimiles perrexerunt eſſe rebelles; & ſua potius quam divina conſilia ſequi: quare miſerrimi facti ſunt propter ſcelera ſua* VI. *Quamvis ipſi exacerbaſſent eum conſilio ſuo, & attenuati eſſent propter iniquitatem ſuam.* Occupatio duarum obiectionum: atqui impii erant; & ad paucitatem redacti, attenuatique ab hoſtibus: quibus reſpondet Pſaltes: liberatio igitur ipſorum non ab ipſis, ſed a Deo noſtro eſt: nam ipſi nec merebantur, nec poterant ſuis viribus. Duo hic ſunt verba. Alterum מרה *marah*, in Hiphil, ut ſupra verſ. 7. & 33. Alterum מכך *machach*; de quo vide in Iob XXIV. 24.

V. 45. MEMOR FUIT TESTAMENTI SUI. Hebr. *Et recordatus fuit eis fœderis ſui*, id eſt in gratiam eorum. Quidam: *Et recordatus fuit pro eis fœderis ſui*; id eſt, duobus nominibus benefecit populo ſuo, propter miſericordiam ſuam infinitam, & propter fidem veritatemque promiſſionum ſuarum ex fœdere. ET POENITUIT EUM. Humanitus dictum: ut Geneſ. VI. 6.

V. 46. ET DEDIT EOS IN MISERICORDIAS. Hebr. *Et dedit eos miſericordiis*. Hypallage, pro; *dedit eis miſericordias*, ſive *& conciliavit eis miſericordias*, id eſt omnimodam & ampliſſimam miſericordiam.

V. 47. SALVOS NOS FAC DOMINE, &c. Hunc verſum, & ſequentem expoſitos habes in I. Paralip. XVI. 35. & 36. nam ſunt plane iidem: unde conſtat eos, ut totum Pſalmum, Davidis eſſe.

MENOCHII.

ALLELUIA. Vide dicta initio ſuperioris Pſalmi.

V. 1. CONFITEMINI DOMINO, laudate Dominum. IN SAECULUM MISERICORDIA EIUS: benignus eſt, nec ullo tempore finis erit miſericordiæ illius.

V. 2. LOQUETUR, eloquetur, explicabit, recenſere poterit. POTENTIAS DOMINI, admiranda, & fortia eius facta, quibus populum ſuum liberavit a malis. AUDITAS FACIET, idem quod *loquetur*.

V. 3. CUSTODIUNT IUDICIUM; qui iuſte, & ſecundum virtutem vivunt.

V. 4. IN BENEPLACITO POPULI TUI; pro tua erga nos, populum tuum, benignitate. VISITA NOS IN SALUTARI TUO: viſita nos, & adſis nobis ſalutem nobis afferens.

V. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE ELECTORUM TUORUM; ut videamus electorum tuorum bona. AD LAETANDUM IN LAETITIA GENTIS TUAE: ut lætemur lætitia qua ſolet gaudere, & frui gens quæ tibi cara eſt. UT LAUDERIS CUM HEREDITATE TUA, ut glorificeris apud populum tuum, qui hereditas tua eſt. Vel ut tu, & hereditas tua, ſive populus tuus laudemini. Vel, ut lauderis a me, & a populo tuo.

V. 7. NON INTELLEXERUNT MIRABILIA TUA, prudenter non conſiderarunt. IRRITAVERUNT ASCENDENTES IN MARE: irritaverunt Deum, quia cum tam multa ſigna divinæ protectionis vidiſſent, & tot miracula in AEgypto patrata, trepide, & exigua fide illud ſunt ingreſſi, metuentes, ne vel ab aquis in ſe redeuntibus abſorberentur, vel ab inſequentibus AEgyptiis comprehenderentur. Vide Exod. XIV. ASCENDENTES IN MARE: in Græco eſt, ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. De ingredientibus mare potius videretur dicendum, deſcendentes in mare, ut Pſalmo ſequenti dicitur num. 23. *Qui deſcendunt mare in navibus*, ſed bene etiam more Græcorum dicitur, *Aſcendentes in mare*, quia ἀνάγειν τὴν ναῦν dicunt Græci, id eſt *in altum educere*; quemadmodum κατάγειν reducere in portum.

V. 8. SALVAVIT EOS PROPTER NOMEN SUUM, ſua cauſa, propter ſuam bonitatem,

Digitized by Google

tem, vel ne nomen ſuum quaſi invalidum, & infirmum blaſphemaretur, iuxta illud Exod. XIV. 18. *Et ſcient AEgyptii quia ego ſum Dominus*.

V. 9. INCREPUIT MARE RUBRUM, &c. exagitavit, compeſcuit, vento a ſe immiſſo, vehementi, & urente tota nocte, ut verteretur ſiccum. Loquitur de mari tamquam de re animata per proſopopœiam Poeticam. IN ABYSSIS, per abyſſos, per profunda maris. SICUT IN DESERTO; ac ſi fuiſſent in deſerto, arido, & ſolido loco.

V. 10. DE MANU ODIENTIUM; de manu AEgyptiorum, qui illos oderant, & perſequebantur.

V. 11. ET OPERUIT AQUA, &c. mare obruit AEgyptios, &c. Iſraelitas tribulantes, & vexantes. UNUS EX EIS NON REMANSIT: nemo plane AEgyptiorum evaſit, qui cladem nuntiaret.

V. 12. CREDIDERUNT, verbis Domini, quæ per Moyſem loquebatur. LAUDAVERUNT. in Hebr. eſt, cecinerunt, hymnum intelligit triumphalem, & epinicium Moſis, & Mariæ Exod. XV.

V. 13. CITO FECERUNT, cito obliti ſunt opera, & prodigia, quæ patravit Deus. Italice dicimus, *Fecero preſto a ſcordarſi*. NON SUSTINUERUNT CONSILIUM EIUS: non expectaverunt exitum divini conſilii, & voluntatis.

V. 14. CONCUPISCENTIAM, carnes, contempto manna, Numeror. XI. TENTAVERUNT DEUM IN INAQUOSO, in deſerto, in ſolitudine, in qua dubitarunt de præſentia, & omnipotentia Dei, Exod. XVII. 7. Vide Pſal. LXXVII. 17. & 18.

V. 15. PETITIONEM IPSORUM, id quod ipſi petiverant, id eſt carnes coturnicum, Num. XI. 31. MISIT SATURITATEM IN ANIMAS IPSORUM: tanta copia ut eos ſatiaret, adeo ut exirent carnes per nares, & verterentur in nauſeam, ut dicitur Num. XI. 20.

V. 16. IRRITAVERUNT MOYSEN, concitando ſchiſma perniciosum, & ſeditionem in ipſum, & Dei ſacerdotes, Numer. XVI. 1. SANCTUM DOMINI, conſecratum in ſacerdotem ſacro oleo.

V. 17. APERTA EST TERRA, &c. Hiſtoriam habes Numer. XVI. 32. OPERUIT SUPER CONGREGATIONEM ABIRON: cooperuit abſorbens cœtum eorum, qui ſecuti fuerant partes Abiron.

V. 18. EXARSIT IGNIS IN SYNAGOGA EORUM: egreſſo igne a Domino, quo abſumpti ſunt primum ducenti quinquaginta, deinde 14. millia ſeptingenti ibid. Num. XVI.

V. 19. FECERUNT VITULUM IN HOREB; notiſſima hiſtoria. Vide Exod. XXXII.

V. 24. TERRAM DESIDERABILEM, terram lacte, & melle manantem, id eſt rebus non ſolum neceſſariis, ſed etiam voluptariis.

V. 25. NON CREDIDERUNT VERBO EIUS; quod ſcilicet daturus eſſet, aut dare poſſet terram illam. MURMURAVERUNT, &c. Vide locum Libri Numerorum proxime citatum. NON EXAUDIERUNT VOCEM DOMINI; non obtemperaverunt voci Domini, ſed dictis exploratorum adhæſerunt.

V. 26. ELEVAVIT MANUM SUAM SUPER EOS: manu in altum ſublata iuravit ſe eos proſtraturum in deſerto: Num. XIV. 28. & ſequentibus. Vel manus elevatio, habitus eſt brachium attolentis ad feriendum.

V. 27. DEIICERET SEMEN EORUM IN NATIONIBUS, corruere faceret inter nationes, vel diſpergeret per nationes, & gentes, ut nec populi, nec Reipublicæ formam haberent.

V. 28. INITIATI SUNT BEELPHEGOR; religione coniuncti ſunt Beelphegor idolo Moabitarum, & Madianitarum. Vide hiſtoriam Num. II. COMEDERUNT SACRIFICIA MORTUORUM, idolorum vita carentium.

V. 29. IRRITAVERUNT DEUM IN ADINVENTIONIBUS SUIS; pravis hiſce ſtudiis Dei iram provocaverunt. MULTIPLICATA EST IN EIS RUINA. Hebræus habet, *Erupit in eos plaga*.

V. 30. STETIT PHINEES. Vide Num. XXV. 7. PLACAVIT, Deum iratum. QUASSATIO, percuſſio, plaga, clades.

V. 31. REPUTATUM EST EI IN IUSTITIAM: virtuti, & iuſtitiæ eſt ei datum a Domino in omnium ſæculorum perennitatem, ut proinde eum conſtituerit principem ſacrorum gentis ſuæ, ut eſſet illi, & ſemini eius dignitas ſacerdotii in æternum. Vide Num. XXV. 13. & Eccl. XLV. 28.

V. 32. IRRITAVERUNT EUM AD AQUAS CONTRADICTIONIS: ubi populus cum Moyſe propter aquæ penuriam cœpit altercа-

tercari. Vide hiſtoriam Num. xx. 3. VEXATUS EST MOYSES PROPTER EOS, triſtitia, & mærore affectus.

V. 33. QUIA EXACERBAVERUNT SPIRITUM EIUS, perturbaverunt, & offenderunt animum eius. DISTINXIT IN LABIIS EIUS; id eſt, Deus aperte pronuntiavit, & reprehendit Hebræos, quod non exterminaverint gentes, quas dixit Dominus illis.

V. 35. COMMIXTI SUNT INTER GENTES, &c. Miſcuerunt ſe popolis illis idolorum cultoribus, & ex conſortio illorum didicerunt opera illorum, haurientes ab eis ſuperſtitioſum cultum idolorum.

V. 36. FACTUM EST ILLIS IN SCANDALUM, in offendiculum, ruinam, & perniciem.

V. 37. IMMOLAVERUNT FILIOS SUOS, &c. Idolo Moloch, de quo ſcelere vide Lev. XVIII. 21. & ibi notata.

V. 38. EFFUDERUNT SANGUINEM INNOCENTEM: alter modus ſacrificandi filios non iam per ignem, ſed per gladium. INFECTA EST TERRA IN SANGUINIBUS: ſanguine cæſorum imbuta & polluta.

V. 39. IN OPERIBUS EORUM, profanis illis ſacrificiis. FORNICATI SUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS: deſciverunt a Deo per ſua hæc prava opera, & ſtudia. Metaphora ducta a muliere coniugata matrimonii fidem fallente.

V. 40. ABOMINATUS EST HEREDITATEM SUAM. Averſatus eſt populum ſuum quem ſibi elegerat ut tamquam hereditatem, & peculium ſuum haberet, & beneficiis ornaret.

V. 42. SUB MANIBUS EORUM, ſub ipſorum inimicorum imperio, & tyrannide.

V. 43. EXACERBAVERUNT, irritaverunt. IN CONSILIO SUO. In Hebr. eſt, *In conſilio ipſorum*, ſcilicet Hebræorum, idem eſt quod n. 39. dicitur, *in adinventionibus ſuis*. In conſilio quod inibant, in cogitatione, quam ſuſcipiebant de colendis idolis. HUMILIATI SUNT IN INIQUITATIBUS SUIS; propter iniquitates ſuas repoſitas repreſſi ſunt; ſua ipſorum culpa attriti, & gravibus calamitatibus obnoxii facti ſunt.

V. 44. Vidit CUM TRIBULARENTUR, benigno, & miſericordi oculo aſpexit.

V. 45. TESTAMENTI SUI; pacti, & promiſſi ſui, quod eum illis intercedebat, Deut. xxx. 1. ubi promittitur benignitas, & favor divinus pœnitentibus. POENITUIT EUM. Loquitur more humano: nam Deus conſilium non mutat, deſiit eorum peccata punire, ſuæ gratiæ illos reſtituendo.

V. 46. DEDIT EOS IN MISERICORDIAS, fecit cum eis Deus miſericordiam; poſuit eos in ſinum miſericordiæ ſuæ. IN CONSPECTU OMNIUM QUI CEPERANT EOS: videntibus, & mirantibus iis, qui ceperant eos.

V. 47. CONGREGA NOS DE NATIONIBUS: collige nos in unum ex variis nationibus, per quas diſſipati ſumus UT CONFITEAMUR NOMINI SANCTO TUO: ut ſimul in unum congregati laudare poſſimus nomen ſanctum tuum. ET GLORIEMUR IN LAUDE TUA: inter laudandum te exultemus de benignitate tua.

V. 48. BENEDICTUS DOMINUS, &c. In æternum laudetur Deus, & dicat omnis populus, Ita fiat; Ita omnino fiat.

TIRINI.

Verſ. 3. IUDICIUM ET IUSTITIAM. Vide Pſalm. LXXXVIII. 15.

V. 4. IN BENEPLACITO POPULI TUI; id eſt, pro tua erga populum tuum conſueta benevolentia. IN SALUTARI TUO. Chaldæus, *in redemptione tua*; allegorice, *Salvatore Chriſto*.

V. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE; id eſt, ut videamus bona quæ electis tuis promiſiſti & præparaſti: & *lætemur* ea lætitia qua lætari ſolet gens quæ tibi cara eſt. UT LAUDERIS; id eſt glorificeris in & CUM HEREDITATE, id eſt Eccleſia TUA.

V. 12. LAUDAVERUNT. Hieron. & Chald. *cecinerunt*, nempe epinicion Deo, præcinente Moyſe & Maria, Exodi xv.

V. 13. CITO FECERUNT, OBLITI SUNT. Eſt Hebriſmus; pro, feſtinarunt oblivиſci.

V. 19. VITULUM IN HOREB: nempe iuxta montem Sinai, Exodi XXXII.

V. 20. GLORIAM SUAM; id eſt, Deum; qui erat omnis gloria Hebræorum, Rom. I. 23.

V. 23. IN CONFRACTIONE. Hebr. *in ruptura muri*, ſeu in diruto muro; quaſi dicat: Cum Deus inſtar hoſtis pene perrupiſſet telis vindictæ ſuæ, murum Hebræorum, ut in eorum caſtra ſuribundus irrumperet, Moyſes ſe pro muro oppoſuit,

ſuit, & præce ſua Deum cohibuit, Exodi XXXII. Ubi, Nota, inquit ſanctus Auguſtinus, quantum valeat Sanctorum pro aliis interceſſio.

V. 28. INITIATI. Hieron. *conſecrati ſunt*; id eſt, ſuſceperunt ſacta BEELPHEGOR, id eſt Priapi, idoli Moab & Madian. Vide dicta Num. XXV. SACRIFICIA MORTUORUM; id eſt, idolorum, quæ ſunt res mortuæ, nec Dei vivi ſimulacra, ſed hominum mortuorum, & cultores etiam ſuos in mortem & ad inferos deducunt.

V. 33. DISTINXIT, Moyſes: Græc. διέστειλεν; id eſt, diviſus fuit, nempe cum dubius animo & verbis, hæſitaret num poſſibile & probabile eſſet, ut petra aquam daret tam rebelli populo, ut dixi Num. XX. 12.

V. 38. SCULPTILIBUS CHANAAN. Maxime vero idolo Ammonitarum *Moloch*, id eſt Regi, ſupple, deorum omnium, id eſt Iovi, inquit Ribera; vel Saturno, ut plerique alii. Vide dicta III. Reg. XI. 5. & IV. Reg. XXIII. 10.

V. 39. FORNICATI SUNT: nempe, relicto Deo, cui, tamquam legitimo ſponſo & marito, fidem debebant, adhæſerunt diis alienis.

V. 45. POENITUIT EUM; id eſt, quaſi pœniteret, revocavit Deus ſententiam ſuam de perdendis Hebræis: idque quia videbat pœnitere Hebræos. Loquitur enim more humano, & per metalepſin.

V. 46. DEDIT EOS IN MISERICORDIAS; id eſt, effecit ut hoſtes miſererentur Hebræorum, nempe captivos mollius habendo, vel etiam in patriam remittendo, ut fecerunt Cyrus, Darius, Artaxerxes, Alexander Magnus, & alii.

GORDONI.

Titulus Pſalmi eſt ALLELUIA, ut in Pſalmo CIV. immo & argumentum idem eſt: nam laudatur hic Deus, & præſertim ob miſericordiam erga ingratos, & Deo ſæpe rebelles, ut vides verſ. 6. & 7. & 23. Tres ultimi verſiculi huius Pſalmi habentur I. Par. XVI.

Verſ. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE ELECTORUM. Poteſt hic verſus, ſicut præcedens intelligi de bonis temporalibus. Potior tamen ſenſus, & quem magis intendit Spiritus Sanctus, eſt de bonis ſpiritualibus; & vel gratia in hac vita, vel gloria, & beatitudine futura. Poteſt porro circa verba, hic eſſe varietas editionum; ſenſus tamen idem manet.

V. 13. & 15. CITO FECERUNT, &c. Propheta progreditur in narranda populi ingratitudine, quæ tamen Dei miſericordiam non impedivit, in abundantia panis, carnium & aquarum, Exodi XVI. & XVII. Item Num. XI. & XX. At quod eſt verſ. 15. Deum dediſſe ſaturitatem, ex editione Vulgata, cum textus Hebræus habeat *tenuitatem*, ſeu maciem: Hieronymus etiam *tenuitatem* vertit. Plures hic *ſaturitatem* recipiunt, & interpretantur, ſed malam; & quæ ferat ſecum maciem, morbum & tenuitatem. De quo loco abunde in ſua opinione Genebrardus, Verum probabilius eſt, quod alii dicunt; Septuaginta legiſſe רצון *ratſon*, non רזון *razon*, quod ſignificat *maciem*. Itaque *ratſon* ſignificans *complacentiam*, recte poteſt ſaturitatem deſignare: ſaturant enim cibi certe illi quibus ob delectationem propenſe veſcimur.

V. 23. IN CONFRACTIONE. In Hebr. *in ſeparatione* בפרץ, *bapherets*, Septuag. ἐν τῇ θραύσει, *in fractura*, *&* *diſruptione*: ubi ſe medium poſuit Moyſes, in hac ſeparatione populi a Deo. *Confractio*, habet metaphoram.

V. 28. ET INITIATI SUNT, &c. Vide hanc hiſtoriam Num. XXV Idolum hoc Græcis eſt *Bebel phegor*; Hebraice vero *Babbal-phegor*, בעל *Dominus*. Phegor, mons eſt phegor. Sacrificia mortuorum, hic dici poſſunt, quia diis mortuis offerebantur, & non Deo vivo ac vero.

V. 33. & 34. ET DISTINXIT IN LABIIS SUIS, &c. Hiſtoria extat Numer. XX. de altercatione populi; ubi Moſes perturbatus, videtur aliquantulum hæſitaſſe hæc ex verſ. 33. Iam verſ. 34. dicitur diſtinxiſſe in labiis ſuis, ſeu non plena fide imperaſſe petræ, ut funderet aquam. Ita quidem Auguſt. Theodor. & Euthymius. Aliter hunc locum interpretatur Bellarminus, ut ſit hic principium

ver-

verſiculi, & ſit Deus, qui hic diſtinguit in labiis; hoc eſt, loquitur clare, dicens, peccaſſe populum, quia non diſperdidit, &c. Rationem dat, quia diſtinguere labiis, non eſt ambigue aut dubitanter loqui, ſed clare potius, & quia בטא *batte*, & διαςέλλω non ſignificant dubitare. Verum placet prior interpretatio, quæ eſt communis. Nec obſtant voces illæ Hebraica & Græca, cum tantum deſignent ſimplicem prolationem ſermonis, nec hæſitationem vi ſua excludant. Ceterum an dubitando peccaverit Moſes, dixi Num. xx.

V. 37. 38. & 39. Quæ his tribus verſiculis habentur, non ſcribuntur inter ea quæ narrat liber Iudicum: tamen aut traditione, aut revelatione res Davidi comperta erat. Dicitur autem hic verſ. 38. *terra infecta*, in Hebr. eſt תחנף *thechenaph*, Græce ἐφονοκτονήθη, radix Hebr. eſt חנף *chanaph*, polluere, impie agere: verum ſive dicatur, terra interfecta a ſanguinibus, & a peccatis, ſive infecta, & polluta, eſt idem ſenſus.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. *uſque* 4. C*Onfitemini*, &c. Hic, ubi titulus ſimul & argumentum eſt Alleluia, omnino ſenſum oportet eſſe de laudando Deo. Sed ut præfatus ſum, reſtringitur hæc laus, ut ſit gratiarum actio pro conceſſa tandem gratia his, qui ante fuerunt rebelles & ingrati: proinde loco præfationis inſerit prioribus verſiculis confeſſionem laudis. Extollit eius potentiam: beatos prædicat eos, qui Deo conſtanter ſerviunt. Et concludit verſu 4. & 5. petendo hanc gratiam omnibus.

V. 6. Peccavimus, &c. Proſopopœia eſt, ubi prolixe loquens inducitur ille, qui vere pœnitens eſt, & confitetur peccata tum ſua, tum patrum. Ac primum (ne morer in re nota) confitetur peccata hæc verſu 6. & 7. deinde beneficia Dei commemorat, & datam ſalutem, verſu 8. 9. 10. 11. & 12. Poſtea oſtendit populi ingratitudinem, iterum peccantis, verſu 13. nec deſinit caſtigatus verſu 17. & 18. De iſto Abiron, vide Numeror. cap. xvi. Deinde in hac confeſſione pœnitentis venitur ad mentionem idololatriæ, ad vitulum in Oreb, & ad oblivionem veri Dei, verſu 19. En quo tandem ducunt peccata quod malum optime exaggeratur quatuor inſequentibus verſiculis. De hoc vitulo lege Exod. xxxii.

V. 26. uſq. ad 32. *Et elevavit manum*, &c. Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, & ecce imminentem ultionem divinam. Nec tamen ceſſarunt; ſacrificant Beelphegor Deo Moabitarum, ut narratur Num. xxv. Multiplicata eſt ruina multis interfectis: ſed zelus Phinees fecit, ut ſtaret quaſſatio.

V. 32. & 33. *Et irritaverunt*, &c. Venitur hic ad novum peccatum, de quo Num. cap. xx. *Ad aquas contradictionis*. Porro Moyſes diſtinxit etiam in labiis; hoc eſt, ut aliqui explicant, impegit coram populo non glorificando Deum, ut mox dicam.

V. 34. uſq. ad 40. *Non diſperdiderunt*, &c. In hoc etiam peccaverunt filii Iſrael: iuſſit enim Dominus deleri gentes idololatras: id, ut oportuit, non fecerunt, & factum eſt illis in ruinam: nam didicerunt opera eorum, unde maxima illis mala obvenerunt, licet in hac peccatorum multitudine, multa Dei miſericordia ſæpe illis addeſſet, ut explicat hoc loco Pſalmiſta.

V. 40. *Et iratus eſt*, &c. Hinc uſque ad verſ. 47. deſcribitur, quod habet Liber Iudicum, ubi ſub magna populi inconſtantia, quaſi certatum eſt inter populi peccata, & Dei miſericordiam, ut ad Librum illum ex profeſſo aperui. Sed quando dati ſunt in miſericordiam, ut habet verſus 46. Certe ſub Dario, & Cyro ſoluta captivitate. Aliqui referunt ad tempora Davidis, quando in conſpectu omnium & ſub Salomone excepit Deus populum, ſinu miſericordiæ, & providentiæ ſuæ.

V. 47. & 48. *Salvos nos fac Domine*, &c. En finem Pſalmi & concluſionem conſentientem principio, cum confeſſione laudis, & obſecratione, ut non obſtante peccantium ingratitudine, tandem congreget populum, ad confitendum nomini ſancto eius.

BOSSUET.

Verſ. 4. MEMENTO NOSTRI.:... VISITA NOS: *mei.....me*, Hier. IN BENEPLACITO *:* cum propitius eris populo tuo.

V. 5. AD VIDENDUM IN BONITATE *: tu videam bona*, Hier. UT LAUDERIS *: tu exultem*, Hier.

V. 9. INCREPUIT MARE RUBRUM; quaſi ei ſuccenſeret quod ſuis obicem poneret. IN DESERTO, loco arido. Infra verſ. 14.

V. 12. LAUDAVERUNT, *cecinerunt*, Hier. quod eſt Canticum Mariæ: Exod. XV.

V. 13. CITO FECERUNT, OBLITI SUNT: feſtinaverunt, obliti ſunt. *Cito obliti ſunt*, Hebraiſmus; verbum pro adverbio. NON SUSTINUERUNT, &c. *nec expectaverunt voluntatem eius:* Hier. Dei ſcilicet.

V. 14. ET CONCUPIERUNT CONCUPISCENTIAM *:* vehementiſſime concupiverunt: cibos.

V. 15. SATURITATEM, *tenuitatem*, Hier. repletionem; genus morbi e quo macies. Vide Exod. XVI. 8. Num. XI. 20. quibus locis cibi ad ſatietatem & nauſeam uſque dati narrantur.

V. 16. IRRITAVERUNT; *zelati ſunt*, Hier. inviderunt Moyſi & Aaron quos Deus evexerat. Dicebant enim: *Cur elevamini ſuper populum Domini*? Num. XVI. 3.

V. 23. SI NON MOYSES..... IN CONFRACTIONE, *in ruptura*, Hebr. *ſi non ſtetiſſet medius.....* Hier. ut prohiberet imminentem populo iram Dei, ut eſt in ſeqq.

V. 26. UT PROSTERNERET EOS IN DESERTO: ubi eorum cadavera iacuerunt. Num. XIV. 11. 28.

V. 27. IN NATIONIBUS *:* in gentibus deſertis incolis.

V. 28. BEELPHEGOR, idolum Chananæorum. SACRIFICIA MORTUORUM: immolata mortuis: diis gentilium qui mortuos homines conſecrabant.

V. 29. ADINVENTIONIBUS *:* ſtudiis, cogitationibus.

V. 30. PLACAVIT, *diiudicavit*, Hier. iudicium & ultionem exercuit. QUASSATIO, *percuſſio*, Hier. pernicies.

V. 33. EXACERBAVERUNT SPIRITUM EIUS: Moſis, cuius dubitatio populo tribuitur, quod ab iis exacerbatus vix credere potuerit Deum in talem populum toties contumacem, tam benignum futurum. ET DISTINXIT IN LABIIS SUIS: Moſes pronuntiavit, perperam locutus eſt, ambiguo ſermone uſus eſt *: Num de hac petra vobis poterimus aquam elicere*, Num. XX. 10. illud *num* eſt hæſitantis *: Num vere paritura ſum ?* inquit Sara, Gen. XVIII. 13.

V. 34. NON DISPERDIDERUNT.... hic aliud narrationis caput de rebus geſtis ſub Iudicibus. Vide autem Iud. I. II. III.

V. 39. CONTAMINATA EST, *coinquinati ſunt*, &c. Hier.

V. 46. DEDIT EOS IN MISERICORDIAS: poſuit in exemplum celebre benignitatis ſuæ videntibus hoſtibus & contremiſcentibus.

V. 47. SALVOS NOS FAC. Clarius in Par. *Salva nos, & congrega nos, & erue de gentibus: de nationibus, quæ nos tempore Iudicum oppreſſerant.*

V. 48. FIAT, FIAT: *Amen: halleluiah.* Hebr.

PSAL-

PSALMUS CVI. EUCHARISTICUS.

Laudatur Deus quod homines ex omnigenis calamitatibus eruat, quarum deſcribuntur quatuor præcipuæ: Error in itinere, captivitas, morbus, mare procelloſum. Convenit populo e captivitate Babylonica, ubi varia incommoda paſſus erat, per deſerta & maria redeunti: ut patet verſ. 2. 3.

VERSIO S. HIERONYMI.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.

Dicant qui redempti ſunt a Domino: quos redemit de manu hoſtis.

Et de terris congregavit eos, ab oriente & occidente: ab aquilone & mari.

Erraverunt in ſolitudine, in deſerta via: civitatem quæ habitaretur non repererunt.

Eſurientes & ſitientes: anima eorum in ipſis deficiebat.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione ſua: de afflictione eorum eripuit eos.

Et duxit illos per viam rectam, ut venirent & civitatem habitabilem.

Confiteantur Domino miſericordia eius in mirabilia eius in filios hominum.

Quia ſaturavit animam vacuam, & animam eſurientem implevit bonis.

Habitantes in tenebris & umbra mortis: alligatos inopia & ferro.

Quia provocaverunt ſermones Dei, & conſilium Excelſi blaſphemaverunt.

Et humiliavit in labore cor eorum: ceciderunt, & non erat qui adiuvaret.

VERSIO VULGATA

Alleluia. (*Iudith* XIII. 21.)

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

2. Dicant qui redempti ſunt a Domino, quos redemit de manu inimici: * & de regionibus congregavit eos:

3. A ſolis ortu, & occaſu; ab aquilone, & mari.

4. Erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo: viam civitatis habitaculi non invenerunt.

5. Eſurientes & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit.

6. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

8. * Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum:

9. Quia ſatiavit animam inanem: & animam eſurientem ſatiavit bonis.

10. Sedentes in tenebris, & umbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro.

11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei: & conſilium Altiſſimi irritaverunt.

12. Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: infirmati ſunt, nec fuit qui adiuvaret.

Digitized by Google

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione ſua, & de anguſtiis eorum ſalvavit eos.

Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum diſrupit.

Confiteantur Domino miſericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum.

Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Stultos propter viam ſceleris eorum, & propter iniquitates afflictos.

Omnem cibum abominata eſt anima eorum, & acceſſerunt ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione ſua; de anguſtiis eorum ſalvavit eos.

Miſit verbum ſuum & ſanavit eos, & ſalvavit de interitu eorum.

Confiteantur Domino miſericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum.

Et immolent hoſtias gratiarum, & narrent opera eius in laude.

Qui deſcendunt mare in navibus, facientes opus in aquis multis.

Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.

Dixit & ſurrexit ventus tempeſtatis, & elevavit gurgites eius.

Aſcendunt in cælum, & deſcendunt in abyſſos: anima eorum in afflictione conſumitur.

Obſtupuerunt & intremuerunt quaſi ebrius, & univerſa ſapientia eorum abſorpta eſt.

Clamabunt autem ad Dominum in tribulatione ſua, & de anguſtia eorum educet eos.

Statuet turbinem in tranquillitatem, & ſilebunt fluctus eius.

Lætabuntur quoniam quieverunt, & deducet eos ad portum quem voluerunt.

13. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

14. Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorum diſrupit.

15. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

16. Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

17. Suſcepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

18. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.

19. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

20. Miſit verbum ſuum & ſanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

21. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum:

22. Et ſacrificent ſacrificium laudis: & annuntient opera eius in exultatione.

23. Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.

24. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.

25. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius.

26. Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.

27. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum devorata eſt.

28. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.

29. Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius.

30. Et lætati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino miſericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum.

Et exaltent eum in eccleſia populi, & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Ponet flumina in deſertum, & fontes aquarum in ſitim.

Terram fructiferam in ſalſuginem: præ malitia habitatorum eius.

Ponet deſertum in paludes aquarum, & terram inviam in fontes aquarum.

Et collocavit ibi eſurientes, & formabunt urbem ad habitandum.

Et ſerent agros, & plantabunt vineas: & facient fruges germina.

Et benedicet eis & multiplicabuntur nimis, & pecora eorum non minuet.

Imminuta ſunt autem & afflicta, propter anguſtiam mali & doloris.

Et effundet deſpectionem ſuper principes & errare eos faciet in ſolitudine devia.

Et ſublevabit pauperem de inopia, & ponet quaſi gregem familias.

Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas contrahet os ſuum.

Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc: & intelliget miſericordias Domini?

31. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

32. Et exaltent eum in eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum.

33. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim;

34. Terram fructiferam in ſalſuginem, a malitia inhabitantium in ea.

35. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum.

36. Et collocavit illic eſurientes: & conſtituerunt civitatem habitationis.

37. Et ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas: & fecerunt fructum nativitatis.

38. Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & iumenta eorum non minoravit.

39. Et pauci facti ſunt: & vexati ſunt a tribulatione malorum, & dolore.

40. * Effuſa eſt comtemptio ſuper principes: & errare fecit eos in invio, & non in via.

41. Et audivit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oves familias:

42. (*a*) Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

43. Quis ſapiens & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini?

(a) Num. xxii. 19.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Et de regionibus congregavit eos*. Non omittenda eſt & coniunctio.

V. 8. 15. 21. 31. *Confiteantur Domino miſericordiæ eius*. Non facile mutandus eſt numeri pluralis nominativus *miſericordiæ*, in nominativum, vel ablativum ſingularem *miſericordia*.

Ibid. *Et mirabilia eius filiis hominum*. Cave ne pro dativo *filiis*, ſcribas nominativum *filii*.

V. 40. *Effuſa eſt contemptio ſuper principes*. Inſignis correctio, qua *contemptio*, quod eſt deſpectio, ſive contemptus, reſtitutum eſt, pro eo quod vulgo legitur *contentio*, quod eſt litigatio. Erroris occaſio fuit ex ſimilitudine litterarum *m* & *n*, id eſt ſecundæ liquidæ & tertiæ: nam *contemptio* a doctis ſcribitur abſque *p*.

No-

Notatio.

Verſ. 8. 15. 21. 31. Quater hoc Pſalmo reperitur εὐχαριστικὸν iſtud carmen: *Confiteantur Domino miſericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum*; & hoc quidem modo a plerifque noſtris codicibus ſcribitur; ſed antiquis Epanorthotæ, *Confiteantur* eſt *Domine miſericordia eius* (*a*); ſimiliter nonnulla Lugdunenſium antigrapha legunt, & ex Noſtris Brugenſe manuſcriptum, in quo poſterioribus locis monophthongus in diphthongum mutata conſpicitur, *a* in *æ*: D. Haymoni hæc primo ſemel loco lectio adſcribitur, commentario non refragante. Monent autem Lugdunenſes, atque Epanorthotes ſexti caſus eſſe *miſericordia*, ut nimirum ſenſus ſit: Laudes dicant & gratias Domino, in, ſeu de miſericordia eius. Et fortaſſe quia ex ſtimatum eſt *miſericordia* primi caſus eſſe, mutatum eſt in miſericordiæ, ut ſuppoſitum appoſito reſponderet. Certe Hebraice eſt ſingulari numero *chaſdo* יוד׳ חסדו, id quod interpretari liceat vel ſexto caſu *miſericordia*: *Gratias agunt Domino* (de) *miſericordia eius*: vel quarto *miſericordiam*: *Celebrent Domino miſericordiam eius*. Quidam ut clarior ſit ſenſus præpoſitione addita vertunt: *Confiteantur Domino propter miſericordiam eius*. Anglicanum Pſalterium primo, & tertio locis pro יודו habet הודו, pro *confiteantur*, *confitemini*; ſed id diſſonat non tantum ab aliis, quæ habemus, Hebraicis exemplaribus, verum etiam ab Interpretibus tam primis, quam poſtremis. Sic ergo Hebraice; ſed Græce quod pro altera faciat lectione, multitudinis eſt numero, τὰ ἐλέη αὐτῦ ἐξομολογησάσθωσαν τῷ κυρίῳ τὰ ἐλέη αὐτῦ; hoc autem transferre poſſimus & primo caſu, *Confiteantur Domino miſericordia eius*: & quarto, *Confiteantur Domino miſericordias eius*. Quarto caſu Euthymius Zygabonus intellexit, & quidam ex Græco Interpretes tranſtulerunt; atque is melius fortaſſe conveniat quæ Ianſenii eſt ſententia: ſed primum lego, ut in plerifque latinis codicibus, ita et in plerifque Latinis Tractatoribus. Quin etiam Auguſtinus in ambigua lectione primum amplexus eſt caſum: *Confiteantur Domino miſerationes eius*: „ Ubique, ait, omnino, ubique confiteantur Domino, non merita noſtra, non vires noſtræ non ſapientia noſtra, ſed miſerationes eius. " Sed & Apollinaris expreſſit carmine caſum primum: οἰκτιρμοὶ βασιλῆος ἐπ' ἀπαμείψατ' ἐρωῆ.

In altera huius verſus parte manuſcriptum Hunnæi, L, littera ſignatum habet primo præſertim loco, *filii*: *Et mirabilia eius filii hominum*. Et placere ſane facile poſſit iis qui fontes negligunt, ea lectio; ſed *filiis* legendum eſſe, ut Latini plerique cum codices, tum Tractatores legunt, & Græca & Hebræa loquuntur. Subaudiendum eſt autem vel *exhibita*, vel *prædicent*, vel utrumque. Portugallicæ Synagogæ Pſalterio deeſt tertio loco (quod obſervavit D. Lindanus) לבני אדם *filiis hominum*; nimirum id ex præcedentibus legendum reliquit ſcriptor; ad quem modum quibusdam latinis ſcriptis initiales dumtaxat dictionum litteræ poſterioribus locis habentur. Totius huius verſiculi inſigniter expreſſit Chaldæa Paraphraſis ſenſum: *Confiteantur coram Domino propter miſericordiam eius*: *& narrent mirabilia eius filiis hominum*.

(a) Lobienſis cœnobii codex *miſericordia* legit in Romano Pſalterio; Beſſarionis, in Hieronymi translatione.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 8. Confiteantur Domino miſericordiae eius. Hebr. *Confitebuntur Domino miſericordiam eius*; id eſt, prædicabunt eius miſericordiam. Et mirabilia eius filiis hominum, id eſt quæ fecit filiis hominum: vel prædicabunt filiis hominum.

V. 17. Suſcepit eos de via iniquitatis eorum, &c. Heb. *Stulti propter viam prævaricationis ſuæ, & propter ſcelera ſua afflicti ſunt*. Septuag. videntur legiſſe אלם a אזל, *revocavit eos a via*, ἀντελάβετο.

V. 25. Dixit et ſtetit ſpiritus procellae; id eſt, excitatus eſt procelloſus ventus.

V. 26. Anima eorum in malis tabeſcebat; id eſt, qui navigabant, timore tempeſtatis conficiebantur.

V. 27. Et omnis ſapientia eorum devorata eſt; id eſt, nihil illis iuvat ars navigandi.

V. 29.

Digitized by Google

V. 29. ET STATUIT PROCELLAM EIUS IN AURAM. Hebr. *Stare fecit*; id eſt, commutavit procellam in ſilentium, id eſt in tranquillitatem.

V. 32. ET IN CATHEDRA, in conſeſſu.

V. 37. ET FECERUNT FRUCTUM NATIVITATIS. Heb. *fructum proventus*, id eſt copioſe provenientem.

S A.

De Dei beneficiis.

Verſ. 1. CONFITEMINI. Chald. *laudate*. SAECULUM. Hieron. & Chald. *æternum*.

V. 2. DICANT: ſcilicet, quod præceſſit, ſeu laudem Domino, ſeu acceptum beneficium.

V. 3. MARI, ſcilicet arabico, quod eſt ad auſtrum; ſeu oceano.

V. 4. ERRAVERUNT; ſcilicet fugati ab hoſtibus. CIVITATIS HABITACULI; id eſt, ducentem in civitatem habitabilem.

V. 6. NECESSITATIBUS. Hieron. *afflictione*. Chald. *anguſtia*.

V. 7. HABITATIONIS. Hieron. & Chald. *habitabilem*.

V. 8. CONFITEANTUR, id eſt prædicentur. DOMINO, id eſt ad honorem Domini. Chald. *coram Domino*. MISERICORDIAE. Hieron. *miſericordiam*. Chald. *propter miſericordiam*. FILIIS. Hieron. *in filios*.

V. 9. INANEM. Hier. & Chald. *vacuam*.

V. 10. SEDENTES, ſcilicet liberavit. UMBRA, id eſt ſimilitudine, vel horrore.

V. 11. EXACERBAVERUNT, ſcilicet per rebellionem. ELOQUIA, id eſt præcepta, ſeu monitiones. CONSILIUM, id eſt decreta ſeu præcepta, ut ſit repetitio. IRRITAVERUNT. Hieron. *blaſphemaverunt*. Chald. *ſunt execrati*.

V. 12. INFIRMATI SUNT, id eſt debilitati. Hieron. *ceciderunt*. Chald. *impegerunt*.

V. 13. NECESSITATIBUS. Hieron. *anguſtiis*. Chald. *afflictionibus*.

V. 16. AEREAS, id eſt fortiſſimas.

V. 17. SUSCEPIT, id eſt ſublevavit. Hieron. & Chald. *ſtulti propter viam*, &c. VIA INIQUITATIS; id eſt, morbo, ſeu calamitate, quam peccatum induxerat.

V. 18. ABOMINATA EST, id eſt faſtidivit; ſcilicet præ morbi gravitate.

V. 20. MISIT VERBUM, id eſt iuſſit.

V. 23. OPERATIONEM, id eſt negotiationem, vel opus nauticum. MULTIS, id eſt vaſtis.

V. 24. PROFUNDO, id eſt mari.

V. 25. DIXIT, id eſt iuſſit. STETIT. Hieron. *ſurrexit*.

V. 26. ASCENDUNT, ſcilicet naviganres in tempeſtate. MALIS. Hieron. *afflictione*. TABESCEBAT, id eſt deficiebat, ſcilicet præ metu. Chald. *liqueſiebat*.

V. 27. MOTI SUNT. Hieron. *intremuerunt*. DEVORATA. Hieron. *abſorpta*; quaſi dicat, Evanuit, ſeu defecit.

V. 29. AURAM. Hieron. *tranquillitatem*. SILUERUNT, id eſt quieverunt.

V. 30. SILUERUNT. Hieron. *quieverunt*. VOLUNTATIS EORUM; id eſt optatum. Hieron. *quem voluerunt*.

V. 32. ECCLESIA, id eſt cœtu, ſeu frequentia. CATHEDRA SENIORUM, id eſt ſenatorum, ſeu magiſtratuum. Chald. *conſeſſu ſapientum*.

V. 33. IN DESERTUM. Chald. *velut deſertum*; ſcilicet areſaciens ob peccata. SITIM, id eſt ſiccitatem. Chald. *ſicut ſiccitates*.

V. 34. SALSUGINEM, id eſt ſterilitatem. A MALITIA, id eſt ob malitiam.

V. 35. POSUIT; ſcilicet poſt pœnitentiam populi. EXITUS, id eſt rivos. Hieron. *fontes*.

V. 36. ESURIENTES, ſcilicet antea. HABITATIONIS. Hieron. *ad habitandum*.

V. 37. NATIVITATIS. Chald. *germinis*; quaſi dicat, naſcentem, ſeu germinantem.

V. 38. MINORAVIT. Chald. *diminuit*; quaſi dicat: Non eſt paſſus minui.

V. 39. PAUCI, ſcilicet poſtea ob peccata; vel, cum antea pauci fuiſſent. A TRIBULATIONE. Hieron. *ob anguſtiam*. MALORUM, id eſt calamitatum.

V. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO, &c. quaſi dicat: Fecit principes contemptibiles ob peccata eorum. Vide Iob XII. ERRARE, ſcilicet in conſiliis. IN INVIO; pro, velut in invio. NON IN VIA; id eſt, ubi non erat via: repetitio per negationem, more Hebræo.

V. 41. ADIUVIT. Hieron. *ſublevavit*, ſcilicet poſtea. SICUT OVES, id eſt inſtar gregis, ſcilicet plurimas.

V. 42. INIQUITAS, id eſt iniquus. OPI-

PILABIT, id eſt claudet; ſcilicet tacebit. Hieron. *contrahet*.

V. 43. CUSTODIET, id eſt obſervabit, ſeu notabit.

E S T I I.

Verſ. 8. & 15. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS ET MIRABILIA EIUS FILIIS HOMINUM. Hic verſus quater hoc Pſalmo repetitur, ſicut & iſte ſaltem paucis immutatis: ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM CUM TRIBULARENTUR, ET DE NECESSITATIBUS EORUM ERIPUIT EOS. Ceterum tunc opera cenſentur Deo benedicere, aut confiteri, quando homines conſideratione operum Dei, & miſericordiarum eius excitantur ad laudandum Deum. Ita enim intelligendi quoque ſunt plærique verſus Cantici trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino*. Quin facilior quoque & expeditior ſenſus occurrit, ſi ipſos Septuaginta & verſionem Hebræam inſpiciamus, idque tantum unius caſus mutatione; ſi videlicet *miſericordiæ*, mutetur in *miſericordias*; quomodo ex Hebræo vertit Hieronym. Vox Græca ambigui caſus eſt, cum ſit neutrius generis, ſicque etiam legi poterit: *Confiteamur Domino miſericordias eius*. Et ſenſus erit: Homines ſupradictis malis a Deo liberati confiteantur Domino miſericordias eius; agnoſcant beneficia ab eo accepta, & mirabilia Dei confiteantur & prædicent apud filios hominum.

V. 26. ASCENDUNT USQUE AD CAELOS, ET DESCENDUNT USQUE AD ABYSSOS. Hyperbole eſt, qualis & illa apud ethnicum Poetam:

Iam iam tacturos ſidera ſumma putes:

& mox:

Iam iam viſuros tartara nigra putes.

Myſtice ſignificatum intelligi poteſt, quod in mari huius ſæculi conſtituti fideles, modo per impulſum divinæ contemplationis & caſtarum, ſanctarumque cogitationum quaſi in cælum aſcendant; modo vero per tentationes turpium & malarum cogitationum, quibus ſæpe etiam caſtæ mentes graviter infeſtantur, deprimantur uſque ad infernum. Bonavent. Lib. II. de Perfect. Relig. cap. IV. ſic exponit: Aſcendunt uſque ad cælos per fiduciæ ſecuritatem, & rurſum deſcendunt uſque ab abyſſos per timorem ſuccumbendi in tentatione.

V. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO SUPER PRINCIPES. Manifeſtum eſt hoc loco legendum eſſe, *contemptio*, id eſt deſpectio, vel vilipenſio a verbo *contemno*, non *contentio* a *contendo*. Nam vox Græca ſignificat *nihili penſionem*. Hebraica quoque deſpectionem & contemptum; quomodo etiam vertit Hieron. Et ſenſus eſt: Deus effudit contemptum & abiectionem ſuper principes; id eſt, reddidit eos viles & contemptibiles, qui antea erant in ſumma auctoritate. Et huic reſpondet, quod velut per antitheſim ſubiicitur: ET ADIUVIT PAUPEREM DE INOPIA; quaſi dicat: E contra, eum, qui antea pauper & contemptus erat, ſublevavit de inopia, & ad magnam potentiam & gloriam evexit.

M A R I A N AE.

ALLELUIA. Hebr. hæc vox ponitur in fine Pſalmi ſuperioris. Septuaginta poſuerunt pro titulo Pſalmi ſequentis. Deum laudandum ob beneficia quæ contulit varia hominibus, liberans eos a malis omne genus.

V. 1. CONFITEMINI. Laudate Dominum quoniam bonus.

V. 2. DICANT; ſcilicet, has laudes, aut repetant quod præceſſit, *Quoniam bonus*, &c. ET DE REGIONIBUS. Hebr. *De terris congregavit eos*.

V. 3. A SOLIS ORTU, ſcilicet congregavit. AB AQUILONE, ET MARI, id eſt meridie, ut Pſal. LXXXVIII. 13. ubi eſt oceanus.

ERRAVERUNT. Agit de iis qui per deſerta errant, in commune; aut de Iudæis, cum in deſerto errabant. IN INAQUOSO, id eſt in deſerto. VIAM CIVITATIS HABITACULI. Hebr. *habitationis*; id eſt, viam, quæ eos duceret ad civitatem habitatam, non invenerunt.

V. 5. ESURIENTES; ſcilicet, non invenerunt, quamvis eſurirent.

V. 6. ET DE NECESSITATIBUS. Hebr. *de anguſtiis* eripuit eos. Hic verſus repetitur inferius verſ. 13. & 19. & 28.

V. 7. UT IRENT IN CIVITATEM HABITATIONIS, id eſt habitatam, relicto ſcilicet deſerto deduxit eos.

V. 8.

Digitized by Google

V. 8. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS. Hieron. *Confiteantur Domino miſericordiam eius, & mirabilia eius in filios hominum*: ſic Hebr. Porro hic etiam verſus certis locis Pſalmi huius repetitur. *Miſericordiam*, id eſt ob miſericordiam.

V. 9. ANIMAM INANEM, appetentem ſcilicet aquarum, aut cibi, ſatiavit: ſic erit repetitio, quod ſequitur, ANIMAM ESURIENTEM SATIAVIT BONIS. *Anima* pro *homine*.

V. 10. ET UMBRA MORTIS; id eſt, graviſſima oppreſſos anguſtia, quæ inſtar mortis eſſet. VINCTOS IN MENDICITATE, ET FERRO, in miſeria & ferro; pro, miſero ferro vinctos. Agit de vinctis, quos Deus liberat, ſeu ſatiat.

V. 11. QUIA EXACERBAVERUNT, ſeu *mutaverunt* ſermones Dei, ſcilicet violarunt, non obediendo. Aut reluctati ſunt ſermonibus Dei. Aut quia ut præcepta præmiant obſervantes, ſic puniunt violantes, & exacerbant Deum contra eos. Proſopopœia. IRRITAVERUNT: ſpreverunt conſilium, id eſt præceptum Altiſſimi. Ea cauſa fuit calamitatum, in quas inciderunt.

V. 12. IN LABORIBUS; ſcilicet tempore quo fuerunt vincti. INFIRMATI SUNT. Hebr. *impegerunt*. Hieron. *ceciderunt*.

V. 13. ET CLAMAVERUNT. Repetitio verſ. *6.*

V. 15. CONFITEANTUR. Repetitio verſ. 8. qui ſic etiam verti poteſt: *Laudent Dominum* (ob) *miſericordiam eius*, & (ob) *mirabilia eius, in filios hominum*.

V. 16. CONTRIVIT PORTAS AEREAS. Hyperbole; pro, portas carceris fortiſſimas, ubi vincti tenebantur.

V. 17. SUSCEPIT EOS; id eſt; liberavit e malis, in quæ invexerat eos iniquitas eorum. Hebr. *Stulti a via iniquitatis eorum, & a peccatis ipſorum afflicti ſunt*, ſcilicet malis & morbis. Sibi ipſis malorum cauſa extiterunt. Agit de oppreſſis morbo. Septuag. pro אולים *evilim*, id eſt *ſtulti*, legerunt יובילם *iobilam*, id eſt *deduxit*, aut *ſuſcepit eos*.

V. 18. OMNEM ESCAM. Moleſtia morbi, cum eſt vehemens, cibi appetentiam tollit.

V. 19. ET CLAMAVERUNT. Repetitio verſ. *6.* & 13.

V. 20. MISIT VERBUM SUUM; id eſt, ſolo ſuo iuſſu & voluntate ſanavit eos. DE INTERITIONIBUS EORUM; id eſt, de interitu, qui præſto illis erat; aut de ſepulcris, quibus proximi erant, propter mala & morbos, quibus premebantur.

V. 21. CONFITEANTUR. Repetitio verſ. 8. & 15.

V. 22. ET SACRIFICENT SACRIFICIUM LAUDIS; id eſt, laudent Deum ob eius mirabilia. ET ANNUNTIENT. Explicat quale ſit id ſacrificium, nempe laudis. IN EXULTATIONE. Heb. *Narrent facta eius cum iubilo*, ſeu *canticis*. Hieronymus, *in laude*.

V. 23. QUI DESCENDUNT MARE IN NAVIBUS. Agit de navigantibus, quos a periculis liberat Deus. Hebræi mare altius terra eſſe putant; quomodo ergo deſcendunt qui in illud ingrediuntur? Reſpondent id dici comparatione littoris, quod extrema aqua altius eſt, aut navigii, in cuius medium deſcendunt. FACIENTES OPERATIONEM; id eſt, negotiationem, qui in mari negotiantur.

V. 25. DIXIT, id eſt ſuo iuſſu & nutu. ET STETIT SPIRITUS. Hebr. *Et ſtare fecit*, id eſt exiſtere *procellam*. Sic Hieron. *Et ſurrexit ventus tempeſtatis*. Chald. dixit, *Et ſuſcitavit tempeſtatem*. SPIRITUS, ventus. ET EXALTATI SUNT FLUCTUS EIUS, ſcilicet maris. Hebr. *Et exaltavit* (ſcilicet tempeſtas) *fluctus eius*.

V. 26. ASCENDUNT, fluctus, aut navigantes. TABESCEBAT. Hebr. *liqueſcit*: ſcilicet, præ metu periculi, anima eorum qui navigant.

V. 27. TURBATI SUNT. Hebr. *tremuerunt*. SICUT EBRIUS: præ metu non ſatis ſui compotes ſunt. DEVORATA EST. Hieronymus, *abſorpta eſt ſapientia*, periit. Non eſt conſilio locus, omnia regit caſus.

V. 28. ET CLAMAVERUNT. Repetitio verſ. *6.*

V. 29. ET STATUIT PROCELLAM EIUS, ſcilicet maris. IN AURAM: ſcilicet, lenem mutavit procellam. Hieronymus, *in tranquillitatem*. Hebr. *in ſilentium*. ET SILUERUNT: pro id eſt, ſiluerunt fluctus eius, compoſiti ſunt in malaciam.

V. 30. IN PORTUM VOLUNTATIS EORUM, id eſt portum, ſeu terminum optatum. Hebr. Scholiaſtes in terminum ait,

quo ire volebant, eos deduxit.

V. 31. CONFITEANTUR. Repetitio verſus 8.

V. 32. IN ECCLESIA PLEBIS, id eſt multitudine & frequentia populi. ET IN CATHEDRA SENIORUM, in concilio & conſeſſu Senatorum; ſcilicet, navigantes liberati a periculo laudent Deum.

V. 33. POSUIT FLUMINA. Narrat alia Dei mirabilia: ſic cavit fluvios. ET EXITUS AQUARUM, id eſt ſcaturigines aquarum. IN SITIM, id eſt loca ſiticuloſa; quaſi dicat: Facit, ut ubi erant flumina, iis ſiccatis ſint loca vaſta, & ubi erant fontes, deſit aqua.

V. 34. TERRAM FRUCTIFERAM IN SALSUGINEM mutat; id eſt, nitroſam terram, quæ nullum fructum fert. A MALITIA, propter malitiam: ſterilitatis cauſa peccatum.

V. 35. DESERTUM IN STAGNA AQUARUM. E contrario ſolet terram ſterilem & aridam fecundare. IN EXITUS AQUARUM: ſcaturigines aquarum, fontes ibi profert.

V. 36. ESURIENTES; id eſt, inopes ibi collocavit: ii enim ſedes mutare ſolent. ET CONSTITUERUNT CIVITATEM HABITATIONIS; id eſt, novum oppidum condunt, ut in eo habitent.

V. 37. ET FECERUNT FRUCTUM NATIVITATIS. Hebr. *fructum* (&) *proventum*. Hieronymus, *Faciunt fruges germina*. Pſalt. Gotth. *Et fecerunt fructum germinis*. Sententia nota. Labores inanes non fuiſſe, ſed cum fructu & proventu.

V. 38. ET BENEDIXIT EIS. Hoc ad filiorum procreationem ſpectat. NON MINORAVIT iumenta. Hebr. *non minuit:* ipſa etiam iumenta multos fœtus procrearunt.

V. 39. ET PAUCI FACTI SUNT: ſcilicet, ſi bonis ſuperbiant, e contrario numero minuuntur. ET VEXATI SUNT. Heb. *deiiciuntur*. A TRIBULATIONE. Heb. *præ oppreſſione mala, & dolore*, quo ſcilicet alios tenuiores ipſi opprimunt tyrannice.

V. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO, non *contentio*. Græce ἐξουδένωσις Hebr. בוז *buz*; id eſt, reddit Principes contemptibiles, redigit ad inopiam. IN INVIO. Hebr. *in inani*, בתהו *bethohu*, ſic in Geneſi terram dixit fuiſſe initio. ET NON IN VIA. Heb. *in inani, non via*, ſcilicet eſt ibi; quaſi dicat: Expellit eos in deſerta loca, regno privat,

V. 41. ET ADIUVIT PAUPEREM DE INOPIA. Hebr. *Elevat pauperem ab inopia*. ET POSUIT SICUT OVES (gregem) FAMILIAS; id eſt, multos filios, & nepotes concedit illi.

V. 42. ET OMNIS INIQUITAS, id eſt iniqui. OPPILABIT, claudet os ſuum, obmuteſcet præ admiratione ſcilicet, & præ metu; contra, recti lætabuntur.

V. 43. QUIS SAPIENS; quaſi dicat: Nullus pro dignitate expendet in corde ſuo tantam Dei benignitatem, qualem hic Pſalmus depinxit, niſi qui ſapiens fuerit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS, &c. Notant, hunc Pſalmum, quatuor ſuperioribus nominatim adiunctum, ut extraordinarium genus operum, quæ Deus exercet in omnes homines, ad laudem ipſius facere cognoſcatur, ut dictum eſt ſupra in Pſal. CII. 1. Conſtare autem ex propoſitione laudis, verſ. 1. narrationibus quinque ad laudis argumenta pertinentibus, quas Amœbæi verſus fere terminant, a verſ. 2. ad 42. & concluſione, duobus verſibus ultimis.

V. 2. DICANT, QUI REDEMPTI SUNT A DOMINO. Quidam: *Predicent*, ſcilicet Dei benignitatem, *redempti Iehovæ*. Prima narratio de vagis, & in regione extera cum ſummo vitæ diſcrimine peregrinantibus, uſque ad verſ. 10. QUOS REDEMIT DE MANU INIMICI. Hebr. *De manu coangustantis, concludentis, coarctantis, angentis, hoſtis, adverſarii*. Alii, abſtracte: *De manu anguſtiæ*, vel *ab anguſtia*. Nonnulli: *A tyrannide opprimentis*, vel *a manu hoſtili*.

V. 3. ET DE REGIONIBUS CONGREGAVIT EOS. Quidam: *Quos ex terris congregavit*. ET OCCASU. מערב *magharab*, aiunt eſſe eam cæli regionem, quæ ad veſperam ſpectat, ubi dies cum nocte commiſcetur, & ſole oriente obſcurior eſt, & tardius illuſtratur: omnes Veſperam, ſeu Occidentem interpretantur. Poſſet hic eſſe Meridies; quod Arabia ad meridiem terræ ſanctæ ſit: & hic ſtatim mare ſequatur, quod pro occidente in ſacris litteris ſolet uſurpari. ET MARI. ים *iam*, ſemper in poſitionibus orbis, occidentem denotat,

quod

quod Mare magnum & Mediterraneum ſit ad occidentem Terræ promiſſæ: vide Geneſ. XII. 8. At hic pro meridie, ex aliis poſitionibus accipiunt: unde exponunt: *Et 'a mari*; id eſt, a meridiano tractu, ubi ſitum eſt mare rubrum, & ſinus Aulites.

V. 4. ERRAVERUNT IN SOLITUDINE IN INAQUOSO: VIAM CIVITATIS HABITACULI NON INVENERUNT. Hebr. aliter diſtinguunt: I. *Dum errabant in deſerto, & in ſolitudine per itinera: quibus oppidum habitatum non inveniebant*. II. *Cum errarent in deſerto, in ſolitudine a via: & civitatem habitationis non invenirent*. III. *Cum errarent in deſerto, in via non trita; neque urbem ſedi ſuæ inveniſſent*. IV. *Qui antea erraverant per loca deſerta & invia: nec viam, quæ duceret ad civitatem; qua recipi poſſent inveniebant*. V. *Qui errabant in ſolitudine in deſerto invio: neque civitatem habitatam inveniebant*. VI. *Qui errarunt per deſertum, per ſolitudinem viæ*; id eſt, ſolitudinem inviam, ubi ſemita nulla eſt: *civitatem habitabilem non invenientes*. Nonnulli Hebræorum hæc ad profectionem Iſraelitarum ex AEgypto per Arabicas ſolitudines accipiunt: rectius univerſe de peregrinantibus in regionibus deſertis intelligas, ut ad verſ. 2. notabamus.

V. 5. ANIMA EORUM IN IPSIS DEFECIT. Alii reddunt: I. *Anima eorum in ipſis collabetur*. II. *Cum anima ipſorum in eis occultaretur*. III. *Adeo ut deficerent animo*. IV. *In quibus animus ipſorum ſeſe obruebat*. Expone ut Pſal. LXXVI. 4. 5. *Quorum anima intra ipſos mœrore affecta cruciabatur*.

V. 8. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS, &c. Hebr. nos ex verbo dedimus (*Confitebuntur* IHUH *benignitatem eius: & ardua eius filiis hominis*.) Alii diverſimode: I. *Confitebuntur Iehovæ gratiam eius*; id eſt, gratias agent ei ob gratiam liberationis acceptam: *& ſeparata eius filiis Adam*; id eſt, annuntiabunt ceteris hominibus mirabilia eius. II. *Celebrent ergo Iehovæ miſericordiam eius: & mirabilia eius filiis hominum prædicent*; vel *celebrent ergo Iehovæ*, id eſt in gloriam Iehovæ, *benignitatem eius*, &c. III. *Gratias agant Iehovæ propter miſericordiam eius; & narrent hominibus mirabilia eius*. IV. *Canant bonitatem Domini, & magnifica opera eius filiis hominum*. V. *Celebrent Dominum cum gratiarum actione cuncti ob inſignem miſericordiam illius; & ob mirabilia opera, quæ deſignavit in gratiam poſterorum Adæ*. VI. *Celebrent apud Iehovam*, id eſt privatim ex animo ſuo, *benignitatem eius; & opera mirabilia eius apud filios hominum*, id eſt palam & publice.

V. 9. QUIA SATIAVIT ANIMAM INANEM. שוקקה *ſchokekah*, exponunt, *excurrentem* ad cibum, *deſiderantem*, *appetentem*, *avidam*. Alii, *vacuam*, *inanem*. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Eum ſatiare animam appetentem, & animam famelicam explere bono*; id eſt, theſin, ſive doctrinam univerſalem de beneficentia Dei in calamitoſos profiteantur, ab hypotheſi & ſingulari exemplo & experientia ſua: ſic deinceps.

V. 10. SEDENTES IN TENEBRIS, &c. Notant, hic eſſe ſecundam narrationem de captivis, quos aliena vincula conſtringunt, ut ſuorum peccatorum pœnæ inflictæ a Deo, uſque ad verſ. 17.

V. 11. QUIA EXACERBAVERUNT ELOQUIA Dei. Varie ex Hebr. I. *Quia rebellaverunt, rebelles fuerunt, ſermonibus Dei*. II. *Propterea quod repudiaſſent mandata Dei*. III. *Propterea quod deſeruiſſent adminiſtrationes Dei ſalutares*. IV. *Quia ſermonibus divinis reluctati ſunt*. V. *Quia dederunt occaſionem mutandi ſermones Dei fortis*; id eſt, quia fuerunt immorigeri Deo, ac proinde benignitatem ipſius a ſe averterunt: cuius promiſſiones ad pios & benignos, ſeu obſequentes pertinent. ET CONSILIUM ALTISSIMI IRRITAVERUNT. Verbum נאצו *naatzu*, reddunt, *deſpexerunt*, *ſpreverunt*, *flocciponderunt*, *inceſſerunt*, *inſectati ſunt*; id eſt, conſilium Dei de ipſis benefaciendo, ſi morem gererent.

V. 13. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM CUM TRIBULARENTUR, &c. Amœbæus reſpondens ſuperiori verſ. 6.

V. 14. ET EDUXIT EOS DE TENEBRIS, &c. Reſpondet hic verſus, ſuperiori 10.

V. 15. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS, &c. Amœbæus reſpondens ſuperiori 8.

V. 16. QUIA CONFREGIT PORTAS AEREAS, &c. Quidam reddunt: *Eum frangere valvas chalybeas, & vectes ferreos ſuccidere*;

id eſt, ab arctiſſimis vinculis, & carceribus ſonticis liberationem dare.

V. 17. SUSCEPIT EOS DE VIA INIQUITATIS EORUM, &c. Hebr. nos ex verbo reddidimus (*Ardeliones de via tranſgreſſiones eorum: & de pravitatibus eorum affligere ſe ſe facient.*) Alii: I. *Stulti de via rebellionis ſuæ, & de iniquitatibus ſuis affligentur.* II. *Cum enim in tranſverſum abiiſſent, & propter ſcelera ſua affligerentur.* III. *Ipſos tamen in ſtultitia perſiſtere fecit peccandi libido: quare propter iniquitates ſuas affligebantur.* IV. *Stulti propter viam ſceleris ſui, & propter iniquitatem ſuam affliguntur*; id eſt, propter proclivitatem ad ſcelera, quæ eſt veluti via ad ſcelera, in morbos incidere ſolent. V. *Stulti, qui ſcelerato vitæ inſtituto, & iniquitatibus ſuis morbos ſibi accerſiverunt.* VI. *Stulti, qui propter viam defectionis ſuæ, & propter iniquitates ſuas affligantur*, ut pendeat ſententia uſque ad verſ. 19. Tertia narratio de his, qui decumbunt graviſſime, & morbis ſonticis affligantur propter peccata ſua, uſque ad verſ. 23. verbum ex Hithpahel graviſſimam afflictionem ſignificat.

V. 18. OMNEM ESCAM ABOMINATA EST ANIMA EORUM, &c. Quidam: *Ita ut anima ipſorum faſtidiat omnem cibum, & pertingant ad portas mortis*; id eſt, ad ſupremum vitæ diſcrimen, proxime ad mortem accedant. Alii: *Quorum animus omnem cibum abominatur, qui pertingunt uſque ad portas mortis*, id eſt uſque ad præſentiſſimam mortem. Vide Pſal. IX. 14. Nonnulli: *Cum omnem cibum abhorreret appetitus eorum, & iam ad Orci portas appeterent.* Deſcriptio morbi lethalis.

V. 19. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM CUM TRIBULARENTUR, &c. Amœbæus reſpondens ſuperioribus 13. & 6.

V. 20. MISIT VERBUM SUUM, ET SANAVIT EOS. Quidam: *Mittens verbum ſuum, curavit ipſos*, id eſt ſuo iuſſu. Mittere verbum ſuum, pro imperare. ET ERIPUIT EOS DE INTERITIONIBUS EORUM. Heb. *Et ſalvos evadere fecit de perditionibus eorum.* Alii: *Et liberavit a foveis ipſorum*; id eſt, a morte præſentiſſima & ſepulcro ipſis iam comparato: ſic enim accipiendum eſſe evincit contextus huius hyperboles: quomodo accipitur Lamentation. IV. 20.

V. 21. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS, &c. Amœbæus reſpondens ſuperioribus 15. & 8.

V. 22. SACRIFICIUM LAUDIS. Hebr. *Sacrificia* תודה *todah*, id eſt confeſſionis, laudis, gratiarum actionis, euchariſtica. Vide Levit. VII. 13.

V. 23. QUI DESCENDUNT MARE IN NAVIBUS, &c. Quarta narratio de nautis, vectoribus, & omnibus per mare negotiantibus, uſque ad verſ. 33. FACIENTES OPERATIONEM IN AQUIS MULTIS. Heb. *Facientes miniſteriale in aquis multis.* Alii: I. *Exercentes artem in aquis amplis.* II. *Quique negotium ſuum peragunt in aquis illis vaſtiſſimis.* III. *Quique negotia in pelago expediunt.*

V. 25. DIXIT, ET STETIT SPIRITUS PROCELLAE, &c. Diverſimode ex Hebr. explanant: I. *Et dixit, & fecit ſtare*, id eſt inſurgere *ventum tempeſtatis: & elevavit undas eius*, maris. II. *Qui ſuo imperio ciet ventum procelloſum*, qui ventus alte *fluctus ipſius* maris *attollit.* III. *Ille enim iubente ſurgit venti procella, atque fluctus ſuos attollit.* IV. *Quoties enim libitum fuerit illi, excitat vento tempeſtatem maximam, & extollit fluctus illius maris vaſtiſſimi.* V. *Quemadmodum edicens conſtituat ventum procelloſum, qui attollat fluctus illius*, maris.

V. 26. ASCENDUNT USQUE AD CAELOS: cum fluctus maris, tum navigantes ipſi qui iactantur fluctibus: graviſſimæ hyperbolæ: ET DESCENDUNT USQUE AD ABYSSOS, iidem ipſi. Eiuſmodi hyperbolen imitati ſunt Poetæ, Virgilius III. AEneidos:

—— atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat unda.

Et poſtea:

Tollimur in cælum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus unda.

Ovidius Lib. I. de Triſtibus, Elegia 11.

Me miſerum quanti montes volvuntur aquarum!
Iam iam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles:
Iam iam tacturas tartara nigra putes.

Lucanus. V. Pharſaliæ:

Quan-

Quantus Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus e ſummis præceps mare; cumque tumentes
Rurſus hiant undæ, vix eminet æquore malus:
Nubila tanguntur velis, & terra carina.

ANIMA EORUM IN MALIS TABESCEBAT. Varie reddunt. I. *Ita ut anima eorum in malo liqueſiat*, vel *ob malum diſſolvatur*; id eſt, præ anxietate colliqueſcat. II. *Quo malo animus eorum affligetur*. III. *Quorum animi ſolvuntur præ metu*. Sic Virgilius AEneidos:

Exemplo AEneæ ſolvuntur frigore membra.

IV. *Anima ipſorum malo ſe ipſam diſſolvat*; id eſt, nauſea & iactatione adeo vomant, ut animam illico acturi videantur, quaſi cum vomitione liqueſcens profunderetur. Sed de metu & horrore potius quam de nauſea acceperim: licet utrumque accidere ſoleat. Verbum ex Hithpahel magnam liquefactionem & diſſolutionem indicat.

V. 27. TURBATI SUNT, ET MOTI SUNT SICUT EBRIUS. Alii ex Heb. 1. *Gyrabunt, & movebuntur ſicut ebrius*; id eſt, navigantes afficiunt vertigine ex motu navis: 2. *Obſtupuerunt, & intremuerunt quaſi ebrius*: 3. *Circumiactantur, & nutant ſicut ebrius*: 4. *Tremunt & movent ſe*: 5. *Vagantur & moventur*: 6. *Exagitantur, & nutant*: 7. *Nutant & vacillant velut ebrius*: 8. *Raptabuntur nunc huc, nunc illuc, & mutabuntur non aliter quam ebrius*: 9. *Et eant in orbem & oberrent ut ebrii*: 10. *Tripudiene*, vel *titubent*, *ſeſe moveant tamquam ebrius*. ET OMNIS SAPIENTIA EORUM DEVORATA EST. Alii. I. *Et tota peritia eorum abſorbeatur*; id eſt, exhauriatur, neſciant, quid amplius facto ſit opus, & omnibus tentatis de modo ſalutis deſperent. Humanitus. II. *Omniſque peritia illis eripiatur*. III. *Et omnis peritia eorum evaneſcat*. IV. *Et omnis ſapientia deſtituat eos*. In ſupremo enim illo periculo omnis ars, induſtria, peritia deficit.

V. 28. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, &c. Amœbæus, reſpondens ſuperioribus 19. 13. & 6.

V. 29. ET STATUIT PROCELLAM EIUS IN AURAM. Heb. *Surgere faciet turbinem in ſilentium*. Alii: 1. *Stare facit procellam in quietem*; 2. *Stare faciet tempeſtatem in ſilentio*; 3. *Sedat turbinem, ut ſit tranquillitas*; 4. *Sedata tempeſtate reddit mare tranquillum*; 5. *Sedat turbinem, & infert tranquillitatem*; 6. *Continuo enim ceſſabit tempeſtas, ſequetur ſerenitas*; 7. *Statuit procellam in tranquillitatem*; 8. *Reſtituit procellam quieti*, vel *ſilentio*, id eſt malaciæ. ET SILUERUNT FLUCTUS EIUS: id eſt maris: Heb. pluraliter, *eorum*; id eſt, nautarum, quibus huc illuc iactabantur. Alii rectius, *earum*, aquarum, quia מים *maiim*, eſt maſculeum.

V. 30. IN PORTUM. מחוז *mechoz*, *ad regionem, provinciam, terminum, portum*, vel *proſpectum, locum præviſum*. VOLUNTATIS EORUM, id eſt optatum. Buchananus:

Cum laceræ optatam portum tetigere carinæ.

Sic Virgilius I. AEneidos:

—— ac magno telluris amore
Egreſſi, optata potiuntur Troes arenæ.

V. 31. CONFITEANTUR DOMINO MISERICODIAE EIUS, &c. Amœbæus reſpondens ſuperioribus 21. 15. & 8.

V. 32. ET EXALTENT EUM, ſcilicet Deum. Hunc verſum alii diverſimode ex Heb. elucidant: I. *Vehant illum in concione populi: & in ſenatorum conſeſſu laudent eum*. II. *Et laudibus extollant illum in frequentia populi, & in conſeſſu ſenum prædicent illum*. Aliqui: *Et in reſidentia ſeniorum laudabunt eum*; id eſt, in locis publicis ubi ſeniores reſidere ſolent. Buchananus.

Hinc populi cœtus laudent, ſanctique Senatus
Concilium ſuper aſtra ferat. ——

V. 33. POSUIT FLUMINA IN DESERTUM, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. exponunt. I. *Qui vertit fluminibus irrigua in deſertum, & aquarum venas in ſiticuloſam*, terram. II. *Qui dum vult poteſtatem habet, ut flumina exſiccet, & fiat terra ob ſterilitatem deſerta: & fluenta aquarum commutentur in ſiccitatem, & ſitim ipſam*. III. *Redigit flumina in deſertum, & proceſſus aquarum in ſiticuloſum ſolum*. Quinta narratio, de agrorum & perſonarum mutationibus effectis a Deo, quæ per antitheſin illuſtratæ ſunt ſingulæ. Canit

Deum arbitratu ſuo omnia immutare, ab eius providentia opes & inopiam, ſterilitatem & fecunditatem, honores & ignominiam manare: uſque ad verſ. 42. Ait ergo, Deum agros irriguos & ferriles in ſiccos & ſteriles mutare, hoc & ſequente verſu.

V. 35. POSUIT DESERTUM IN STAGNA AQUARUM, &c. Alii: *Redigit*, *vertit*, *deſertum in ſtagnum aquarum*, &c. id eſt, contra ex agris ſiccaneis & ſterilibus efficit uberrimos, hoc verſu, & habitationi commodiſſimos, verſu ſequente.

V. 37. ET FECERUNT FRUCTUM NATIVITATIS. Hebr. *Fructum proventus*. Exponunt, *fructum abundantem & copioſum*, qui abunde proveniat. Alii, *fructum annuum*, qui ſingulis annis proveniat, maturum, tempeſtivum. Nonnulli volunt eſſe hypallagem, *Fructum proventus*; pro, proventum fructuoſum. Hiſpanicus, *fruto de renta*.

V. 38. ET IUMENTA EORUM NON MINORAVIT. Hebr. *Non pauca fecit*, vel *non minuit*, id eſt auget: liptotes.

V. 39. ET PAUCI FACTI SUNT, &c. Quidam: *Ut contra minuuntur*. Supple, cum maledicit eis: nam ellipſis eſt contrarii, ut Geneſ. XXXIII. 10. Unde aliqui reddunt: *Ubi vero ob ſcelera iterum eos punire voluerit, pauciſſimi fient*, &c. Rurſus, inquit, cum eos qui multitudine hominum, & potentia florebant, punire ob admiſſa flagitia voluerit, immittit in eos ſterilitatem, morbos, mortes, quibus eos ad paucitatem redigit: item angores animi, moleſtias: & optimates eorum adeo contemptos reddit & irriſos, relictis urbibus ſeſe in ſolitudines avias abdant: hoc verſu, & ſequente. A TRIBULATIONE. מעצר *meghotzer*, varie reddunt: *A prævaleſcentia a Prædominatione*, *ab obſervatione clauſtro*, *detentione prævalida*, *occluſione*, *coarctatione*, *a vi*, *oppreſſione*, *tyrannide*, *ab ſterilitate*. MALORUM. Poteſt eſſe Genitivus. *A prævali da detentione*, ſeu *coarctationemali*; vel poteſt ſtare per ſe aſyndeton, *a coarctatione*, *malo*; hoc eſt, calamitate: *& angore*, ſeu *mærore*.

V. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO SUPER PRINCIPES. Varie interpretantur: 1. *Effundit deſpectionem*, *contemptum*, *in principes*: 2. *Efficiet ut qui præſunt eis infames fiant*, *& fine auctoritate*: 3. *Effundens contemptum ſuper ingenuos*, nobiles, præclaros viros: 4. *Cum eos prædæ principum obnoxios facit*. בוז *buz*, ſignificatum a בזה *bazah*, deduxerunt. Buchananus:

> ..... *& ignavo petulans ſub principe vulgus*
> *Contemptum*, *populis prædam iubet eſſe propinquis*.

Eos id eſt, *ipſos principes*; alii, id eſt eorum ſubditos: qui vexati principum tyrannide, avias ſolitudines petere coguntur. IN INVIO. בתוהו *betbohu*. Vide in Geneſ. I. 1. Varie reddunt: 1. *In ſolitudine*; 2. *Per vaſta & inania loca*; 3. *Per vacualoca*; 4. *Per inanitatem*, ſeu *vaſtitatem*; 5. *In vacuo*; id eſt, in locis, rebus humanis uſibus neceſſariis, omnino deſtitutis.

V. 41. ET POSUIT SICUT OVES FAMILIAS. Varie explanant: I. *Efficit illi pauperi familiam inſtar gregis*; id eſt, ampliſſimam & numeroſiſſimam, vel ut ex eo exeant familiæ copioſæ ut greges. II. *Et auget familiam illius*, *quemadmodum grex ovium augeri ſolet*. III. *Et diſponit tamquam gregem familias*; id eſt, multiplicat familias gentium, & ſecundat tamquam greges.

V. 42. VIDEBUNT RECTI, ET LAETABUNTUR, &c. Concluſio, inquiunt, Pſalmi, cuius partes ſunt duæ; una de officio omnium, quibus cernenda proponuntur opera Dei magnifica, cum piorum, ut his recreentur; tum improborum, ut confundantur, & obſtupeſcant illis, hoc verſu: altera vero, brevis expoſtulatio de ſtupore & oſcitantia omnium hominum, vel ſapientiſſimorum, qui in tot, tantis, & tam frequentibus miraculis, documentiſque bonitatis & benignitatis Dei dicuntur cæcutire, verſu ſequente. ET OMNIS INIQUITAS OPPILLABIT OS SUUM. Hebr. *Et omnis iniuſtitia clauſit*, *obſtruxit*, *obturavit*, *obdidit os ſuum*. Vide in Iob V. 16. Quidam: *Omnis autem malitia obſtruat os ſuum*. Alii: *Scelerati vero & male ſibi conſcii non audebunt mutire*. Aliqui: *Omnis vero nequitia obdat os ſuum*. Nonnulli: *Nec habent ulli iniqui quod vituperent aut querantur*; quaſi dicat: Improbi vero & arrogantes, qui ſolent providentiam Dei negare, magnitudine rerum eius perterriti, vel inviti coguntur tacere, & linguam impiam continere.

V. 43.

V. 43. QUIS SAPIENS ET CUSTODIET HAEC, ET INTELLIGET MISERICORDIAS DOMINI? Hebr. eſt enallage numeri: *Quis ſapiens, & ſervabit iſta; & intelligere ſeſe facient miſericordias Iehveh?* id eſt, quiſque ſapiens, vel omnes ſapientes advertent animum, ac diligenter perpendent multiplicem Dei bonitatem? Quidam exponunt: Utinam ſint multi ſapientes, qui obſervent; id eſt, diligenter animadvertant, & notent eiuſmodi, quæ hoc hymno continentur: intelligent enim Deum res humanas ſumma benignitate curare, deque omnibus, qui ad eius bonitatem confugiunt, optime mereri. Alii verbum *intelligendi*, quod in Hithpahel ponitur, paſſive, vel reciproce capiunt, & eius ſuppoſitum, *miſericordias*, hoc ſenſu: *Quis ſapiens, & cuſtodiet iſta; ut intelligantur*, ſive *animadvertantur*, vel *ut intelligere ſeſe* ab omnibus *faciant miſericordiæ*, ſeu *beneficia*, *Iehovæ*. Unde quidam reddunt: *Quotus quiſque ſapiens eſt, qui obſervet iſta, ut animadvertantur benignitates Iehovæ?* Alii: ***Ut intelligantur paſſim ab omnibus beneficia Iehovæ.***

MENOCHII.

Verſ. 1. CONFITEMINI DOMINO, &c. Primus hic verſiculus eſt plane idem cum primo verſiculo Pſalmi ſuperioris.

V. 2. DICANT, divinas laudes. DE REGIONIBUS CONGREGAVIT EOS: de terrarum variis exiliis & captivitatibus in unum collegit.

V. 3. ET MARI. Vide dicta Pſalm. LXXXVIII. 13.

V. 4. ERRAVERUNT IN SOLITUDINE, &c. Non loquitur ſolum de populo in deſerto errante poſt exitum de AEgypto, ſed generatim de quibuſcumque hiſce calamitatibus afflictis, quas hoc Pſalmo commemorat. Senſus ergo eſt: Si quis exul, aut peregrinus per deſerta loca vagetur, nec certam ſedem inveniat, in qua requieſcat, ſi clamaverit ad Dominum, eripiet eum ex calamitate. IN INAQUOSO: in arido, & ſitienti ſolo deſerti alicuius. VIAM CIVITATIS HABITACULI NON INVENERUNT. Si non invenerint viam, quæ ducat ad civitatem, in qua habitat, aut habitare poſſit.

V. 5. ESURIENTES, ET SITIENTES: ſi in ſolitudine illa eſurierint, & ſitierint, ita ut iam deficiant.

V. 6. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, &c. ſi clamaverint ad Dominum, &c.

V. 8. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS; laudetur Dominus propter miſericordias eius. ET MIRABILIA EIUS celebrentur, & prædicentur. FILIIS HOMINUM: a filiis hominum, vel quæ in filios hominum contulit mirabilia beneficia.

V. 9. INANEM; eſurientem ſatiavit.

V. 10. SEDENTES IN TENEBRIS, &c. Senſus eſt, ſint captivi, carceribus incluſi, &c. clament ad Dominum, & liberabuntur. IN TENEBRIS, ET UMBRA MORTIS: in carceribus, qui obſcuri eſſe ſolent. Umbra mortis eſt umbra denſiſſima, & obſcuritas, qualis in ſepulcris eſſe ſolet. IN MENDICITATE: nam vinctis in carceribus maligne ſuppeditantur quæ ad victum ſunt neceſſaria. ET FERRO, ferreis compedibus & manicis conſtricti.

V. 11. QUIA EXACERBAVERUNT ELOQUIA DEI; etiam ſi vitio ſuo, & propter peccata ſua Deus illos ea calamitate voluiſſet vexari, quia nimirum Deum irritaverunt, non ſervantes legem Dei. CONSILIUM ALTISSIMI IRRITAVERUNT: eſt repetitio præcedentis hemiſtichii. Conſilia, & monita Dei, quæ per legem divinam illis ſuggerebat non admiſerunt, ideoque hac contumacia Deum irritaverunt.

V. 12. HUMILIATUM EST IN LABORIBUS, in ærumnis, & calamitatibus. INFIRMATI SUNT: viribus deſtituti, aut aliqua tentati corporis ægritudine, auxilio quo indigebant, plane carentes.

V. 13. ET CLAMAVERUNT, &c. repetit verſic. 6. qui eſt in hoc Pſalmo quaſi intercalaris.

V. 15. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EIUS, &c. Idem verſiculus cum octavo, qui more intercalarium repetitur.

V. 16. PORTAS AEREAS, carcerum. VECTES FERREOS; clauſtra ferrea, vincula perpetuæ vel duriſſimæ ſervitutis.

V. 17. SUSCEPIT EOS, &c. quaſi porrecta manu eos ſuſcepit in gratiam ſuam e via iniquitatis, qua a divina lege aberra-

raverant; nam propter peccata ſua malis vexabantur.

V. 18. OMNEM ESCAM ABOMINATA EST ANIMA EORUM. Ii nimirum, qui infirmati ſunt, & morbis tentati, de quibus dictum eſt numero 12. Graves morbos cibi inappetentia comitari ſolet.

V. 20. MISIT VERBUM SUUM, iuſſit eos ſanos eſſe. Eſt tamen alluſio ad Verbum Dei filium, per quem a malis liberati ſumus. DE INTERITIONIBUS, in interitu.

V. 22. SACRIFICIUM LAUDIS, ipſam laudem, quæ eſt ſacrificium Deo gratiſſimum. Vel loquitur de ſacrificiis pacificis, & Euchariſticis, quæ in gratiarum actionem offerebantur. ANNUNTIENT OPERA EIUS: celebrent beneficia eius exultantes, & gaudentes.

V. 23. QUI DESCENDUNT MARE IN NAVIBUS, &c. ſenſus eſt: Si qui navigationem ſuſceperint & dum periclitantur oraverint Dominum, liberabuntur. FACIENTES OPERATIONEM IN AQUIS MULTIS, negotiationem, & mercaturam exercentes in aquis. Vel opera nautarum exercentes, remos agendo, vela expandendo, &c.

V. 24. VIDERUNT OPERA DOMINI: mirabilia enim multa accidunt navigantibus, & opera Dei admiranda cognoſcunt in longis navigationibus, varias regiones, varia cæli ingenia, fluxum maris, & refluxum, divitias ipſius maris, uniones, corallia, &c. piſcium varias formas; cete, & marina monſtra.

V. 25. DIXIT: iuſſit Dominus. STETIT SPIRITUS PROCELLAE, excitatus eſt exius, & procella commovens mare. EXALTATI SUNT FLUCTUS EIUS: intumuit mare, & fluctus agere cœpit.

V. 26. ASCENDUNT USQUE AD CAELOS, &c. fluctibus elati, & iiſdem ſubſidentibus depreſſi. IN MALIS TABESCEBAT: in periculo deprehenſa præ metu exanimabatur, & diſſolvebatur.

V. 27. TURBATI SUNT; timuerunt. MOTI SUNT SICUT EBRIUS: nam imminente naufragio, nec vectoribus, nec nautis vires, aut conſilium ſuppetunt, vacillant pedes, nutat iudicium, omniſque ſapientia; hoc eſt, ars, & peritia navigandi timore quaſi abſorpta videtur.

V. 29. PROCELLAM IN AURAM: in auram lenem & placidam convertit Deus.

V. 30. SILUERUNT, quievit fremitus maris. IN PORTUM VOLUNTATIS EORUM, in portum optatum.

V. 32. IN ECCLESIA PLEBIS, in cœtu populi totius. IN CATHEDRA SENIORUM, in conſeſſu ſenatorum, & magiſtratuum.

V. 33. POSUIT FLUMINA IN DESERTUM, &c. Laudat Deum ab omnipotentia, & providentia, qua rerum naturas aliquando perverterat. Flumina in deſertum ponere, eſt flumina areſacere. EXITUS AQUARUM, &c. fontes aquarum ſiccando, & in arens, & ſiticuloſum ſolum convertendo.

V. 34. TERRAM FRUCTIFERAM IN SALSUGINEM, in ſalſum, & ſterile ſolum, ut accidit terræ Pentapolitarum, Gen. XIX. A MALITIA, propter malitiam, ſcelera, & peccata,

V. 35. POSUIT DESERTUM IN STAGNA AQUARUM. Vice verſa cum Deo placuit, loca deſerta, arida, & ſiticuloſa aquis redundare fecit. IN EXITUS AQUARUM, in fontes aquarum: ſcaturire fecit aquas in locis aridis, & deſertis.

V. 36. COLLOCAVIT IBI ESURIENTES: & habitare fecit in ea regione colonos antea pauperes, & eſurientes. CONSTITUERUNT CIVITATEM HABITATIONIS, civitatem, in qua commode poteſt habitari.

V. 37. FECERUNT FRUCTUM NATIVITATIS: copioſum proventum attulerunt agri illi, & vineæ. In Hebr. eſt: *Fecerunt fructum proventus*.

V. 38. BENEDIXIT EIS, fortunavit eos, & multis bonis affecit. MULTIPLICATI SUNT NIMIS: valde ſunt aucti numeroſa ſobole, & omni genere bonorum. NON MINORAVIT: non minuit peſtilentia, aut alia calamitate. Vel etiam eſt mioſis, vehementer auxit.

V. 39. ET PAUCI FACTI SUNT, &c. Oſtendit in terra nihil eſſe ſtabile: nam iidem qui paulo ante floruerunt, iam, ita peccatis eorum poſtulantibus, ad infelicem ſtatum redacti ſunt, & urbs frequens ad civium paucitatem. VEXATI SUNT A TRIBULATIONE MALORUM, ET DOLORE: afflicti ſunt variis malis, tribulationibus, & doloribus.

V. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO SUPER PRINCIPES, quos Deus propter peccata deſpicabiles reddit, eorum apud ſubditos aucto-

Digitized by Google

auctoritatem imminuens. ERRARE IN INVIO, ET NON IN VIA, deflectere a recta via, & aberrando ab illa obliquas ſemitas, & invias ſectari, quod faciunt qui imprudenter agunt, & impie.

V. 41. ET ADIUVIT PAUPEREM DE INOPIA; quaſi dicat: Eodem tamen tempore non defuerunt viri probi, quos Deus de inopia ſublevavit, & pavit, & rexit ut proprias oves, familias eorum.

V. 42. OPPILABIT OS SUUM, obmuteſcet ob tam ſingularia Domini iudicia.

V. 43. CUSTODIET HAEC, in corde ſuo, probe illa intelligendo, & iuxta illa vitam dirigendo, & mores componendo. MISERICORDIAS DOMINI: beneficia, quibus Dominus ſuos afficit.

TIRINI.

Verſ. 4. VIAM CIVITATIS HABITACULI; id eſt, viam ducentem ad civitatem in qua habitare poſſent. Idem rurſus verſ. 7.

V. 8. CONFITEANTUR, paſſive; id eſt, prædicentur, laudentur, DOMINO, ſeu in honorem Domini Dei: ita Ianſenius.

V. 10. SEDENTES; ſupple, liberavit ex AEgypto, & aliis locis in quibus captivi tenebantur. DE UMBRA MORTIS, vide Pſal. XXII. 4.

V. 11. EXACERBAVERUNT ELOQUIA DEI; id eſt, acerbe reſtiterunt & rebelles fuerunt *eloquiis*, id eſt iuſſis, *Dei*: & *conſilia*; id eſt, monita, *eius* IRRITAVERUNT; id eſt, irrita fecerunt, ſpreverunt; Chaldæus, *execrati ſunt*; Hieronymus, *blaſphemaverunt*.

V. 16. CONTRIVIT PORTAS AERAS ET VECTES FERREOS, id eſt fortiſſimos carceres & compedes.

V. 18. OMNEM ESCAM ABOMINATA EST, præ morbo & debilitate.

V. 20. MISIT VERBUM SUUM; iuſſit ut convaleſcerent: allegorice, miſit Meſſiam, inquit Theodoretus.

V. 23. FACIENTES OPERATIONEM IN AQUIS; id eſt, qui exercent rem nauticam, vel qui negotiantur in mari.

V. 25. & 26. DIXIT, ſeu iuſſit, Deus, & mox STETIT, id eſt exſurrexit, SPIRITUS PROCELLAE, id eſt ventus procelloſus; quo *exaltantur fluctus* maris: unde quotquot tunc mare navigant, ASCENDUNT una cum fluctibus & navigiis ſuis quaſi AD CAELOS USQUE, & mox præcipitantur quaſi in barathrum. Hine omnium vectorum animi metu & vertigine pene *contabeſcunt*, &

V. 27. OMNIS SAPIENTIA, id eſt peritia rei nauticæ abſorbetur & deficit. Extremum ergo remedium adhibent, clamantque ad Deum: qui exaudiens,

V. 29. & 30. STATUIT PROCELLAM EIUS IN AURAM, ſcilicet ſerenam & placidam, ET DEDUXIT EOS IN PORTUM, quem volebant. Tropologice, hæ tempeſtates, hi labores impendent Paſtoribus Eccleſiæ & præconibus verbi Dei, inquit S. Hieronymus.

Allegorice, Theodoretus miſit Deus *Verbum*, id eſt Filium ſuum, ut ſanaret omnia.

V. 32. IN CATHEDRA, id eſt conſeſſu, inquit Chaldæus, SENIORUM, ſeu ſenatorum & magiſtratuum; quaſi dicat, Publice & palam.

V. 33. POSUIT FLUMINA IN DESERTUM; id eſt, loca humida & fertilia fecit Deus arida & ſterilia: ET EXITUS AQUARUM IN SITIM; id eſt, fontes exſiccavit.

V. 34. IN SALSUGINEM, id eſt ſterilitatem. Sal enim ſua ſiccitate & uſtione ſterilitatem inducit, Iudic. IX. 45. Vide in hanc rem exempla apud Thomam Boſium, ſigno Eccleſiæ 73. Allegorice Iſaias cap. XLI. 18. applicat hæc vocationi Gentilium ad Eccleſiam Chriſti.

V. 39. ET PAUCI FACTI SUNT; id eſt, rurſus ob ſcelera ſua imminuti ſunt numero & opibus.

V. 40. EFFUSA EST CONTEMPTIO SUPER PRINCIPES; id eſt, glorioſos, & ſuperbos principes reddit viles & omnibus contemptibiles, eouſque ut ſedibus ſuis pulſi cogantur errare per invia & devia. Simile habes Iob XII. 17. E contra

V. 41. ADIUVIT PAUPEREM; id eſt, liberavit humilem, DE INOPIA, *familiamque* eius multiplicavit inſtar gregis *ovium*; ita fere ſanctus Auguſtinus & Theodoretus.

GORDONI.

Titulus eſt, Alleluia. Dat etiam Pſalmi argumentum, ut Pſalmo cv. præfatus ſum: & ut ibidem dixi, tranſpoſitus eſt a Septuaginta. Laudatur vero hic Deus, tum a potentia, qui ad nutum omnia mutare poteſt, tum a miſericordia, dum ſuccurrit hominum miſeriis. Et quidem ſenſus litteralis apparet eſſe de miſeriis corporalibus: myſticus ſenſus optime ad ſpiritualia pertinet.

Verſ. I. CONFITEMINI DOMINO, &c. in quinque partes Pſalmus hic ſecari poteſt. Initio hortatur omnes, ut laudes Dei confiteantur. Deinde dicturus de liberatione a variis miſeriis, incipit verſiculo 4. a fame &. ſiti. Item verſ. 10. de captivitate; verſ. 17. de morbo; denique verſ. 23. de periclitantibus in mari. Tandem verſ. 33. ſubdit quæ præfatus ſum pertinere ad potentiam.

V. 17. SUSCEPIT EOS DE VIA INIQUITATIS. Septuag. *ἀντιλάβετο αὐτοῖς*. Hebr. אוילים *evilim*, *ſtulti*, *propter viam iniquitatis*. Sed cum vox, *ſtulti*, non ſit apud Septuaginta; conſtare debet aliter fuiſſe in Hebræo. Suſpicantur aliqui eos legiſſe אילם *aialem*, *ſuſcepit eos*; ita ut איל *aial*, ſignificaverit etiam ſuſcipere, tempore Septuag. ut arbitrantur Agellius, & Bellarminus. Verum Genebrardus putat legiſſe אוילים *ivelim*, cum pronomine affixo, a rad. אויל *ivol*, in *piel*, quod eſt roborare, vel ſuſcipere, *ἀντιλάβεσθαι*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. I. uſq. ad 4. CONfitemini *Domino*, &c. In hac prima Pſalmi parte, & confeſſione laudis, invitantur omnes ad hanc confeſſionem, quotquot redempti ſunt: redemit autem omnes per Chriſtum.

V. 4. uſq. ad 10. *Erraverunt*, &c. In hac altera parte, quæ eſt de liberato populo a fame, & ſiti, quamvis verba videantur referri ad id, quod accidit Iſraelitis in deſerto, tamen explicari etiam omnia poſſunt ſenſu ſpirituali de errantibus a veritate, in ſiti & miſeriis aliis ſpiritualibus longe a civitate Dei. Et Deus eſt, qui viam rectam, ac compendioſam omnibus oſtendit; idque per Chriſtum.

V. 10. uſq. ad 17. *Sedentes in tenebris*, &c. Tertia pars eſt; & agitur de liberatis a captivitate; & concluditur ut pars ſecunda, de confeſſione laudis iteranda. Ceterum hic etiam locus eſt ſenſui ſpirituali. Nec in his miſeriis recenſendis ſervatur ordo temporis. Hæc tamen narratio referri poteſt ad tempora iudicum. Contritæ portæ ferreæ, metaphora eſt, explicans duram captivitatem.

V. 17. uſq. ad 23. *Suſcepit eos*, &c. Quarta hæc pars habet liberationem a morbis. Alludit ad hiſtoriam de ſerpentibus ignitis. Lege Num. cap. XXI. Concludit hanc partem, ſolita confeſſione, ut ſupra.

V. 23. uſq. ad 33. *Qui deſcendunt*, &c. Quintum Pſalmi membrum eſt de miſeriis, & periculis in mari, cum ſolito epiphonemate, & confeſſione verſu 31.

V. 33. & ſeq. *Poſuit deſertum*, &c. Hic ſextam Pſalmi partem aſſigno, ubi ex affectibus divinam manifeſtat potentiam Pſalmiſta. Et quamvis in depellendis miſeriis eluceat etiam potentia; tamen quæ hactenus dixit, homines reſpiciunt, & eos in miſeriis; proprie ibi commendatur miſericordia. Quod vero nunc, & deinceps dicitur; ut tangit mutationem naturæ, & ordinis rerum; proprie exprimit nobis omnipotentiam Dei. Has vero mutationes potiſſimum factas fuiſſe brevi poſt diluvium, probabile eſt exiſtimare; immo & aliis etiam ſubinde temporibus. Miſcet etiam hic viciſſitudinem rerum. Hæc omnia ſenſum recipiunt ſpiritualem, & myſticum in Eccleſia. *Ergo quis ſapiens*, &c. ut habet verſus 43.

BOSSUET.

Verſ. 3. MARI, *mari auſtrali*, Ch. mari rubro: alias, maris nomine deſignatur Occidens.

V. 4. ERRAVERUNT: hic ad verſ. 9. gratias agit, quod ab errore viæ fuerint liberati, per deſertum iter agentes.

V. 8. MISERICORDIAE: *miſericordias*, Hier.

V. 9. SATIAVIT ANIMAM INANEM: quod errantes per deſerta fame laborarent.

V. 10.

V. 10. Sedentes in tenebris. Ab hoc verſ. 10. ad 16. vincti, in carceribus & ergaſtulis cónſtituti atque ex his liberati memorantur. Vinctos; *vincti*, Hebr. non accuſandi ſed nominandi caſu: neque enim a prioribus regitur; ſed alterius rei eſt initium.

V. 11. Exacerbaverunt. eloquia Dei; Deum iubentem: quæ cauſa Iudæorum calamitatis fuit.

V. 12. Infirmati sunt; *ceciderunt*, Hier.

V. 17. Suscepit eos: *ſtultos*, &c. Idem: vel potius, ſtulti & afflicti; ut ſenſus ſit: Cum eſſent ſtulti & propter ſcelera afflicti, gravibus morbis immiſſis caſtigantur. Sequens ergo verſus ad ægros pertinet a morte liberatos.

V. 18. Omnem escam.... quod indicium vel maximum eſt naturæ deficientis ac mortis proximæ.

V. 20. Misit verbum suum; miſit iuſſa ſua: non enim neceſſe habet ſatellites mittere, qui iuſſa exequantur, cum ipſa ſibi iuſſa ſufficiant. Pſal. CXLVII. 15. *Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius*: quibus verbis exprimitur ſumma iubentis auctoritas & efficentia. De interitionibus: de morbibus, quæ undique ingruebant.

V. 22. Sacrificium laudis; pro ſalute recepta. σωτήριον ἐυχαριστικόν.

V. 23. Qui descendunt .....: Hinc ad 32. navigantes, tempeſtate vexati. Operationem: alii, negotiationem alii, exercentes artem nauticam.

V. 25. Stetit spiritus: ſurrexit, extitit: at Hier. clariore ſenſu, *levavit gurgites*: Deus immiſſis ventis.

V. 27. Sapientia: ars gubernatoria.

V. 29. Statuit procellam in auram: pro turbine lenem auram dedit. *In auram*, *in tranquillitatem*, Hier.

V. 30. Siluerunt, *quieverunt*, idem. In portum voluntatis eorum.... in portum optatum: notus Hebraiſmus.

V. 32. In ecclesia plebis, concione. In cathedra seniorum conſeſſu, ſenatu; qui duo præcipui cœtus ſunt.

V. 33. Posuit flumina. Hinc ad finem Pſalmi prædicat Deum pro ſua poteſtate ac iuſtitia hominibus ac regionibus dare ubertatem ac ſterilitatem; copiam aut inopiam; deturbare principes & pauperes adiuvare: quod ad Babylonios & Iudæos referri videtur; illos a Deo reiectos; hos bonis cumulatos omnibus, & a fœda captivitate liberatos. *Poſuit flumina in deſertum*: locis irriguis ſiccitatem immiſit: qui verſus cum ſequente ad ſterilitatem pertinet. Exitus aquarum; curſus aquarum ubique ſcaturientium.

V. 34. Salsuginem, ſterilitatem; tamquam aſperſo in agros ſale.

V. 35. Posuit deserta in stagna aquarum: iam hæc ad fertilitatem; qui ſcilicet verſ. 33. loca irrigua exſiccabat, hic arida & ſiticuloſa perpluit.

V. 36. Civitatem habitationis, civitatem habitabilem. Iam tranſgreditur ad civitates, cœtuſque hominum divina beneficentia congregatos.

V. 37. Fructum nativitatis: *Fecerunt fruges germina*, Hier. id eſt, e germinibus copioſum fructum.

V. 39. Et pauci facti sunt: qui modo abundabant, mox Deo volente redacti ad ſolitudinem.

V. 40. Effusa est contemptio. Ad ſtatum deſpicabilem deducti ſunt etiam principes; quanto magis plebs invalida? Melius: cauſam allaturus cur civitates corruant, caput malorum attingit; cum nulla ſit iam principum ac Magiſtratuum reverentia: *Aufert* enim *Deus ſpiritus principum*, Pſal. LXXV. 13. Hinc conſilii inopes tamquam per devia errant. Et non in via, in locis inviis. Summa: Deus eſt qui civitates florentes facit & evertit, ut vult. Sic Iob XII. 23. *Qui multiplicat gentes & perdit eas*, &c. *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos ut fruſtra incedant per devium*, &c.

V. 41. Posuit sicut oves, multiplicabit ut greges.

PSALMUS CVII. EUCHARISTICUS.

Conferendus hic Pſalmus cum LVI. *a verſ.* 8. *ad finem*, *&* *cum* LIX. *a verſ.* 6. *ad finem*. *Si enim partes illas utriuſque Pſalmi coniunxeris*, *exiſtet integer hic Pſal.* CVII. *Sunt omnes Davidis* LIX. *&* CVII. *ad Syriacam victoriam pertinent: forte alter petit*, *alter gratias agit; nec mirum Poetam a ſe ipſo mutuari*. *Permultæ ſunt in Vulgata verborum varietates in tribus his Pſalmis: in Hebræo etiam paucula*, *ſed quæ nihil ad ſenſum pertineant*, *doceantque tantum alterum ex altero non deſcriptos*.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum Pſalmus David.

PAratum cor meum Deus: cantabo & pſallam ſed & gloria mea.

Conſurge pſalterium & cithara, conſurgam mane.

Confitebor tibi in populis Domine, & cantabo te in nationibus.

Quoniam magna ſuper cælos miſericordia tua, & uſque ad æthera veritas tua.

Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua.

Ut liberentur dilecti tui: ſalva dextera tua, & exaudi me.

Deus locutus eſt in ſanctuario ſuo: gaudebo, dividam Sichem, & vallem Soccoth dimetiar.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſe, & Ephraim hereditas capitis mei; Iuda dux meus.

Moab lebes pelvis meæ, ſuper Idumæam proiiciam calceamentum meum: cum Philiſthiim fœderabor.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum Pſalmi ipſi David. (Sup. lvi. 8.)

2. PAratum cor meum Deus, paratum cor meum: *cantabo, & pſallam in gloria mea.

3. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

4. Confitebor tibi in populis Domine: & pſallam tibi in nationibus.

5. Quia magna eſt ſuper cælos miſericordia tua: & uſque ad nubes veritas tua.

6. Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua: 7. ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, & exaudi me:

8. Deus locutus eſt in ſancto ſuo: Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.

9. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim ſuſceptio capitis mei.

Iuda Rex meus: 10. Moab lebes ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti ſunt. Quis

Digitized by Google

Quis deducet me in civitatem munitam: quis deducet me uſque in Idumæam?

Nonne tu Deus qui proieceras nos, & non exieras Deus in exercitibus noſtris?

Da nobis auxilium in tribulatione: vana eſt enim ſalus ab homine.

In Deo erimus fortes, & ipſe conculcabit hoſtes noſtros.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me uſque in Idumæam?

12. Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non exibis Deus in virtutibus noſtris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 2. & 3. *Cantabo & pſallam in gloria mea. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara*. Correctores addiderunt, *exurge gloria mea*, prout Græce legitur; licet Hebraice *gloria mea*, & *exurge* non niſi ſemel ſcribantur, quemadmodum & in pleriſque Latinis libris.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. PARATUM COR MEUM DEUS. Heb. *Paratum cor meum*. *Cantabo*, *&* *pſallam*. Heb. *Etiam gloria mea* (pſallet) id eſt anima mea, ut Pſal. XXIX.

V. 13. UT CANTET TIBI GLORIA MEA. Niſi forte pro אף legendum fuit אז: *pſallam gloriam meam*, ut quod veroſimilius eſt, pro כבודו כבודי, *pſallam gloriam eius*; ut Pſalm. LXX. 8. *Ut cantem gloriam tuam*.

V. 5. ET USQUE AD NUBES VERITAS TUA. Heb. *Et uſque ad æthera veritas tua*. Reliqua ſunt explicata Pſal. LIX.

SA.

Vide Pſal. LVI. *&* LIX. *ex quibus hic compoſitus eſt*.

Verſ. 2. PARATUM: ſcilicet, ad te laudandum, ſeu ad tua iuſſa. IN GLORIA, id eſt ex animo: ſcilicet, anima gloria eſt hominis. Hieron. *ſed & gloria*. Chald. *& gloria*.

V. 4. IN, id eſt coram. NATIONIBUS, id eſt gentibus.

V. 5. SUPER CAELOS; quaſi dicat, Cælis altior. USQUE, id eſt ſuper. NUBES, id eſt cælos. Hieron. *æthera*. VERITAS, ſcilicet in præſtando promiſſa.

V. 6. GLORIA TUA; ſcilicet, appareat.

V. 7. SALVUM, ſcilicet me. DEXTERA, id eſt potentia.

V. 8. LOCUTUS EST; quaſi dicat, promiſit, ſcilicet mihi de hoſtibus victoriam. SANCTO. Hieron. *ſanctuario*: vide Pſal. LIX. ubi reliqui verſus.

V. 9. SUSCEPTIO, id eſt protectio. Hieron. *virtus*. Chald. *fortitudo*. REX, ſcilicet David, & Chriſtus de tribu Iuda. Hieron. *Dux*. Chald. *Scriba*.

V. 10. SPEI. Hieron. *pelvis*. ALIENIGENAE. Hieron. *Philiſthiim*. AMICI FACTI SUNT. Græc. *ſubditi ſunt*. Hieron. *fœderati erant*.

V. 12. REPULISTI. Hieron. *proieceras*. Chald. *deſeruiſti*. VIRTUTIBUS, id eſt exercitibus.

V. 13. QUIA VANA. Græc. & Hebr. *& vana*; pro, quia vana. HOMINIS. Hieron. *ab homine*.

V. 14. FACIEMUS VIRTUTEM. Hieron. *erimus fortes*. AD NIHILUM DEDUCET. Hieron. & Chald. *conculcabit*.

ESTII.

ESTII.

Nulla particularis Annotatio in hunc Pſalm.

Vide Pſal. LVI. & LIX. *ex quibus hic compoſitus eſt.*

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM PSALMI IPSI DAVID. Precatur Deum ſibi propitium contra hoſtes. Sex primi verſus ſunt ex Pſalmi LVI. fine; reliqua ab illis verbis, *Ut liberentur dilecti tui*, ſunt fere ex Pſal. LIX. 5. Ex iis Pſalmis huius explicatio petatur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CANTICUM PSALMI. Vide in Pſal. XLVII. 1. DAVID. Heb. in dativo, *ipſi Davidi*. Vide in Pſal. III. 1.

V. 2. PARATUM COR MEUM, DEUS; &c. Hic verſus, & quinque ſequentes iidem omnino ſunt cum verſibus 8. 9. 10. 11. & 12. Pſal. LVI. paucis immutatis: inde accerſendæ notæ. PARATUM COR MEUM, DEUS, PARATUM COR MEUM. Heb. tantum ſemel dicitur, *Paratum cor meum Deus*, ſed Pſal. LVI. 8. repetitur, ut hic in Noſtro. ET PSALLAM IN GLORIA MEA. Heb. *Etiam gloria mea*, Pſal. LVI. 9. non hoc verſu ponitur, ſed ſequente. Hic poteſt eſſe ablativus, ut Noſter intellexit. Unde reddunt: *Pro omni virili mea*; vel, *idque ex animo*; vel nominativus, *Etiam gloria mea* moduletur; vel, *etiam gloria mea excitare*, ut ſequentibus iungatur: ut fit Pſalmo LVI. 9.

V. 4. DOMINE. Heb. *Iehveh*, Pſalmo vero LVI. 10. *Adonai*. ET PSALLAM. Pſal. LVI. 10. abeſt coniunctio &, at hic Heb. additur.

V. 5. SUPER CAELOS. Pſal. LVI. 11. *Uſque ad cælos*.

V. 7. UT LIBERENTUR DILECTI TUI, &c. Hinc uſque ad finem Pſalmi omnia ſunt eadem cum Pſalmo LIX. a verſ. 7. ad finem Pſalmi, paucis exceptis.

V. 9. ET MEUS EST MANASSES: coniunctio, &, Heb. abeſt: quæ tamen Pſalmo LIX. 9. exprimitur.

V. 10. MIHI ALIENIGENAE AMICI FACTI SUNT. Varie ex Hebr. transferunt: 1. *Super Peleſeth iubilabo*: 2. *Super Palæſthinam clangam tuba*: 3. *Uſque ad Pheliſthæos exultans perveniam*: 4. *Contra Palæſtinam clangentem agam*; id eſt, triumphabo victor: quod Pſal. LIX. 10. per ſarcaſmum Pheliſthæis exprobraverat.

MENOCHII.

SUpra hunc Pſalmum, nam quæ habet a primo uſque ad ſeptimum repetita ſunt ex Pſalmo LVI. a num. 8. uſque ad finem Pſalmi: quæ vero habet a num. 8. & deinceps, eadem habes Pſal. LIX. a num. 6. uſque ad finem.

TIRINI.

COnflatus eſt hic Pſalmus ex fine duorum Pſalmorum LVI. & LIX. quos ſupra explicui.

GORDONI.

Titulus: CANTICUM PSALMI IPSI DAVID. Voces ſupra declaratæ ſunt. Dicitur Canticum Pſalmi ex ſyntaxi, & regimine genitivi: Ceterum hic Pſalmus totus ſupra eſt explicatus: nam quinque priores verſus, ſunt ultimi quinque verſus Pſalmi LVI. aut perexiguum diſcrimen eſt. Reliqui vero octo verſus in hoc Pſalmo, coincidunt cum octo poſtremis verſiculis Pſalmi LIX. illis locis habetur argumentum.

BOSSUET.

Verſ. 6. SUPER OMNEM TERRAM GLORIA TUA. Huc uſque e Pſal. LVI.

V. 7. UT LIBERENTUR DILECTI TUI: cetera repetita ex Pſal. LIX. 6.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS CVIII. INCREPATORIUS ET PROPHETICUS.

In Achitophel: typice in Iudam pari cum Achitophel ſuſpendio infamem. II. *Reg.* XVII. 23. *cui etiam multi verſus proprie conveniunt præter octavum a Petro de ipſo expoſitum, Act.* 1.20. *atque etiam in Iudæos Iudæ proditoris aſſeclas & incentores. Theodor.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori David Pſalmus.

DEus laudabilis mihi, ne taceas. Quia os impii & doloſi contra me apertum eſt: locuti ſunt de me lingua mendacii.

Verbis odii circumdederunt me, & expugnaverunt me fruſtra.

Pro eo quod eos diligebam, adverſabantur mihi: ego autem orabam.

Et poſuerunt contra me malum pro bono, & odium pro dilectione mea.

Conſtitue ſuper eum impium, & ſatan ſtet a dextris eius.

Cum fuerit iudicatus exeat condemnatus: & oratio eius ſit in peccatum.

Fiant dies eius parvi: epiſcopatum eius accipiat alter.

Sint filii eius pupilli, & uxor eius vidua.

Inſtabiles vagentur filii eius, & mendicent: & quærantur in parietinis ſuis.

Scrutetur exactor univerſa quæ habet, & diripiant alieni labores eius.

Non ſit qui eius miſereatur: nec qui clemens ſit in pupillos eius.

Fiat noviſſimum eius interitus: in generatione altera deleatur nomen eius.

VERSIO VULGATA.

1. In finem, Pſalmus David.

2. DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

3. Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me: & expugnaverunt me gratis.

4. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

5. Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

6. Conſtitue ſuper eum peccatorem: & diabolus ſtet a dextris eius.

7. Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

8. Fiant dies eius pauci: & epiſcopatum eius accipiat alter.

9. Fiant filii eius orphani: & uxor eius vidua.

10. Nutantes transferantur filii eius, & mendicent: & eiiciantur de habitationibus ſuis.

11. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius: & diripiant alieni labores eius.

12. Non ſit illi adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

13. Fiant nati eius in interitum: in generatione una deleatur nomen eius.

Redeat

Digitized by Google

Redeat in memoriam iniquitas patrum eius apud Deum, & iniquitas matris eius non deleatur.

Sint contra Dominum ſemper: & intereat de terra memoria eorum:

Eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam: & perſecutus eſt virum inopem, & pauperem: & compunctum corde ut interficeret.

Et dilexit maledictionem, quæ veniet ei: & noluit benedictionem, quæ elongabitur ab eo.

Et indutus eſt maledictione, quaſi veſtimento ſuo, & ingreditur quaſi aqua in viſcera eius: & quaſi oleum in oſſa eius.

Sit ei quaſi pallium quo circumdatur, & quaſi cingulum quo ſemper accingitur.

Hæc eſt retributio his qui adverſantur mihi a Domino, & qui loquuntur malum contra animam meam.

Tu autem Domine Deus fac mecum propter nomen tuum: quoniam bona eſt miſericordia tua, libera me.

Quoniam egenus, & pauper ſum: & cor meum vulneratum eſt intrinſecus.

Quaſi umbra cum inclinatur abductus ſum, & excuſſus quaſi locuſta,

Genua mea vacillaverunt a ieiunio, & caro mea immutata eſt abſque oleo.

Et ego factus ſum opprobrium eis: videntes me moverunt caput ſuum.

Adiuva me Domine Deus meus: ſalva me ſecundum miſericordiam tuam.

Et ſciant quoniam manus tua hæc: tu Domine feciſti eam.

Maledicent illi, & tu benedices: reſtiterunt, & confundentur, ſervus autem tuus lætabitur.

Induantur adverſarii mei confuſione, & operiantur quaſi veſtimento confuſione ſua.

14. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur.

15. Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum: 16. pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam.

17. Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

18. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intravit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.

19. * Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur: & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.

20. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala adverſus animam meam.

21. Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia ſuavis eſt miſericordia tua.

Libera me, 22. quia egenus & pauper ego ſum: & cor meum conturbatum eſt intra me.

23. Sicut umbra cum declinat, ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

24. Genua mea infirmata ſunt a ieiunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.

25. Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita ſua.

26. Adiuva me Domine Deus meus: ſalvum me fac ſecundum miſericordiam tuam.

27. * Et ſciant quia manus tua hæc: & tu Domine feciſti eam.

28. Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur; ſervus autem tuus lætabitur.

29. Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Con-

Confitebor Domino vehementer in ore meo, & in medio populorum laudabo eum.

Quoniam ſtabit a dextris pauperis, ut ſalvet a iudicibus animam eius.

30. Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

31. * Quia aſtitit a dextris pauperis, ut ſalvam faceret a perſequentibus animam meam.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 19. *Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur*. Non ſunt mutanda præſentia in futura, *operietur præcingetur*.

V. 27. *Et ſciant quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam*. Quidam pro feminino *eam*, legunt neutrum *ea*, expoſitionis forſitan cauſa.

V. 31. *Quia adſtitit a dextris pauperis*. Non mutes coniunctionem *quia* cum relativo *qui*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. DEUS LAUDEM MEAM, &c. Hebr. *Deus laudis meæ, ne ſileas*; id eſt, reſponde precibus meis. Vel, Ne otioſus ſis, ſed defende me.

V. 3. LINGUA DOLOSA. Hebr. *mendaci*.

V. 4. PRO EO UT ME DILIGERENT, &c. Hebr. *Pro dilectione mea adverſabantur mihi, ego autem orationis* (vir eram orationis) id eſt, nihil aliud agebam, quam pro illis orare.

V. 10. EIICIANTUR DE HABITATIONIBUS. Hebræi nunc legunt מחרבותיהם ודרשו; *quærant de deſolatis ſuis*. Quod vix congruentem ſenſum habere poteſt. Septuag. multo melius videntur legiſſe, ירשו ἐκβληθήτωσαν, *eiiciantur de vaſtationibus ſuis*, id eſt e ſuis ſedibus devaſtatis.

V. 11. SCRUTETUR FOENERATOR. Heb. *quaſi rete capiat*.

V. 12. NON SIT ILLI ADIUTOR. Heb. *Non ſit qui miſericordiam extendat*, id eſt qui miſereatur illius.

V. 13. FIANT NATI EIUS IN INTERITUM. Heb. *Fiat poſteritas eius in perditionem in generatione altera* (id eſt ventura) *deleatur nomen eorum* אחר. Melius Septuag. legerunt אחד, μιᾷ.

V. 15. FIANT CONTRA DOMINUM SEMPER. Id eſt, ſint ſemper in conſpectu Domini: recordetur ſemper Dominus peccatorum parentum eius, & aboleat de terra memoriam eorum.

V. 20. HOC OPUS EORUM, &c. Hebr. *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi a Domino*; id eſt, hoc faciat illis Dominus.

V. 24. ET CARO MEA IMMUTATA EST. Heb. *macruit propter oleum*; id eſt, quia non veſcebar carnibus, ſed oleo. Hæretici, ne cogantur delectum ciborum concedere, malunt vertere *macruit*, quia non habebat pinguedinem; quaſi vero non eodem ſenſu dixerit: *Genua mea infirmata ſunt a ieiunio*. Non enim infirmata fuerant, quia non ieiunaverat, ſed quia ieiunaverat.

V. 28. MALEDICENT ILLI, &c. Heb. *Maledicant illi* (mihi) *& tu benedicas*; id eſt, modo mihi benedicas.

V. 31. A PERSEQUENTIBUS ANIMAM MEAM Hebr. iudicibus animam eius. Septuag. נפשו, eodem ſenſu. Nam ſeipſum pauperem vocaverat.

S A.

Oratio contra hoſtes.

Verſ. 2. LAUDEM MEAM; quaſi dicat, innocentiam. Hieron. *laudis meæ*. Chald. *laus mea*; quaſi dicat,

Qui es laus mea. Tacueris, id eſt diſ-ſimules; quaſi dicat: Defende a malis. Peccatoris. Hieron. & Chald. *impii*. Super. Hieron. *contra*.

V. 3. Dolosa. Hieron. *mendacii*. Chald. *mendaci*. Circumdederunt; id eſt, undique ſunt aggreſſi. Expugnaverunt; pro, oppugnaverunt. Gratis. Hieron. *fruſtra*. Chald. *ſine cauſa*.

V. 4. Ut me diligerent. Hieron. *quod diligebam eos*. Chald. *quod dilexi*. Detrahebant. Hieron. *adverſabantur*. Chald. *adverſantur*. Orabam, ſcilicet pro eis: Aug.

V. 5. Dilectione; ſcilicet, qua eos diligebam.

V. 6. Constitue, id eſt præfice. Peccatorem. Hieron. & Chald. *impium*, ſcilicet iudicem, vel dominum. Diabolus. Hieron. & Chald. *ſatan*, id eſt *adverſarius*. A dextris; ſcilicet, ut opprimat.

V. 7. Iudicatur, ſcilicet apud magiſtratum, vel Deum. Oratio; id eſt, defenſio apud iudicem, vel oratio ad Deum. In peccatum, id eſt velut peccatum; quaſi dicat, Magis iudicem irriter, vel Deum. Chald. *in condemnationem*.

V. 8. Dies, ſcilicet Apoſtolatus: Aug. Episcopatum, id eſt officium, ſeu dignitatem Epiſcopi: ſcilicet, Apoſtolatum; de Iuda enim loquitur.

V. 10. Nutantes transferantur. Hieron. *inſtabiles vagentur*. Chald. *vagando vagentur*.

V. 11. Scrutetur; ſcilicet, ut accipiat. Chald. *colligat*. Foenerator; id eſt, qui mutuum dedit. Hieron. *exactor*. Alieni, id eſt extranei. Labores, id eſt labore parta.

V. 13. Una, id eſt prima. Hieron. & Chald. *altera*.

V. 14. Matris; quaſi dicat, Non ſolum patris, ſed etiam matris; explicatio præcedentis; quaſi dicat: Puniantur in eo parentum peccata.

V. 15. Contra Dominum, id eſt coram Domino, ſcilicet parentum peccata. Eorum, ſcilicet parentum.

V. 17. Compunctum, id eſt fractum, ſeu afflictum. Mortificare. Hieron. *ut interficeret*.

V. 18. Maledictionem, id eſt malum, ſeu ſupplicium: ſcilicet, qui peccatum diligit, & quod id ſequitur ſupplicium videtur diligere. Benedictionem. id eſt bonum.

V. 19 Vestimentum ſcilicet; quod operit, & hæret. Aqua; ſcilicet, quæ bibitur. Oleum; ſcilicet, quod valde penetrat, & hæret. Ossibus. Chald. *membris*.

V. 20. Hoc opus, id eſt merces: ſic Lev. xix. Iſa. iv. & lxii. Hieron. *Hæc eſt retributio*. Apud Dominum. Græc. Hieron. & Chald. *a Domino*, ſcilicet retributio. Loquuntur, id eſt machinantur. Animam, id eſt vitam.

V. 21. Fac, ſcilicet bonum. Mecum. id eſt mihi. Propter nomen tuum, id eſt propter te; ſeu, pro tua clementia, Suavis. Hieron. *bona*.

V. 22. Conturbatum. Hieron. *vulneratum*. Chald. *contritum*.

V. 23. Declinat. Hieron. *inclinatur*; ſcilicet, extenſione, & definit in tenebras. Ablatus. Chald. *conſumptus*. Excussus. Chald. *vagatus*.

V. 24. Infirmata sunt. Hieron. *vacillaverunt*. Chald. *collapſa ſunt*. A ieiunio, id eſt præ ieiunio. Immutata. Chald. *macilenta*. Propter oleum, ſcilicet deficiens. Hieron. *abſque oleo*, id eſt unctionibus, quæ olim in uſu: vel pinguedo ſignificatur, cuius defectu mutatus. Chald. *abſque pinguedine*.

V. 25. Moverunt, ſcilicet deridentes.

V. 27. Manus, id eſt auxilium. Chald. *percuſſio*. Eam; pro, id, ſcilicet iuvando, vel affligendo.

V. 28. Maledicent; quaſi dicat, Perſequentur. Benedices; quaſi dicat, Favebis.

V. 29. Diploide, id eſt veſte, ſeu pallio. Hieron. *veſtimento*. Chald. *clamyde*. Aug. *duplici pallio*, ſcilicet confuſione coram Deo & hominibus.

V. 30. Nisi; quaſi dicat, Totis viribus. Hieron. *vehementer*. Multorum. Hieron. *populorum*. Chald. *ſapientium*.

V. 31. Astitit. Hieron. & Chald. *ſtabit*. Salvam faceret. Hieron. *ſalvet*. Persequentibus. Hieron. & Chald. *iudicibus*, ſcilicet malis. Animam id eſt vitam.

Digitized by Google

ESTII.

Verſ. 3. LOCUTI SUNT ADVERSUM ME LINGUA DOLOSA. Chriſtus in hoc Pſalmo de adverſario ſuo, nunc ſingulari numero loquitur, nunc plurali. Nam immediate præcedit: *Quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt*. Et ſequitur etiam mox verſ. 6. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet a dextris eius*. Unus ergo intelligitur Iudas proditor: nam de ipſo Petrus Act. I. partem huius Pſalmi citat. Plures vero intelliguntur Iudæi, iuxta quod ipſos quoque Stephanus Act. VII. proditores Chriſti vocat. Iudas enim Iudæis Chriſtum tradidit; Iudæi vero Pilato, ut ex Evangelio notum eſt.

V. 24. GENUA MEA INFIRMATA SUNT A IEIUNIO, ET CARO MEA IMMUTATA EST PROPTER OLEUM. Hebr. ſic: *Poplites mei labarunt*, ſeu nutarunt *a ieiunio*, id eſt præ inedia. Porro quod ſequitur, *Et caro mea immutata eſt propter oleum*, quidam ſic exponunt: Caro mea in maciem & ſtrigoſitatem mutata eſt propter defectum olei; id eſt, quia non amplius, ut ſolebam, carnem meam perunxi oleo; eo modo quo Dominus in Evangelio præcipit: *Unge oleo caput tuum, ne videaris hominibus ieiunans*. Verum Hebræa alium ſenſum poſtulare videntur; ſic enim habent: *Et caro mea macruit a pinguedine*, vel mentita eſt a pinguedine; quaſi dicat: Caro mea iam exhauſta eſt pinguedine ſua, amiſit omnem pinguedinem ſuam, & totus macie confectus ſum. Quamquam etiam ad priorem ſenſum Hebræa accommodari poſſunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN FINEM, PSALMUS DAVID. Contra Iudam proditorem, & alios impios.

V. 2. DEUS LAUDEM MEAM. Chriſti verba a Patre glorificari petentis. Hebr. *Deus laudis meæ*; id eſt in quo glorior, aut quem laudare conſtituo. NE TACUERIS: ne deſiſtas me laudare. Heb. *ne obmuteſcas, obſurdeſcaſque*. Vox Hebr. utrumque ſignificat, & muti iidem ſurdi ſunt.

V. 3. LINGUA DOLOSA. Hebr. *lingua mendacii*; id eſt, ſermone ficto & fallaci locuti ſunt contra me. ET SERMONIBUS ODII; id eſt, verbis ex odio profectis me circumvenire conantur. GRATIS, id eſt ſine cauſa.

V. 4. PRO EO UT ME DILIGERENT. Heb. *pro amore meo*: ſcilicet, quo eos amabam, & quem rependere debebant. DETRAHEBANT MIHI. Heb. *adverſati ſunt mihi*. EGO AUTEM ORABAM: ſic Hier. Heb. *& ego oratio*; id eſt, vir orationis eram; id eſt, innocens, qui nocerem nemini.

V. 6. CONSTITUE SUPER EUM PECCATOREM; pro, eos. Præfice illis improbum magiſtratum. ET DIABOLUS. Hebr. *Satan eorum lateri adhæreat*, illos vexet. Aut vertit ſermonem ad impium Iudam, & de eo ſigillatim loquitur, qui prius de omnibus impiis.

V. 7. EXEAT CONDEMNATUS. Hebr. *exeat impius*, id eſt cadat cauſa. ET ORATIO EIUS FIAT IN PECCATUM; id eſt, ſi preces adhibuerit, ſint irritæ, ac quaſi novum peccatum.

V. 8. ET EPISCOPATUM EIUS, præfecturam. ACCIPIAT ALTER; ſcilicet, alienus, qui non ſit ex eius genere. Hoc Act. I. citatur a Petro de Iuda, verſ. 20.

V. 10. NUTANTES TRANSFERANTUR FILII EIUS. Hebr. *Et movendo moveantur*, ſive *vagando vagentur*. ET MENDICENT. Hebr. *& petant*, ſcilicet neceſſaria. ET EIICIANTUR DE HABITATIONIBUS SUIS. Hebr. *Et quærant* (ſcilicet victum) *de deſertis ſuis*. Hieron. *de parietinis*: ſcilicet, redacti ad tuguria inde mendicent.

V. 11. SCRUTETUR FOENERATOR. Heb. *Illaqueet fœnerator*; id eſt, capiat, quidquid reliquum illi fuerit, exactione uſurarum. ET DIRIPIANT ALIENI; ſcilicet, iidem fœneratores. LABORES EIUS, id eſt labore parta.

V. 12. NON SIT ILLI ADIUTOR. Hebr. *extendens miſericordiam*; id eſt, eleemoſynam faciens illi non ſit.

V. 13. FIANT NATI EIUS IN INTERITUM. Hebr. *Fiat poſteritas eius ad excidium*; id eſt, pereant filii & nepotes. IN GENERATIONE UNA; id eſt, ſublatis poſteris in una ætate, eius memoria excidat. Hebr. *in generatione altera*; id eſt, ad ſecundam generationem non perveniat eius memoria. Septuag. pro אחר *abar*, legerunt אחד *ebad* per Daleth.

Digitized by Google

V. 14. In memoriam redeat. Filii pro peccatis patrum & avorum puniuntur. Matrum peccata non adeo extenduntur in poſteros. Ideo *patres* ponit in plurali, *matrem* in ſingulari.

V. 15. Fiant contra Dominum semper. Hebr. *coram Domino ſemper*; ſcilicet, peccata parentum, quibus graventur filii. Et dispereat. Hebr. *diſpereat*, ſine &. Eorum; ſcilicet parentum memoria excidat.

V. 16. Non est recordatus, ille de quo loquitur, facere miſericordiam. Ea mali cauſa.

V. 17. Et compunctum corde, attrito corde, id eſt afflicto. Mortificare. Hieron. *ut interficeret*: uſque ad cædem eſt illum inſectatus, ſcilicet inopem.

V. 18. Et noluit benedictionem, id eſt felicitatem: bona a Deo data. Et induit maledictionem sicut vestimentum, id eſt omni ex parte. Sicut aqua, quæ in viſcera intrat. Et sicut oleum, quod in medullas; id eſt, interius, exteriuſque ſit infelix.

V. 20. Hoc opus eorum, id eſt merces. Qui detrahunt mihi. Heb. *qui adverſantur mihi*. Apud Dominum. Heb. *a Domino*. Hæc merces a Domino. Animam meam; id eſt, in vitam meam loquuntur.

V. 21. Domine, Domine. Hieronymus, *Domine Deus*. In Hebræo ſunt duo nomina יהוה, pro quo legunt *Elohim* & *Adonai*. Fac mecum, ſcilicet bonum; aut, præſto mihi eſto. Suavis, bona, benigna, dulcis eſt miſericordia tua.

V. 22. Et cor meum conturbatum, id eſt ſaucium, occiſum, ſcilicet præ anguſtia.

V. 23. Sicut umbra.....ablatus sum. Hebr. *abii*; id eſt, velociter inſtar umbræ verſus occaſum diei, quæ declinat velociter. Et excussus sum. Hebr. *& vagatus ſum* ut locuſta, quæ de loco in locum volat & tranſit.

V. 24. A ieiunio ſunt genua infirma. Heb. *præ ieiunio*: ſcilicet, quod propter egeſtatem parior. Et caro mea immutata est propter oleum, id eſt defectum olei: non habeo quo ungar. Heb. *Et caro mea mentita eſt a pinguedine*, macra eſt reddita. Hieronymus, *immutata eſt abſque oleo*.

V. 25. Et moverunt capita sua; non ex compaſſione, ſed illudentes.

V. 27. Et sciant quia manus tua haec, id eſt opus tuum, auxilium tuum. Et tu Domine fecisti eam, ſcilicet manum. Sciant quia manus tua hæc.

V. 28. Maledicent illi, et tu benedices; id eſt, vertes in bonum quæ illi maledicunt, & cogitant contra me. Cofundantur, pudefiant.

V. 29. Induantur.....pudore. Hebr. *ignominia*. Sicut diploide. Veſtis genus, & nomen Græcum ſignificat *veſtem duplicatam*. Hebr. *operiantur ſicut pallio*; ſcilicet, quod tegit omni ex parte. Confusione sua. Hebr. *pudore, verecundia induantur*.

V. 30. Confitebor, laudabo. In medio multorum, id eſt publice.

V. 31. Quia astitit a dextris pauperis: ſcilicet Chriſti aut David, ut dextræ eius opituletur, & eam fulciat, contra vim apertam. Ut salvam faceret .....animam meam; id eſt, vitam liberaret. Hebr. *animam eius*: ſic Hieron. id eſt vitam pauperis. Septuag. Iod pro Vau legerunt; litteræ ſimiles. Chald. *animam meam* dixit ut Noſter. A persequentibus. Hebr. *a iudicibus*, ſcilicet iniquis: contra dolos & fraudes, quæ ſunt in iudiciis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Psalmus David. Notant, videri Davidem hunc Pſalmum cecinisse Deo, cum ſub finem regni Saulis animadverteret omnia eſſe perditiſſima: ut conſimilibus verbis utitur Saulem alloquens, I. Samuel. xxvi. 19. Ergo in Doegum, & ſimiles aulicos ſceleratiſſimos Saulis invectivam eſſe volunt. Alii ſeorſim in Achithophelem conſcriptum eſſe exiſtimant. Complures, totum propheticum eſſe, & continere quærimonias & imprecationes Chriſti in Iudam, & Principes ſacerdotum & ſcribas, cædis eius auctores ex verbis Petri Actor. I. 20.

V. 2. Deus laudem meam Hebr. *Deus laudis meæ*. Alii, 1. *Deus gloria mea*; 2. *Deus auctor & materia gloriationis meæ*; 3. *O Deus, in quo ſolo tota laus mea conſiſtit*; 4. *O Deus, qui laudaris a me, in quo & de*

& de quo glorior; 5. Deus a quo tamquam ab uberimo fonte manat omnis mea laus & gloria. NE TACUERIS. Vide Pſal. XXVII. I. id eſt, ne te contineas, ne diſſimules. QUIA OS PECCATORIS, ET OS DOLOSI SUPER ME APERTUM EST. Vide I. Samuel. XXIV. & 10. cap. XXVI. 19. APERTUM EST. Hebr. *Aperuerunt*, intelligunt, peccator, & fraudulentus, vel delatores: alii, *aperuerunt ſe*, vel *aperta fuerunt*: Alii reddunt: I. *Os enim ſuum impius, & homo fraudolentus adverſum me aperuerunt.* II. *Nam os impii, & os doloſum patent contra me.* III. *Nam os improbi & os doloſi contra me aperuerunt ſe.* LOCUTI SUNT ADVERSUM ME LINGUA DOLOSA: ſcilicet, impius, & doloſus; vel delatores. Alii, *locuta ſunt*, nimirum ora. Diverſimode reddunt: I. *Locuti ſunt mecum lingua falſitatis*. II. *Et mecum loquuntur falſa lingua*. III. *Oblocuta ſunt mihi lingua mendace*; id eſt, calumnias falſas de me deferentes.

V. 3. ET SERMONIBUS ODII CIRCUMDEDERUNT ME. Alii ex Hebr. I. *Verbis ab odio profectis omni ex parte aggreſſi ſunt me*. II. *Sermonibus ex odio confictis circumveniunt me*. III. *Et verbis odioſis circumvenerunt me*. Buchananus:

> *In me odii occultis acuunt ſermonibus iras.*

ET EXPUGNAVERUNT ME GRATIS. Hebr. *Et conciderunt; oppugnaverunt me gratis, abs re, ſine cauſa, immerito.*

V. 4. EGO AUTEM ORABAM. Hebr. *Et ego oratio*. Varie accipiunt: I. *Et ego* ſum *oratio*. Hyperbole; quaſi dicat: Nedum utcumque pro eis orabam; ſed totus vertebar in orationem, tota vita mea nihil aliud erat, quam continens quædam oratio. II. *Et ego vir orationis*. III. *Et ego pro illis orabam*, vel *orationem fundebam*. IV. *Ego vero hoc videns ad precationem recurri, non habens perfugium aliud*. V. *Cum ego æquitati ſtudeam*. Nec hæc interpretatio a notione verbi Hebraici abludit. VI. *Et ego precationi attendebam*, vel *intentus ſum*. VII. Aliqui totum verſum ita reddunt: *Adverſati ſunt mihi loco dilectionis meæ, qua eram in oratione*; id eſt, pro ipſis concipiebam preces, ut Pſal. XXXIV. 13.

V. 6. CONSTITUE SUPER EUM PECCATOREM. Imperativus ex Hiphil magnam hic vim habet: *Viſitare fac, recenſere fac; Præfectum, Viſitatorem, Cenſorem impone ſuper eum, improbum*. Quidam: *Præfice illi improbum*; id eſt, duriſſimi dominatus atque tyrannici eum ſervum effice: preme eum ſub iugo tyrannidi magiſtratus. Nonnulli reddunt: *Impone ei carnificem præfectum*. ET DIABOLUS STET A DEXTRIS EIUS. Hebr. *Et ſatan ſtet ad dexteram eius*. Varie alii: I. *Et hoſtis ſtatuatur ad dexteram eius*. II. *Et angelus vexator adſtet ad dexteram illius*; id eſt, permitte eum malo ſpiritui, qui eum vexet. III. *Qui adverſans inſiſtat ad dexteram illius*; id eſt, indeſinenter obſervet, urgeat, coerceat, qui numquam ab eius latere diſcedat, ſed ſemper oppugnet, & omni acerbitate exagitet. Buchananus verſum ita expreſſit.

> *Tu pater hunc ſævo vexandum trade tyranno,*
> *Vaſtator illi ad dexteram adſtet angelus.*

V. 7. CUM IUDICATUR, EXEAT CONDEMNATUS. Heb. *Exeat improbus*: metalepſis; ſons, reus, damnatus declaretur, & pronuntietur in iudicio, cum in ius venerit. ET ORATIO EIUS FIAT IN PECCATUM. Diverſimode reddunt: I. *Et oratio eius patiatur repulſam*, vel *ſit fruſtranea*. II. *Et oratio eius reddat illum iudici magis odioſum*. III. *Et defenſio eius gravet crimen illius*. IV. *Et precatio illius magis exaſperet iudicem, & augeat peccatum potius quam remiſſionem impetret*. V. *Et oratio illius illi ſit crimini*; id eſt, quo magis ſe crimine liberare defendendo, aut deprecando conabitur, eo ſe amplius oneret. Buchananus:

> *Cum volet iratos animos inflectere fando,*
> *oratione iudices exaſperet.*

Bochius:

> *---- fando ſcelus, & delicta precando*
> *Augeat. ------*

V. 8. FIANT DIES VITÆ EIUS PAUCI; id eſt, parum vivat, non ſua morte defungatur, cadat ante diem: ſint dies vitæ illius pauciores quam ex naturæ lege; ut factum eſt in Iuda, cui ſequentia verba accommodantur, vel prophetice ſcripta ſunt de eo Actor. 1. 20. ET EPISCOPATUM EIUS ACCIPIAT ALTER. פקדה *phekuddah, viſitationem, inſpectionem, cenſuram, curationem, præfecturam, offici-*

um,

um, *adminiſtrationem*, *delegationem*, *Epiſcopi munus*, *Epiſcopatum*, *commiſſionem*, *commendam*, *Apoſtolatum*: quod in Iuda plene completum eſt, Actor. 1. 20. Heb. exponunt, *Præfecturam*, *munus ſibi concreditum*, *functionem eius*, *depoſitum eius*; hoc eſt, omnia, quæ eius fidei & curæ commiſſa ſunt, nempe uxorem, liberos, familiam, opes, magiſtratus.

V. 10. Et eiiciantur de habitationibus. Heb. *Et quærant a ſiccitatibus ſuis*. Alii: I. *Et quærent de deſtructionibus ſuis*; id eſt, e ſuis parietinis, ſive ruinoſis domibus, ſive ſedentes ad domos ſuas ruinoſas, cogantur ſtipem petere a prætereuntibus. II. *Et quærant victum de ſuis deſertis*, vel *locis deſolatis*, ſeu *vaſtatis*, *prodeuntes*. III. *Et cibum quærant poſtquam in exilium relegati erunt*. IV. *Ac victum quærant de ruinoſis ædificiis ſuis prodeuntes*. V. *Et quærant ex vaſtatis habitationibus ſuis*; id eſt, mendicitas eos exire cogat ex ædibus everſis & ruinoſis ad quærendum victum. VI. *Et præ penuria rei familiaris*, *relictis domibus ſuis vacuis*, *cibum quærere cogantur mendicato*. VII. *Quærantque ſtipem e locis deſolatis ſuis*; id eſt, everſa domo & familia quærant ſtipem.

V. 11. Scrutetur foenerator omnem substantiam eius. Alii: I. *Laqueos tendat*, vel *irretiat fœnerator omni*, *quidquid eſt illi*. II. *Manum iniiciat fœnerator omnibus rebus eius*. III. *Perdat exactor*, *quidquid pertinet ad illum*. IV. *Fœnerator nexu obliget omnia*, *quæ habet*; quaſi dicat: Si quid ſuperfuerit illi, id omne dolis ſuis extorqueant fœneratores. V. *Illaqueet*, ſive *extorqueat fœnerator*, *quidquid eſt illi*; id eſt, ad ſe avertat, & intercipiat, veluti retibus bona eorum.

V. 12. Non sit illi adiutor. Heb. *Non erit ei trahens benignitatem*. Alii: I. *Ne ſit ei extendes miſericordiam*, vel *protrahens*, *prorogans beneficium*, ſcilicet in poſteritatem eius. II. *Non obtingat ei*, *qui benignitatem proroget*; vel *eroget* in eum. III. *Non ſit illi*, *qui protendat benignitatem*; id eſt, qui aut dexteram porrigat in adiumentum ipſius, aut ante porrectam adhibere pergat. IV. *Non ſit*, *qui miſericordia trahatur*, vel *ducatur erga illum*. V. *Nec ſit quiſquam*, *qui ullum humanitatis illi præſtet*; *aut exhibeat officium*.

V. 13. Fiant nati eius in interitum. Ex Hebr. I. *Sit poſteritas eius ad exſcindendum*, id eſt excidio addicta, obnoxia. Simile vide Numer. xxiv. 22. II. *Ultima eius deſinant in interitum*. III. *Sit finis illius interitus*. IV. *Erit poſteritas eius inciſioni*; id eſt, tota ſuccidetur.

V. 14. In memoriam redeat iniquitas patrum eius, &c. Quidam exponunt: Id eſt, Deus peccata illius ſemper ſibi proponat in æternum punienda: humanitus dictum. Quidam reſpectum putant ad locum Exod. xx. 5. ut Deus in iſtis puniat peccata parentum, quæ ipſi imitati ſunt, & peius auxerunt, peſſimorum corvorum peiora ova: utque eos exoſos habeat etiam ratione peccatorum parentum, quæ ipſi in ſe copioſius inſtaurarunt, quaſi flagitia hereditario iure trahentes.

V. 15. Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum. Verbum כרת *carath*, ponitur hic in futuro Hiphil; unde reddunt: *Sint coram Iehova iugiter*, *ut exſcindat e terra memoriam eorum*, ſcelerum, vel ſceleratorum. Alii cum Noſtro intranſitive accipiunt. I. *Vigeant* peccata eius ac parentum *in conſpectu Iehovæ ſemper*, ut ea puniat: *at memoria ipſorum* improborum *e terra exſtirpetur*. II. *Sint hæc* peccata *velut ob oculos poſita Domino*: *ſed in oblivionem veniat apud homines*, *qui terram incolunt*, *ſi quid geſſit umquam dignum memoratis*.

V. 16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, &c. Quidam: *Propterea quod non eſt recordatus exercere benignitatem*, &c. Notant, eſſe amplificationem ſuperioris imprecationis, per comparationem malæ mentis, mali animi, & maleficiorum, quibus in viros bonos certo conſilio, & deliberata malitia utebantur, cum pœnis quas ipſi infligi a Deo petit, ut pœna ſit par noxæ, uſque ad verſ. 20. *quod non eſt recordatus*, &c. id eſt, de induſtria oblitus eſt, & omiſit benefacere.

V. 17. Et dilexit maledictionem, et veniet ei: et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. Heb. *Et amavit maledictionem*, *ut eveniret ei*: *neque oblectatus eſt benedictione*, *& procul fuit ab eo*. Notant eſſe traiectionem; pro,

Et

Et optavit ut maledictio obveniret ei, ſcilicet viro pauperi, de quo præcedente verſu: *neque oblectatus eſt benedictione* illius, *ſed ut procul eſſet ab eo* paupere; id eſt, toto ſtudio incubuit ut bona averterentur a viis bonis, & mala obruerent eos: ſic accipiendum eſſe huc locum docent ipſa tempora verborum. Alii reciproce intelligunt: *Et amavit ut ſibi execratio obveniret, neque oblectatus eſt quidam benedictione ſua, ſed ut procul a ſe abeſſet*; quaſi dicat: Adeo ſtudioſus fuit crudelitatis & ſcelerum, ut videretur optare execrationem & odium Dei in ſe. Aliqui reddunt: *Amavit enim immanitatem, & continget illi: odio habuit humanitatem, & procul recedet ab illo.*

V. 18. ET INDUIT MALEDICTIONEM SICUT VESTIMENTUM; ET INTRAVIT SICUT AQUA, &c. Quidam: *Ut indueretur maledictione velut chlamyde ſua, & ingrederetur velut aqua intra eum, & velut oleum in oſſa eius*, ſcilicet pauperis; id eſt, ut omnibus malis corporalibus & ſpiritalibus omni ex parte involutus perfunderetur & ſubmergeretur pauper afflictus: elegantiſſimæ allegoriæ. Alii de ipſo improbo accipiunt: I. *Execratione veluti veſtimento amictus eſt; ea velut aqua in eum penetravit, & in oſſa eius tamquam oleum.* II. *Omni ex parte armavit ſe maledicentia. & tamquam veſte contexit ea ſeſe: & penetravit quemadmodum aqua, quam quis bibit, uſque in penetralia ventris, immo velut in oſſa illius.*

V. 19. FIAT EI SICUT VESTIMENTUM, QUO OPERITUR. Heb. *Erit ei ſicut veſtimentum, obvelabitur.* Quidam: *Adſit illi, tamquam panno amiciat ſeſe; & pro zona iugiter ſe accingat ea.* Maledictio videlicet, quam in viros bonos procuravit, ut involvat, & conſtringat ipſum. Alii: *Adhæreſcat ei, & arctet eum maledictio ut veſtis & cingulum.* ET SICUT ZONA, QUA SEMPER PRAECINGITUR. Hebr. *Et in obfirmationem, robur, continuitatis accingat eam*, id eſt in firmamentum, robur, perpetuum, continuum. מזח *mezach*, aiunt proprie eſſe *obfirmationem*, ſeu *firmamentum*, & per translationem *cingulum, zonam, balteum*, quo homo firmatur, & quod roboret lumbos.

V. 20. HOC OPUS EORUM, QUI DETRAHUNT MIHI APUD DOMINUM. Iſtud, *apud Dominum*, non eſt iungendum cum, *detrahunt*; ſed cum *opus*. Hoc opus apud Dominum, eorum, qui adverſantur mihi. Alii exponunt: I. *Hoc operæ pretium adverſariorum meorum a Iehova.* II. *Hæc ſit merces eorum a Domino, qui male volunt mihi.* III. *Hoc eſto præmium adverſantium mihi a Iehova.* Heb. *Hæc operatio, opera*; id eſt, operæ prætium, merces, præmium operis: metonymia. IV. Atque hæc ſupplicia *parata ſunt a Domino meis adverſariis.*

V. 21. FAC MECUM PROPTER NOMEN TUUM. Verbum *faciendi* abſolute poſitum emphaſin habet, ut Pſal. XXXVI. 5. Varie alii: I *Exerce benignitatem erga me propter nomen tuum*, id eſt propter gloriam nominis tui. II. *Age mecum*, vel *præſto mihi adſis propter nomen tuum*; id eſt, pro fama & excellentia nominis tui, quam de te conceperunt omnes. III. *Tracta me pro genuina clementia tua, quæ nomini tuo reſpondet.* IV. *Fac mecum ad correſpondentiam nominis tui.* Age erga me prout nomini tuo convenit, ut nomen tuum expoſcit, pro amplitudine nominis tui.

V. 22. QUIA EGENUS ET PAUPER EGO SUM; quaſi dicat: Nam miſerrimus ſum, & omni ope deſtitutus; ut ſupra verſ. 16. in genere dixerat.

V. 23. SICUT UMBRA, CUM DECLINAT, ABLATUS SUM. Aliqui: *Ut umbra, cum declinat, abire cogor*, id eſt quam velociſſime. CUM DECLINAT: deflectit, extenditur, ut cum declinante ſole cadunt maiores umbræ. Quidam: *Incedo velut umbra ſerotina.* ET EXCUSSUS SUM SICUT LOCUSTAE. Alii: *Excutior, exagitor, ut locuſtæ*; id eſt, vagari & diſcurſare cogor propter diligentiſſimam perveſtigationem, & perſecutionem hoſtium meorum, ut locuſta diſſilit: ſic enim feciſſe Davidem, docetur I. Samuel. XXIII. 26.

V. 24. ET CARO MEA IMMUTATA EST PROPTER OLEUM. Diverſimode ex Heb. convertunt: I. *Et caro mea macruit a ſervitio*, quo ſervilem & duram vitam agere cogor; ſed ego non capio hanc interpretationem. II. *Et caro mea abnegata eſt a pinguedine*; id eſt, privata, ſeu deſtituta eſt. III. *Attenuata, exhauſta eſt a pinguedine.* IV. *Denegata, defraudata, eſt oleo.* V. *Mentita eſt, defecta eſt a pinguedine.* VI. *Et caro mea exuta eſt pinguedine.* VII.

Et

Et caro mea exaruit, ut ſuccus nullus ſuperſit. VIII. *Et caro mea emaciatur, exhauſta pinguedine*. Apte reddes: *Denegavit ab oleo*; id eſt, recuſavit unguentum & delitias, vel *privata eſt oleo*, ac rebus vitæ utilibus ac voluptuoſis: vide Pſal. CIII. 15.

V. 25. MOVERUNT CAPITA SUA. Vide in Pſal. XXI. 8.

V. 28. MALEDICENT ILLI. Nominativus pluralis. Quidam: *Ut maledicant ipſi, adverſarii mei mihi*; quaſi dicat: Ut cumque hoſtes mei execrentur me, & male mihi velint; tu modo benignus mihi ſis, ac faveas.

V. 31. UT SALVAM FACERET A PERSEQUENTIBUS ANIMAM MEAM. Heb. *Ad ſalvandum de iudicatoribus animæ eius*. Alii: I. *Ut ſervet eum a iudicantibus animam eius*. II. *Ut ſervet a iudicibus iniquis animam eius*. III. *Ut liberet a condemnantibus animam eius*. IV. *Ut ſervaret illum a violentia eorum, qui falſo iudicio perdere conabantur illum*. V. *Ut ſervaret animam eius ab his, qui vitæ ac necis in eum arbitrium ſibi arrogabant*. VI. *Ut ipſum conſervet ab his, qui abiudicant vitam illi*.

MENOCHII,

Verſ. 2. LAUDEM MEAM NE TACUERIS: laudem innocentiæ meæ, quam adverſarii mei obſcurare nituntur, ne taceas, ſed eam omnibus reddas manifeſtam. OS PECCATORIS, ET OS DOLOSI: Iudæ, Scribarum, Phariſæorum Iudæorum, qui me mendaciis conantur opprimere. SUPER ME, contra me.

V. 3. SERMONIBUS ODII CIRCUMDEDERUNT ME: inimicis ſermonibus omni ex parte me ſunt aggreſſi. EXPUGNAVERUNT ME GRATIS: oppugnaverunt me ſine cauſa, ulla in re a me violati.

V. 4. PRO EO UT ME DILIGERENT; cum me diligere debuiſſent. DETRAHEBANT MIHI, male de me, & doctrina mea loquebantur. EGO AUTEM ORABAM, ego autem ſic quidem provocatus ſum, ut illis malum rependerem, ſed orabam te, Domine, ut mihi adeſſes, & illis ignoſceres.

V. 5. POSUERUNT ADVERSUM ME MALA PRO BONIS: rependerunt mihi mala pro beneficiis, quibus a me fuerant affecti. ODIUM PRO DILECTIONE MEA, rependebant odium pro dilectione.

V. 6. CONSTITUE SUPER EUM PECCATOREM. Tranſit ad Iudam, quem prævidebat ducem futurum eorum, qui comprehenderunt Ieſum, ut loquitur S. Petrus Act. I. & per modum imprecantis, prædicit quæ illi eventura proſpiciebat. PECCATOREM. Præfice illi iniquum aliquem iudicem, ac tyrannum, ſpiritum avaritiæ cui ſerviat. Vel nomine peccatoris diabolum intelligit. DIABOLUS STET A DEXTRIS EIUS: calumniator illi adſtet, a quo in iudicio accuſetur.

V. 7. CUM IUDICATUR EXEAT CONDEMNATUS: ſententia a Iudice contra illum feratur, & condemnetur. Iudas de hac vita exivit condemnatus, quia de divina miſericordia deſperavit, & laqueo ſe ſuſpendit. ORATIO EIUS FIAT IN PECCATUM. Precatio eius ducatur peccato: non magis audiatur eius oratio, quam ſi eſſet peccatum. Quamvis utilis ſit oratio peccatori, vertitur tamen illi in peccatum, cum vel non orat quem orare debuiſſet, ut ſi ſupplicet idolo, aut dæmoni: vel non orat pro re bona: ut ſi poſtulet inimicorum ſuorum ruinam: vel non orat per unicum mediatorem Chriſtum, ſed per merita ſua, de ſe præſumendo; vel non orat cum ſpe, aut fide, aut aliis neceſſariis bonæ orationis comitibus. Porro Iudas oravit ſine ſpe indulgentiæ ex D. Hieron. nec per Chriſtum mediatorem, ex D. Auguſt. nec Deum oravit, ſed dæmonem, qui illi ſuſpendium ſuaſit.

V. 8. FIANT DIES EIUS PAUCI; præmatura morte intereat, quod Iudæ accidit, qui morte violenta extinctus eſt. EPISCOPATUM EIUS ACCIPIAT ALTER. His verbis uſus eſt divus Petrus Act. I. ut oſtenderet neceſſarium fuiſſe, ut in locum Iudæ aliquis ſubſtitueretur, Epiſcopatum, hoc eſt, Apoſtolatum eius accipiendo. Hoc idem impletum eſt in Iudæis: nam poſt Iudæ peccatum, pauci fuerunt dies Iudæorum in Epiſcopatu, id eſt in ſacerdotio, ſive Pontificatu; & Epiſcopatum eorum accepit alter, quia translatum eſt ſacerdotium Aaronicum ad ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, & nulli ſunt hodie Pontifices

Iudæo-

Iudæorum ; multi vero Chriſtianorum.

V. 9. Fiant filii eius orphani. Putat Genebrardus accumulari imprecationes, non ut omnes adamuſſim accidant; ſed quæcumque poterunt donec penitus pereat, idque Poetice, quemadmodum apud Callimachum, & Ovidium in Ibin. S. Chryſ. Theodoret. & Euthym. putant Iudam coniuge caruiſſe, quod nuſquam ſit illius mentio. Apte conveniunt hæc Iudæis, quorum dies poſt mortem Chriſti fuerunt pauci, in excidio Ieroſolymitano maxima illorum ſtrage edita, unde plurimæ viduæ.

V. 10. Nutantes transferantur filii eius: inſtabiles vagentur filii eius. Eiiciantur de habitationibus suis: in Græco eſt, ἐξ οἰκοπέδων, eſt autem οἰκόπεδον ſuperficies domus dirutæ. Diruantur domus eorum, nec tamen in ipſis parietinis habitare poſſint, ſed ex illis eiiciantur. Convenit imprecatio Iudæis tempore Ieroſolymitani excidii.

V. 11. Scrutetur foenerator omnem substantiam eius: pecunia a fœneratore accipiant, & cum ſortem, & uſuras ſolvere non poſſint, ipſi fœneratores, domum illorum ingrediantur, & ſibi pignora eligant, immo domum diripiant. Videtur reſpicere legem Deut. cap. XXIV. 10. *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius ut pignus auferas, ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* In excidio Ieroſolymitano adeo Iudæorum divitias ſcrutabantur milites Romani exercitus, ut etiam corporibus ſectis aliquorum viſcera ſcrutati ſint, ſperantes ſe aurum quod deglutiviſſent inventuros. Teſtis Ioſephus de bello Iud. Lib. VI. cap. XV. Alieni, extranei, qui non ſunt veri, ac legitimi heredes.

V. 13. Fiant in interitum, intereant. In generatione una, &c. genus illius non propagetur; ſed ipſo cum filiis pereunte in una generatione deleatur familia, & nomen eius.

V. 14. In memoriam redeat, &c. Imputet illi Deus peccata maiorum ſuorum, & pro illis puniatur. *Deus æmulator reddens iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me*, ut dicitur Deuteronomii cap. V. 9. Et peccatum matris, &c.

repetitio præcedentis hemiſtichii.

V. 15. Fiant contra Dominum semper: illas iniquitates ſemper ante oculos habeat Dominus ut puniat. Memoria eorum, Iudæ, parentum, & filiorum eius.

V. 16. Non est recordatus facere misericordiam: quia immitis fuit, & immiſericors in Chriſtum, illum ſuſtinens tradere in mortem.

V. 17. Inopem, et mendicum; ob tenuitatem aſſumptæ carnis, & quia non habebat præ paupertate, ubi caput reclinaret, Lucæ IX. 50. Compunctum corde mortificare: animo mæſtum, & triſtem occidendum tradere.

V. 18. Dilexit maledictionem: ea dilexit, & egit, ob quæ ſequitur maledictio, tum temporaria, tum æterna. Induit maledictionem sicut vestimentum; id eſt, firmiter, & omni ex parte ſe maledictione armavit. Sicut aqua, quam quis bibit, quæ interiora permeat. Oleum, quod facile penetrat; quaſi dicat: Maledictio, & infelicitas oſſa, medullas, & omnia interiora illius penetravit. Sicut vestimentum: adhæreat illi omni ex parte ut veſtimentum, illumque conſtringat ut zona qua præcingitur.

V. 20. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi, hæc eſt merces eorum. Italice diceremus, *Queſto guadagnano*. Apud Dominum. Recte cum, *Hoc opus eorum*, ut ſenſus ſit; hanc a Domino pœnam referunt, qui detrahunt mihi.

V. 21. Fac mecum miſericordiam. Propter nomen tuum, propter benignitatem, & miſericordiam tuam, quam prædicamus, & celebramus: vel, ad gloriam tuam. Suavis, bona, benigna, benefica.

V. 22. Cor meum conturbatum est. In Heb. eſt, *vulneratum eſt*, ſaucium eſt dolore, & triſtitia. Videtur reſpicere tempus illud, quo Chriſtus dixit: *Nunc anima mea turbata eſt*. Io. XII. vel cum in horto oravit, & præ timore, & triſtitia agoniam paſſus eſt.

V. 23. Sicut umbra cum declinat: cum ſenſim minuitur, ac tandem tota evaneſcit. Ablatus sum: abii, perii, e medio ſublatus ſum. Excussus sum sicut locustae, de uno tribunali ad aliud iactatus ſum, ſicut locuſtas viliſſima animalia

malia ventus huc illuc temere raptat, ut voluerit. Vel ſumptam eſt metaphora ex locuſtis, quæ facile ex arbore excutiuntur, & proteruntur ab agricolis.

V. 24. GENUA MEA INFIRMATA SUNT A IEIUNIO: deſcriptio maximæ inediæ. Chriſtus multo tempore ieiunus manſit tempore paſſionis, huc etiam illucque raptatus, varie vexatus, flagellis cæſus, multo ſanguine fuſo, ideoque nutarunt genua illius. IMMUTATA EST PROPTER OLEUM, propter pinguedinem ſuam amiſſam. In Heb. eſt, *marcuit a pinguedine*; exaruit pinguedine deſtituta.

V. 25. FACTUS SUM OPPROBRIUM ILLIS. Chriſtus opprobrium factus eſt Iudæis, cum videntes illum inter latrones pendentem, movebant capita ſua, & dicebant: *Vah qui deſtruis templum Dei, &c.*

V. 26. ADIUVA ME. Precatur Dominus de corpore exiens auxilium Patris ad celerem reſurrectionem; & ſimul corpori ſuo miſtico, id eſt Eccleſiæ, veram ſalutem corporis, & animæ.

V. 27. SCIENT QUIA MANUS TUA HAEC. Scient hoc tuum tam illuſtre, & apertum auxilium opus eſſe omnipotentiæ tuæ. Vel; ſcient hanc mortis plagam a voluntate, & poteſtate tua profectam eſſe, & a te inflictam. *Propter ſcelera populi mei percuſſi eum*, inquit Iſaias cap. XXXV. 8.

V. 28. MALEDICENT ILLI, ET TU BENEDICES: maledictis & maleficii obruent me; tu vero hæc omnia in mea commoda, & felicitatem convertes. QUI INSURGUNT IN ME CONFUNDANTUR: qui hoſtiliter in me inſurgunt, pudefiant, videntes irritos eſſe conatus ſuos. SERVUS, &c. ego ſervus tuus, & fideles tui lætabimur.

V. 29. INDUANTUR PUDORE: ignominia omni ex parte quaſi veſte conterantur. ET OPERIANTUR: eſt eiuſdem ſententiæ repetitio. DIPLOIDE, vox Græca διπλοΐς veſtem duplicem ſignificat. Magno, & quaſi duplicato dedecore perfundantur.

V. 30. CONFITEBOR NIMIS: valde, multum laudabo Dominum ore meo. IN MEDIO: in Eccleſia, in copioſo fidelium cœtu.

V. 31. ASTITIT A DEXTRIS PAUPERIS: mihi pauperi adfuit auxiliator. ANIMAM MEAM, vitam meam.

TIRINI.

Verſ. 2. LAUDEM MEAM; id eſt, innocentiam, quam *Doeg* apud Saulem, & Iudas apud principes ſacerdotum calumniatur & obſcurat, quaſi ego machiner inſidias & ſeditionem. Hanc, quæſo, innocentiam meam tu Deus revela, manifeſta & tuere.

V. 4. EGO AUTEM ORABAM, ſupple, pro eis.

V. 6. PECCATOREM, id eſt impium aliquem & tyrannum, CONSTITUE iudicem SUPER EUM, Doeg & Iudam: & in eo iudicio DIABOLUS, id eſt calumniator, ADSTET ei A DEXTRIS, accuſans, opprimens & perdens illum.

V. 7. ORATIO EIUS, qua iuſte damnatus orabit iudices ut ſibi indulgeant & pœnam remittant, FIAT IN PECCATUM, id eſt in maiorem offenſam, id eſt magis offendat & exaſperet iudicem, ſeu Deum, ſeu hominem. Ita accidit Antiocho Epiphani II. Mach. IX. 13. & Iudæ, Matth. XXVII. 4.

V. 8. EPISCOPATUM. Hebraice, *præfecturam*, Doeg, quia princeps erat paſtorum Saulis, I. Reg. XXI. & XXII. Allegorice, apoſtolatum Iudæ accipiat Matthias, Act. I. 20.

V. 9. UXOR ET FILII, &c. Per hæc & ſequentia deſignat ſe diriſſima quæque hoſti ſuo imprecari, ſive interea locum in eo habeant, ſive non, ut facit Ovidius in Ibin; quaſi dicat: Pereat ſtirpitus cum omnibus ſuis.

V. 14. INIQUITAS PATRUM....ET PECCATUM MATRIS; id eſt, parentum, quorum ipſe ſcelera imitatur, & menſuram complet: ita Genebrardus.

V. 15. FIANT CONTRA DOMINUM SEMPER; id eſt, ſcelera parentum eius verſentur continuo coram oculis Dei: nempe ut illa puniat in impio filio: ita Heb. & Chald.

V. 18. DILEXIT MALEDICTIONEM. Nempe qui ſcelera diligit, etiam adnexam pœnam & ſupplicium quod ſequitur, diligere & quærere cenſetur. INDUIT; pro, induat, id eſt pœnarum & ſuppliciorum multitudo, quaſi VESTIMENTUM ET ZONA, eum omni ex parte ſtringat, & inſtar aquæ & olei omnia etiam interiora illius per-

Digitized by Google

pervadat: ita Chryſoſtomus & Theodoretus.

V. 20. Hoc opus; id eſt, hæc erit merces operis detrahentium mihi & calumniantium me.

V. 23. Ablatus sum; id eſt, declinavi, abii, evanui; *conſumptus ſum*, inquit Chaldæus. Et excussus. Chaldæus, *vagatus ſum*; quaſi dicat: Idem mihi contigit quod locuſtæ, quæ vaga huc illuc ſaltitat, tandemque avolat: ita Theodoretus.

V. 24. Caro mea immutata est, ſcilicet in maciem, id eſt macreſco: propter oleum; S. Hieronymus, *abſque oleo*; Chaldæus, *abſque pinguedine*, id eſt propter defectum olei quo ungar, & carentiam pinguium ſeu delicatorum ciborum, quibus nutriar.

V. 27. Tu fecisti eam: ſupple, manum & potentiam, quæ me affligit.

V. 29. Sicut diploide: ſeu pallio duplicato; quaſi dicat: Sic duplici, id eſt multiplici ignominia perfundantur, tam in hac, quam in altera vita, inquit ſanctus Gregorius & Bernardus *a*.

(a) Gregor. Lib. IX. Moral. cap. xxiii. Bernard. ſerm. lxxxii. in Cantic.

GORDONI.

Titulus: In finem, Psalmus David. Argumentum Pſalmi ex Hieronymo, Auguſtino, & aliis multis, eſt prophetia de Iuda proditore, & Iudæis in Chriſtum inſurgentibus. Immo Act. 1. verſ. 10. citat Petrus hunc Pſalmum de Iuda iſto. Sunt tamen qui ad litteram volunt eſſe de perſecutoribus David, Doeg Idumæo, & Achitophel.

Verſ. 2. Deus laudem ne tacueris, &c. Laus a Deo optima eſt. Ad litteram David calumnias paſſus eſt multas: merito ergo laudem a Deo poſtulat, hoc eſt declarari innocens. Quanto rectius in myſtico ſenſu, (quem Patres probant) Chriſtus contra calumniatores petit, ut Deus eius innocentiam oſtendat. Quod eſt hic, *ne taceueris*; Septuaginta, μὴ παρασιωπήσῃς. Recte ergo Vulgatus codex. Hebr. אלהי *elocbe*, non accipitur in regimine, ſed eſt nomen Dei. Porro תהלתי *thebillathi*, Sept. vertunt; *laudem meam*, non ergo, *Deus laudis meæ*, ut aliqui reddunt.

V. 6. Constitue super eum peccatorem, &c. Maledictiones deinceps aliqui hic numerant ſupra viginti; iuxta ſenſum iam datum, contra calumniatores David; aut myſtice contra Iudam, Iudæos, aut quoſvis etiam calumniatores. In hoc autem loquendi, & maledicendi modo, eſt prædictio rei futuræ; per imperandi modum. Certe a dexteris calumniatorum ſtat diabolus; & cum iudicatur, exibit condemnatus. Quod ſi rem referas ad Iudæos; epiſcopatum accepit alter, quando ſacerdotium Aaronicum translatum eſt ad ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech ſub nova lege.

V. 13. In generatione una deleatur. Recte, non autem, in generatione altera, ut legit Hieronymus: nam Septuag. habent, ἐν γενεᾷ μιᾷ. Non ergo legerunt אחר *acher*, hoc eſt, *altera*, ſed legerunt אחד *achad*, hoc eſt, *una*.

V. 21. Et tu Domine, &c. Poſt tot imprecationes venitur ad extremam Pſalmi partem, in qua iuxta ſenſum myſticum, Chriſtus pro ſe & Eccleſia orat, ut impetrentur oppoſitæ maledictionibus benedictiones.

V. 24. Genua, &c. Caro immutata eſt, & macie conficitur propter oleum, hoc eſt, propter amiſſam pinguedinem. Hebr. משמן *miwemen*, *a pinguedine*. Septuag. δι᾽ ἔλαιον. Vox Hebraica ad quamvis pinguedinem applicari poteſt: hæc ſi abſit, marceſcit homo. Idem myſtico & ſpirituali ſenſu explicari poteſt in membris Eccleſiæ.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. uſq. ad 6. *Deus laudem*, &c. Quæ ſunt in hoc Pſalmo obſcuriora, dabit commentarius. Et titulus ſatis oſtendit ſenſum horum verborum, ſive ad Davidem, ſive ad Chriſtum referantur.

V. 6. *Conſtitue ſuper eum*, &c. Sive Doeg, & Achitophel; ſive Iudam traditorem intelligas, imprecatio prophetica in eos eſt, & prædictio infelicitatis eorum. Certe qui non vult Deum eſſe ſupra ſe, habebit ducem viæ diabolum. Quod hic prædici-

dicitur de Epiſcopatu alteri tradendo. S. Petrus Act. 1. interpretatur de Iudæ abdicatione ut Epiſcopatum, locum & dignitatem accipiat alter. In Hebr. פקדה *pecuda*, ab inſpiciendo, & viſitando. Atque hæc quidem uno quidem ſenſu de Iuda; ſed non excluditur populus ipſe Iudaicus ab hac maledictione, quæ apparuit in translatione ſacerdotii Aaronici, & exterminio Iudæorum poſt crimen commiſſum in Chriſtum, ut hic prolixa imprecatione prædicitur, uſque ad verſum 20. ubi concludit de mercede male operantium.

V. 21. & ſeq. *Et tu Domine*, &c. Extrema pars eſt quam dabo explicatam. Hoc ſolum obſervo ad verſum 28. optari a Propheta in perſona Chriſti (refer etiam ſi libet ad Davidem) ut omnes intelligant benedictionem ex paſſione & perſecutione conceſſam, provenire a poteſtate, & manu Dei: nec hoſtes, ſed Deum prævaluiſſe in toto perſecutionis progreſſu.

BOSSUET.

Verſ. 2. LAUDEM MEAM, *laudis meæ*, Hebr. Deus qui es laus mea: vel Deus laudum mearum argumentum: unde Hier. *Deus laudabilis mihi*. Os PECCATORIS, *impii*, Hebr. ET DOLOSI. Duo deſignantur: forte Abſalom impius, & Achitophel doloſus. SUPER ME APERTUM EST. Iactabant enim in vulgus a Davide nullam æqui bonique haberi rationem; quippe dicente Abſalomo: *Non eſt qui te audiat conſtitutus a Rege*. II. Reg. XV. 3. ſic *ſollicitabant corda virorum Iſrael*, ibid. VI. 12. Semei quoque cædem Saulis Davidi imputabat, ibid. XVI. 7. 8. his odia incendebant: hæc autem cecinit David ſpirituali ſenſu in perſona Chriſti a Iudæis impetiti omnimodis blaſphemiis.

V. 4. PRO EO UT ME, &c. *pro eo quod eos diligebam*, Hier. Hebr. LXX. Nota preces pro inimicis: qua de re vide pref. cap. 1. num. 16.

V. 5. PRO DILECTIONE MEA: qua eos diligebam.

V. 6. CONSTITUS SUPER EUM PECCATOREM: Satanam ipſum de quo ſubdit, DIABOLUS, Hebr. *ſatan*, tentatur, a quo primum in ſcelus, deinde & in laqueum adigatur; recte: nam ut ait Ioannes XIII. 27. *Poſt bucellam introivit in eum Satanas*. Theodor. *ſuper eum*: iam in ſcelerum incentorem ſermo convertitur: ac ſub imprecationis maledictique ſpecie prophetia componitur, Chr.

V. 8. EPISCOPATUM; curam, officium, Iudæ Apoſtolatum, Petro interprete.

Iam ultimum locum, EPISCOPATUM EIUS ACCIPIAT ALTER, Pſal. CVIII. qui ad Doeg Idumæum, ad Achitophelem, ad alios quoſvis referunt, non ſatis aſſequuntur quid vates, quid Petrus egerit vaticinium commemorans, Act. 1. 20. non enim id agebat Petrus ut Iudam proditorem a Davide prænuntiatum approbaret: id factum Matt. XXVI. 24. Ioan. XIII. 18. dicente Chriſto: *Qui intingit mecum manum in paropſide hic me tradet*: quo indicio deſignare voluit proditorem adhibito etiam loco Pſal. XL. 10. qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum: hæc de traditore Chriſtus. Petrus autem in eo erat non ut eius proditionem commemoraret, ſed ut ex Propheta doceret, alterum in eius locum eligi oportere: Act. 1. 16. quam ad rem inſtitutum erat illud: *Epiſcopatum eius accipiat alter*, Pſal. CVIII. 8. unde etiam infert Petrus: *Oportet ergo ex his viris teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri unum ex iſtis*, Act. 1. 21. 22. non ergo ad exponendum Davidis locum requirendus erat aut Doeg Idumæus, aut Achitophel, aut alius quivis vita ſpoliatus, aut loco motus; de cuius ſucceſſore Scriptura non curet; ſed omnino erat oſtendendus aliquis in mortui aut amoti locum ſubſtitutus, adeo memoratu dignus ut de illo a Davide ſingulare vaticinium ederetur: quod Petrus quidem fecit: noſtri nihil aliud quam adverſus Petrum litigant.

Neque tamen refugiemus ſi præfracte velint quin illud ad Davidis res utcumque trahi poſſit: quod autem illud ſingulari numero *epiſcopatum ſeu præfecturam eius*, in præfecturas vertunt plurali numero adverſus litteræ fidem, id eo ſpectare pertendimus, ut vaticinii ſenſus a Petro prolatus & ab Apoſtolico cœtu comprobatus in ipſa interpretatione non modo obliteretur, verum etiam penitus excludatur.

Hæc igitur ſunt quibus tuenda ſuſcepi-

Digitized by Google

pimus Davidica vaticinia, de præcipuis Chriſti miſteriis: nempe quod ſit vere Chriſtus & Dei filius; quod Deus; quod paſſus his & his circumſtantiis in Evangelio memoratis: quod reſurrexerit & in cælum aſcenderit; quæ ſi ambiguis & in geminos ſenſus inflectendis vocibus prænuntiata ſunt, hæreamus neceſſe eſt velut in bivio: fruſtra iactaveris in vaticiniis Spiritus ſancti mentem in Chriſtum intentam, ſi in eam intentionem idonea verba deſtituant: vacillabit ſermo propheticus, quem ipſa viſione transfigurati Chriſti & e cælo delapſa voce firmiorem Petrus aſſeruit, II. Pet. I. 17. 18. 19. quibus verbis conſtat prophetica oracula, quoad probandi vim, ipſis etiam miraculis iiſque maximis eſſe antepoſita; nec immerito: quæ enim ex miraculis exiſtit probatio, ea ſenſuum ſæpe fallacium ac teſtium irreprehenſibilium quidem, ſed tamen hominum relatione nititur: quæ autem ex prædictionibus; una Dei præſcientia quo nullum eſt evidentius & ineluctabilius divinitatis argumentum. Hinc Petrus prophetias lucernæ latenti in caliginoſo loco comparat, ibid. at noſtri, ſi Deo placet, huius lucis evidentiam in coniecturas vertunt, ac per lubricos ſenſus eludunt de præcipuis etiam Chriſti rebus luculentiſſima teſtimonia Prophetarum, ut vix quidquam in iis ſit quod diſerte ac proprie Chriſtum ſonet. Nos autem quantum in nobis eſt iſta non patimur, ne Iudæis utique ad Eccleſiam aliquando redituris viam obſtruamus; chriſtianis vero auferamus ſingulare fidei firmamentum, quo ſe cum Prophetis idem credere, fidemque ſuam in antiquis ſcripturis non modo adumbratam, verum etiam certiſſime approbatam eſſe profiterentur. Itaque quod bonos omnes probaturos ſperamus, pro noſtra facultate caſtigare conamur ingeniorum laſciviam, quam etiam ipſe Grotius ſentiebat cum diceret: Scripturas interpretandi libertas, quæ numquam tanta fuit quanta in hoc ſæculo, repagulis quibuſdam coercenda eſt; Append. epiſt. DCXXII. & his quidem repagulis quam ipſe indiguerit, credo fateretur ſi viveret; nunc vero poſt eum, eoque maxime auctore gliſcit licentia: id quidem ideo quod Patres, quod antiquos Interpretes fere negligant; quod alienos ab Eccleſia magis audiant; quod ex Catholicis tractatoribus peſſima quæque corradant; his ſe tutos putent; cum in his quæ fidei fulcimenta ſpectant, ad Patres potius recurrendum ſit; neque omnia reponenda in recentiorum arbitriis, quorum pars melioribus ſua ſequius dicta rependerit: pars a reprehenſione, pace eorum dixerim, ſua ſe ignobilitate tueatur.

V. 10. NUTANTES TRANSFERANTUR.... inſtabiles vagentur: EIICIANTUR DE HABITATIONIBUS SUIS; *quærant* (victum) *in ruinis ſuis*, Hebr. quæ Iudæis mirum in modum congruunt.

V. 11. SCRUTETUR..... *illaqueet*: Hebr. pignori capiat.

V. 13. NATI EIUS, *poſteritas eius*, Hebr. GENERATIONE UNA, *altera*, Heb.

V. 14. IN MEMORIAM REDEAT INIQUITAS PATRUM; qui clamaverunt: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros*, Matt. XXVII. 25.

V. 15. CONTRA DOMINUM..... de peccatis loquitur de quibus verſu præcedenti ceterum peccata remiſſa non iam contra Dominum ſive coram Domino, velut adverſa facie, ſed poſt tergum eius: ut eſt in Cantico Ezechiæ: Iſ. XXXVIII. 17.

V. 17. HOMINEM INOPEM, Davidem eiectum. COMPUNCTUM, attritum, afflictum.

V. 20. HOC OPUS EORUM: *Hæc eſt retributio*, &c. Hier. APUD DOMINUM, *a Domino*, Idem.

V. 22. CONTURBATUM, *vulneratum*, Idem.

V. 23. SICUT LOCUSTAE: timida & vaga animalia.

V. 24. IMMUTATA EST PROPTER OLEUM: *emaciata eſt a pinguedine*, Hebr. macilenta facta eſt.

V. 27. MANUS TUA HAEC, hoc, Hebraiſmus: hæc res a manu tua, a potentia tua eſt. EAM, illud.

V. 28. MALEDICENT: hi quidem maledicent, at tu benedices.

V. 29. DIPLOIDE, *veſtimento*, Hier. diplois autem pallium duplicatum; qua ſimilitudine confuſionem hoſtium exaggerari ac veluti duplicari petit: comm. Hier.

V. 30. NIMIS, *vehementer*, Idem.

V. 31. A PERSEQUENTIBUS, &c. Hier. *a iu-*

a iudicibus animam eius, pauperis ſcilicet; a iudicibus autem, hoc eſt ab optimatibus; ſive a potentibus inimicis qui ſe eius iudices eſſe ſtatuebant; de eius ſorte decernebant.

PSALMUS CIX. PROPHETICUS.

Totus de Chriſto, ipſo docente & conſentientibus Iudæis. Matt. XXII. 44. *nec abnuunt antiqui magiſtri Hebræorum; nec etiam recentiores, quos vide recenſitos in Synopſi Criticorum.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Pſalmus David.

DIxit Dominus domino meo, ſede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Virgam fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Populi tui ſpontanei erunt in die fortitudinis tuæ: in montibus ſanctis quaſi de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ.

Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum: ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus a dextera tua, percuſſit in die furoris ſui Reges.

Iudicabit in gentibus, implevit valles: percuſſit caput in terra multa.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

VERSIO VULGATA.

1. Pſalmus David.

DIxit [*a*] Dominus domino meo: Sede a dextris meis: [*b*] Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

2. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

3. Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

4. (*c*) Iuravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

5. Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ Reges.

6. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

7. * De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

(a) Math. XXII. 24. (b) I. Cor. XV. 25. Heb. I. 13. & X. 13. (c) Heb. V. 6. & VII. 17. Ioan. XII. 34.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Non mutes futura in præterita, *bibit, exaltavit*.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. **T**ECUM PRINCIPIUM. Hebr. *Populus tuus libens* (veniet, vel parebit) *in die exercitus tui*; id eſt, ad Eccleſiam, quaſi ad exercitum tuum omnes concurrent. *In ornamentis ſanctitatis ex utero auroræ tibi ros generationis tuæ*; id eſt, gratiam generationis tuæ accipies ab ipſo utero, ſicut terra ſolet rorem excipere ab aurora. Septuag. videntur mihi priorem partem huius periodi melius vertiſſe: *Tecum*, עמך, ἀρχὴ, *principatus*; id eſt, tuus erit principatus in die virtutis tuæ; id eſt, cum virtute tua ſubieceris tibi omnia; ut I. Corinth. xv. 25. *Oportet autem eum regnare donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius*.

V. 5. DOMINUS A DEXTRIS TUIS; id eſt, Dominus qui tibi ſemper aderit: hoc enim ſignificat inter alia *ad dexteram eſſe*; ut Pſal. LXXII. 26. *Tenuiſti manum dexteram meam*, & *in voluntate tua deduxiſti me*.

V. 6. IUDICABIT IN NATIONIBUS, &c. Hebr. *Potentiam ſuam oſtendet in gentibus*, aut *vindictam ſumet*: *implebit* (terram) *cadaveribus*: confringet capita, (id eſt principes) *in terra multa*, aut, *multitudinis*.

V. 7. DE TORRENTE IN VIA BIBET. Hebr. *De torrente* (ſanguinis cæſorum hoſtium) ut Pſal. LVII. 11. *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatorum*: & Num. XXIII. 24. *Non accubabit donec devoret prædam*, & *occiſorum ſanguinem bibat*. Vel, ut alii volunt, *De torrente*, id eſt impetum dolorum, *in via*, id eſt in hac vita, *bibet*, id eſt ſuſtinebit.

S A.

De Chriſti Regno, & *Sacerdotio*.

Verſ. 1. **D**OMINUS, ſcilicet Pater. DOMINO, ſcilicet Filio, ſeu Chriſto. A DEXTRIS MEIS, id eſt optimo apud me loco. DONEC: vide Hebr. x. SCABELLUM, &c. quaſi dicat: Subiiciam pedibus tuis, ſic ut poſſis conculcare.

V. 2. VIRGAM, id eſt ſceptrum. VIRTUTIS. Hieron. *fortitudinis*; quaſi dicat, Regnum potens. EMITTET, ſcilicet in mundum per prædicationem. SION: ſcilicet, inde cœpit prædicatio Evangelica. DOMINARE. Chald. & *dominaberis*. INIMICORUM; ſcilicet, qui antea adverſabantur; vel quaſi dicat: Reſiſtant licet inimici.

V. 3. PRINCIPIUM, id eſt principatus, vel pater, ſcilicet erit. DIE VIRTUTIS; quaſi dicat, Cum cœperis regnare, vel oſtendere potentiam tuam. SPLENDORIBUS SANCTORUM; quaſi dicat, In ſanctis ſplendide, vel ſplendore ſanctitatis. UTERO, id eſt ſubſtantia mea, ſeu ſecreto, vel utero virginis. ANTE LUCIFERUM; id eſt, ante Angelos, vel Angelis excellentiorem, vel ante ſtellas.

V. 4. POENITEBIT EUM, id eſt mutabit: Aug. ORDINEM, id eſt ritum. MELCHISEDECH: ſcilicet, qui obtulit panem & vinum in figuram Euchariſtiæ.

V. 5. A DEXTRIS TUIS, id eſt te adiuvans & protegens. CONFREGIT. Hieron. & Chad. *percuſſit*. IRAE, id eſt ultionis, ſcilicet die iudicii. REGES; pro, etiam Reges, ſcilicet tibi inimicos.

V. 6. IUDICABIT, id eſt ulciſcetur, ſeu iudicium exercebit. IN NATIONIBUS; pro, gentes. RUINAS. Chald. *cadaveribus*. Hieron. *valles*, ſcilicet cadaveribus. CAPITA, id eſt principes. MULTORUM, ſcilicet populorum; vel multorum capita.

V. 7. TORRENTE, ſcilicet paſſionum. IN VIA, ſcilicet dum vivet, ſeu viveret.

E S T I I.

Verſ. 1. **D**IXIT DOMINUS DOMINO MEO: SEDE A DEXTRIS MEIS. Pſalmum hunc ad Chriſtum pertinere, nulli Chriſtiano dubitare licet. Nam primus hic verſus ab ipſo Chriſto Matth. XXII. Meſſiæ, ſeu Chriſto adſcribitur, quando quærit ex Scribis & Phariſæis, quomodo David Chriſtum vocet Dominum ſuum, his ipſis ſcilicet verbis, ſi filius eius ſit. Qua interrogatione inſinua-

nuabat eis Chriſtus ſuam divinitatem, ſecundum quam erat Dominus Davidis, ſicut ſecundum carnem erat eius Filius. Deinde illud quoque, *Sede a dextris meis*, citat Apoſtolus & Chriſto attribuit ad Hebr. I. DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM. Citat hoc & Chriſto attribuit Paulus I. Corinth. XV. *Oportet*, inquit, *illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius*. Quæres, An tunc deſinet regnare, quando iam poſuerit eos ſub pedibus eius? Minime nam de Chriſti regno dictum eſt in Daniele, *Poteſtas eius poteſtas æterna, & regnum quod non auferetur*. Et Angelus ad Virginem Lucæ I. *Et regni eius non erit finis*. Sed hic locus oſtendit, quem uſum habeat vox iſta *donec*, in Scriptura ſacra. Non enim ſignificat tempus, quo completo, deſinat illud, quod uſque ad tale tempus fieri, vel eſſe dicitur; ſed ſignificat uſque ad illud tempus fieri: ſive etiam poſtea fiat, ſive non.

Itaque ſenſus eſt: *Sede a dextris meis*; id eſt, ſis conſors regni mei, gloriæ meæ, & omnium bonorum meorum (quæ per dextram ſignificantur) etiam eo tempore, quo nondum ſubiugati ſunt omnes inimici tui, ſed hoc agitur, ut ſubiugentur & debellentur. Eſt autem hoc totum tempus militantis Eccleſiæ. Non autem quod poſtea deſinet ibi ſedere. Quin potius conſequens eſt, argumento a minori ſumpto, multo magis Chriſtum ſeſſurum ad dextram patris, poſtquam debellatis inimicis regnum habebit omni modo pacatum. Id ergo addictum eſt his verbis quod minus erat veriſimile, & omiſſum illud, quod per ſe notum erat. Ex quibus intelligitur, quomodo etiam illud Matth. I. de Ioſepho & Maria ſimiliter exponendum ſit: *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*.

V. 4. TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. Hunc locum de ſacrificio altaris incruento omnes veteres conſtanter interpretantur, ut alii prolixe oſtenderunt. In primis inſignis locus eſt Cypriani Lib. II. Epiſt. III. ubi hæc inter alia. „ Ut ergo, inquit, in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, præcedit ante imago ſacrificii, in pane & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem cæli commixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. " Hæc ille. Vide noſtrum Comment. ad Hebr. V.

V. 7. DE TORRENTE IN VIA BIBET; PROPTEREA EXALTABIT CAPUT. Docet Calvinus in merito Chriſti nihil aliud noſſe Scripturam, quam quod ad nos redit. Verum hic locus docet Chriſtum etiam ſibi, ut homini, meruiſſe. Huc pertinent etiam illa Lucæ XXIV. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*. Et Philipp. II. *Humiliavit ſemetipſum*, &c. *Propter quod & Deus exaltavit illum*.

MARIANAE:

Verſ. I. PSALMUS DAVID. De Chriſti regno & victoriis agit; de ſacerdotio eius, & generatione æterna. De Chriſto, citatur Matth. XXII. Act. II. I. ad Cor. XV. ad Hebr. I. 5. 7. DIXIT DOMINUS DOMINO MEO. Deus Pater Chriſto eius Filio. SEDE A DEXTRIS MEIS: in loco honoratiſſimo, cunctis creaturis prælatus. DONEC PONAM; id eſt, uſque ad diem iudicii, cum tibi omnia plene ſubiiciam, quaſi ſcabellum pedibus.

V. 2. VIRGAM VIRTUTIS TUAE. Hebr. *fortitudinis tuæ*; id eſt, regnum tuum ex Sion proficiſcetur, ſceptrum potentiæ. Inde Evangelium in alias gentes manavit. DOMINARE, ut domineris. IN MEDIO INIMICORUM TUORUM; id eſt, inter inimicos, ipſos tuo imperio ſubiicias.

V. 3. TECUM PRINCIPIUM; pro, *principatus*, ἀρχὴ, id hoc loco ſignificat. Svetonius in Auguſto *principium*, pro *principatu* ponit. IN DIE VIRTUTIS TUAE. Hebr. *in die roboris tui & potentiæ*. Cum viceris inimicos, princeps manebis. Hebr. *populus tuus ſpontanee in die potentiæ*: ſcilicet, tibi aderunt, te ſequentur, ſine ſtipendio, cum ad bellum egredieris. IN SPLENDORIBUS: ſic Chald. SANCTORUM. Hebr. *ſanctitatis*; quaſi dicat: Non mirum ſi te ſequentur, pulcherrimum, ſanctiſſimum te genui. EX UTERO, id eſt de mea ſubſtantia. ANTE LUCIFERUM,

id

id eſt ante mundi exortum. Hebr. *Ex utero, ex mane* (id eſt a principio) *tibi ros generationis tuæ*. Hieronymus, *ros adoleſcentiæ tuæ*. Per *rorem*, pulchritudinem & ſuavitatem intelligit, quibus allicit homines.

V. 4. IURAVIT DOMINUS, ET NON POENITEBIT EUM, id eſt non retractabit. TU ES SACERDOS, non ſolum Rex es, ſed ſacerdos etiam æternus, non ut alii qui cito moriuntur. SECUNDUM ORDINEM, id eſt *ſimilitudinem*, ut Paulus exponit ad Hebr. VII. 15. Hoc eſt, adinſtar ſacerdotii Melchiſedech. Ille fuit Rex & ſacerdos; ſic Chriſtus: obtulit panem & vinum, ſine patre & ſine matre; ſic Chriſtus. דברה *dibrah* hoc loco non *verbum*, ſed *morem*, ſed *ordinem* ſignificat. Chald. hunc Pſalmum ad David detorquet, nulla Melchiſedechi mentione.

V. 5. DOMINUS A DEXTRIS TUIS: ſemper præſto eſt, ut opem ferat. CONFREGIT, percuſſit, occidit. IN DIE IRAE SUAE REGES: cum prælium fuerit commiſſum.

V. 6. IUDICABIT IN NATIONIBUS, id eſt percutiet gentes. IMPLEBIT RUINAS. Hebr. *implebit cadaveribus*: ſcilicet, tanta erit cædes, ut pugnæ locus cadaveribus impleatur. CONQUASSABIT CAPITA, id eſt duces & principes perimet. IN TERRA MULTORUM, *multorum* iungitur cum *ruinas*, aut cum *capita*. Implebit ruinas multorum in terra, aut conquaſſabit capita multorum in terra. Hebr. *in terra lata, percuſſit caput*, id eſt capita terræ latæ, magnæ regionis principes. Aut in terra lata percutiet capita.

V. 7. DE TORRENTE IN VIA BIBET: ſcilicet, ſanguinis tantum effundetur, ut torrentis inſtar ſit, ex quo victor bibere poſſit. IN VIA; id eſt, cum hoſtes perſequetur victoriam urgens: ſic Numer. XXIII. 23. Balaam de Iſraelitico populo ait: *Non accubabit, donec devoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat*. PROPTEREA EXALTABIT CAPUT; id eſt, propter eam victoriam clariſſimus evadet Chriſtus. De Davide II. Reg. VIII. 13. *Fecit quoque ſibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in Valle Salinarum.*

MALVENDAE.

Verſ. 1. PSALMUS DAVID. Hunc Pſalmum eſſe propheticum de regno & ſacerdotio Chriſti, priſcorum Hebræorum, & Chriſtianorum conſenſus eſt; maniſeſtiſſime apparet ex verbis Chriſti: Matthæi XXII. 42. & ſequentibus, Petri Actor. II. 34. Pauli I. Corinth. XV. 25. Hebræor. I. 13. cap. V. verſ. 6. cap. 7. verſ. 17. & cap. X. verſ. 13. Notant autem conſtare ex duabus partibus. Una eſt, propoſitio officiorum, quæ Deus Pater commiſit filio, uſque ad verſum 5. altera eſt, propoſitio eorum, quæ Chriſtus effecturus eſt pro officio ſuo; inde ad finem uſque. DIXIT DOMINUS. Heb. נאם יהוה *neum Iehveh*; exponunt, *dictum certum, fidele, ſtabile, firmum, indubitatum, omne fide & acceptatione dignum, Iehveh, fidelis ſermo Iehueh*: vide Notas in Geneſ. XXII. 16. DOMINO MEO. Meſſiæ, ſive Chriſto, Deo æterno, cum Patre & Spiritu ſancto; qui homo factus in temporum plenitudine, etiam Davidis ipſius eſt Dominus ex creationis & redemptionis iure, Matth. XXII. 43. & alibi. SEDE A DEXTRIS MEIS. Heb. *Sede ad dexteram meam*. Vocatio & prædeſtinatio Chriſti æterna Deo Patre in regiam adminiſtrationem & gloriam; hoc eſt, ſummum a me honorem, imperiumque obtine, ſupra omne imperium ac poteſtatem conſtitutus, &c. Epheſior. I. 20. humanitus dictum: hoc enim ſigno Reges honeſtare eos ſolent, quos honoribus ſummis proſequuntur, ut I. Regum. II. 19. & Pſal. XLIV. 10. Alii; id eſt, conregna mihi æqualis ſecundum divinitatem: ſecundum humanitatem, accipe ſummum imperium, & omnem poteſtatem in cælo & in terra, Matth. XXVIII. 18. Paulus I. Corinth. XV. 25. *ſedere ad dexteram, regnare*, interpretari videtur: vide Marci XVI. 19. Forſterus: *Eſt igitur*, inquit, *ſedere Chriſtum ad dexteram Patris, aliud nihil, quam ipſum eſſe parem & æqualem Patri, omnipotentia, virtute, dominatione, imperio, gloria, honore, & reliquis omnibus bonis ac donis divinis, & æternis*. Eadem Mercerus, & alii. DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM. Quidam ex Hebr. *Donec diſpoſuero inimicos*

cos tuos ſcabellum ad pedum tuorum; anaſtrophe, pro in ſcabellum pedum tuorum; id eſt, donec ſubiecero pedibus tuis, &c. quod explicatur copioſe I. Corinth. xv. 23. & ſequentibus. Quod alii ita efferunt: *Quoad fecero, qui nunc ſunt inimici tui, tam ſubiectos, ut conculcare illos pedibus poſſis, non aliter quam ſcabellum ſolet*. Buchananus:

Dum proterendos ceu ſcabellum ſub pedes
Hoſtes tibi provolvero.

V. 2. VIRGAM VIRTUTIS TUAE EMITTET DOMINUS EX SION. Varie interpretantur: I. *Sceptrum potentiæ tuæ emittet Dominus de Tziione*. Virga pro ſceptro, ut Pſal. II. 9. & Pſal. XLIV. 7. Buchananus:

Ad orbis oras ultimas faſces tuos
Alta ab Sione proferam.

II. *Robur fortitudinis tuæ emittet*, &c. III. *Scipionem roboris tui*, ſeu *robuſtum tuum emiſſurus eſt Iehova Tziione*; id eſt, verbum Evangelii, quod eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti, Romanor. I. 16. & ſpiritalis armatura, divinitus valida ad ſubverſionem munitionum, & omnis ſublimitatis, quæ extollitur adverſus cognitionem Dei, &c. II. Chorint. x. 4. & ſequ. *Tziione*; id eſt, ex Ieruſalem, & Tziione, ubi Spiritus ſanctus in igneis linguis apparuit, ſive ex Eccleſia Iudæorum per totum orbem terrarum ſceptrum regni ſui Evangelium tranſmiſſurus, Iſaiæ II. 3. & Michææ IV. 2. IV. poſſis apte reddere: *Extenſionem*, vel *virgam*, *ſceptrum*, *regni*, *& imperii tui emittet Iehveh de Tziione*: nam עוז *ghoz*, ſumi ſæpe pro regno & imperio obfirmato potentia, & opibus, ſæpe monuimus, ut Pſal. VIII. 3. Pſal. LXXXV. 16. DOMINARE IN MEDIO INIMICORUM TUORUM. Subaudiunt, *Dicens: dominare in medio*, &c. ut ſint verba Patris. Alii, imperativum pro futuro capiunt: *Dominaberis in medio*, &c. Nonnulli verba Prophetæ eſſe volunt: *Dominare ergo inter inimicos tuos*; exponunt: Id eſt, potente verbo & ſpiritu Eccleſiam in mediis hoſtibus alente, & in hoſtes efficaciter dominante, Hebræor. IV. 14. Perſpicue exponitur hoc verſu adminiſtratio univerſalis & potentiſſima regni Chriſti per ſpiritum & prophetiam, ſive doctrinam Evangelii, invitis hoſtibus.

V. 3. TECUM PRINCIPIUM IN DIE VIRTUTIS TUAE, &c. Quia hic verſus inſignis eſt, ordine referam aliorum ex Heb. interpretationes. S. I. Hieronymus: *Populi tui ſpontanei erunt in die fortitudinis tuæ, in montibus ſanctis, quaſi de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ*. Pro הדרי *hadre*, *decoribus*, legiſſe videtur הררי *harre*, *montibus*, maxima litterarum Hebraicarum ſimilitudine: immo quidem ſæpius iſtæ litteræ inter ſe permutantur: vide Notas in I. Paralip. I. 6. & notat Forſterus in aliquibus codicibus ſcribi הררי *harre*. II. Lyranus: *Populi tui principes in die virtutis ſuæ, in decore ſancto de matrice auroræ tibi ros adoleſcentiæ tuæ*; id eſt, Apoſtoli & diſcipuli tui in die Pentecoſtes principes conſtituti ſunt, Eccleſiæ, & Evangelii; quo die oſtendiſti virtutem tuam miſſo de cælo Spiritu ſancto, Lucæ XXIV. 49. *in decore ſancto*, id eſt gratia Spiritus ſanctificante, & decorante eos: qui Spiritus in matrice Auroræ Mariæ matris tuæ tuum corpus quaſi ros infuſum conformavit. III. Iuſtinianus: *Populus tuus voluntarii in die virtutis tuæ, in decoribus ſanctuarii, ex matrice ab aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ*. IV. Caietanus: *Populus tuus ſpontanei in die fortitudinis tuæ, in decoribus ſanctitatis: de vulva auroræ erit tibi ros nativitatis tuæ*; id eſt, Populus fidelis ſponte current ad te, nomen tibi dantes, *in die virtutis tuæ*, id eſt miraculorum tuorum, & adventus Spiritus ſancti, *in decoribus ſanctitatis*, id eſt decorati intus gratia ſanctificante: & tot tibi naſcentur filii per Evangelium, quot ex aurora fœcunda decidunt guttæ roris. V. Steuchus: *Populi tui promptitudines in die belli*; id eſt, erunt prompta & parata corda populi tui cum bellum gerere volueris: ſponte populus tuus veniet, animoque propenſo te ſequentur, *in ſplendoribus ſanctis*; cum gloria ſancta, cum ingenti gloria & nitore, in claritate magna & maieſtate; quaſi dicat: Habebis glorioſiſſimum, & ſplendidiſſimum exercitum, *a vulva, ex aurora, tibi ros nativitatis tuæ*; id eſt, a die qua conceptus & natus fuiſti, cæleſti rore & gratia perfuſus fuiſti: *vulva* conceptionem; *aurora* natalem deſignat. VI. Sanctes: *Populus tuus ſponte veniet in die fortitudinis tuæ, in pulchritudinibus ſanctitatis, ex utero ab aurora fuit tibi ros nativitatis tuæ*. VII. Felix:

Popu-

Populus tuus cum oblationibus in die virtutis tuæ, in decoribus ſanctitatis; id eſt, populus credentium in tempore regni tui veniet cum oblationibus in devotione cordis ſui ad honorandum te, cum decora ſanctitate: *ex utero ortus eſt tibi ros generationis tuæ*; id eſt, fœcunditas & materia, ex qua corpus tuum efformatum eſt, tota fuit ex utero virginis, non ex viri lumbis deciſa: Spiritu ſancto irrorante & efformante. VIII. Pellicanus: *Populus tuus oblationes liberales in die virtutis tuæ, erunt*, vel offerent: *in decoribus ſanctitatis, ex utero auroræ tibi ros generationis tuæ*. IX. Munſterus, & Folengius: *Populus tuus ſpontanearum eſt voluntatum in die exercitus tui, in magnificentiis ſanctitatis, ab utero auroræ eſt tibi ros nativitatis tuæ*. X. Vatablus: *Populus tuus ſpontanearum voluntatum*, ſeu *ſpontaneus*, aut *ſpontanei, in die exercitus tui*: vel cum educes exercitum tuum, vel *in die roboris tui*, id eſt tempore triumphi tui: ſeu regni tui: *in pulchritudinibus ſanctitatis*; id eſt, in pulcherrima illa, ſanctiſſima, clariſſima, ac celeberrima civitate, nempe Ieruſalem, ubi primum illuxit Evangelii ſplendor: *ex utero & ab aurora tibi ros iumentæ tuæ*, ſubaudi, erit; quaſi dicat: O Chriſte, ros nativitatis tuæ; id eſt, gratiæ illæ quæ tibi donabuntur a Patre, dum carnem aſſumes, obvenient tibi iam inde ab utero & a principio nativitatis tuæ. Rorem pro ſuavitate, dulcedine, benedictione & plenitudine gratiæ poſuit. XI. Item Vatablus: *Populus tuus voluntatum*, vel *ſpontanei, in die roboris tui, in ſplendoribus ſanctitatis, ab utero, ab aurora ros nativitatis tuæ*. De Apoſtolis miniſtris Evangelii loquitur; ac ſi dicat: O Chriſte, Apoſtoli tui ſponte ſua non coacti, volentes prædicabunt Evangelium: & hoc eo tempore, quo quaſi virtute bellica mundum & ſatanam tibi ſubiugabunt, & ubi? *in ſplendoribus ſanctitatis*; id eſt, in Ieruſalem urbe ſplendida, ubi primum illuceſcere cœpit Evangelii ſplendor. Sequentibus verbis reddit rationem cur ſponte Apoſtoli eſſent Chriſto ſervituri: quia, o Chriſte plenitudo gratiarum, qua a Patre in incarnatione donaberis, continget tibi iam inde ab utero, & a prima nativitate tua. XII. Leo Iudas: *Habes promptiſſimum populum, cum educes tuas copias: tibi etiam eſt ros generationis tuæ in ſummo decore & ſanctitate ex utero auroræ*. XIII. Iſidorus Clarius: *Populus tuus ſpontaneus*, vel *ſpontaneas oblationes* offeret tibi; id eſt, aderit populus incredibili frequentia, qui non tantum res ſuas, verum & corpora, ac vitam paratus ſit offerre & exponere pro Chriſto: *in die virtutis tuæ*, vel *exercitus tui*; id eſt, cum Eccleſiam congregare cœperis, in die Pentecoſtes: *in ſplendoribus ſanctitatis*, vel *in magnificentiis ſanctuarii*; id eſt, propter, vel per ſublimia dona Spiritus ſancti, quæ tum exhibebis: *ex utero auroræ eſt tibi ros nativitatis tuæ*; hoc eſt, ut ros mane terram obtegit ac fœcundat; ita gratiæ tuæ, quæ tibi a primo ortu contigerunt, mundum recreabunt, & pietatis ac innocentiæ fertilem reddent. XIV. Forſterus: *Populus tuus liberalitatum*, vel *ſpontanearum oblationum, in die virtutis tuæ*, vel *ſtrenuitatis tuæ*, aut *victoriæ tuæ in ornatibus ſanctitatis, ut ex matrice auroræ ros, ita tibi nativitas tua*, vel *ita eſt tibi pueritia tua*, id eſt pueri tui, ſeu nati tui. Eſt autem hic locus proprie non de nativitate Chriſti ex Virgine; ſed de pueritia ſeu nativitate, quæ naſcitur Chriſto reſuſcitato per prædicationem Evangelii, perque aquam & ſpiritum, de qua pueritia & nativitate quoque vaticinatur Pſal. xxi. 32. & Pſal. ci. 19. & Michæ v. 7. reliquiæ Iahakobi rori comparantur. Nec ab hac interpretatione abludit Mercerus. XV. Marinus: *Populus tuus voluntaria*, pluraliter neutraliter, id eſt promptiſſimus, *in die exercitus tui, in honoribus ſanctitatis, ex utero obſcuro, tenebroſo, tibi ros pueritiæ tuæ*. Voluit eſſe Hebraiſmum ſatis ornatum, ac ſi diceret: Quando conceptus es, o Rex Meſſia, in matrice virgine, qui locus nulla refertus luce ſolet eſſe obſcuriſſimus, tibi nihilominus affuit ros, id eſt gratia divina, &c. XVI. Avenarius: *Populus tuus munificentiarum in die ſucceſſus, proſperitatis tuæ, in ornatibus ſanctitatis, ex matrice fuſcæ auroræ tibi ros iuventutis tuæ*, vel *pueritiæ tuæ*. XVII. Schindlerus: *Populus tuus obligationes voluntariæ*; id eſt, promptus & paratus aderit: *in die exercitus tui*; id eſt, ut veniat tibi in auxilium, cum eo opus habueris, ut egrediatur tecum in bellum contra hoſtes tuos,

cum colliges exercitum ad debellandos hoſtes: *in ornatibus ſanctitatis*; id eſt, in ſocietate Sacerdotum & Levitarum, qui portant Urim & Thumim, & ſacras veſtes, & Arcam: *ex matrice auroræ tibi ros nativitatis*, ſeu *pueritiæ tuæ*; id eſt, veniet tibi adoleſcentia ſicut ros auroræ. Comparatur adoleſcentia auroræ, ut ſenectus veſperæ. XVIII. Montanus: *Populus tuus devotionum in die fortitudinis tuæ, in decoribus ſanctitatis, a vulva ab aurora tibi ros nativitatis tuæ*. XIX. Interpres Campenſis: *Populus autem tuus in die triumphi tui, vota offerent cum ſancta pompa: ros enim nativitatis tuæ ex utero auroræ eſt*. XX. Campenſis: *Populus tuus ſpontaneas offeret & liberales oblationes tibi, quo tempore apparebit omnipotentia tua, & omnimodus ille decor, qui te comitabitur: ante auroram enim cecidit, qui gratioſiſſimum te faciet omnibus, ros nativitatis tuæ*. XXI. Flaminius: *Populus tuus aderit voluntarius in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctitatis, ab utero auroræ tibi ros generationis tuæ*. Id eſt, populus tuus non invitus & coactus, ſed ſumma voluntate parebit imperio tuo, ut etiam paratus ſit cruciatus omnes & mortem pro tua gloria ſubire: eo quidem tempore, quo vim & potentiam, ſplendidiſſimamque lucem ſanctitatis & divinitatis tuæ declarabis, ſuperſtitione delenda, & omnibus gentibus ad pietatem & cultum Dei perducendis; vel *in ſplendoribus ſanctitatis*; hoc eſt, populo illo tuo omni ſanctitatis ſplendore perfuſo, ac moribus & pietate illuſtrato: & ut ros ex aurora decidens terram uberem lætamque efficit; ita puriſſimus Sanguis Mariæ vi Spiritus Sancti in uterum influens, ſine ullo virili ſatu concrevit in corpus Chriſti; qui in lucem editus humanum genus mirabiliter exhilaravit, atque omni genere virtutum fertilem reddidit. XXII. Tremelius, & Iunius: *Populus tuus populus voluntatum*, ſive *ingenuitatum*, hoc eſt, *voluntarius ingenuus*; id eſt, tui ultro ſe & res ſuas omnes tibi addicturi & conſecraturi ſunt, *die copiarum tuarum*; id eſt, temporibus Evangelii, quibus tuorum aciem ducturus, & inimicos debellaturus es, donec eos confeceris ſpiritu oris tui, & illuſtri adventu tuo aboleveris. His enim temporibus militans Eccleſia eſſe dicitur ex Scripturæ teſtimonio, & documentis Patrum. Etſi haud ſcio, an exponi poſſit e ritu legitimo hominum, qui olim turmatim ad domum Dei commeabant, ut ſupra Pſalmo LXXXIII. 8. *in decoris locis ſanctitatis*; id eſt, in Eccleſia tua, quæ appellatur templum ſanctum Domino: allegoria ſumpta a figuris veteris Eccleſiæ, ut Pſal. XXVIII. 2. inde ab utero; id eſt, cum primum per ſpiritum tuum ſemine incorrupto verbi regenerati fuerint in Eccleſia tua, & revelatus fuerit in ipſis Dei Filius, ut loquitur Apoſtolus Galat. 1. 16. *Matutina inquiſitione*, ſeu *accuratiſſime tibi aderit ros iuventæ tuæ*; id eſt, innumera multitudo electorum comparebit in Eccleſia tua, tamquam ſtillans ros e cælo, & ſub auroram depluens. Itaque exponit Pſaltes hoc verſu 3. fideliſſimum ac ſtudioſiſſimum ſubditorum Chriſti cultum & obſequium. Et iuvat quoque audire Poetas. Buchananus:

Te pompa lætis cum reducet plauſibus
Ad templa voti compotem,
Sancto decorus apparatu exercitus
Lætum celebrabit diem.
Non roris imber ante lucem argenteis
Tot veſtit arva gemmulis,
Quam multa cunctis gentium de finibus
Ad te propago confluet.

Montanus:

Sponte tuus populus veniet tibi, ſponte, die quo
Publica conſtabit tua virtus:
Sanctis pulchra, inquam, virtus ſplendoribus, ille
Almus naſcentiſque ros
Ex utero tibi; nec tantus deſcendit ab ipſa
Aurora, exſurget tibi quantus.

Bochius:

Subiectæque tibi venient ad claſſica gentes
Sponte ſua; ſacra cum maieſtate decorus
Militiam Rex educes; matriſque beatus
Ex utero es, ceu ros cælo deſcendit ab udo
Plurimus, humectatque agros aurora feraces.

TECUM. LXX. proculdubio legerunt cum Chirik עִמְּךָ *ghimmecha*, *tecum*: nunc conſtanter exemplaria habent cum Patach, עַמְּךָ *gham-*

gbammecha, *Populus tuus*; quam lectionem Hebræi veteres & recentiores uno ore ſequuntur. PRINCIPIUM. Codices hodie ſummo conſenſu habent נדבות *nedavoth*, vel adiective, *ſpontaneas*, *liberales*, *voluntarias*, *munificas*, *beneficas*, *principales*; ſcilicet, *oblationes*, ſeu *ſpontanea munera*, vel ſubſtantive, *ſpontaneitates*, *liberalitates*, *voluntaria*, *munificentias*, *beneficentias principalitates*, ſeu *principes*, femineo genere. LXX. videntur legiſſe eiſdem litteris, ſed aliis punctis נדבות *nedavath*, nova forma ſingulari, id eſt *beneficentia principatus*: nam in eo ſignificato poſuerunt hic ἀρχὴ, id eſt *principatus* non pro initio, aut exordio, ut alias ſumi ſolet. Veteres Gloſſæ: Α'ρχὴ, *Imperium*, *Magiſtratus*, *Magiſterium Præſidatus*, *Principium*. Tertullianus adverſus Hermogenem, cap. XIX. *Poſſunt & aliter Principium interpretari, non abs re tamen. Nam & in Græco principii vocabulum quod eſt ἀρχὴ, non tantum ordinativum, ſed & poteſtativum capit principatum: unde & ἄρχοντες dicuntur principes. Ergo ſecundum hanc quoque ſignificationem, Principium pro poteſtate & principatu ſumetur.* Unde & in noſtro ſimiliter *hic Principium*, pro Principatu accipiendum. Qua voce in ea notione uſus eſt Svetonius in Caligula, cap. XXXI. *Auguſti principium clade Variana memorabile factum*. Sic enim optimus liber, non *Principatus* habet, teſte Lipſio. Vide Notas in Eccleſiaſtici x. 22. & xi. 3. IN DIE VIRTUTIS TUAE. חיל *chaiil*, hæc omnia complectitur, *in die ſtrenuitatis*, *virtutis*, *roboris*, *virium*, *exercitus*, *aciei*, *copiarum*, *ſucceſſus*, *facultatis*, *opum*, *opulentiæ*, *proſperitatis*, *tuæ*. IN SPLENDORIBUS SANCTORUM. Hebr. *In decoribus*, *ornatibus*, *honoribus*, *maieſtatibus*, *pulchritudinibus*, *decentiis*, *gloriis ſanctitatis*. EX UTERO ANTE LUCIFERUM. Hebr. *Ex matrice*, *vulva*, משחר *miſchchar*. Plerique unam dictionem faciunt: *ex matrice auroræ*; idem quod שחר *ſcbachar*; alii volunt eſſe nomen adiectivum: *De matrice fuſca*, *nigra*, *obſcura*, *tenebroſa*: ut ſit epithetum matricis. Nonnulli exponunt; matutina aurorali inquiſitione; id eſt, ſtudioſa, accurata, matura inquiſitione; quaſi dicar, accuratiſſime. Complures dividunt, & Mem faciunt præpoſitionem: *ex matrice*, *ex aurora*, ſive & *ex aurora*, Quod Noſter & LXX. ſecut videntur. GENUI TE. Vel ſenſum attenderunt; vel eiſdem litteris, ſed aliis punctis legerunt, ילדתיך *ieladtbicha*, *genui te*. Hodie exemplaria habent: *Tibi ros generationis*, *nativitatis*, *progeniei*, *pubertatis*, *iuventæ*, *adoleſcentiæ*, *pueritiæ tuæ*. ילדותך *ialdutbecha*. Hunc locum de æterna Filii generatione ex utero intellectus paterni plerique intelligunt: alii de generatione Chriſti ex Virginea matrice, ut etiam Priſci aliquot Hebræi acceperunt: vide Lyranum hic, & Galatinum Lib. III. cap. XVII. Nonnulli, de generatione fidelium ex ſemine verbi incorrupto, qui ſenſus eſt Caietani, Forſteri, Tremellii, Iunii, Buchanani, Maldonati: nec ab eo abhorrent Flaminius & Mercerus: & ut nobis videtur, inſtituto Pſalmi congruentior.

V. 4. IURAVIT DOMINUS, ET NON POENITEBIT EUM, &c. Proponitur hoc verſu æternum Chriſti ſacerdotium, de quo legenda eſt Epiſtola ad Hebr. inde a cap. IV. ubi egregie hic locus elucidatur. SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. על־דברתי *gbal-dibrathi*. Iod quidam affixum faciunt, *ſuper verbum meum*, ſeu *locutionem meam*, *Malchi Tzedech*: alii paragogicum: & varie exponunt: *Super verbum*, *rem*, *negotium*, *cauſam*, *ritum*, *ordinem*, *conditionem*, *habitum*, *ductum*, *conſuetudinem*, *morem*, *agendam*, *rationem*, *diſpoſitionem*. Notant Paulum Hebr. v. 6. κατὰ τὴν τάξιν expoſuiſſe, id eſt ſecundum ordinationem, & cap. VII. 15. κατὰ τὴν ὁμοιότητα, id eſt ſecundum ſimilitudinem. Hac etiam phraſi uſum eſſe Stephanum volunt, Actor. VII. 53. ubi inquit: *Qui accepiſtis legem per diſpoſitiones Angelorum*, quod Lucas dixit εἰς διαταγὰς, *in ordinationes*. Quidam exponunt: *ſecundum ordinem Malci Tzedeki*; id eſt, veritatem & complementum exhibens illius ſacerdotii, quod in Malci-Tzedeko figuratum eſt. Ergo ſacerdotium Chriſti egregie figuratum, ordinatum, aſſimilatum fuit in ſacerdotio Malchi-Tzedeki, I. Quod Malchi-Tzedek, univerſe ſacerdos dicitur, nec unius gentis ſingulariter Hebræorum, ut Sacerdotium Leviticum & Aharonicum: ſic Chriſtus totius orbis, & omnium gentium Sacerdos. II. Quia ſi formam ordinemque hiſtoriæ ſpectes, ea narra-

narratur Malhci-Tzedek, quaſi ſine patre, ſine matre, ſine genere eſſet, ſine initio dierum, & ſine vitæ, nulli alteri ſacerdoti ſuccedens, nullum ſucceſſorem habens, ut hoc pacto Sacerdotii Chriſti repræſentaretur æternitas. III. Quia Malchi-Tzedek non fuit ſacerdos ſecundum ordinem Aharonis, generis Levitici, ex lege mandati carnalis; figurans ſacerdotem Chriſtum, qui factus eſt ſacerdos ex vi indiſſolubilis vitæ, iureiurando Dei adhibito, Hebræor. VII. 16. IV. Quia Malchi-Tzedek, Rex & ſacerdos fuit; ſic Chriſtus Rex & monarcha generis humani, ſimul & ſacerdos fuit. V. Quia Malchi-Tzedek Abrahamum ipſum decimavit, & in eo ſacerdotium Aharonicum ſeu Leviticum, illique benedixit, ac proinde eius ſacerdotium maius Aharonico fuit. Sic Chriſti ſacerdotium longe præſtantius Aharonico. VI. Sacrificium Malchi Tzedeki fuit panis & vini, Geneſ. XIV. 18. ita Chriſtus inſtituit incruentum ſacrificium corporis ac ſanguinis ſui in Euchariſtia: quod vera & viva eſt, eiſdem rebus, ſed modo ſacrificandi diverſo, repræſentatio ſeu exhibitio & actio cruenti illius ſacrificii corporis & ſanguinis Chriſti in ara Crucis oblati. Nam ad eum Geneſis locum his Pſalmi verbis reſpectum, nullus umquam dubitavit. Huius interpretationis auctores innumeri Patres exiſtunt, ſed aliorum omnium nomine unum Sanctum Cyprianum audiamus, qui Libro II. Epiſt. III. ad Cæcilium hæc habet: *Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ex perſona Patris ad Filium dicens: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo utique hic eſt, de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis maior ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech; id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem?*

V. 5. DOMINUS A DEXTRIS TUIS, &c. *Adonai*, hic plerique Patrem accipiunt: *Dominus, qui eſt ad dexteram tuam, confodit*, &c. *ut ad dexteram*, hic aliter ſumatur, quam ſupra verſ. I. id eſt, Pater qui tibi adſtat, qui tibi ſemper præſto adeſt, ut opem ferat, *confodit*, &c. Sic Pſal. XV. 8. & CVIII. 31. Quidam ita diſtinguunt: *Adonai confregit a dextris tuis*, &c. Alii: *Adonai* Chriſtum intelligunt: *Dominus, qui ſedet ad dexteram tuam*; id eſt, Chriſtus Rex, de quo verſu I. Enuntiatur autem converſa ad Deum oratione ad confirmandam prophetiæ huius veritatem. Continentur tribus his verſibus altera pars Pſalmi, de effectis potentiſſimæ adminiſtrationis Chriſti Regis noſtri, deſcribens victoriam reportatam de omnibus inimicis: quæ allegorice humano bello, ſtrage hoſtium, & victoriis perſequentis, geſtuque exultantis figuratur. CONFREGIT. מחץ *machatz*, *Infecit ſanguine, vulneravit, percuſſit, fregit, transfixit, confodit, transfodit*. Vide in Pſal. II. 9. ſic infra verſ. 6. REGES. Exponunt: Id eſt, omnem ſublimitatem, quæ extollitur adverſus omnem cognitionem Dei, II. Corinth. X. 5. Alii, Tyrannos omnes hoſtes Eccleſiæ transfodiet. Non pauci putant iſtud & ſequentia referenda ad ſpiritalem ſtragem idololatriæ, & peccatorum, quibus mortui Reges & gentes, allecti ſunt in Eccleſiam & dulci iugo Chriſti ſubiecti.

V. 6. IUDICABIT IN NATIONIBUS, &c. Ex Hebr. Varie: I. *Ultionem capiet, vindicabit, in gentibus*: 2. *Supplicium ſumet de gentibus rebellibus*: 3. *Iudicium ac potentiam exercebit in gentibus*. Buchananus:

Gentes rebelles comprimet.

Proprie: *Sententiam feret, pronuntiabit, in gentes*. IMPLEBIT RUINAS. Hebr. præteritum, *implevit*, ob certitudinem vaticinii, *cadavera*, ſeu *corpora*; id eſt, explebit numerum interficiendorum. Alii: *Complens* loca omnia *cadaveribus*, cælorum: magna erit ſtrages corporum. CONQUASSABIT CAPITA IN TERRA MULTORUM. Hebr. *Inficiet ſanguine, cruentabit*, &c. ut verſu ſuperiore, *caput ſuper terram multam*, id eſt amplam, latam, plurimam. Quidam reddunt; *frangens caput*; id eſt, adverſarios omnes ad unum male perdens, & Satanæ adminiſtros, ſatanamque ipſum, qui caput eſt improborum, & mortis imperium obtinet, conterens ſub pedibus noſtris, Romanor. XVI. 20. *in regionibus plurimis*, id eſt omnibus, ut Pſal. XCVI. I. Alii

Digitized by Google

1. Alii ſingulariter, *caput*, ſatanam, vel antichriſtum intelligunt. Plerique collective, *capita*, adverſariorum. Alii reddunt: I. Quando contundet *Capita in multis regionibus*. II. *Percutiet capita ſuper terram multam*; id eſt, principes qui præſunt regionibus amplis, & divitibus.

℣.7. De torrente in via bibet. Explicant, Id eſt victoriam conſtantiſſime perſequetur; quemadmodum ſtrenui duces, ne cibo quidem aut potui indulgent, ſed raptim & carptim ex torrentibus bibunt, cum fuſos hoſtes perſequuntur. Alii *de torrente*, ſubaudi, ſanguinis cæſorum; quaſi dicat: Fundetur tantum ſanguinis in ea victoria, ut liceat victori bibere e torrente ſanguinis interfectorum; *in via*, dum peſequentur hoſtes. Plerique: Chriſtus de torrente paſſionum, & afflictionum in hoc vitæ curriculo bibet, calicem perpeſſionum hauriet. Propterea exaltabit caput; id eſt, propter eam victoriam multum attolletur Chriſtus, clariſſimus evadet. Alii: *Idcirco attollet caput*; id eſt, victoriam plenam conſecutus, gloriabitur atque triumphabit: quam Deus Pater Filio promiſerat ſupra verſ. 1. Complures: Propter eas exhauſtas & exantlatas perpeſſiones Chriſtus ſummam gloriam & honorem conſequetur. Vide Philippenſ. II. 5. uſque ad XII. & Hebræor. II. 9. Hunc verſum Buchananus ita carmine reddidit:

—— torrentibus
E fortituitis, dum fugam premet, ſitim
Victor levabit igneam.
Ergo ſubactis hoſtibus, cælo caput
Tollet decorum gloria.

Bochius:

—— curſuque fugaces
Pone ſequens, non flectet iter, ſed pellet anhelam
E torrente ſitim: caput hinc ſublime decoro
Hoſtibus attritis attollet ad aſtra triumpho.

MENOCHII.

Verſ. 1. Dixit Dominus, Deus Pater. Domino meo, filio ſuo incarnato. Sede a dextris meis: ſede mihi modo a dextris meis, mecumque nunc quiete, in æquali poteſtate regna ſuper omnia. Donec ponam: uſque dum in noviſſimo die omnes inimicos tuos, quaſi ſcabellum humile ſubiiciam pedibus tuis.

℣. 2. Virgam virtutis; ſceptrum potentiæ tuæ, potentiam tuam regiam in omnem terram emittes & diffundes ex Sion, & ex Iudæa, ex qua regnum tuum incipiet. Dominare in medio inimicorum tuorum; dominaberis inimicis tuis, velint nolint.

℣. 3. Tecum principium. Vox, *Principium*, in Græco eſt, ἀρχὴ, quæ Principium, & principatum ſignificat; ſenſus eſt: Tecum erit Principatus manifeſtus, & tunc apparebit omnibus tuum eſſe regnum, & apud te ſolum eſſe verum Principatum. In die virtutis tuae: in die noviſſimo, quando potentia tua cælum movebit, ſolem obſcurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, & omnes ad tribunal tuum adducet. In splendoribus sanctorum, cum ſcilicet circumdatus eris ſanctis tuis, qui omnes fulgebunt ſicut ſol. Ex utero, &c. Ego genui te mihi conſubſtantialem e ſecreto divinitatis meæ, a propria mea ſubſtantia. Ante luciferum, ab æterno, antequam luciferum, aut ſolem, aut aliam quampiam creaturam formarem.

℣. 4. Iuravit Dominus: iuravit tibi Dominus, nec eum pœnitebit, aut conſilium mutabit, & dixit, Tu es sacerdos in aeternum, non erit ſacerdotium tuum temporale, ut ſunt ea quæ homines obtinent, ſed æternum. Secundum ordinem Melchisedech; quaſi dicat, ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſecundum ordinem Aaronis. Per ordinem intelligitur ritus, lex, traditio, conſuetudo: hoc enim ſignificat vox Hebraica דברה *dibra*: diſtinguitur autem ordo Melchiſedech ab ordine Aaronis in multis. Primo enim Melchiſedech non legitur ſucceſſiſſe alteri, neque ei ſucceſſiſſe alter legitur, ideoque Melchiſedech dicitur ad Hebr. VII. *ſine patre*, *ſine matre*, *ſine genealogia*. In ſacerdotio autem Aaronis filii parentibus ſuccedebant. Secundo, Melchiſedech erat Rex, & ſacerdos; Aaron ſacerdos tantum. Tertio, Melchiſedech obtulit panem, & vinum; Aaron oves & boves. Quarto, Melchiſedech erat

Digitized by Google

erat ſacerdos univerſalis, nec uni tantum genti addictus; Aaron erat ſacerdos tantum Iſraelitarum. Quinto, Melchiſedech non egebat tabernaculo, aut templo ut ſacrificaret; Aaron indigebat: quare nunc Hebræi qui carent utroque, carent etiam Pontifice, & ſacrificio. Chriſtus ergo eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quia nulli ſucceſſit, nec ullus ei ſuccedit; quia Rex, & ſacerdos, quia obtulit panem & vinum; quia ſacerdos omnium gentium; tandem quia eius ſacerdotium non alligatur uni templo, vel tabernaculo, ſed ut prædixit Malach. cap. I. 11. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, &c.

V. 5. DOMINUS, &c. Convertit Propheta orationem ad Deum Patrem, & ait: Dominus, id eſt Chriſtus. A DEXTRIS TUIS, qui ſedet a dextris tuis. CONFREGIT IN DIE IRAE SUAE REGES; id eſt, in die qua iraſcetur inimicis ſuis Regibus, terræ, Eccleſiam ſuam perſequentibus conteret eos. Dicit in præterito, *confregit*, quia lumine prophetico rem videbat David, ac ſi iam geſta eſſet.

V. 6. IUDICABIT IN NATIONIBUS, nationes, & gentes omnes iudicabit, & puniet. IMPLEBIT RUINAS, multiplicabit ruinas, multos deſtruens, & ruere faciens. In Græco eſt πτώματα, quod *cadavera* ſignificat, cadaveribus & ſtrage omnia implebit. CONQUASSABIT CAPITA IN TERRA MULTORUM: comminuet, confringet ſuperborum capita, qui erecto collo, & capite adverſus Deum incedunt. IN TERRA MULTORUM, ſcilicet populorum. In Hebræo eſt, *In terra multa*, id eſt in magna parte terræ, quod idem eſt quo ad ſenſum: nam idem ſignificatur, ſive dicamus multos ſuperbos in terra inveniri, ſive ſuperbos multum terræ occupare.

V. 7. DE TORRENTE IN VIA BIBET. Torrentem appellat curſum rerum humanarum; quaſi dicat: Chriſtus in via, & vita hac mortali multorum dolorum, moleſtiarum, & calamitatum erit particeps. PROPTEREA EXALTABIT CAPUT. Itaque propter hanc humilitatem, & ad adverſorum patientiam, caput, prius depreſſum extulit, Deo illum ad gloriam ſublevante. Hunc locum quaſi interpretatur D. Paulus ad Philipp. cum ait: *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*, &c.

TIRINI.

Verſ. I. DIXIT DOMINUS. Deus Pater, DOMINO MEO, Meſſiæ. Hic enim non ſolo titulo deitatis, ſed & redemptionis, ac ſingularis gratiæ, & in omnibus præcellentiæ, vere eſt dominus Davidis, & totius orbis. Ex hoc verſu convicit Chriſtus Iudæos Matth. XXII. 44. quod non ſit ſolum filius Davidis, ſeu purus homo, ſed etiam verus Deus. *Dixit*, vero, primo, ab æterno; ſecundo, in incarnatione; tertio, in reſurrectione, vel in cælum aſcenſione. SEDE A DEXTRIS MEIS; id eſt, regna proximus mihi, in ſumma gloria & felicitate. S. Hieron. & Theodor. DONEC; quaſi dicat: Etiam interim dum INIMICOS TUOS omnes, ſcilicet principes, Gentiles, & Iudæos, qui nolunt ut regnes; PONAM SCABELLUM PEDUM TUORUM; id eſt, tibi ita ſubiiciam, ut pedibus eos conculces devictos & proſtratos.

V. 2. VIRGAM VIRTUTIS, id eſt ſceptrum potentiæ TUAE; id eſt, regale imperium tuum, quo cœpiſti dominari paucis diſcipulis in SION & Iudæa, inde EMITTET Deus in univerſum mundum; tuæ fidei & ſervituti ſubiiciens omnes gentes, ut palam & libere domineris illis, etiam IN MEDIO frementium, & furentium INIMICORUM TUORUM, Iudæorum, Turcarum, Hæreticorum: ita S. Auguſt.

V. 3. PRINCIPIUM. Hebraice, *principes* ſeu *duces*; Græce ἀρχὴ, id eſt principatus. Et Svetonius *a* etiam *principium* pro principatu uſurpat. TECUM nunc eſt IN hac DIE VIRTUTIS TUAE (de qua dixi verſ. I.) id eſt, in qua tam inſignem virtutem ſeu poteſtatem regalem accepiſti, IN SPLENDORIBUS; ſeu, una cum ſplendoribus, vel propter ſplendores, SANCTORUM, tum chariſmatum ſeu donorum quæ in te ſunt; tum operum & meritorum quæ a te procedunt; Hebraice enim eſt, *in ſplendoribus ſanctitatis tuæ*; quaſi dicat, Merito tuæ ſplendidæ ſanctitatis. Vide Maldonatum & Lori-

Lorinum: S. Auguſtinus & Theodoretus, per *diem virtutis* intelligunt diem extremi iudicii cum ſplendidiſſimo comitatu ſanctorum hominum & Angelorum. Ex utero genui te filium mihi conſubſtantialem; quaſi dicat: Nil mirum, hæc omnia ſupradicta tibi iam concedi, cum ab æterno ſis naturalis filius meus; nam ante luciferum; id eſt, ante creatas ſtellas, ante cælum, ante omnia ſæcula, ab æterno ego *ex utero* meo, id eſt ex mea ſubſtantia & potentia generativa, ex imis deitatis meæ medullis genui te Deus Deum, eiuſdem mecum numericæ naturæ: ita S. Hieronym. Auguſtinus, & fere Euthymius: Hebr. eſt, *Ex utero meo præ aurora*, ſeu ante conditam ſtellam auroræ, luciferum, *tibi ros*, ſeu flos, *adoleſcentiæ tuæ*; ſupple, iam tum aderat; id eſt, tu iam ex tunc eras in flore adoleſcentiæ tuæ, oblectans me & *ludens coram me*, ab omni æternitate: ergo multo magis dicendus eras iam tum genitus, ut Noſter vertit *b*. Ita SS. Patres contra Luciferianos, & etiam S. Paulus Hebr. I. de generatione Chriſti ab æterno locum hunc exponit. Idem tamen cap. v. eumdem exponit de incarnatione & generatione humana Chriſti in tempore. Uti & Tertullianus *c*, qui, ut & S. Auguſtinus, putat hic agi de utero virginali B. Virginis, ſolo Spiritus ſancti rore fœcundato, *ante* exortum *luciferum*, nempe media nocte, Chriſtum in Bethlehem pro gignente. Denique idem S. Paulus hunc eumdem locum applicat etiam reſurrectioni Chriſti Actor. XIII. 33. Unde clarum hic exemplum habemus plurium ſenſuum etiam litteralium unius eiuſdemque loci S. Scripturæ.

V. 4. Iuravit; id eſt, ita certo conſtituit Deus Pater, ac ſi iuraſſet. Simile habes Pſal. CXVIII. 106. *Iuravi & ſtatui*. Et non poenitebit eum; id eſt, numquam mutabit, quod ſemel conſtituit; nempe, ut secundum ordinem; id eſt, morem & ritum ſacrificandi, non Abelis, non Aaronis, non Samuelis, ſed Melchisedech, ſis sacerdos, ſimili more & ritu ſacrificans quo ipſe fecit, ſcilicet incruente ſub ſpeciebus panis & vini. Et quidem in aeternum, quamdiu mundus ſtabit, ſic ſacrificabis. Hinc neceſſario ſequitur, oblationem Euchariſtiæ tum Chriſti in ultima cœna, tum noſtram quotidie in Miſſa, eſſe verum & proprie dictum ſacrificium, ut docet Concilium Tridentinum *d*, & SS. Patres ac Doctores, quos vide apud Suarez, Bellarminum & alios. Porro inſinuat his verbis reconciliationem generis humani per Chriſtum; quaſi dicat: Tu is es; qui gratiſſimam mihi hoſtiam, quam ſemel redimendis hominibus cruente offeres in ara Crucis, quotidie deinceps incruente per miniſtros quoque tuos, ſub panis & vini ſpecie mihi offeres, qua iratus iiſdem reconciliabor.

V. 5. Dominus a dextris tuis, id eſt adiuvans & protegens te, confregit Reges tibi adverſarios, Herodem, Neronem; Diocletianum, &c.

V. 6. Iudicabit, id eſt ulciſcetur, ſcilicet Deus Pater, in nationibus, id eſt nationes tibi inimicas & rebelles. Implebit ruinas multorum; id eſt, faciet multos ruere, multorum ſtragem edet: ita Euthymius.

V. 7. De torrente in via bibet; ſcilicet, paſſionum multiplicium in hac vita: ita Arnobius, Hieron. Theodor. Euthymius, Bernardus. Vel melius ex Hebræo; quaſi dicat: Tanta edetur ſtrages hoſtium, ut ex ſanguine occiſorum fiat torrens, ex quo victor Chriſtus affatim bibere poſſit in via qua hoſtes perſequetur, vel quacumque incedet. Simile habes Numerorum XXIII. 24. Deuteronomii XXXII. 42. & Pſal. LXVII. 24. Ita Maldonatus, Vatablus, Ianſenius, Propterea exaltabit caput; id eſt, propter illam victoriam Chriſtus clariſſimus evadet. Allegorice, hæc magis quadrant in victoriam de demone, peccato, morte & inferno.

(a) Sveton in Auguſto.
(b) Prov. VIII.
(c) Tert. L. III. contra Marcion c. 12.
(d) Trid. ſeſſ. 22. c. 1.

GORDONI.

Titulus: Psalmus David. Pſalmus eſt de regno, & ſacerdotio Chriſti; ex variis Scripturæ locis, ita ſenſum explicantibus. Nam hinc Chriſtus pro ſe argumentatur Matth. XXII. 43. Hinc etiam argumentatur Paulus I. Corint.

xv. & Petrus Act. 11. Davidem eſſe Pſalmi auctorem Chriſtus citatus teſtatur. Eſt vero hic Pſalmus celebris, & multorum myſteriorum promptuarium. Refutat Lorinus delirium Rabinorum, qui fingunt hunc Pſalmum compoſitum a Melchiſedech, aut aliquo, qui vixerit ſub Davide. Intelligo porro hunc Pſalmum eſſe de Chriſto ad ſenſum litteræ, & non tantum ſub alicuius alterius typo. Quinque hic potiſſimum continentur: 1. Divinitas; 2. Dominium, quod ut homo habebat in creaturas; 3. Sacerdotii dignitas, cum poteſtate inſtituendi ſacramenta, & ſacrificia; 4. Poteſtas iudiciaria, & legislatoria; 5. Redemptor denique eſt Chriſtus, in quo ſtatu ſibi multa, & nobis bona noſtra promeruit abunde.

Verſ. 1. DIXIT. Hunc verſum perſpicue interpretatur Petrus Act. 11. 32. & deinceps. Loquitur ergo David, qui vidit in ſpiritu Chriſtum aſcendentem in cælum, & narrat hic nobis verba Patris ad Filium, quibus Pater Filium invitat ad ſeſſionem a dextris. Septuaginta, *εἶπεν ὁ κύριος*. Colligunt aliqui ex verbo, dicendi, generationem æternam; ita ut dixit, ſit, genuit; & ſedere a dextris, ſit accipere æqualitatem eſſentiæ. Sed forte rectius ad Chriſtum hominem verba hæc dicta ſunt: alioquin cur non potius *ἔλεγεν* poſitum eſſet, ſicut verbum vocatur *λόγος*. Et Hebr. נאם *neum*, *dixit*, habet vim aſſertionis, ut ſit patris dictum, imperantis Chriſto, prout homo eſt, & prædeſtinantis illum, ut præter alia, ſedeat etiam a dextris, aſcendens in cælum. Male etiam hinc colligebant Arriani Patrem eſſe maiorem Filio: nam Pater non imperat Chriſto, niſi ut homini; & ſic minor eſt.

DOMINUS. Septuag. *κύριος*. Hebr. יהוה *Iehovah*, ex qua voce & nomine ineffabili conſtat eum qui dixit, non eſſe hominem aliquem, Melchiſedech, Ezechiam, aut ſimilem.

DOMINO MEO: *κυρίῳ μου*. Hebr. לאדני *Ladoni*, cum affixo primæ perſonæ, *Domino meo*; hoc eſt, Chriſto, quem David Dominum ſuum vocat. At cur David expreſſit Chriſtum, per nomen *Adoni*, & non per nomen, *Iehovah*? non ſane quod Chriſtus non eſſet Deus, & vere *Iehovah* ſecundum divinitatem; ſed ne ſi utrique (cum de illis ſimul ſit mentio) idem nomen *Iehovah* fuiſſet tributum a Propheta, putaremus indicari duos eſſe Deos; alioqui, cum ſeparatim de Chriſto ſit mentio, nomen *Iehova* illi tributum reperitur, ut Ierem. XXIII. 6. ubi Meſſiæ, nomen *Iehova* datur. Sæpius tamen, & paſſim in Scripturis Chriſtus vocari ſolet *κύριος*, *Dominus*.

SEDE A DEXTRIS. Denotantur data Chriſto potiora bona inter beatos, & ſumma iudicandi poteſtas. Seſſio etiam poteſtatem indicat regiam. Hæc quidem antea filio competebant, & Chriſto Deo; tamen poſt incarnationem meruit ſibi ut homini hæc potiora bona, regiamque, & iudiciariam poteſtatem. Sic Philip. II. *Propter quod & Deus exaltavit eum*, &c.

DONEC PONAM, &c. Hinc habetur regnum Chriſti numquam eſſe finiendum. *Donec*, inquit, *ponam*; hoc eſt, donec nullus ſuperſit inimicus: ut tunc cum debellatum erit, regnet pacifice in æternum atque hanc vim habet vox donec: *ἕως ἂν θῶ*.

V. 2. VIRGAM VIRTUTIS TUAE EMITTET DOMINUS. Hebr. יהוה *Iehova*. Loquitur Propheta ex revelatione converſus ad Chriſtum. En, inquit, initium regni ex Sion, & erit tibi cum pleno dominio.

V. 3. TECUM PRINCIPIUM. Tecum erit principatus, & apparebit vel maxime in die virtutis tuæ, in die noviſſimo, cum iudicabis terram; in ſplendoribus Sanctorum tuorum circa te, & merito ſic excelles; quia ex utero & proceſſione æterna creatura, ſed genitus es & conſubſtantialis æterno Patri. Ita communiter Patres. Septuaginta habent, *μετὰ σοῦ ἡ ἀρχή*. Hebr. עמך *bimmecha*, *tecum*: & potior lectio eſt.

Principium, in Hebr. נדבות, *nedavoth*, *principatus*, in numero plurium. Septuaginta videntur legiſſe in ſingulari נדבות *nedavuth*, vel נדוה *nedavah*. At quomodo cum Chriſto? Varie hoc explicatur. Aliqui exponunt, tecum eſt principium primum, quia Pater in Filio eſt, & Filius in Patre. Sed commodior expoſitio eſt; tecum eſt principatus, ut ad initium huius verſiculi ſignificavi.

In

In splendoribus. Septuaginta, *ἐν ταῖς λαμπρότησι*. Hebr. הדרי *hadre*, *in regimine*, in decoribus aliqui putant. Septuag. legerunt אורי *ore*, *ſplendores*, in regimine etiam: nihil tamen puto mutandum.

Ex utero. Septuag. *ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε*. Conſentit Hebr. Hinc habetur divinitas Chriſti manifeſte: nam Pater creaturam non genuit ex utero ab æterno. Septuag. poſuerunt Luciferum, pro aurora (משחר *mesvchar*) ſed perinde eſt, cum ſimul oriantur.

Genui te. Nunc in Hebr. eſt, *tibi ros nativitatis tuæ*: ſed duas priores voces non legerunt Septuaginta; pro duabus reliquis legerunt ילדתיך *ialadthica*, *genui te*, non autem ut nunc eſt in Hebr. ילדותך *ialduthcca*, *nativitatis tuæ*.

V. 4. Iuravit Dominus, &c. Hactenus de regia dignitate; nunc de ſacerdotio; non quidem Aaronico, ſed quod immediate a Deo eſt. Eius figura erat Melchiſedech; & recte: nam Melchiſedech nec patrem habet expreſſum in Scritura, nec matrem: nulli ſucceſſit, ſucceſſorem non legitur habuiſſe: panem & vinum obtulit, ut dixi ad Geneſin ſuo loco. Confer omnia cum Chriſto, & reſultabit typus expreſſus. Sane præter alia Chriſtus nec patrem habuit, ut homo; nec matrem, ut Deus. Cetera Paraphraſis. Iuramentum Dei aſſertionem deſignat.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. uſq. ad 5. D*ixit Dominus*, &c. Iuxta ſectionem Hebraicam hic Pſalmus numeratur cx. Explicatur vero abunde ex his, quæ dixi de titulo, & quæ ſubiicio ad ſingulos verſus obſcuriores.

V. 5. *Dominus a dextris tuis*, &c. Dixit verſu præcedente Chriſtum habere ſacerdotium æternum; nunc vero Pſalmiſta convertens ſermonem ad Patrem (ut hunc locum interpretatur Auguſtinus) Chriſtus, inquit, qui ſedet a dextris tuis, in die iræ ſuæ, fungens ſacerdotio ſuo, confregit Reges adverſantes legibus eius, & prævalebit. Confringet quidem in futuro, reſpectu temporis, quo loquebatur David; ſed confregit reſpectu Davidis Prophetæ, cui res futura repræſentabatur, ut peracta, dum in ſpiritu intuebatur victoriam Eccleſiæ. Atque inde ſequitur verſu 6. *Iudicabit nationes*, *implebit ruinas*, ſeu perficiet ruinas impiorum, conteret reges ſuperbos. Bibet quidem ille de torrente, aquam turbidam in paſſione, & more pauperum humiliabitur; ſed propter hoc ipſum exaltabitur, & erit illi nomen glorioſum, quod eſt ſuper omne nomen.

BOSSUET.

Verſ. 1. Dominus domino....... *Iehovah ladoni*: Hebr. quo ex loco ipſe Chriſtus ſic infert: *Si David vocat eum Dominum*, *quomodo filius eius eſt*? Matt. xxii. 45. non ergo de Ezechia, non de Zorobabelle, non de aliis quibuſvis intelligendus Pſalmus, quos profecto David, tantus Rex eorumque pater, dominos non vocaſſet. Sed de eo dicitur qui eſt Dominus dominantium: Apoc. xix. 16. nec nocet Chriſti divinitati quod hic dicatur Dominus non illo arcano, ſed inferiore vocabulo *Adonai*; cum & ipſe Deus ita appelletur verſ. 5. & hic de Chriſto ut homine ſermo habeatur: neque David quemquam vocaſſet Dominum ſuum niſi Deum. Sede a dextris meis. Licet dignitatis gradus non ſit, ubi plenitudo divinitatis eſt; tamen ideo ad dexteram ſedet filius, non quo præferatur Patri, ſed ne inferior eſſe credatur: Amb. hic. Donec ponam.... an igitur deiectis hoſtibus a dextera diſceſſurus eſt? immo, Paulo interprete, in ſempiternum ſedet in dextera Dei: de cetero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius: Hebr. x. 12. 13. Vide etiam in hunc locum, I. Cor. xv. Hebr. i. 13. Dixit Dominus (*Iehova*) Domino meo: (*Ladoni*) vulgari vocabulo, tamquam hero, tamquam Regi; ſed rerum conſecutio facit, ut ſubliniore ſenſu intelligi oporteat, atque omnino de eo qui & ipſe ſit Deus: cum præſertim verſ. 5. huius ipſius Pſalmi, Deus ipſe hac voce appelletur: *Dominus a dextris tuis*: Hebr. *Adonai*; unde Chriſtus: *David ergo Dominum illum vocat*, *& quomodo filius eius eſt*? Luc. xx 44. Præclare Chryſoſtomus adverſus Iudæos v. Non dicit hoc Eſaias, non Ieremias, nec quiſquam alius privatæ conditionis, ſed ipſe

R 2 Rex:

Rex: (addiderim ipſe David parens) ut intelligeres eum qui loquitur eius eſſe dignitatis, qui non hominem dominum ſuum appellare poſſit, ſed Deum ſolum. *Sede a dextris meis*: præcipuo honoris loco ad ipſum Dei ſolium; in cælis ipſis ſcilicet: quod ille apud Iſaiam XIV. 13. 14. perverſe imitatus dicebat: *In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſimilis ero Altiſſimo*. Quod ergo ille ſibi per iactantiam; id Deus Chriſto vere tribuit; unde Petrus: *Non enim David aſcendit in cælum; dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis*, Act. II. 34. non ſibi conſtat Grotius qui victus hoc loco in Acta ſic habet, ut ſupra retulimus: David non eſt evectus in cælum; quare verba Pſalmi CX. in ipſum congruere non poſſunt; at in Pſalmum ipſum; alio flexit: Sede a dextris meis: ſecurus eſto fiducia mei auxilii: qui ſenſus nihil habet humana conditione altius; cum tamen nullum proferat huius locutionis exemplum; immo Scripturæ, cum aliquem tutum præſtare volunt, non eum in dextris Dei, ſed Deum a dextris eius collocent: hic verſ. 5. *Dominus a dextris tuis*: Pſal. XV. 8. *A dextris eſt mihi ne commovear*: neque ullus Interpretum etiam Iudæorum illud, *Sede*, & illud, *a dextris*, ad aliud quam ad honorificentiam retulit.

V. 2. VIRGAM VIRTUTIS, *fortitudinis*, Hier. EX SION. Imperium ac prædicatio Chriſti a Ieruſalem ordietur: de Sion exibit lex, Iſa. II. 3. incipientibus ab Ieruſalem diſcipulis, Luc. XXIV. 47. atque inde ad orbis extrema profecturis.

V. 3. TECUM PRINCIPIUM: ἀρχή, *principatus*; quod etiam Svetonius principium dixit κράτος: Theodor. poteſtas, auctoritas. Ita etiam Chr. & Græci: at Hier. *populi tui ſpontanei*, id eſt promptiſſime obedientes. Varietas Hebr. & Vulg. orta ex diverſa lectione. *Imca, tecum*; *Amca, populus tuus*, iiſdem litteris. IN DIE VIRTUTIS, *fortitudinis*, Hier. expeditionis, eductionis exercitus. IN SPLENDORIBUS: circumſtantibus ſanctis, Angelis ſcilicet; unde Deut. XXXIII. 2. *Cum eo ſanctorum millia*; at Hier. *in montibus ſanctis*, in ipſa paterna gloria. EX UTERO.......a vulva, ab aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ; ſive *ortus tui*, Hebr. id eſt, ex intimis meis iam a tempore conditæ auroræ dederam ſemen ex quo es ortus: iam ab aurora creata, ex me eras genitus. *Ex utero*: de ſua natura, de ſuis viſceribus, de ſua ſubſtantia, de medullis divinitatis ſuæ. Comm. Hier. magis ex ſe videtur emittere, qui ex utero generat. Sic Iſa. XLVI. 3. *Qui geſtamini a mea vulva*. Deus ergo pater ex utriuſque ſexus ſœcunditate id ad ſe potiſſimum tranſtulit, quod unum ab uno atque ex uno genitum maxime commendabat. ANTE LUCIFERUM, a parte totum: ergo ante lunam, ante ſolem, ante omnem creaturam. *Et egreſſus eius ab initio, a diebus æternitatis*, Mich. V. 2. GENUI TE: ergo non opus, non factura, ſed filius: nec adoptatus, ſed vere genitus. De adoptatis enim dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, Ioan. I. 12. hic autem ab æterno, natura ſua, proprie atque ex utero genitus; ex paterno ſemine; non deciſa ſubſtantia, ſed tota, cum ſit Deus impartibilis atque individuus, ex Comm. Hier. quem vide. TECUM PRINCIPIUM: tecum eſt principatus, ſive imperium: tibi innatum eſt ac proprium, ut regnes, quemadmodum ad hunc locum diximus in Pſalmorum notis. Neque refugimus illud ex Hebræo ab Hieronymo quoque agnitum: populi tui ſpontanei, ſeu prompte obſequentes: *in die virtutis*, ſive fortitudinis (exercendæ in hoſtes) ut vertit Hieronymus: ſive etiam *exercitus* (expediti ad prælium) vide etiam notas noſtras: ut & in illud quoque; *in ſplendoribus ſanctorum: ex utero ante luciferum genui te*: hunc locum Patres omnes, catholici omnes melioris notæ ad æternum ac divinum Chriſti ortum referunt. Iuſtinus imprimis adverſus Tryph. ex hoc loco infert ceciniſſe Davidem Chriſtum, ante ſolem & lunam ex utero gigni oportere: eamque vim eſſe huius dicti, ut idem ſit primogenitus creaturarum omnium; hoc eſt, ex eodem Iuſtino, vere & ab æterno Deus: & ſimul ex Virgine genitus, pag. 302. 310. 311. 354. Athanaſius cont. Arian. orat. V. p. 538. hunc locum confert cum illo, *Ego hodie genui te*: & cum illo, *Ante omnes colles genuit me*: Prov. VIII. quibus probat Chriſti ortum ante ſæcula: atque illud *ex utero* ita interpretatur: Ex me ipſo genui te,

an-

antequam in carne appareres, p. 542. hæc paſſim inculcat, & poſt illum ſummi Theologi Baſilius, Cyrillus Alexandrinus ſupra iam laudati, ad Pſal. 11. denique Patres omnes infinitis locis, totaque Eccleſia: nec pigebit exſcribere præclara verba eius commentarii, quem Hieronymi nomine Auguſtinus commendavit: Ex utero; de ſua natura; de ſuis viſceribus; de ſua ſubſtantia; de medullis divinitatis ſuæ; ex paterno ſemine; non deciſa ſub ſtantia, ſed tota: quæ verba tam præclara, tam digna Hieronymo, tam eius ſæculi, tanto doctori admiratio non ſinit. Sane non deſunt qui illud, *ex utero*, etiam intelligant de virginali utero, ex quo Chriſtus ſingulari quadam ratione eſt editus; nempe ex ſolo utero ſine viro: idque *ante luciferum*, noctis tempore; quia Chriſtus ex Virgine per noctem natus eſt: quem ſenſum etiam Auguſtinus affert, ſed ſecundo loco, poſteaquam Verbi ante omnem creaturarum nativitatem expoſuit, qui ſenſus genuinus primitivuſque ſit. S. etiam Iuſtinus, illud *ex utero* ita intrepretatur: Ex humano utero, virginali ſcilicet illo de quo ſcriptum eſt, *Ecce virgo in utero concipiet*: adv. Tryph. ſic tamen, ut ille ſenſus alteri coniungatur, quo Chriſtus ante ſolem & lunam, & ante omnem creaturam primogenitus agnoſcitur. S. vero Athanaſius luculenter probat, nec ſufficere illud de Chriſti inter homines nativitate per noctem, & ante luciferum: quia id, tam multis congruat: neque in eximio, ac ſingulari ortu qualem hic David deſcribit, ſatis memoratu dignum eſſe videantur: ibid. p. 540. 541. Quod ergo Patres omnes, nullo penitus excepto, de Chriſto eiuſque divino atque immortali ortu prædicant, & ad convincendos non modo Iudæos, verum etiam hæreticos afferunt, id novitii interpretes ſic exponunt, ſic vertunt, & latine & vernacule, ut non modo in expoſitione, verum etiam in verſione ipſa, nec Chriſtus appareat; nec quidquam Chriſto congruum. Quod autem Hebræum ſic ſtatuunt tamquam a chriſtiana interpretatione diverſum, falſum id quidem eſt: primum enim illud *ex utero*, ex vulva, *ante luciferum*, ſive ab aurora (condita) habent non modo LXX. ſed etiam Aquila, Symmachus, alii apud Epiphanium hær. LXV. & ceteros, certaque eſt interpretatio: tum in Hebræo *tal*, id eſt *ros*, ipſo fatente Grotio, eleganti translatione, *ſemen* ſignificat: ea ſimilitudine qua etiam per aquam deſignatur, Prov. v. 16. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*. Quo etiam ſpectat illud Iſa. XXVI. 19. *ros lucis* (ſive vitæ) *ros tuus*: Hebr. *ros olerum, ros tuus*: tam fœcundum ſemen tuum atque olerum rore infuſo ſuccreſcentium eſſe ſolet: qua phraſi Propheta ſignificat incrementa antea extenuatæ gentis, tunc autem uberrime ſuccreſcentis, ac velut reviviſcentis, ut ipſe contextus docet: ros ergo facile ad fœcunditatem refertur ſeminis; præſertim cum accedunt eodem trahentes, ac velut cognatæ voces, ut in noſtro verſiculo, illud; *ex utero*, ac poſtea, ros nativitatis tuæ; nam illud; *taldutecha*, quod tam varie vertunt, cum optimis interpretibus nativo ſenſu vertas, *nativitatis tuæ*, ducta origine ab *ialad*, quod eſt *genuit*; unde *iu lad, natus eſt*: Iſa. IX. 6. loco notiſſimo; *Parvulus natus eſt nobis*; & alibi paſſim: ex qua verſione is ſenſus exiſtat: Ex utero (ab intimis) ante luciferum, (ante ſæcula, ante creaturam omnem) ſeu mavis, a (creato) lucifero (a condita aurora,) tibi ros nativitatis tuæ; hoc eſt, tibi (progenerando) ortum eſt, effuſum eſt ſemen ex quo es natus: quod cum eſſet obſcurius, ut ſolet prophetica, LXX. in id ierunt, ut vulgata ac nota voce gignendi uterentur, Deumque ipſum toto Pſalmo loquentem ad Chriſtum, hic quoque dicentem inducerent: Ante luciferum ego te genui; quo ſignificaretur, Chriſtum non eſſe recens aliquid, aut noviter ortum vel genitum; ſed quamadmodum Michæas quoque prodidit, egreſſum eius eſſe ab initio, a diebus æternitatis, Mich. v. 2. Nec ab ea interpretatione vocis, *ialdutecha*, *nativitatis tuæ*, abhorret illud Hieronymi ſic vertentis: (ros) adoleſcentiæ tuæ; id eſt, ros ſive ſemen prolificum, ex quo adultus cretuſque es. Quin etiam illud, *taldutecha*, *nativitatis tuæ*, iiſdem retentis litteris legi potuit, *ielidticha*, *genui te*, ſublato uno, *iod*, cuius rei exempla non deſunt. S. quoque Epiphanius Hær. LXV. ex verbis Hebraicis eumdem elicit ſenſum, & adverſus Sa-

mo-

omnes & hic Chryſoſtomus: panem & vinum quæ Melchiſedech protulit, Euchariſtici ſacrificii typum, quod erat Chriſtianis arcanum arcanorum. TU ES SACERDOS IN AETERNUM. Ab æterna generatione de qua præcedente verſu: facilis tranſitus ad illud ſacerdotium ſempiternum, atteſtante Paulo; illud etiam Pſalmi II. *Ego hodie genui te*, reſpicere Chriſti vocationem ad Sacerdotium: Hebr. v. 5. quo loco Theophylactus: A Deo natum eſse, præparatio eſt, ut a Deo etiam ſit ordinatus; non modo quod primogeniti deſignari ſolerent ſacerdotes, ſed eo vel maxime quod novus ſacerdos Chriſtus, Melchiſedechi ritu, *neque initium dierum*, *neque finem vitæ habens*, ſit ille filius Dei, cui ipſe Melchiſedech aſſimilatus eſt. *Secundum ordinem Melchiſedech*. Quidam ſane, ſed Iudæi, ut Apoſtoli argumentum eludunt, repugnante textu fœda cavillatione vertunt: ſecundum meam conſtitutionem, o Rex mi iuſte; quam Iudaicam næniam, qui relatu dignam exiſtimarunt, ſaltem addere debuiſſent, omnes veteres Interpretes, etiam iudaizantes, non aliter vertiſse quam nos: neque ex eis relatum quidquam, quod a LXX. Interpretum auctoritate diſcreparet. Summa Pſalmi: Chriſtum utpote verum Dei filium, ac Davidis ipſius dominum, præcipuo loco ad ipſum paternum ſolium reſidere debellaturum hoſtes; eumdemque invicti atque obſequentiſſimi exercitus ducem; quippe qui ab æterno progenitus, non humana tantum ſed etiam divina virtute polleat, æternoque gaudeat ſacerdotio: iudex gentium factus, ac per labores, & pugnas ad ſummam gloriam evectus.

V. 5. DOMINUS: *Adonai*, non *Iehovah*: Deus tamen hic intelligendus. A DEXTRIS TUIS: o Chriſte; ſic autem Pſal. XV. 8. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear*. CONFREGIT, *percuſſit*, Hier. Sic Pſal. XLIV. 6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent*. Sic Apoc. XIX. *De ore Chriſti gladius in quo percutiat gentes*.

V. 6. IUDICABIT: Chriſtus iudicium exercebit: ſeu potius Dominus qui dixit Domino, *Sede* &c. IMPLEBIT RUINAS: cadavera multiplicabit, πτώματα. IN TERRA MULTORUM, *multa*. Hier. variis in regionibus impios & Chriſtiani nominis perſecutores ulciſcetur.

V. 7. DE TORRENTE...... multa patietur: conſueta phraſi per aquas innundantes & torrentes, dolores & incommoda deſignantur: PROPTEREA EXALTABIT CAPUT. Sic Phil. II. 8. *Humiliavit ſemetipſum...... propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*. Et Hebr. II. 6. propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.

PSAL.

PSALMUS CX. LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Mirabilia Dei in liberando populo & tradenda lege celebrat: unde eius promiſſis credendum.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

CONfitebor Domino in toto corde meo: in concilio iuſtorum & congregatione.

Magna opera Domini: exquirenda in cunctis voluntatibus ſuis.

Gloria & decor opus eius: & iuſtitia eius perſeverans ſemper.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum: clemens & miſericors Dominus.

Eſcam dedit timentibus ſe: memor erit in ſempiternum pacti ſui.

Fortitudinem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo, ut det eis hereditatem gentium.

Opus manuum eius veritas, & iudicium: fidelia omnia præcepta eius.

Firmata in ſempiternum iugiter: facta in veritate & æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo; mandavit in æternum pactum ſuum: ſanctum & terribile nomen eius.

Principium ſapientiæ timor Domini; doctrina bona cunctis qui faciunt eam: laus eius perſeverat iugiter.

VERSIO VULGATA:

* Alleluia.

1. COnfitebor tibi Domine in toto
corde meo: in conſilio iuſtorum, & congregatione.
2. Magna opera Domini: exquiſita
in omnes voluntates eius.
3. Confeſſio & magnificentia opus
eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum
ſæculi.
4. Memoriam fecit mirabilium ſuorum,
miſericors & miſerator Dominus: 5.
eſcam dedit timentibus ſe.
Memor erit in ſæculum teſtamenti
ſui: 6. virtutem operum ſuorum annuntiabit
populo ſuo.
7. Ut det illis hereditatem gentium:
opera manuum eius, veritas & iudicium.
8. Fidelia omnia mandata eius: confirmata
in ſæculum ſæculi, facta in veritate
& æquitate.
9. * Redemptionem miſit populo
ſuo: mandavit in æternum teſtamentum
ſuum.
Sanctum & terribile nomen eius:
10. (a) initium ſapientiæ timor Domini.
Intellectus bonus omnibus facientibus
eum: laudatio eius manet in ſæculum
ſæculi.

(a) Prov. 1. 7. & ix. 17. Eccli. 1. 16.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Alleluia*. Non addas *Reverſio*, vel *Reverſionis Aggai*, *& Zachariæ*, ut initio proximi Pſalmi.

V. 9. *Redemptionem miſit populo ſuo*. Non addas *Dominus* ex officio eccleſiaſtico.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. EXQUISITA IN OMNES VOLUNTATES EIUS. Hebr. *Exquiri ſolent ab iis qui illis delectantur*. Vel, Digna quæ veſtigentur ab iis, quia diligunt.

V. 3. CONFESSIO ET MAGNIFICENTIA. Hebr. *Gloria*; id eſt, glorioſum eſt & magnificum opus eius.

V. 9. SANCTUM ET TERRIBILE. Hebr. *Ille cuius nomen ſanctum eſt, & terribile*.

V. 10. FACIENTIBUS EUM. Hebr. *Facientibus ea*; id eſt, præcepta Dei, quæ per eius timorem intelliguntur: quia eius timore ſiunt; id eſt, ii demum ſoli ſapiunt, qui Deum timent. Eccle. XII. 13. *Deum time, & mandata eius obſerva. Hoc eſt omnis homo*.

SA.

De Dei operibus.

Verſ. 1. CONSILIO. Sic Hieronymus. Chald. *ſecreto*; quaſi dicat, iuxta ſententiam. IUSTORUM. Chald. *rectorum*.

V. 2. EXQUISITA, id eſt exquiſite, ſeu perfecte facta. Hieron. *exquirenda*, id eſt conſideranda. IN OMNES, id eſt iuxta omnes; quaſi dicat, Pro ſua voluntate, vel excitantia ad faciendam eius voluntatem.

V. 3. CONFESSIO ET MAGNIFICENTIA, id eſt laude & honore dignum. Hieron. *gloria & decor*. Chald. *laus & decus*. SAECULUM SAECULI. Hieron. *æternum*.

V. 4. MEMORIAM FECIT; id eſt, fecit recordari; vel, digna memoria. MISERICORS ET MISERATOR. Hieron. & Chald. *clemens & miſericors*.

V. 5. TESTAMENTI. Hieron. & Chald. *pacti*.

V. 6. ANNUNTIABIT. Græc. Hieron. & Chald. *annuntiavit*; quaſi dicat: Dixit ſe poſſe præſtare quod promittebat; vel, revelavit potentiam qua operatur, ſcilicet ſe eſſe omnipotentem.

V. 7. VERITAS ET IUDICIUM, id eſt fidei & æquitatis plena.

V. 8. FIDELIA, id eſt vera, certa. CONFIRMATA, id eſt ſtabilita. SAECULUM SAECULI. Hieron. *ſempiternum*. AEQUITATE, id eſt rectitudine.

V. 9. REDEMPTIONEM; ſcilicet, ex AEgypto, vel ex peccatis. TESTAMENTUM. Hieron. & Chald. *pactum*, ſcilicet ſervandum. TERRIBILE. Chald. *timendum*.

V. 10. INTELLECTUS BONUS; quaſi dicat: Sane ſapiunt qui faciunt. EUM, ſcilicet intellectum; id eſt, quod intelligunt faciendum, vel timorem, ſcilicet Deum timentibus. Hebr. & Chald. *ea*, ſcilicet præcepta. LAUDATIO, id eſt laus. EIUS, ſcilicet talis hominis. SAECULUM SAECULI. Hieron. *iugiter*. Chald. *æternum*.

ESTII.

Verſ. 10. INITIUM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI. INTELLECTUS BONUS OMNIBUS FACIENTIBUS EUM. Quæritur quo referatur, *eum*. Alii dicunt eum, ſcilicet intellectum; ut ſit ſenſus: Sapientia bona eſt omnibus amplectentibus & ſectantibus ſapientiam. Quidam legendum putant in feminino *eam*, ut referatur ad ſapientiam de qua præcedit. Hier. ex Hebr. ſic: *Doctrina bona cunctis qui faciunt eam*. In Græco, intellectus, ſapientia, & teſtamentum (quod longiuſcule præcedit) omnia ſunt eiuſdem gene-

generis, cum relativum ad omnia æque referri poteſt.

MARIANAE.

ALLELUIA. Dominum laudat ob beneficia hominibus collata. Incipiunt ſinguli hemiſtichii a ſingulis Alphabeti Hebr. litteris.

V. 1. CONFITEBOR, laudabo. TIBI DOMINE. Hebr. *Dominum in toto corde.*

V. 2. MAGNA OPERA DOMINI: EXQUISITA IN OMNES VOLUNTATES EIUS; id eſt, facta opera pro voluntate Dei: ea faciendi ratio eſt, quod vult, id facit. Hebr. *exquiſita*; id eſt, obvia omnibus qui ea volunt, iis delectantur, & facilia intellectu.

V. 3. CONFESSIO ET MAGNIFICENTIA. Hebr. *laus & decus*. OPUS EIUS, id eſt opus eius laudabile & decorum. Et iuſtitia eius perpetua.

V. 4. MEMORIAM FECIT MIRABILIUM SUORUM. Voluit ut manna eſſet monimentum eorum quæ fecit in deſerto, ideo urnam manna in Arca ſervari iuſſit.

V. 5. ESCAM. Sic Hieronymus & Chald. & refertur ad manna. Alii vertunt *prædam:* idque vox Heb. טרף *tereph* ſignificat, & refertur ad ſpolia quæ abſtulerunt, quando de AEgypto ſunt egreſſi, Exod. XII. MEMOR ERIT, ſive *fuit*, aut *eſt*. TESTAMEMTI SUI: fœderis cum Abrahamo icti olim; ea cauſa faciendi opera mirabilia.

V. 6. VIRTUTEM OPERUM SUORUM; pro, opera fortitudinis ſuæ, opera fortia ſua. ANNUNTIABIT. Hebr. in præterito *manifeſtavit*, ſcilicet exhibendo ea.

V. 7. UT DET ILLIS. Hæc ſunt opera fortia. Dedit illis terram Chanaan. OPERA MANUUM EIUS, VERITAS ET IUDICIUM, id eſt vera & iuſta. Si hereditatem gentium populo dedit, nemini fecit iniuriam.

V. 8. FIDELIA OMNIA MANDATA EIUS; id eſt, ſine fuco & ſimulatione ſunt eius promiſſa. Id per *mandata* intelligo, ſeu per *viſitationes*, ut eſt Hebraice. CONFIRMATA IN SAECULUM SAECULI. Hebr. *ſtabilita in æternum, in ſæculum*, ſcilicet non nutabunt.

V. 9. REDEMPTIONEM ab AEgypto. MANDAVIT IN AETERNUM. Sanxit ut pactum olim initum, eſſet æternum.

V. 10. INITIUM SAPIENTIAE; ſcilicet, introductio ad ſapientiam, via. Aliqui *caput*, ſumma ſapientiæ eſt timor Domini. Aut fons eſt unde ſcientiæ manant, Prov. I. 7. INTELLECTUS BONUS OMNIBUS FACIENTIBUS EUM, ſcilicet timorem. Hebr. *facientibus ea*, ſcilicet mandata. Id eſt ſapere. LAUDATIO EIUS; ſcilicet, cuiuſque eorum qui ſervant timorem. Quidam, *intellectus bonus*; id eſt, proſperitas erit omnibus, qui timorem Dei conſervant. Et ſane *intelligere* ſæpe ſumitur pro *proſpere agere*. Sic I. Reg. VIII. 14. & Ierem. XXIII. 5.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CONFITEBOR TIBI DOMINE, &c. Hic Pſalmus conſcriptus eſt artificio Acroſtycho, ut ſingula hemiſtychia a ſingulis Alphabeti Hebraici litteris ordine incipiant, cum ad notandam dignitatem ipſius, tum ad levandam memoriam. Vide Notas in Pſal. XXIV. 1. IN CONSILIO IUSTORUM, ET CONGREGATIONE. Heb. *In arcano rectorum, & cœtu*. Quidam: *Cum privatim apud ſanctos, tum pro tota concione*, id eſt privatim, & publice in Eccleſia.

V. 2. EXQUISITA IN OMNES VOLUNTATES EIUS. Varie ex Heb. exponunt. I. *Exquiſita omnibus cupientibus ea*. II. *Explorata omnibus volentibus ea*. III. *Perveſtigabilia omnibus optantibus ea*; id eſt, quæ intelligi poſſunt, & comprehendi ab iis, qui eorum ſtudio, & amore tenentur. IV. *Exoptata omnibus, qui amplectuntur ea*. V. *Quod conſtat omnibus, qui pio ſtudio ſcrutantur ea*. VI. *Quæ inquiruntur ab omnibus, qui delectantur ipſis*. VII. *Quæſita*, ſeu *expoſita omnibus, qui delectantur illis*; id eſt, adeo prompta, ut ea quærere amplius non ſit opus: metalepſis, ut Iſaiæ LXV. 1. VIII. Subſtantive capiunt: *Exquiſita pro omnibus beneplacitis ipſorum*, ſive *in omnia beneplacita ſua*. IX. *Exquiſita ad omnes voluntates eorum*; id eſt, tam exquiſite facta, tamque omnibus ſuis numeris ſunt perfecta, ut nihil in eis pii deſiderare queant.

V. 3. CONFESSIO ET MAGNIFICENTIA OPUS EIUS. Diverſimode alii ex Heb. I. *Pulchritudo & decor opus eius*. II. *Glo-*

riæ

Digitized by Google

riæ & decoris opus eius, ſeu *glorioſum & decorum opus eius*. III. *Opus eius eſt laude & gloria dignum*.

V. 4. Memoriam fecit mirabilium suorum. Heb. *Recordationem fecit mirabilibus ſuis*; id eſt, talia ſunt quæ fecit, ut eis memoriam ſempiternam indiderit, fecit ea digna perpetua memoria; ut memoria eorum numquam excidere queat. Quidam: *Memoriam comparavit mirabilibus ſuis*; id eſt, mirabilia opera & iudicia exercuit, quibus perpetuam conciliavit memoriam, cum liberaret populum ex AEgypto. Alii: *Effecit, ne umquam perire poſſit memoria operum ſuorum tam mirabilium*.

V. 5. Escam dedit timentibus se. Heb. *Diſcerptionem, prædam, rapinam dedit colentibus ſe*. Quidam exponunt, *prædam*, eam ſcilicet, quam ſecum abſtulerunt filii Iſraelis recedentes ex AEgypto, Exod. XII. 35. & 36. Alii: *Spolia hoſtium diviſit cultoribus ſuis*. Nonnulli: *Eſcam dedit timentibus ſe*; id eſt, aluit populum quadraginta annis in deſerto: Exod. XVI. 6. Quamobrem Propheta alimentum deſerti, & portionem ſingulis attributam, proprio nomine appellavit prædam. Memor erit in saeculum testamenti sui. Heb. *Recordabitur in æternum fœderis ſui*. Quidam: *Recordatus in ſæculum fœderis ſui*; id eſt, perpetuo ad fœdus ſuum reſpiciens, non ad indigniſſima illorum murmura, & rebelliones, quibus provocabant ipſum.

V. 6. Virtutem operum suorum anuntiavit populo suo. Quidam: *Potentiam operum ſuorum declaravit populo ſuo*. Alii: *Vim operum ſuorum indicavit populo ſuo, dando illis hereditatem*, ſeu *poſſeſſionem gentium*. Exponunt, *vim*, ſcilicet quæ duobus ſequentibus verſibus explicatur.

V. 7. Opera manuum eius, veritas et iudicium. Alii: *Opera manuum eius ſunt veritatis*: erga pios, qui veritatem ampleɛtuntur: *& iudicii*, in adverſarios. Quidam; id eſt, quidquid agit, idagit, ut oſtendat ſe veracem eſſe in promiſſis, & iuſtum, ut qui impiis gentibus terram ſuam eripiat, & eam ſuis tradat. Alii: *Opera manuum eius firma & recta*. Nonnulli: *Opera manuum illius fidei & æquitatis ſunt pleniſſima*. Fidelia omnia mandata eius. Heb. *Credita, certa, fidelia, conſtantia, firma, rata*, quæ neque ab ipſo revocantur, neque ab ullo ſubterfugi poſſunt, tam fixa & immobilia, ut nulla ratione poſſint antiquari: *viſitata, recenſita, commiſſa, commendata eius*, vel viſitationes, recenſiones, inſpectiones, commiſſiones eius. Alii: I. *Rata & vera ſunt omnia præcepta eius*. II. *Optima fide ſtatuit, & utiliter, quæcumque ſtatuit*. III. *Omnes conſtitutiones eius firmæ ſunt*. Buchananus:

Quæ iubet æqua iubet, nulloque interlita fuco
Aut tacitam celantia fraudem.

Bochius:

—— *præceptorumque ſuorum*.
Fida eſt, & dubias excludit regula fraudes.

V. 8. Confirmata in saeculum saeculi. Ex Heb. varie alii: I. *Suſtentata in omnia ſæcula*. II. *Stabilia, firma in perpetuum, & in ſæculum*. III. *Firmata æterno, ſæculo*. IV. *Suntque ſtabilita, ut durent ſempiternis temporibus*. V. *Fulta in æternum, & in ſæculum*. VI. *Confirmata ſunt, nec convelli poterunt ullo umquam ſæculo*. Facta in veritate et aequitate. Heb. *Facta in fide & rectitudine*. Alii: I. *Facta cum fide & recto*, id eſt *fideliter & recte*. II. *Quippe per veritatem & rectitudinem facta*. III. *Ut quæ ex vero & recto conſtant*. IV. *Decreta enim ab eo ſunt optima fide, & ſumma cum æquitate*.

V. 9. Redemptionem misit populo suo, &c. Hunc verſum alii ex Heb. ita reddunt. I. *Miſit etiam ad populum ſuum, per quos redimeret, ac præcepit fœdus ſuum perpetuo ſervandum: cuius nomen ſanctiſſimum terrificum eſt*. II. *Liberationem attulit populo ſuo, decrevit perpetuo duraturum pactum, quod iniit cum ſuis, is, cuius nomen ſanctiſſimum eſt, & auguſtiſſimum*. III. *Redemptionem mittens populo ſuo, præcepit in ſæculum fœdus ſuum, ſanctum & reverendum haberi nomen ſuum*; id eſt, Cum Iſraelitas tam mirifice ex AEgypto liberaret, ut dictum eſt ſupra verſ. 4. hoc erga ſe Iſraelitarum reciprocum officium ſtipulatus eſt Deus, ut laudaretur, & ſanctificaretur ab illis. Apta paraphraſi Buchananus:

Cum premeret Pharii imperium crudele tyranni,

Digitized by Google

Selecta de gente nepotes:
Excuſſitque iugum, & regis fera iuſſa ſuperbi
Exuit: æternaque beatis
Libertate frui donarat, pignora ſera;
Si iurata parentibus olim
Intemerata piæ ſervaſſent fœdera legis,
Fœdera nullis irrita ſæclis:
Quippe Dei ſanctum eſt, & formidabile nomen:
Ac ſancte ſua pacta tuetur:
Exigit & duras violato fœdere pœnas.

V. 10. INITIUM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI. Varie accipiunt: I. *Principium ſapientiæ*; id eſt, præcipua & ſumma ſapientia, *eſt timor Domini*. Sic Eccleſiaſtici XI. 3. *Et principium dulcedinis fructus eius*; id eſt, præcipua & ſumma dulcedo. II. *Caput ſapientiæ eſt reverentia Iehovæ*; id eſt, non tantum fons aut principium, ſed primaria & ſumma ſapientia: vide Deuteron. IV. 6. III. *Anacephalæoſis, recapitulatio, ſumma ſapientiæ eſt timor Iehovæ*; id eſt, tota ſapientia hoc uno capite & argumento comprehenditur, nempe timore Domini; hoc eſt ſapere, timere Deum. Vide Proverb. I. 7. *Timor Domini*, id eſt *reverentia*, *veneratio*, *religio*, *pietas*, *cultus erga Deum*. Buchananus:

Hunc colere, ex animoque vereri,
Vivendi recte fons, & ſapientia prima eſt.

INTELLECTUS BONUS OMNIBUS FACIENTIBUS EUM. Heb. pluraliter, *ea*, mandata, de quibus ſupra verſ. 7. Varie reddunt. I. *Et prudentia ſalutaris manet illos, qui ſeſe exercent in his.* II. *O ſanam mentem, quæ ſecundum eum opera ſua moderatur.* III. *Et ſalutaris prudentia contingit omnibus, qui verſantur in his rebus*, vel qui implent illa præcepta. IV. *Secundatio bona*, ſeu *ſucceſſus bonus*, ſeu *optimus omnibus facientibus iſta*, nimirum quæ mandavit & ſtipulatus eſt Deus, ſupra verſ. 9. & quæ hoc Pſalmo fuerunt expoſita; quaſi dicat: Revereamur Deum, ut ſecundet nos benedictionibus: ſic enim nomen שכל *ſechel*, pro *ſecundatione*, *ſucceſſu*, *proſperitate* accipi notant, Proverb. III. 4. & alibi, ubi nomen boni adiunctum habet. Alii tamen, quando conſtruitur cum adiectivo *boni*, pro *affectu*, ſeu *voluntate* accipi malunt: unde hic reddunt: *Voluntas bona omnibus facientibus ea*. LAUDATIO EIUS, &c. Plerique intelligunt, *eius*, qui ſervat mandata Dei. Unde reddunt: I. *Laus eius*, id eſt *cuiuſque eorum*, *ſtans in ſæculum*. II. *Quorum laus in æternum perſtat*; quaſi dicat: Immortali laude digni ſunt, qui leges Dei ſervant. III. *Laudem enim aſſequentur perpetuo duraturam*. IV. *Laus eorum in perpetuum durabit*. V. *Eorumque laus & gloria numquam intermorietur: laudantur enim ii a Deo, ſempiterniſque honoribus afficiuntur*. Buchananus:

—— hunc ventura nepotum
Semper dicent ſæcla beatum.

Alii, *eius*, Dei accipiunt; id eſt, laudes Dei in ſempiternum prædicentur; quibus Pſalmus incipit, & clauditur.

MENOCHII.

Verſ. 1. CONFITEBOR TIBI; laudabo te. IN CONSILIO IUSTORUM ET CONGREGATIONE; id eſt, tum inter paucos iuſtos, tum in cœtu multorum. Vox Hebræa סוד *ſod*, quam Vulgatus conſilium vertit, ſecretum ſignificat, ſive conſilium, quod ſecretum requirit, & paucorum eſſe ſolet. Vox autem עדה *heda* ſynagogam, ſive congregationem, ad quam totus populus convenire ſolebat.

V. 2. EXQUISITA IN OMNES VOLUNTATES EIUS; id eſt, quæſita, & parata in omnem uſum Deo placitum, ut Deus illis ut voluerit utatur; iuxta illud Pſal. CXVIII. *Quoniam omnia ſerviunt tibi*. Septuaginta habent, ἐξεζητημένα, *exquiſita*: ſed aliæ lectiones in notis Vaticanis conſentanee allatæ explicationi, habent ἠκριβωμένα *accurata*; vel παρεσκευασμένα, inſtructa, parata.

V. 3. CONFESSIO ET MAGNIFICENTIA OPUS EIUS. Operatio eius qua mundum regit, eſt confeſſio, & magnificentia; id eſt, materia, & argumentum confeſſionis, laudis, & gratiarum actionis, & materia magnificentiæ divinæ omnibus per eximia hæc opera aperiendæ. IUSTITIA EIUS MANET IN SAECULUM SAECULI; id eſt, virtus, bonitas, miſericordia qua iuſtus eſt, iuſte agit, & iuſtificat, nullo corrumpitur, aut minuitur tempore.

V. 4. MEMORIAM FECIT MIRABILIUM SUORUM; tuam admiranda dengnavit pro ſalu-

ſalute ſuorum, ut futura ſit æterna apud fideles eorum memoria. MISERICORS, ET MISERATOR. Vide dicta Pſal. LVIII. 15.

V. 5. ESCAM DEDIT, &c. manna, quod de cælo pluit, & dedit timentibus ſe; id eſt, Hebræorum populo fideli, & verum Deum timenti, & colenti. MEMOR ERIT IN SAECULUM TESTAMENTI SUI. Quemadmodum volebat Deus ut populus memor eſſet mirabilium, quæ patravit in commodum illius; ita viciſſim promittebat ſe memorem pacti cum illis initi, illis providendo, & a malis protegendo.

V. 6. VIRTUTEM OPERUM SUORUM ANNUNTIABIT POPULO SUO, &c. Memor erit pacti ſui oſtendens populo virtutem, potentiam, & fortitudinem operum ſuorum, dum illis, ut promiſerat, tribuit hereditatem gentium; hoc eſt, terram ſanctam a gentibus poſſeſſam.

V. 7. VERITAS, ET IUDICIUM, vera ſunt, fidelia, & iuſta.

V. 8. FIDELIA OMNIA MANDATA EIUS; id eſt, omnia præcepta Dei, præſertim naturalia, fidelia ſunt, quia neminem decipiunt, cum ſint rectiſſima, & iuſtiſſima. CONFIRMATA IN SECULUM SAECULI: ſunt enim præcepta legis naturæ immutabilia, & ut dicere ſolemus indiſpenſabilia. IN VERITATE, ET AEQUITATE; id eſt, in rectitudine, & iuſtitia decreta, & ſtabilita.

V. 9. REDEMPTIONEM MISIT POPULO SUO, ex AEgypto: vel potius e morte, peccato, & damnatione æterna. MANDAVIT IN AETERNUM, &c. iuſſit ut æternum eſſet pactum ſuum de vera ſalute danda, & poſſeſſione regni cæleſtis, SANCTUM, ET TERRIBILE NOMEN EIUS. Docet modum, permanendi in teſtamento Domini, ut aſſequamur promiſſiones eius; quaſi dicat: Is qui mandavit in æternum teſtamentum ſuum, ſanctus, & terribilis eſt, & ideo peccati labem odit, cum ſit ſanctus, & purus, & cum ſit terribilis, peccatis ſe contaminantes graviter punit.

V. 10. INITIUM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI; quaſi dicat: Itaque illi ſapere incipiunt, qui Dominum timent, & ſe a peccatis abducunt. INTELLECTUS BONUS OMNIBUS FACIENTIBUS EUM: horum intelligentia bona eſt, utilis, & ſalutaris iis, qui non ſolum intelligunt, ſed quæ intellexerunt etiam opere præſtant. LAUDATIO EIUS MANET IN SAECULUM SAECULI: quicumque fuerit huiuſmodi, æternam laudem meretur.

TIRINI.

Verſ. 1. IN CONSILIO. Chaldæus, *in ſecreto*. ET CONGREGATIONE, id eſt publico conventu; quaſi dicat: Clam & palam laudabo te.

V. 2. EXQUISITA, id eſt exquiſite & accurate facta, IN OMNES VOLUNTATES EIUS, id eſt ſecundum nutum & plenum deſiderium Dei; quaſi dicat: Singula opera Dei talia & tanta ſunt, qualia & quanta vult Deus: ita Theodor. & Genebrardus.

V. 3. CONFESSIO ET MAGNIFICENTIA OPUS EIUS; id eſt, omnia opera Dei digna ſunt ſumma laude & honore. IUSTITIA EIUS; tam qua ipſe iuſtus eſt, quam qua erga alios omnia iuſte facit, æternum durabit: Euthymius.

V. 4. FECIT, dedit, reliquit, MEMORIAM, ſeu memoriale, omnium MIRABILIUM operum SUORUM: nempe ESCAM illam ſingularem, *manna* cæleſte, quo Hebræos per quadraginta annos pavit in deſerto.

Allegorice, Eucharſtiam, quæ quaſi compendium concludit in ſe multa & *mirabilia* miracula: nobiſque in memoriam revocat, immo repræſentat omnia miſteria Incarnationis, Nativitatis, paſſionis & mortis Chriſti. Hac quoque eſca confirmavit Chriſtus *teſtamentum* ſeu pactum *ſuum* novum, quod iniit cum hominibus, Matt. XXVI. ita ſanctus Auguſt. & Theodor.

V. 6. & 7. VIRTUTEM, ſeu potentiam ſuam, ANNUNTIAVIT, non ſolo verbo, ſed & reipſa, nempe dando ILLIS puta Iudæis, & allegorice, Chriſtianis, HEREDITATEM, id eſt hereditarias poſſeſſiones & terras, GENTIUM, puta Chananæarum, &c. OPERA EIUS ET VERITAS ET IUDICIUM, id eſt fidelitate & æquitate pleniſſima.

V. 8. FIDELIA; id eſt, fida & ſincera; ſine dolo, ſine fuco, ſine ſiniſtra intentione. CONFIRMATA IN SAECULUM; id eſt, fixa & ſtabilita in æternum. Hoc vere quadrat in leges Chriſti; quaſi dicat: Numquam mutabuntur, ut ſolent leges & mandata hominum: ita Theodor.

V. 9.

V. 9. Redemptionem, ſcilicet ex AEgypto; allegorice, ex ſervitute demonis & peccati. Mandavit in aeternum; id eſt, ut ſit & ſervetur æternum: ita Genebrardus. Terribile, id eſt timendum; quaſi dicat: Ideo nemo impune tranſgredietur mandata, vel teſtamentum Dei.

V. 10. Initium sapientiae, non Philoſophicæ, ſed Theologicæ, quæ ducit hominem ad æternam ſalutem, eſt timor Domini; id eſt, metus & reverentia divinæ maieſtatis, inclinans animum, ut illi per omnia obediat, caveatque ne uſpiam offendat: idque non ſolum quia ipſe ſeveriſſimus eſt iudex & vindex malorum; ſed etiam quia ſuaviſſimus nobis eſt amicus, pater, finis ultimus, ſeu beatitudo noſtra, & ens excellentiſſimum, cui omnis cultus, obedientia & ſervitus, omni iure debetur. Hinc timor iſte non eſt ſervilis, ſed filialis, & ſemper coniunctus cum caritate; neque ſolum eſt *initium ſapientiæ*, ſed & completa ſapientia, ſeu *plenitudo ſapientiæ*, ut dicitur Eccl.1.20. Quantum enim creſcit hic timor, tantum creſcit & *ſapientia*. Intellectus bonus eſt omnibus facientibus eum timorem: Hebr. & Chald. *ea*, nempe mandata Dei; quaſi dicat: Non qui ſolum ſpeculative *ſciunt*, Deum ſuper omnia timendum, ſed qui inſuper id *faciunt*, ſeu opere ipſo præſtant, declinantes ideo a malo, & virtutibus ſerio incumbentes; hi demum vere intelligentes & ſapientes ſunt, & laudabuntur in tota æternitate.

GORDONI.

Titulus eſt, Alleluia, de quo ad Pſal. cv. & cvi. Oſtendit vero argumentum Pſalmi eſſe laudationem Dei. Hic Pſalmus ex Hieronymo eſt primus perfecte Alphabeticus, quod hic notavit Bellarminus.

Verſ. 2. MAgna opera Domini, &c. Laus eſt ab operibus, quod magna ſint, & ita perfecta, ut inſerviant Deo ad omnem uſum. Sane magna ita ſunt omnia, ut nec minimum opus homo omnino penetret, Eccle. cap. 1. En quanta laus, quod in omnem uſum aptari poſſint. Quid vero hinc colligatur pro potentia obedientiali, ut ex quolibet fieri poſſit quodlibet, diſputant ſuo loco Theologi.

V. 3. Confessio, &c. Dixit de creatione; nunc de gubernatione: Et hoc, inquit, opus gubernationis, eſt confeſſio, ſeu confeſſionis & laudis materia. Verſibus inſequentibus deſcendit ad particularia Dei opera.

V. 5. & 9. Escam dedit timentibus se. Perſequitur particularia opera Dei, ut hic de eſca, ſeu manna, ad litteram, quod Deus pluit de cælo. Alia ſubiungit verſ. 9. Redemptionis etiam meminit, quam plerique interpretantur de Exodo ex AEgypto. Sed cur non etiam intelligetur redemptio facta per Chriſtum; ut ſic poſt commemorata ſub veteri teſtamento opera, extendat quoque opus gubernationis ad novam legem. Quin inſuper, quod dicitur verſ. 5. de eſca, quamvis intelligatur de manna, aut victu univerſe; tamen ad Euchariſtiam porro referri poteſt, inter magna Dei mirabilia. Septuaginta habent *τροφὴν*. Hebraice eſt, טרף *tereph*, *præda*, vel ſpolia, quod proinde aliqui exponunt de ſpoliis AEgyptiorum. Sed hæc de ſenſu tum litterali, tum myſtico.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. uſq. ad 9. COnfitebor, &c. Hic Pſalmus ex appoſitis litteris Hebraicis, alphabeticus vocatur, & laudationem Dei continet. Proponit initio conditiones veræ laudis, ex loco, cœtu, & affectu interno. Mox venitur ad magnitudinem operum Dei, quæ prompta ſunt ad omnem voluntatem eius: & particularia quædam opera ſubiiciuntur, ut quæ inſequuntur oſtendent.

V. 9. & 10. *Redemptionem miſit populo ſuo*, &c. Recte Auguſtinus, poſt manna, & alia beneficia facta antiquis Patribus, exiſtimat nunc tranſire Pſalmiſtam ad novæ legis dona accepta, ſub novo teſtamento, quod hic in æternum dicitur conſtitutum; & ſub quo veram redemptionem miſit Deus populo ſuo. Verum ut ſubindicat Propheta, cuſtodire oportet hoc pactum, hoc mandatum & teſtamentum nam nomen teſtantis terribile eſt, & ut cuſtodiatur ſuadet ſapientia. *Et initium*

huius

Digitized by Google

huius ſapientiæ eſt timor Domini. Facit enim ut vitentur peccata, indeque ſequitur amor caritatis. Sed quid illud eſt, *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. In Hebr. eſt, facientibus ea, nempe quæ intellectus bonus, & doctrina ſuggerit eſſe facienda. Noſter habet, facientibus eum, ſcilicet intellectum, quo nomine intellectionem accipio, & doctrinam. Qui autem ſic operatur, & facit, quod intelligit, *Laudatio eius in ſæculum ſæculi*. Senſus ergo illorum verborum eſt: Intellectus quidem bonus eſt; bona, inquam, doctrina, & ſcientia eſt; ſed facientibus ſecundum illam ſeu operantibus ea, quæ ſcit, & mandata ſunt; alioqui inflat. Habes ergo in ſapientia perfecta, timorem, ſcientiam & operationem.

BOSSUET.

Verſ. 1. IN CONSILIO, *ſecreto*, Hebr. non ea dicam coram profanis, ſed in cœtu populi Dei.

V. 2. EXQUISITA: ſeu exquirenda, penetrando in omnes voluntates & conſilia eius. Explorata omnibus diligentibus ea; Hebr. *Qui enim diligit*, intelligit, teſte Chriſto: *qui enim diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*, Ioan. XIV. 21. vide autem Pſalm. CXVIII. 26. &c.

V. 5. ESCAM DEDIT: Manna, quæ cetera Dei mirabilia in memoriam revocabat: unde in arca ſervari iuſſa, Exod. XVI. 32. Erat autem Euchariſtiæ figura, quæ vere divini amoris monumentum æternum.

V. 6. ANNUNTIABIT, *annuntiavit*, Heb.

V. 7. HEREDITATEM GENTIUM, Chananæarum, quæ Abrahæ promiſſa: quem in finem tot a Deo edita miracula referuntur.

V. 9. REDEMPTIONEM MISIT ..... per Moſen, deinde per Chriſtum.

V. 10. INITIUM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI: ſeu reverentia divinæ maieſtatis: Aug. paſſim: Initium cum timetur; perfectio cum amatur. FACIENTIBUS EUM: Hier. *eam*. Hebr. *ea*. Sic Vulgata ad timorem refert; Hier. ad ſapientiam; Hebr. ad mandata Dei, de quibus verſ. 8.

PSAL-

PSALMUS CXI. MORALIS.

Vir bonus, idem beatus, atque imperterritus: frendentibus impiis. Vide. Pſal. 1.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

BEatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit ſemen eius: generatio iuſtorum benedicetur.

Subſtantia & divitiæ in domo eius, & iuſtitia eius perſeverans ſemper.

Ortum eſt in tenebris lumen iuſtis: clemens & miſerator & iuſtus.

Bonus vir clemens & fœnerans: diſpenſabit verba ſua in iudicio.

Quia in æternum non commovebitur: in memoria ſempiterna erit iuſtus.

Ab auditu malo non timebit: paratum cor eius confidens in Domino.

Firmum cor eius non timebit: donec aſpiciat in hoſtibus ſuis.

Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius permanet in æternum: cor eius exaltabitur in gloria.

Impius videbit, & iraſcetur: dentibus ſuis frendet & tabeſcet: deſiderium impiorum peribit.

VERSIO VULGATA.

Alleluia, Reverſionis Aggæi & Zachariæ.

1. BEatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis.

2. Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur.

3. Gloria, & divitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

4. Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors, & miſerator, & iuſtus.

5. Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio: 6. quia in æternum non commovebitur.

7. In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor eius ſperare in Domino, 8. confirmatum eſt cor eius: non commovebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.

9. Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.

10. Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. GLORIA ET DIVITIAE. Hebr. *Opis & divitis*.

V. 5. IUCUNDUS HOMO. Hebr. *Bonus vir miſeretur, & commodat*; id eſt, moderabitur verba ſua in iudicio; id eſt, recto cum iudicio loquetur, vel recte iuſteque iudicabit. Vel, Abunde illi ſuppetit quod in iudicium vocatus respondeat, יכלכל.

V. 7. PARATUM COR EIUS. Hebr *Confirmatum eſt cor eius confiſum in Domino*.

SA.

De timore Dei.

REVERSIONIS, &c. Titulus hic non eſt Hebr. nec Græc.

V. 1. VOLET, id eſt oblectabitur. Chald. *mandata eius expetit*.

V. 2. SEMEN, id eſt filii: GENERATIO, id eſt poſteri, ſeu familia: eſt enim repetitio frequens hic; vel quaſi dicat, Gens recta, id eſt probi homines. RECTORUM. Hieron. *iuſtorum*. BENEDICETUR, ſcilicet a Deo, vel hominibus.

V. 3. GLORIA. Hieron. *ſubſtantia*. Chald. *felicitas*. DOMO, id eſt corde: Aug. MANET; ſcilicet, a Deo remuneratur. IN SAECULUM SAECULI. Hieron. *ſemper*. Chald. *in æternum*.

V. 4. TENEBRIS, ſcilicet afflictionibus; vel quaſi dicat, Cum alii ſunt in tenebris. MISERICORS, ET MISERATOR. Hieron. & Chald. *clemens, & miſericors*; quaſi dicat, ipſe Deus, vel ab ipſo Deo, qui clemens, &c.

V. 5. IUCUNDUS, id eſt gratus, ſcilicet Deo & hominibus. Hieron. *bonus*. Chald. *beatus*. Græc. χρηστὸς, quod etiam *bonum*, *utilem*, & *humanum* ſignificat. COMMODAT, id eſt mutuum dat. DISPONET; pro, quique diſponet. Hieron. *diſpenſabit*. SERMONES, id eſt negotia, vel verba. IN IUDICIO, id eſt prudenter.

V. 6. COMMOVEBITUR, id eſt nutabit.

V. 7. AUDITIONE, id eſt rumore, ſeu nuntio. MALA, id eſt rei adverſæ: ſcilicet, Ite maledicti in ignem æternum, ſecundum Auguſtinum.

V. 8. CONFIRMATUM, ſcilicet in Domino. DESPICIAT, id eſt ex alto videat. INIMICOS. Græc. *ſuper inimicos*. Hieron. *in hoſtibus*, ſcilicet quæ optat.

V. 9. DISPERSIT, ſcilicet abundanter. Chald. *diſperſit pecuniam*. IUSTITIA, id eſt *eleemoſyna*, ſeu *miſericordia*. Itaque alii, ut Chryſoſtomus, verterunt, ἐλεημοσύνη. IN SAECULUM SAECULI. Hieron. & Chald. *in æternum*. CORNU, id eſt robur. Chald. *fortitudo*. IN GLORIA, id eſt cum gloria.

V. 10. PECCATOR. Hieron. & Chald. *impius*. VIDEBIT, ſcilicet iuſti felicitatem. IRASCETUR, id eſt indignabitur. TABESCET, ſcilicet præ invidia. PECCATORUM. Hieron. & Chald. *impiorum*. PERIBIT, id eſt fruſtrabitur.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

MARIANAE.

ALLELUIA. Quod additur, *Reverſionis Aggæi, & Zachariæ*, neque Hebr. eſt, neque in Græcis Regiis, aut Romanis. Pios prædicat beatos, contra impios. Per hemiſtichia & hic Pſalmus Alphabeti Heb. litteras ſequitur.

V. 1. IN MANDATIS EIUS VOLET NIMIS: valde ſibi placet, valde iis mandatis delectatur. Ea eſt vis vocis Hebr. חפץ *haphez*.

V. 2. GENERATIO RECTORUM. *Poſteritas*, ſeu *ætas*, *ſæculum*. Utrumque דור *dor*, Hebr. ſignificat; & Græcum γενεὰ. BENEDICETUR; bonis & felicitate cumulabitur.

V. 3. GLORIA. Hebr. *ſubſtantia*: ſic Hieron. Septuag. pro הון *hon*, legerunt הוד *hod*, id eſt *laus*, *gloria*, *decus*. ET DIVITIAE, etiam in hac vita piis bona concedit Deus. ET IUSTITIA EIUS, id eſt

Digitized by Google

eſt cuiuſque eorum rectorum iuſtitia; id eſt, effectus iuſtitiæ felicitas, quæ ob iuſtitiam datur, non eſt caduca, ſed perpetua.

V. 4. EXORTUM EST: ſic Hieron. & Chald. R. David Kimhi, produxit in tenebris lumen iuſtis miſericors; ſcilicet Deus. IN TENEBRIS, in adverſis. MISERICORS, quidam in dativo, *miſericordi*, *miſeratori*, & *iuſto* ponunt; ſcilicet, homini tali exoritur lumen. At Hieron. in nominativo; quaſi dicat: Miſericors & iuſtus Deus id facit, lumen producit.

V. 5. IUCUNDUS HOMO. Hebr. *bonus*. Pſalt. Gotth. *benignus*, ſcilicet eſt. ET COMMODAT: mutuo dat; ſcilicet, iuvat inopes, qua ratione poteſt. DISPONET SERMONES SUOS. Hebr. *verba ſua*; id eſt, res ſuas cum iudicio diſpenſat & prudentia.

V. 6. QUIA IN AETERNUM; *quia*, pro, *certe*: perpetua erit felicitas eius & ſtabilis.

V. 7. IN MEMORIA AETERNA, fama eius erit perpetua. AB AUDITIONE MALA; id eſt, ab infamia, non metuet, ſemper audiet bene. Aut, *Ab auditione mala*, nuntio mali ſucceſſus. PARATUM COR EIUS. Hebr. *firmum*. SPERARE. Hebr. *ſperans in Domino*. Inde felicitas illi ſupra poſita venit ex ſpe in Deo collocata.

V. 8. NON COMMOVEBITUR. Hebr. & Græc. *non timebit*: ſic in Vulg. Regia. DONEC DESPICIAT. Heb. *donec videat in inimicis ſuis*; ſcilicet, quod cupit, tamdiu felix erit. *Deſpiciat* ſume pro *diſpiciat*, aut *aſpiciat*.

V. 9. DISPERSIT, ſcilicet ſubſtantiam ſuam. IUSTITIA; id eſt, præmium iuſtitiæ erit perpetuum: aut iuſtitia ſumatur pro miſericordia, quando de eleemoſyna agit. CORNU EIUS, vires eius glorioſæ erunt; hoſtibus ſuperior evadet.

V. 10. VIDEBIT, peccator iuſtorum felicitatem. DESIDERIUM: ſcilicet, peccatorum, contra piorum felicitatem conceptam peribit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. BEATUS VIR, &c. Hic Pſalmus, ut ſuperior, per hemiſtychia alphabeto Hebraico acroſtyce conſcriptus eſt. Vide in Pſal. XXIV. 1. Quidam reddunt: *Beatus quiſquis reveretur Iehovam*.

V. 2. GENERATIO RECTORUM, דור *dor*; *ætas*, *ſæculum*, *rectorum*: quia iuſti non ſolum ſe, ſed etiam ſæculum ſuum fortunant, ac proſperant, vel *progenies*, *poſteritas*, *familia*, *ſucceſſio*, *genus*, *rectorum*. Qui aiunt, hoc eſſe contra vim, & uſum vocis *dor*, Hebraice neſciunt; & pudet in re perſpicua exempla proferre: vide Lexica Forſteri & Merceri. Quidam hic reddunt: *Natio*, *familia*, *rectorum*. BENEDICETUR; id eſt, beabitur, fortunabitur, proſperabitur; vel prædicabitur, celebrabitur, a Deo & hominibus. Quidam reddunt: *Generatio candida*, *Domini beneficio beatiſſima erit*.

V. 3. ET IUSTITIA EIUS MANET IN SAECULUM SAECULI. Exponunt; id eſt, probitas & ſanctitas eius comitabitur eum a corpore migrantem in cælum, vel perſeverat in ſanctitate, quod divitibus raro contingit. Alii: *Iuſtitia eius*, id eſt iuſtæ ſanctæque vitæ pręmia: metonymia; quaſi dicat, Manent eum æterna præmia. Sic infra verſ. 9.

V. 4. EXORTUM EST IN TENEBRIS LUMEN RECTIS, &c. Quidam ex Hebr. *Oritur in tenebris lux quæ eſt recti*; ſeu, *micat in tenebris lux rectorum*, *gratioſus eſt*, *& miſericors*, *& iuſtus*; id eſt, ita circumfluit domi ſecundis rebus (quæ lucis nomine in Scriptura fere appellantur) ut in alios calamitatibus (quæ tenebræ in Scriptura dicuntur) preſſos, gratioſe, miſericorditer, & iuſte profundat de benedictionibus ſuis. Alii: *Oritur in tenebris lux probis*, *homini benefico*, *& miſericordi & iuſto*. Alii: *Exorietur*, *aliis deſidentibus in tenebris*, *lux rectis*: clementi videlicet, pio & iuſto. Sed rectior eſt aliorum ſenſus, qui tria poſtrema huius verſus epitheta non hominis, ſed Dei eſſe intelligunt: *Oritur in tenebris lux rectis*, *quæ lux eſt clemens & miſericors*, *& iuſtus*, Deus; quaſi dicat: Deus ſua gratia, miſericordia, & iuſtitia ſolet eripere iuſtos ex tenebris afflictionum. Et vero *channun*, & *rachum*, ita ſolent in Scriptura eſſe propria Dei attributa, ut aliis non tribuantur; quo circa nos ininterpretata retinere ſolemus: vide Notas in Exod: XXXIV. 6. Buchananus:

—— *Cum premet malos*

For-

Digitized by Google

Fortuna ſævo geſtiens ludibrio
Mutare ſummis infima;
Benignitatis tum ſuæ iuſtis Deus
Lucem in tenebris offeret:
Clemens, bonuſque in omnibus periculis
Stirpem piorum muniet.

Nonnulli: *Oriens ſol, & lux in tenebris eſt rectis, miſericors, mitis & iuſtus*, Dominus.

V. 5. IUCUNDUS HOMO, QUI MISERETUR ET COMMODAT. Diverſimode ex Heb. I. *Bonus vir miſerens & mutuans*. II. *Bonus vir miſereſcens & commodans*. III. *Commodus eſt vir, qui miſeretur & mutuo dat*. IV. *Felix vir, qui miſericordia movetur erga pauperes, & mutuo dat*. V. *Vir bonus confert beneficia, & dat mutuo*. VI. *Bonus quiſque gratioſe largitur, & mutuo dat*. DISPONET SERMONES SUOS IN IUDICIO. Multifariam ex Hebr. I. *Gubernabit res ſuas in iudicio*, id eſt cum iudicio diſcretionis, ſeu prudenter. II. *Diſpenſabit verba ſua in iudicio*. III. *Metietur verba ſua in iudicio*; id eſt, profert verba ſua in iudicio, rectitudine, menſuraque: non effutiet aut profundet verba ſine modo & iudicio; nihil temere & inconſiderate loquetur; ſed rei, loci, temporis, &c. magnam rationem habebit, vel *Metietur res ſuas*; hoc eſt, impenſas ſuas, ordine *ac iudicio*. IV. *Quiſque verba ſua cum iudicio expendit*. V. *Suaſque res obit* exactiſſimo iudicio. VI. *Dabit enim illi Dominus eam prudentiam, ut diſpenſare ſciat reliqua, quæ tractanda illi erunt, cum iudicio*. VII. *Moderatur res ſuas ex officio*, cum erga domeſticos, tum erga exteros: quod officium luculenter exponit Paulus II. Corint. VIII. & IX. Ex verbo: *Univerſitabit, calculabit verba ſua, res ſuas, negotia ſua*; id eſt, & verba & res ſuas omnes integre, univerſe, ad omnium calculum, numerum, & rationem expendet, exiget, ſummo cum iudicio.

V. 6. QUIA IN AETERNUM NON COMMOVEBITUR. Volunt eſſe ætiologiam, ſive explicationem cauſæ, cur in mediis calamitatibus proſperentur ſancti, ut dictum eſt verſ. 4. quaſi dicat: Quia dimovetur quidem, ſed non in perpetuum hæret, deiiciturque calamitatibus, ut loquitur Apoſtolus II. Corinth. IV. 8. & VI. 8. & ſequ. Alii: *Non movebitur in æternum*; id eſt, numquam amittet ſuam dignitatem. IN MEMORIA AETERNA ERIT IUSTUS. Hebr. *Recordationi ſæculi erit iuſtus*, vel *ad memoriam æterni erit iuſtus*; id eſt, perpetuo iuſtus laudabitur: memoria iuſti cum honore & laude perpetuo celebrabitur.

V. 7. AB AUDITIONE MALA NON TIMEBIT; id eſt, non patietur famam adverſam: non erit obnoxius pravis de ipſo ſparſis rumoribus, ſed ut vita, ita & fama, & opinione hominum integer erit. Alii: *A rumore mali alicuius appropinquantis nihil metuet ſibi*. Nonnulli: *Ad famam triſtem non expaveſcet*; id eſt, cum audierit ingentia mala ingruere, intrepido perſtabit animo, nihil terrebitur. PARATUM COR EIUS SPERARE IN DOMINO. Quidam legunt, בטוח *batoach*, infinitum, *confidere, fidem habere, ſperare, firmiter inniti*. Alii, בטח *batuach*, nomen adiectivum, ſeu participium paſſivum, *fidens, confiſum, fretum*; vel, *confidit, ſperat*, aut *ſubnixum*, id eſt nititur in Iehveh.

V. 8. DONEC DESPICIAT INIMICOS SUOS. Hebr. *Uſquequo videbit in hoſtibus ſuis*; ſubaudiunt, quod optat. Alii: I. *Donec ſpectet in hoſtibus ſuis, quod cupierat*. II. *Uſque dum videat hoſtium ſuorum interitum*. III. *Quin potius tandem viſurus eſt in hoſtibus ſuis, qualia quivis alius vellet in ſuis*. IV. *Donec ultionem videat in inimicis ſuis*. V. *Donec videat malum in hoſtibus ſuis*; id eſt, ne tunc quidem metuit ſibi a malo, cum impendentes undique hoſtes ipſi minitantur male; ac proinde multo minus metuit, cum illos in ſuum ipſorum malum deiectos videt; quaſi dicat, Numquam metuit.

V. 9. DISPERSIT, DEDIT PAUPERIBUS. Vide II. Corinth. IX. 9. CORNU EIUS EXALTABITUR IN GLORIA: *cornu*, id eſt robur, potentia, dignitas: vel caput eius. Vide I. Samuel. II. 1.

V. 10. ET IRASCETUR. Hebr. *Ad iram, indignationem, triſtitiam, invidiam commovebitur, provocabitur*. Quidam: *Invidia torquebitur*. Alii: *Et hæc habebunt illum peſſime*. DESIDERIUM PECCATORUM PERIBIT; id eſt, improbæ cogitationes, conſilia, labores, & conatus eorum in bonos irriti fient a Deo. Alii: I. *Studium impiorum, quo nocere cupiunt piis, inefficax erit, & peribit*. II. *Et quod impii cupiunt, ir-*

ritum fiet. III. *Minimeque impii aſſequentur quod deſiderant*.

MENOCHII.

REVERSIONIS AGGAEI, ET ZACHARIAE. Non eſt hic titulus in textu Hebræo, aut Græco, ſed tantum in Latino. Videtur David in ſpiritu prævidiſſe Aggæum, & Zachariam poſt expletum tempus captivitatis rediiſſe ad populum, eumque admonuiſſe quanta ſit felicitas viri iuſti & timentis Deum; ut hoc exemplo alios hortetur ad probitatem, ut non incidant in ſimilem captivitatem.

℣. 1. IN MANDATIS EIUS VOLET NIMIS: mire delectabitur obſervatione mandatorum Dei, omnem ſuam voluntatem ad eorum obſervationem adiiciet.

℣. 2. POTENS IN TERRA ERIT SEMEN EIUS, huius viri ſemen; id eſt, filii eius multi, & potentes erunt in terra. GENERATIO RECTORUM BENEDICETUR: quia nimirum generatio iuſtorum ex divina benedictione fœcundiſſima erit.

℣. 3. IN DOMO EIUS; in domo timentis Deum. IUSTITIA EIUS MANET IN SAECULUM SAECULI: iuſtitia eius cum ipſo non moritur, ſed æternum durat, celebris apud homines, & præmium grande ferens a Deo.

℣. 4. EXORTUM EST IN TENEBRIS LUMEN RECTIS, &c. Sententia eſt: Si adverſitas aliqua inciderit, ipſe Dominus, qui miſericors eſt, miſerator, & iuſtus; velut lux exorietur iuſtis calamitatum tenebras depellens, aut ita illorum animos confirmans, ut calamitas illis gravis non ſit.

℣. 5. IUCUNDUS HOMO, QUI MISERETUR, ET COMMODAT. Bene, & iucunde habet, qui miſericordia motus facile condonat offenſiones, & egentibus commodat ſervans illud: *Dimittite, & dimittemini, Date, & dabitur vobis*. DISPONET SERMONES SUOS IN IUDICIO: eloquetur verba ſua, & illa ordinabit, & diſponet in iudicio & prudenter. Alii per *ſermones*, intelligunt rationes, & negotia. QUIA IN AETERNUM NON COMMOVEBITUR. Videtur referendum ad id, quod ſupra dictum eſt, *Iucundus homo*; quaſi dicat: Ideo eſt iucundus, ſive beatus, quia in æternum non commovebitur, numquam ſua felicitate excidet: ita Genebrardus. Bellarminus putat eſſe rationem eius, quod proxime dictum fuerat, *Diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commovebitur*; id eſt, quia eſt vir conſtans in propoſitis ſuis, & ſtabilis, & prævidet prudenter omnia, ut quidquid accidat eum commovere non poſſit.

℣. 7. IN MEMORIA AETERNA ERIT IUSTUS: memoria glorioſa, & cum benedictione apud Deum, & apud homines. AB AUDITIONE MALA NON TIMEBIT; ſibi bene conſcius, non timebit parum ſecundam famam. PARATUM; in rebus adverſis, & calamitoſis.

℣. 8. CONFIRMATUM EST COR EIUS; in hac fiducia in Deum. NON COMMOVEBITUR, non timebit. DONEC DESPICIAT INIMICOS SUOS: immo in hac fiducia ſtabilis eo res ſuas deducet; ut inimicos non ſit formidaturus, ſed illos potius deſpecturus.

℣. 9. DISPERSIT, DEDIT PAUPERIBUS; libenter, & liberaliter tribuit pecunias ſuas egentibus, large ſparſit in pauperes. IUSTITIA EIUS MANET IN SAECULUM SAECULI; quaſi dicat: Si pecunias largiendo diminuit, adauxit iuſtitiam, & merita æternum præmium habitura. CORNU EIUS EXALTABITUR IN GLORIA. Tunc alicuius cornu exaltari dicitur, cum ille ſit potentior, & fortior. Exaltari autem in gloria, eſt hominem fieri non ſolum potentem ſed etiam glorioſum: ſignificat ergo Propheta eleemoſynis adeo non minui potentiam, divitias, aut gloriam, ut etiam augeantur.

℣. 10. PECCATOR VIDEBIT: cogetur videre iuſti felicitatem. IRASCETUR: cum nihil habeat, quod contra iuſtum, quem odit, loqui poſſit, vel audeat. DENTIBUS SUIS FREMET, inſtar rabidi canis. TABESCET, nam ut ait ille:

Invidus alterius rebus macreſcit opimis. DESIDERIUM PECCATORUM PERIBIT; votis, & optatis ſuis peccatores fruſtrabuntur: nam cum iuſtum everſum videre cupiant, cogentur illum intueri bene in omnibus habentem & florentem.

TI-

Digitized by Google

TIRINI.

Verſ. 1. IN MANDATIS Dei *volet nimis*; id eſt, valde ſibi placet, iiſque implendis mire delectatur.

V. 3. IUSTITIA EIUS MANET; tam in ſe, ut ſplendeat; quam in acceptatione Dei, ut præmium accipiat.

V. 4. IN TENEBRIS, id eſt rebus triſtibus & adverſis, EXORTUM EST LUMEN, ſeu conſolatio ſpiritualis, RECTIS, id eſt iuſtis.

V. 5. IUCUNDUS (Græce χρηστὸς; id eſt, benignus, utilis, gratus, ſuavis Deo, Angelis, hominibus, & ſibi ipſi eſt) QUI MISERETUR pauperum, eiſque COMMODAT; id eſt, commodato vel mutuo dat, & DISPONET; Græce οἰκονομεῖ, id eſt diſpenſat, τοὺς λόγους; id eſt, rationes ſuas, IN, ſeu cum, IUDICIO; quaſi dicat: Iuſtus frugaliter & prudenter diſpenſat rationes & res ſuas domeſticas, ut habeat quod eroget pauperibus: ita S. Auguſtinus.

V. 6. QUIA; quaſi dicat: Ideo eleemoſynarius iucunde ſemper & beate vivet, quia numquam COMMOVEBITUR a ſtatu & felicitate ſua: protegente illum Deo in omni tentatione, perſecutione & adverſitate: ita Vatablus & Genebrardus.

V. 7. & 8. IN MEMORIA AETERNA Dei & hominum ERIT talis IUSTUS: AB AUDITIONE MALA; id eſt, a nuntio rerum triſtium (Allegorice, a ſevera illa ſententia, *Ite maledicti*, &c. inquit S. Hieronymus & Auguſtinus. Vide dicta Pſal. xc. 3.) nihil ſibi TIMEBIT. Exemplo ſit Iob, Tobias, Daniel, &c. quia PARATUM, ſeu promptum, ſemper ad ſperandum, & CONFIRMATUM, ſeu ſtabilitum EST, COR EIUS in Deo: DONEC DESPICIAT; id eſt, ex alto videat, punitos & extinctos omnes INIMICOS SUOS.

V. 9. DISPERSIT pecuniam ſuam, inquit Chaldæus; id eſt, quaſi ſemina ſpargit liberaliſſime bona ſua in ſinus pauperum: ſed ne teruncium tamen perdit: nam hæc EIUS IUSTITIA, ſeu opus iuſtum, MANET IN æternum, ut ſup. verſ. 3. CORNU; id eſt, robur, potentia, gloria, EIUS augebitur & creſcet in dies: ita S. Hieronymus & S. Chryſoſtomus, *a* hinc concludit, eleemoſynam eſſe artem omnium quæſtuoſiſſimam.

(a) Chriſ. ho. xiii. ad populum t. 1.

GORDONI.

Titulus. ALLELUIA, REVERSIONIS AGGAEI ET ZACHARIAE. Dixi Pſalmo cv. & cvi. de Alleluia. Hic alphabeticus etiam eſt. De hoc reditu Aggæi & Zachariæ vide, quæ dixi ad initia illorum Prophetarum. Et cum hi extiterint poſt finem captivitatis, quando hortabantur populum ad pietatem, oportet Davidem, ſi auctor eſt huius Pſalmi, prævidiſſe in ſpiritu hanc hiſtoriam. Retinendus hic titulus eſt auctoritate Eccleſiæ receptus, licet illud de duobus iſtis Prophetis, nec ſit in Græco, nec in Hebræo. Eſt vero hic Pſalmus alphabeticus quidem, ut dicebam, ſed decem tantum conſtat verſiculis. Diviſus proinde ita per hemiſtichia, ut ſingulis viginti duabus litteris alphabeti Hebraici, aliquid reſpondeat.

Verſ. 2. POTENS IN TERRA, &c. Præfatur Propheta beatum eſſe, qui in timore Dei ſervat mandata. Recenſet ergo octo inde natas beatitudines. Prima eſt verſ. 2. multa & robuſta proles. Secunda, verſ. 3. opum abundantia. Tertia, verſ. 4. eſt lumen prudentiæ, & conſilii, quod eſt Deus ipſe favens. Quarta, ver. 5. lætitia ſpiritualis. Quinta, prudentia in loquendo. Sexta, verſ. 7. vivet hic timens Deum in hominum memoria. Septima, verſ. 8. fruetur protectione Dei nihil timens. Octava, verſ. 9. bene utetur divitiis. Tandem verſ. 10. concludit de infelicitate peccantium. Cetera obſcura non ſunt.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & ſeq. B*Eatus*, &c. Habet hic Pſalmus pro argumento laudem viri iuſti, ex octo vel novem titulis, quos hic ſubiicio commendatam. Initium autem facit a timore Domini. Ergo fundamentum octo felicitatum in hac vita, quæ hic recenſentur, eſt illud quod dixit in fine Pſalmi præcedentis,

tis, de timore, ſcientia & operatione: erant vero hæ benedictiones, quas mox recenſebo, veteris teſtamenti; quæ tamen viris iuſtis non erant ſemper conſtantes, & perpetuæ, ſed frequentes ſaltem fuere.

BOSSUET.

REVERSIONIS AGGAEI ET ZACHARIAE, deeſt Hebr. nec tamen abſurdum hæc ab iis vel decantata vel repetita fuiſſe.

Verſ. 1. IN MANDATIS; id eſt, qui mandata eius impenſe diligit. VOLET: non faciet quæſtu metuque adactus: ſed prona ac prompta voluntate.

V. 3. GLORIA, *ſubſtantia*, Hier. rerum ſufficientia & copia. MANET IN SAECULUM SAECULI: fama & exemplo, ut infra IX.

V. 4. EXORTUM EST..... exemplo aliis prælucet.

V. 5. IUCUNDUS, *bonus*; Hier. χρηστός. LXX. DISPONET SERMONES SUOS IN IUDICIO: nihil ira, nihil temere, conſiderate omnia.

V. 7. AB AUDITIONE MALA: a fama mala.

V. 8. CONFIRMATUM EST COR EIUS: NON COMMOVEBITUR...... *firmum cor eius non timebit*, Hier.

PSAL.

PSALMUS CXII. LAUDIS ET CONSOLATIONIS.

Laus Dei humiles bonoſque ex alto ſpectantis ac tuentis. Vide Canticum Annæ I. *Reg. & Beatæ Mariæ Luc.* 1. 46.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia:

LAudate ſervi Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: amodo & uſque in æternum.

Ab ortu ſolis uſque ad occaſum eius: laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: ſupra cælum gloria eius.

Quis ut Dominus Deus noſter: qui in excelſis habitans humilia reſpicit in cælo & in terra.

Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore elevat pauperem.

Ut eum ſedere faciat cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui collocat ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Halleluia.

VERSIO VULGATA.

Alleluia:

1. LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

2. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

3. A ſolis ortu uſque ad occaſum, laudabile nomen Domini.

4. (*a*) Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius.

5. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, 6. & humilia reſpicit in cælo & in terra?

7. Suſcitans a terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.

8. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.

9. Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

(a) Malach. I. 11.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. LAUDATE PUERI DOMINUM. Hebr. *Laudate ſervi Domini*

V. 5. QUI IN ALTIS HABITAT. Hebr. *Qui attollit ſe ad habitandum, ac dimittit ad videndum*. Quem ſenſum recte aliis verbis expreſſerunt Septuag. *Qui in altis habitat*, &c.

V. 9. IN DOMO, &c. id eſt in familia filiorum, ut I. Reg. 11. 5. *Quoniam ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt*.

SA.

Invitatio ad Dei laudem;

Verſ. 1. PUERI. Hieron. & Chald. *ſervi*.

V. 2. SIT.... BENEDICTUM, id eſt celebretur. NUNC, id eſt tempore, ſeu momento. SAECULUM. Hieron. *æternum*.

V. 3. LAUDABILE; id eſt, dignum quod laudetur.

V. 4. SUPER, id eſt pluſquam.

V. 5. ALTIS, ſcilicet cælis.

V. 6. HUMILIA, id eſt humiles; vel quaſi dicat: Infirma quæque curat.

V. 7. SUSCITANS, id eſt elevans. STERCORE, id eſt ſordibus, ſeu abiecta conditione.

V. 9. DOMO, id eſt familia; ſcilicet, ſecundans, prolemque dans.

ESTII.

Verſ. 5. QUIS SICUT DOMINUS DEUS NOSTER, QUI IN ALTIS HABITAT? ET HUMILIA RESPICIT IN CAELO, ET IN TERRA? Quomodo humilia reſpicit in cælo; ubi omnia ſunt ſublimia, ubi nihil humile & abiectum? Sed recte intelligitur de beatis illis ſpiritibus, qui omnem ſuam excellentiam per virtutem humilitatis acceptam referunt Deo. Hebræa alium ſenſum poſtulare videntur; ſic enim habent: *Qui ſe elevat ad habitandum: Qui ſe humiliat ad videndum in cælo, & in terra*; ac ſi dicat: Qui cum in altiſſimis habitet, non tamen rerum providentiam abiicit, ſed dignatur videre, & curare non ea tantum quæ in cælo, verum hæc etiam quæ in terra ſunt. Eſt dictum contra eos qui dicebant Iob XXII. *Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat*. Diverſus igitur huius loci ſenſus eſt ab illo Pſal. CXXXVII. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit*. Vide eius loci Annot.

MARIANAE.

ALLELUIA. Deum laudandum monet.

V. 1. LAUDATE PUERI. Hebr. *ſervi*: vox Græca παῖδες, & *pueros*, & *filios*. & *ſervos* ſignificat. DOMINUM. Hebr. *Domini*, propter regimen Hebraicum: O ſervi Domini laudate, laudate (inquam) nomen Domini. Hieron. *laudate ſervi Dominum*.

V. 2. BENEDICTUM: celebretur laudibus, quoad tempus, perpetuo; quoad locum,

V. 5. A SOLIS ORTU; id eſt, plaga orientali uſque ad occidentalem, per univerſum orbem. LAUDABILE. Heb. *Laudatum ſit, & benedictum* nomen Domini.

V. 4. EXCELSUS SUPER OMNES GENTES. Hæc eſt ratio laudandi, quod in terra & cælo dominetur, ſit ſuperior omnibus. Aut ſint hæc & ſequentia verba laudis, quibus celebratur Deus.

V. 5. QUIS SICUT DOMINUS. Alia laudis verba. QUI IN ALTIS HABITAT. Hebr. *qui elevat ad habitare*; id eſt, in altis habitat.

V. 6. ET HUMILIA RESPICIT. Hebr. *humilians ad aſpiciendum in cælo & in terra*; id eſt, non dedignatur omnibus providere. Hæc eſt lectio ſatis commoda, tametſi Hieronymus Vulgatæ verſionem ponit.

V. 7. SUSCITANS A TERRA. Hebr. *a pulvere*. ET DE STERCORE; id eſt, ab infimo loco elevat ad dignitates pauperem. Ut ſedeat cum Principibus

V. 8.

Digitized by Google

V. 8. Populi sui: ſcilicet, pauperem ibi collocat, cum Principibus in ſuomet populo & patria.

V. 9. Qui habitare facit sterilem in domo; id eſt, *Quæ domi ſuæ ſedebat ſterilis, eam facit matrem filiorum* (ex eo) *lætantem*. Hebr. hunc ſenſum recipiunt. Sed & verti poſſunt, *Qui collocat, facit, ſterilem domum* (id eſt familiam) *matrem filiorum*, id eſt prole eam familiam auget. Sententia non diſcrepat.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Laudate pueri Dominum, &c. Notant, videri Davidem hunc Pſalmum exaraſſe, cum divinitus regnum accepiſſet: & publicum hoc beneficium cum domeſtico in Channam beneficio comparantem, canticum hoc cum illo conformaſſe, quod habetur I. Samuel. II.

V. 2. Ex hoc nunc et usque in saeculum. Hebr. *De nunc uſque in ſæculum*. Quidam, *hinc uſque in ſempiternum*; alii, *ab hoc tempore uſque in perpetuum*; alii, *deinceps uſque in ſæculum*, id eſt in tempus infinitum.

V. 3. Laudabile nomen Domini. Hebr. *Laudatum nomen Iehveh*; id eſt, clariſſima & celeberrima eſt gloria Iehveh.

V. 4. Et super caelos gloria eius; id eſt, ſupercæleſtis eſt, & ſublimior ac divinior cælis gloria eius. Argumentum laudis hoc verſu a maieſtate Dei.

V. 5. Qui in altis habitat. Ex Hebr. I. *Exaltans ſe ad habitandum*. II. *Qui elevat ſe ſe ad habitandum*. III. *Qui ſe ſe attollit ad ſedendum*; id eſt, in ſublimi & ſummo loco delegit ſibi ſedem. IV. *Qui ſe ſe in ſublime ad habitandum collocat*. V. *Qui exaltat habitando*, vel *qui altiſſime habitat*. Vide Gen. XII. 8. nimirum in cælis, e verſu ſequente. VI. *Qui ſe ipſum in altum erigit, ut ſedeat quocumque in loco libitum fuerit illi*. VII. *Qui in alto rebus præſidet*. VIII. *Sublimis illi ad habitandum*. Notant participium ex Hiphil מגביהי *maghbihi*, cum Iod paragogico fieri hic appellativum, & epitheton Dei. Quin & ſequentia quatuor participia ob eamdem rationem ſcribuntur cum Iod paragogico: & ut ſignificatum augeant.

V. 6. Et humilia respicit in caelo et in terra. Varie ex Hebr. convertunt: I. *Humiliatus ad videndum in cælis & in terra*. II. *Qui humilis ad videndum in cælis & in terra*. III. *Qui humiliat ſe ad videndum ea, quæ in cælo & in terra*. IV. *Ac rurſum ſe ſe dimittit, ut contempletur quæ in cælo & in terra fiunt*. V. *Qui infime demittit reſpiciendo*: vel *qui demiſſiſſime perſpicit in cælis & in terra*. Vide ſimilem locutionem Geneſ. XII. 8.

V. 7. Suscitans a terra inopem, &c. Hunc verſum & ſequentem exſcripſit David ex cantico Channæ, I. Samuel. II. 8. quod optime ei convenirent: vide II. Sam. VII. 8.

V. 8. Ut collocet eum cum principibus. Quidam: *Faciendo ut conſideat cum ingenuis*; id eſt, ut principatum obtineat: ſynecdoche, ut ſit unus de numero principum.

V. 9 Qui habitare facit sterilem in domo, &c. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Faciens ut ſterilis domus, ſeu familiæ*; id eſt, *quæ ſterilis erat in familia, ſedeat mater liberorum læta*. Vide I. Samuel. II. 5. Alii: *Qui facit ut domus ob ſterilitatem matronæ vacua, habitatiſſima fiat: &, quæ antea natura fuerat ſterilis, fiat mater ob multitudinem liberorum gaudens*. Aliqui: *Qui ſterilem matrem familias, efficit matrem gaudentem liberis*. Nonnulli: *Qui facit, ut, quæ adhuc ſterilis fuerat, domum habeat*, id eſt *familiam: & facta fœcunda, iucunditate liberorum oblectetur*: ut Sara, Rabecca, Rachel, Anna, &c.

MENOCHII.

Verſ. 1. Pueri: in Græco eſt, παῖδες; quæ vox, & pueros, & ſervos; in Hebræo eſt עבדי *hande*, quæ ſervos tantum ſignificat.

V. 2. Sit nomen Domini benedictum: felix habeatur, commendetur, ſanctificetur, celebretur. Ex hoc nunc. Græce ἀπὸ τοῦ νῦν, ab hoc puncto temporis, & deinceps in totam æternitatem.

V. 3. A Solis ortu, &c. ubique. Laudabile: in Hebr. eſt, *laudatum*, ſed

idem eſt; propterea enim laudatur, quia laudem meretur.

V. 4. Super omnes gentes; cum omnium ſit creator, & gubernator. Super caelos gloria eius; id eſt, ſuper cælos elevata eſt gloria maieſtatis eius, cæleſtia omnia implens, & ſuperans.

V. 6. Humilia respicit, humilia reſpicit, & curat. illiſque providet.

V. 7. Suscitans a terra inopem, &c. pauperem, & afflictum in ſordibus, & in mærore iacentem, & cum inopia luctantem, erigit, & in florenti ſtatu conſtituit.

V. 8. Ut collocet eum cum principibus: non cum principibus quibuſcumque, ſed cum principibus populi, & tribuum, ſenſu anagogico hi principes ſunt aulæ cæleſtis proceres, ſupernæ Ieruſalem incolæ, & participes regni cælorum.

V. 9. Qui habitare facit sterilem, &c. Qui mulierem ob ſterilitatem ſuam deſpectam prius, & mærentem, ſtatu rerum in melius mutato, habitare facit domi ſuæ lætam, & hilarem propter multiplicem prolem ſuſceptam. Filiorum. Græce eſt, *ἐπὶ τέκνοις filiorum cauſa.*

TIRINI.

Verſ. 1. Pueri, Hieronymus & Chaldæus, *ſervi*, ſcilicet Dei.

V. 6. Humilia respicit. Hebraice & Chaldaice, *humiliat ſe* Deus ad videndum res imas & viles, ac præ omnibus homines humiliter de ſe ſentientes; ita ſanctus Auguſtinus.

V. 7. De stercore; id eſt, e ſordibus ex infima conditione, erigit Deus pauperes, ut fiant principes & Reges, ut patet in Ioſepho, Iobo, Moyſe, Davide, Daniele, tot aliis. Tropologice, e ſordibus peccatorum erigit nos Deus in thronos Angelorum; ita ſanctus Hieronymus & Theodoretus.

V. 9. Sterilem; ideoque abiectam & contemptam, verbi gratia, Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, &c. facit Deus illam fæcundam & laetantem filiorum matrem habitare in domo, mariti ſui: ita Theodoretus.

GORDONI.

Titulus, Alleluia; ut ſupra Pſal. cv. Argumentum eſt adhortatorium ad Dei laudem, ut titulus indicat: maxime vero, quia licet ipſe ſummus ſit, non tamen recuſat laudari a nobis.

Verſ. 1. Laudate pueri Dominum. Septuaginta, *παῖδες αἰνεῖτε.* Hebr. עבדי *hhabde*, *ſervi*. Vox eſt in regimine; & verti poſſet textus Hebr. Laudate ſervi Domini. Pſalmus facilis eſt.

BOSSUET.

Verſ. 1. Pueri Dominum, *ſervi Domini*, Hebr.

V. 3. A solis ortu .... a mane uſque ad veſperam.

V. 9. Qui habitare facit..... qui ſterilem facit fœcundam; ut Annam, ut Eliſabetham.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXIII. LAUDIS ET ADMIRATIONIS.

Magnitudo Dei populum liberantis: vanitas Idolorum.

VERSIO S. HIERONYMI.

CUm egrederetur Iſrael de AEgypto: domus Iacob de populo barbaro.

Factus eſt Iudas in ſanctificatione eius: Iſrael poteſtas eius.

Mare vidit & fugit: Iordanis converſus eſt retrorſum.

Montes ſubſilierunt quaſi arietes: colles quaſi filii gregis.

Quid tibi eſt mare quia fugiſti: Iordanis quia converſus es retrorſum?

Montes ſubſultaſtis quaſi arietes: colles quaſi filii gregis.

A facie Domini contremiſcit terra: a facie Dei Iacob.

Qui convertit petram in paludes aquarum: ſilicem in fontes aquarum.

VERSIO VULGATA.

Alleluia.

1. IN (*a*) exitu Iſrael de AEgypto, domus Iacob de populo barbaro.

2. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius.

3. Mare vidit, & fugit: Iordanis converſus eſt retrorſum.

4. Montes exultaverunt ut arietes: & colles ſicut agni ovium.

5. Quid eſt tibi mare quod fugiſti: & tu Iordanis, quia converſus es retrorſum?

6. Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ovium.

7. A facie Domini mota eſt terra, a facie Dei Iacob.

8. Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

PSALMUS CXV.

ſecundum Hebræos.

Spei & Gratulationis in Deum.

Non nobis, Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam: propter miſericordiam tuam & veritatem tuam.

Ne dicant gentes: Ubi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cælo: univerſa quæ voluit fecit.

1. NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS; ſed nomini tuo da gloriam:

2. Super miſericordia tua, & veritate tua: nequando dicant Gentes: Ubi eſt Deus eorum?

3. Deus autem noſter in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

Digitized by Google

Idola gentium argentum & aurum: opus manuum hominum.

Os habent & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient: naſum habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt: nec ſonabunt in gutture ſuo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Iſrael confidit in Domino: auxiliator & protector eorum eſt.

Domus Aaron confidit in Domino: auxiliator & protector eorum eſt.

Timentes Dominum confidunt in Domino: auxiliator & protector eorum eſt.

Dominus recordatus eſt noſtri: benedicet domui Iſrael: benedicet domui Aaron.

Benedicet timentibus Dominum: parvis & magnis.

Addat Dominus ſuper vos: ſuper vos & ſuper filios veſtros.

Benedicti vos a Domino: qui fecit cælum & terram.

Cælum cælorum Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt Dominum: nec omnes qui deſcendunt in ſilentium.

Sed nos benedicemus Domino: amodo & uſque in æternum, halleluia.

4. (*b*) Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

5. (*c*) Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

6. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

7. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo.

8. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

9. Domus Iſrael ſperavit in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

10. Domus Aaron ſperavit in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

11. Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

12. Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Iſrael, benedixit domui Aaron.

13. Benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cum maioribus.

14. Adiiciat Dominus ſuper vos: ſuper vos & ſuper filios veſtros.

15. * Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.

16. Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

17. (*d*) Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum.

18. Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

(a) Exod. xxxii. 3. (b) Infra cxxxiv. 15. (c) Sap. xv. 15. (d) Baruch. ii. 17.

BRUGENSIS

Lectionum Varietas.

V. 15. *Benedicti vos a Domino*, Præpoſitio, *a* a pleriſque omittitur.

COM.

Digitized by Google

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. **M**ONTES EXULTAVERUNT. Heb. exilierunt. Exod. 19. cum Deus legem daret mons Sinai fumigabat.

V. 1. NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS, &c. Hic eſt apud Hebræos Pſalmus CXV.

V. 2. NE QUANDO DICANT GENTES, &c. Heb. *Quare dicent gentes: Ubi eſt nunc Deus eorum?*

V. 12. ET BENEDIXIT NOBIS. Hæc verba non leguntur Hebraice: credibile eſt Septuag. legiſſe, non enim addidiſſent de ſuo.

V. 14. ADIICIAT DOMINUS SUPER vos; id eſt, augeat in dies, ac cumulet ſua erga vos beneficia.

V. 16. CAELUM CAELI DOMINO. Heb. *Cælum, cælum, inquam, Domini* (eſt habitatio.)

SA.

De liberatione ex AEgypto.

Verſ. 1. **D**OMUS, id eſt familiæ. BARBARO, id eſt alterius linguæ.

V. 2. IUDAEA. Hieron. *Iudas*, id eſt populus Iudaicus. SANCTIFICATIO, id eſt particeps ſanctitatis; quaſi dicat, ei conſecrata. Chald. *Unita eius ſanctitati*. POTESTAS; quaſi dicat, eius poteſtati, ſeu ditioni ſubiecta.

V. 3. MARE, ſcilicet rubrum. VIDIT; id eſt, ſenſit Dei præſentiam. FUGIT, id eſt receſſit.

V. 4. EXULTAVERUNT. Hieron. & Chald. *ſubſilierunt*: ſcilicet, cum legem daret, agitabatur Sinai mons.

V. 7. A FACIE, id eſt præſentia: Aug. MOTA EST. Hieron. & Chald. *contremiſcit*.

V. 8. STAGNA. Hieron. *paludes*. Chald. *rivum*. RUPEM. Hieron. *ſilicem*.

V. 1. NON NOBIS, &c. Hic incipit Pſalmus CXV. apud Hebræos. Chald. *Non propter nos Domine, non propter meritum noſtrum*. SUPER MISERICORDIA, &c. Hieron. *propter miſericordiam*, &c. VERITATE; id eſt, fide, qua ſcilicet promiſiſti te adiuturum nobis: Aug. miſericordia vocante, & veritate iudicante.

V. 2. NEQUANDO, pro, ne forte.

V. 3. CAELO, ſcilicet eſt.

V. 8. FIANT; id eſt, digni ſunt qui fiant.

V. 9. SPERAVIT; pro, ſperat.

V. 11. SPERAVERUNT; pro, ſperant.

V. 12. BENEDIXIT. Hieron. & Chald. *benedicet*: & ſic in ſequentibus.

V. 13. PUSILLIS. Hieron. *parvis*.

V. 14. ADIICIAT, &c. quaſi dicat, Augeat vos, vel addat beneficia.

V. 15. BENEDICTI, ſcilicet eſtis, vel ſitis.

V. 16. CAELUM CAELI, id eſt ſupremum cælum. DOMINO, ſcilicet ſedes eſt.

V. 17. LAUDABUNT; ſcilicet, corpore, ſeu ore, ſeu apud vivos.

V. 18. BENEDICIMUS. Græc. Hieron. & Chald. *benedicemus*. NUNC, id eſt momento, ſeu tempore. SAECULUM. Hieron. & Chald. *æternum*.

ESTII

Verſ. 2. **F**ACTA EST IUDAEA SANCTIFICATIO EIUS, ISRAEL POTESTAS EIUS. Ex Hebræo ad verbum ita reddi poteſt: *Factus eſt Iudas in ſanctitatem eius, Iſrael in poteſtatem eius*. Senſus autem ſit iſte: Tunc quando eduxit populum ſuum ex AEgypto, Iudas, id eſt populus Iudaicus (ut in una tribu præcipua, totus populus intelligatur) Deo conſecratus eſt in populum ſanctum, & peculiarem; ſicut in Exodo & Deuteronomio aliquoties reperitur: Tunc Iſrael factus eſt poteſtas eius, vel in poteſtate eius; id eſt, tunc populus Iſrael factus eſt regnum Dei, in quo ipſe regnaret, & in quo declararet coram gentibus magnitudinem potentiæ ſuæ.

V. 4. & 5. SIMULACRA GENTIUM, ARGENTUM ET AURUM, OPERA MANUUM HOMINUM. OS HABENT, ET NON LOQUENTUR, &c. Quæritur, An ne hæc om-

Digitized by Google

omnia etiam vere dici poſſint de imaginibus Chriſtianorum? Reſpondeo non magis hæc valere contra imagines Chriſtianorum, quam contra imagines, quas vel Moyſes in tabernaculo, vel Salomon in templo, Deo iubente collocavit, & fieri iuſſit: cuiuſmodi erant Cherubim, leunculi, boves, aliaque eiuſmodi. Nam & de illis dici poterat, quod eſſent, *argentum & aurum*, *opera manuum hominum*, &c. Quod ergo de illis reſpondetur, idem & de noſtris reſpondemus. Nam illa quidem ſimulacra erant, quæ nec ſenſum, nec motum habebant; ſed nec erant ad hoc facta, ut colerentur, ſed tantum, vel ad ornatum, vel ad ſignificationem. Sic & noſtræ imagines neque loqui, neque palpare, neque ambulare poſſunt, ſed non ad hoc ſunt conſtitutæ in Eccleſia, ut colantur, aut ab iis beneficia expectentur; ſed ut ex earum inſpectione memoria nobis ingeratur Sanctorum, quorum ſunt imagines. Itaque imprecatio illa quam Propheta ſubiungit: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*, non magis in eas locum habet, quam in imagines quæ erant in templo Iudaico: cum nullam fiduciam nec Iudæi, nec nos Chriſtiani collocemus in ligno & lapide, ſed tantum in re ſignificata.

V. 15. BENEDICTI VOS A DOMINO, QUI FECIT CAELUM ET TERRAM. Hebræa & Græca habent ſine præpoſitione, *Benedicti vos Domino*: quo modo etiam Auguſtinus legit. Ita & Gen. XIV. Melchiſedech dixiſſe legitur, *Benedictus Abraham Deo excelſo*. Et Iudicum XVII. ait mater Michæ: *Benedictus filius meus Domino*, & II. Regum II. David ad viros Iabes Galaad, *Benedicti vos Domino*; & ſenſus in his omnibus eſt optativus, hic, aut ſimilis: Benedicat, ſeu benefaciat Deus Abrahæ, &c. quippe Dei benedicere, benefacere eſt. Nec ad ſenſum tamen intereſt etiamſi addatur præpoſitio, eamque ſane Pagninus quoque adiecit hoc loco, & in Libro Iudicum: itemque II. Reg. II.

V. 17. NON MORTUI LAUDABUNT TE DOMINE, NEQUE OMNES QUI DESCENDUNT IN INFERNUM. Similes ſententiæ ſunt in Cantico Ezechiel. Eccl. XVII. & alibi; ſed ſenſus eſt: Mortui non te laudant, ſi non prius in hac vita te laudavetint, & mortui, ut mortui, non te laudant, quia ut mortui, non amplius ſunt, ſed eſſe deſierunt, licet adhuc animæ exiſtant. Et erat iſtud maxime verum ante paſſionem Chriſti, quando omnes mortui pii deſcendebant in limbum patrum, ubi magis erat locus expectationis, quam laudationis.

MARIANAE.

ALLELUIA, in Hebr. non habet titulum, ſed voce *Alleluia* clauditur Pſalmus præcedens. In hoc commemorat quæ Deus fecit in deſerto, & in deos gentium invehitur.

V. 1. DE POPULO BARBARO. Hebr. *in exitu*, aut cum *exiret Iacob de populo alterius linguæ*, ſcilicet AEgypto.

V. 2. FACTA EST IUDAEA SANCTIFICATIO EIUS. Hebr. *in ſanctitatem eius*, id eſt in populum ſanctum, & electum. ISRAEL POTESTAS EIUS. Hebr. *dominia eius*; id eſt, populus, cui ipſe dominaretur. In eo ſuum regnum conſtituit.

V. 3. MARE VIDIT, ſenſit eum eſſe populum ſanctum. ET FUGIT; id eſt, ſe in partes diſcidit. RETRORSUM, ut populus tranſiret.

V. 4. MONTES EXULTAVERUNT UT ARIETES. Hebr. *ſubſilierunt*; ſcilicet, terræ motu concuſſi, & turbinibus. Quod non tantum monti Sinai accidit, ſed & vicinis montibus.

V. 7. A FACIE DOMINI MOTA EST TERRA, a conſpectu: Dei præſentia id fecit.

V. 8. QUI CONVERTIT; id eſt, non ſolum id fecit, ſed & e petra excuſſit aquas. ET RUPEM. Hebr. *& ſilicem*. Vox Hebræa *halamis*, duriſſimam petram ſignificat, *ſilicem*.

V. 1. NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS. Hinc Hebræi Pſal. novum inchoant, quem numerant centeſimum quintumdecimum, iuxta rationem quam ipſi ſequuntur. Petit ergo, ut gloria miraculorum, quæ in exitu de AEgypto facta ſunt, Deo, non populi meritis tribuatur. Aut petit ab aliis malis eripi, in eoque Dei gloriam oſtendi.

V. 2. SUPER MISERICORDIA TUA, id eſt propter tuam miſericordiam & veritatem: ſcilicet, da gloriam nomini tuo; libe-

libera nos. NEQUANDO DICANT GENTES. Hebr. *quare dicant gentes*, *Ubi eſt Deus eorum?* Si nos viderint in malis deſtitutos.

V. 3. DEUS AUTEM NOSTER IN CAELO. Reſponſio, & comparatio veri Dei cum idolis. OMNIA QUAECUMQUE VOLUIT, FECIT, id eſt omnipotens eſt.

V. 4. SIMULACRA. Vox Hebr. ſignificat *dolores gentium*. Sed ſic *idola* vocantur ob eos dolores, quos cultoribus afferunt.

V. 5. OS HABENT, ſunt muta & ſurda, atque aliis ſenſibus carent.

V. 7. NON CLAMABUNT. Hebr. *non gannient in gutture ſuo*; id eſt, voces etiam informes non emittent.

V. 9. DOMUS ISRAEL. Hebr. non eſt *domus*. SPERAVIT. Hieron. *confidit*. Hebr. in imperativo, *ſpera in domino*. Sublatis punctis utraque verſio conſtat: commodius Septuag. propter relativum *eorum* tertiæ perſonæ. ADIUTOR EORUM. Hebr. *auxilium*. ET PROTECTOR. Hebr. *& clypeus*. Septuag. ad ſententiam reſpexere. EORUM, id eſt Iſrael.

V. 10. SPERAVIT. Hebr. *ſperate*. De quo idem quod ſuperius. Idem etiam proximo verſ. Hieron. ſemper in indicativo, & tertia perſona vertit.

V. 12. ET BENEDIXIT NOBIS; id eſt, benefecit, bonis cumulavit.

V. 14. ADIICIAT, aut *adiiciet:* maioribus in dies beneficiis proſequetur.

V. 15. BENEDICTI VOS A DOMINO; id eſt, felices, ſupple, ſi in bono perſtiteritis. QUI FECIT CAELUM, ET TERRAM, qua occaſione addit,

V. 16. CAELUM CAELI DOMINO; id eſt, præſtantiſſimo in cælo domicilium habet. Hebr. *Cæli cæli Domino*. Geminatio rei excellentiam demoſtrat. TERRAM AUTEM DEDIT; ſcilicet, ut in ea Deum colerent, & laudarent.

V. 17. NON MORTUI; quaſi dicat: Ex terreſtribus, qui vivunt, te laudabunt. Idcirco nos a malis & morte libera. QUI DESCENDUNT IN INFERNUM. Heb. *Qui deſcendunt in ſilentium*. Sic ſepulcrum vocatur, quia ſepulti ſilent, & quieſcunt. Quidam etiam ex Hebræis, *mortui* referunt ad mortem peccati, *ſilentium* ad gehennam, ſive infernum, quod Noſter dixit.

V. 18. SED NOS QUI VIVIMUS. Hebr. *Et nos benedicemus Domino ex nunc, & uſque in perpetuum.* Hieron. *Sed nos benedicemus Domino a modo, & uſque in æternum.*

MALVENDAE.

Verſ. 1. DOMUS IACOB, id eſt familia Iahakobi. DE POPULO BARBARO. לועז *loghez*, participii formam habet, nec alibi hoc verbum legitur, conferunt cum עלז *ghalaz*, & לעג *laghag*, & יעז *iaghaz*: & ut vox iſta Hebræa Hebræorum auribus blæſa eſt, & oblique & abſurde ſonat; ita quoque omnes alias peregrinas, exoticas, ſeu externas linguas tamquam blæſas, & abſurdas hoc nomine quaſi per inſultationem appellarunt. Sicut poſtea eadem propemodum ratione Græci illi Hellenes dicti, ceteros omnes Barbaros appellaverunt. Et Homerus Cares ob peregrinum & abſurdum linguæ ſonum Barbarophonos vocat. Ergo *loghez* exponunt, Barbarum, peregrini vel exotici ſermonis. Elias in Thisbi, hæc ſcribit: *Omnis lingua, quæ non eſt Hebræa, vocatur loghez: & Thargum Pſal.* CXIV. *habet de populo barbaro. Similiter & Chriſtiani, quamvis linguam, quæ non eſt Romana, Barbaram vocant. Et quod nos, Iudæos, qui ſunt in Italia Loghazim abſolute numcupamus, videtur mihi hæc eſſe ratio, quod nobiliores ſe eſſe arbitrantur, propter civitatem Romam. Aut fortaſſis inde eſt, quod priſci illi Iudæi, qui in deſolatione ſecundi templi captivi venerunt Romam, non ſciverunt linguam, ſicut eſt colligere ex Ezra: ob id vocaverunt eos Loghazim, uſque in hodiernum diem. Hinc eſt, quod Interpretes Gallici & Hiſpanici, cum volunt explicare aliquam dictionem Hebræam, vel in Gallica, vel Hiſpanica lingua, dicunt,* בלעז *belaghaz*; *hoc eſt, in vernaculo.* De voce *Barbarus* hæc Strabo Lib. XIV. pagin. 662. *Exiſtimo autem Barbarum ita fuiſſe ab initio attributum his, quæ non niſi difficulter, duriter, aſpereque poſſent pronuntiari: cuiuſmodi ſunt Battarizein, Tranlizein, Pſallizein: ſumus enim ad hoc ingenioſiſſimi, ut ſimiles voces ſimilibus exprimamus, quod iam eiuſdem videntur eſſe generis: atque hic abundat uſus novorum nominum confictorum: qualia ſunt, Kelaryzein, murum, & clange, clangor,*

gor, pſophos, ſtrepitus, boe, boatus, & crotos, crepitus: quorum nunc pleraque proprie uſurpantur. Cum ergo omnes, qui ſic craſſo ore loquuntur, barbari appellarentur; exiſtimatum eſt alienigenarum ora eſſe talia; eorum, inquam, qui non eſſent Græci. Hos igitur initio vocaverunt Barbaros, tamquam diductionem aſperitatemque oris exprobrantes: deinde tamquam communi quodam gentili nomine abuſi ſumus, in nationum diviſione Barbaros Græcis opponentes. Multa enim conſuetudo & commercia cum Barbaris effecerunt, ut iam non ob oris craſſitiem, aut vitium aliquod inſtrumentorum voci ſervientium, Barbari cenſerentur; ſed ob ſermonis peculiarem formam, quas dialectos uſurpamus. Alia porro in noſtra lingua craſſities vitiumque & quaſi barbaries oris exiſtit, cum quis Græcum ſermonem affectans, perfectam eius pronuntiationem non attingit: ſed ita voces effert, ut Barbari, quando ad Græcæ linguæ uſum introducuntur, neque poſſunt perfecte vocabula exprimere: quod & nobis in illorum idiomatibus uſuvenit: maxime autem Caribus hoc contingit. Eadem de cauſa Barbarizare dictum eſt; quod uſurpare ſolemus de male Græce loquentibus. Hæc Strabo. Feſtus: *Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes exceptis Græcis: unde Plautus Nævium Poetam Latinum Barbarum dixit: & de ſe cum transferret fabulam ex Græco: M. Attius vertit Barbare.*

V. 2. Facta est Iudaea sanctificatio eius, &c. Hunc verſum nos verbatim ex Heb. convertimus (*Fuit Iehudah ſanctificatio eius: Iſrael dominationes eius.* Varie alii: I. *Fuit Iudas ſanctificationis eius: Iſrael poteſtatibus eius*; id eſt, Iudæ tribus ſanctificavit Deum, quia prima fuit, quæ ceteris hæſitantibus, ſe in Mare Rubrum immiſit, ut Hebræi tradunt: quando in Iſrael Deus magnas poteſtates; id eſt, miracula exercuit. II. *Fuit Iehudah in ſanctitatem eius*; id eſt, in populum conſecratum; ſeu conſecravit ſibi Iſraelem in populum ſuum: ſynecdoche: vide Exod. xix. 6. quaſi dicat: Cum populum Iſraeliticum eduxit de AEgypto, oſtendit ſe illum in primis delegiſſe: *Iſraelem dominia eius*; id eſt, tunc cœpit Deus agere principem populi ſui Iſraelitici. III. *Iuda factus eſt eius ſanctuarium, & Iſrael ipſius imperium.* IV. *Fuiſti, o Deus, Iudæ ſacroſanctus eius, & Iſraeli imperator eius.* V. *Tunc fiebat Iuda particeps ſanctimoniæ Dei, & totus Iſrael præ ceteris nationibus ditioni eius ſubiiciebatur.* VI. *Fuit Iehuda ſanctitatis illius, Iſrael dominiorum illius*; id eſt, Iſraelitæ fuerunt populus Dei, & ille viciſſim Iſraelitarum Deus, Exodi vi. 6. & xix. 6.

V. 3. Mare vidit, et fugit. Quidam: *Ipſum mare videns profugit*; id eſt, ſentiens ſuo modo vim potentiæ Dei: proſopopœia. Vide Exod. xiv. Iordanis conversus est retrorsum. Alii: *Ipſe Iarden divertit*, vel *ceſſit*, *pulſus eſt*, *retrorſum*. Vide Ioſue iii. 14. ſic infra verſ. 5.

V. 4. Montes exultaverunt. Heb. *Exilivcrunt, ſubſilierunt, ſalierunt, ſubſultaverunt præ lætitia & laſcivia*, nempe iuga montana Sinai. Vide Exod. xix. 18. ſic infra verſ. 6. Sicut agni ovium. Hebr. *Sicut filii ovis*; id eſt, ſicut agni tenelli, adhuc ſub cura matrum exiſtentes. Quidam, *ut ſubrumæ pecudes*: ſic infra verſ. 6.

V. 5. Quid est tibi mare quod fugisti? &c. Quidam: *Quid tibi erat, o mare, cur fugeres; o Iarden, cur diverteres retrorſum?* Dialogiſmus, quo per proſopopœiam, mare, Iardenem, monteſque interrogat Pſaltes, duobus his verſibus: ad quam interrogationem reſponſionis loco doctrina ſubiicitur, duobus alteris.

V. 7. A facie Domini mota est terra. Quidam, *a præſentia Domini*. Reſponſio proſopopœtica terræ, cuius appellatione etiam aquæ ſynecdochice continentur. Mota est terra. חוּלִי *chuli*, plerique Imperativum faciunt, & varie exponunt: *Treme, intreme, contremiſce*: vel *dole, parturientis more indoleſce terra*; id eſt, ut cum in latione legis ob præſentiam eius intremuiſti; ita ſemper eius præſentia afficitor. Alii, *tuque terra expaveſcito metu Domini*. Nonnulli Hebræorum volunt eſſe imperativum, loco futuri aut præſentis, *contremiſces, contremiſcis*. Alii tamen Hebræorum volunt eſſe infinitum cum affixo; quaſi terra reſpondeat interroganti, ac dicat: *Dolere meum, contremiſcere meum*, fugere meum, ſubſilire meum eſt *a facie & præſentia Domini*.

V. 8. Qui convertit petram in

STA-

STAGNA AQUARUM, &c. Aliqui ex Heb. ita reddunt hunc verſum: *Qui mutat ipſam rupem in ſtagnum aquarum: ſaxum adamantinum in fontem aquarum*; id eſt, e rupe educit ipſos fontes: hyperbole, qua amplificat David hiſtoriam quæ legitur Exod. XVII. 6. & Num. XX. 11. & ſequentibus.

V. 9. NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS, &c. Ab hoc verſu Hebræi novum Pſal. CXV. inchoant, quem notant videri conſcripſiſſe Davidem, cum ſuſcepto regno hoſtes populi debellaturus eſſet; aut ſingulare aliquod periculum impendere ab idololatris videretur. SED NOMINI TUO DA GLORIAM. Nonnulli: *Da honorem*; id eſt, effice, quidquid noviſti nomini tuo fore honorificum. SUPER MISERICORDIA, &c. Hebræa: *Propter benignitatem tuam, propter fidem tuam*; id eſt, non propter nos, ſed propter naturam tuam, promiſſionemque fœderis. Eſt autem hoc loco prolepſis, ſive petitionis ſumma, ut Deus ſuis benefaciat tamquam ipſorum Deus, & avertens inimicorum ludibria, omnipotentia ſua inimicos Dei, & populi ſui confundat, infra verſ. 16. Alii hunc verſum diverſimode ex Heb. reddunt. I. *Non noſtram Domine, non noſtram, ſed tui nominis gloriam amplifices, propter tuam benignitatem, & propter veritatem tuam.* II. *Ne enim nobis Domine, ne nobis; ſed nomini tuo des gloriam bonitatis ac fidei tuæ nobis oſtenſæ.* III. *Non quaſi nos mereamur Domine, non, inquam, quaſi nos mereamur: ſed ne nominis tui maieſtas lædatur, libera nos, pro tua benignitate & fide, qua te obſtrinxiſti affuturum nobis.*

V. 10. NE QUANDO DICANT GENTES: UBI EST DEUS EORUM? Quidam: *Quare dicerent gentes, ubi eſt nunc Deus iſtorum?* nimirum, ſi deſereres nos, & illorum manibus exponeres; quaſi dicat, ludificarentur nos, & blaſphemarent te. Hæc eſt explicatio ſuperioris cauſæ, ex abſurdo.

V. 11. DEUS AUTEM NOSTER IN CAELO, &c. Alii: *Atqui Deus noſter in ipſis cælis eſt*: ſubiectio eſt ad abſurda iſtam blaſphemamque ludificationem hoſtium, qua primum verus Deus aſſeritur, hoc verſu; deinde dii falſi non cum ipſo, ſed ne cum ipſis quidem hominibus, aut ullo animalculo docentur comparandi eſſe, uſque ad verſ. 16. neque a cultoribus eorum amplius, quam ab idolis ipſis metuendum: IN CAELO, OMNIA QUAECUMQUE VOLUIT FECIT. Quidam: *In ipſis cælis eſt, quidquid placet, facit*; id eſt, ſupra omnia eſt maieſtate, potentia, & opere omni loco, in omnibus efficiente placita ipſius.

V. 12. SIMULACRA GENTIUM ARGENTUM ET AURUM, &c. Heb. *dolores, terricula*. Vide I.Samuel. XXXI. 9. *gentium, argenti & auri*, vel *argentea & aurea*, &c. Recriminatio, & translatio criminis, quod idololatræ obiiciunt Deo, in idola ipſa: cuius recriminationis argumenta ſunt hæc: primum ab effectu, quod nihil ſunt niſi dolorifica & moleſta ſuperſtitione animos humanos torquentia, non conſolantia & ſervantia, ut Deus eſt: deinde a materia, quod, ut ſint pretioſiſſima, tamen res ſunt terreſtres atque inanimæ: Deus vero incorporeus in cælis habitat: tertio, ab origine, quod manus humanæ ea pepererunt; cum Deus æternus contra, atque increatus nutu ſuo creaverit omnia: poſtremo, quod otioſa ſunt, nulla vitæ facultate prædita, ſed potius ludicra tantum viventium ſimulacra; Deus autem quidquid placet, facit.

V. 16. SIMILES ILLIS FIANT, vel *ſunt*, QUI FACIUNT EA, &c. quaſi dicat: Enerventur, adimunturque idolorum auctoribus, cultoribuſque animi & ſenſus ipſi, ne gloriæ tuæ obſiſtere, aut populo nocere poſſint.

V. 17. DOMUS ISRAEL SPERAVIT IN DOMINO. Heb. *Iſrael confide in Iehova.* Ponit iam prophetica, quibus Propheta pios ad fidem hortatur in Deum, propter promiſſiones & opera eius, tribus verſibus: deinde promiſſiones ſigillatim populo Dei accommodat, uſque ad verſ. 24. ADIUTOR EORUM, ET PROTECTOR EORUM EST. Heb. *Auxilium horum, & ſcutum horum eſt*, nimirum confidentium Iehovæ, ſic verſ. 18. & 19.

V. 18. DOMUS AARON. Aliqui: *Vos e familia Aaronis*; id eſt, Sacerdotes & Levitæ, qui ſacerdotibus donati erant, Numer. XVIII. 2. 4. & 6. Alii, *poſteritas Aaronis*.

V. 19. QUI TIMENT DOMINUM, SPERAVERUNT IN DOMINO. Heb. *Timentes, venerantes, cultores Iehveh, confidite in Iehveh*; id eſt, ex quacumque gente ad cognitionem & cultum Dei veniatis.

V. 20. DOMINUS MEMOR FUIT NOSTRI. Heb. *Iehoeh recordatus eſt nos*; id eſt, qui ſemper te ipſa demonſtrat ſe rationem habere noſtri ex fœdere. ET BENEDIXIT NOBIS. Heb. tantum eſt, *benedicet*; id eſt beabit; fortunabit, felicem reddet: promiſſio univerſe dicta, quæ deinceps ſingulis membris accommodatur, eodem ordine, qui ſervatus eſt tribus præcedentibus verſibus.

V. 22. ADICIAT DOMINUS SUPER VOS, &c. Alii, *augebit Iehova vos*; alii, *addet ad vetera beneficia etiam nova vobis*; quidam, *maiora quam antea conferet vobis beneficia*; nonnulli, *cumulabit etiam Dominus vobis beneficia beneficiis*. Vide Deuteron. I. 11.

V. 23. QUI FECIT CAELUM ET TERRAM. Exponunt; id eſt, cuius benedictio pleniſſima eſt, cum idem ſit auctor, conſervator, & Dominus cælorum ſuorum, & terræ quam attribuit nobis.

V. 24 CAELUM CAELI DOMINO; TERRAM AUTEM DED T FILIIS HOMINUM. Heb. *Cæli cæli ipſi Iehveh*: *& terram dedit filiis Adæ*. Varie alii: I. *Cælum, cælum, inquam, Iehovæ eſt*: *terram autem dedit filiis hominum*; id eſt, cælos univerſos ſibi Dominus vindicavit, locum ſuæ habitationi: at terras dedit incolendas hominibus. II. *Cælum hoc ingens & vaſtum, hoc, inquam, cælum ſolus abſque humano miniſterio gubernat Dominus*: *terræ vero poſteros præfecit Adæ*. III. *Et cælum, cælum, inquam, Domino ſervatum eſt*: *terram autem dedit hominibus*; quaſi dicat: Deus quidem auctor eſt cæli & terræ: at cælum ſibi reſervavit habitationis cauſa, terram autem dedit hominibus, ut eam incolant, & eum in illa glorificent. Ideo ſequente verſu petit a Deo ne tam cito de medio tollatur, ut ei liceat in ipſa Deum laudare. IV. *Ipſi cæli, cæli ſunt Iehovæ, terraque, quam dedit filiis hominum*; id eſt, tam cæli ipſi, quos Deus inhabitat, quam terra ipſa, quam hominibus incolendam dedit, ipſius ſunt Iehovæ, ipſe univerſorum auctor & Dominus: ac proinde futuri ſunt benedictionis Dei adminiſtri, ex præcedente verſu.

V. 25. NON MORTUI LAUDABUNT TE, DOMINE. Hebr. *Non mortui laudabunt Iah.* Quidam: *Non qui mortui ſunt, laudant Iah.* Concluſio laudativa, qua exponit Pſaltes, quod non morimur, id gloriæ Dei tribuendum eſſe, ac proinde vitam in gloria Dei occupandam eſſe: ut Pſal. VI. 6. Aliqui: *Non poterunt, qui mortui ſunt, apud viventes laudare ſervatorem omnium Dominum*. NEQUE OMNES DESCENDENTES IN INFERNUM. Heb. *Neque omnes deſcenſores ſilentii*. Vide ſupra Pſal. XCIII. 17. Quidam: *Neque, quicumque deſcendun in locum ſilentii*. Quod Virgilius dixit:

—— loca nocte ſilentia late.

V. 26. SED NOS QUI VIVIMUS, BENEDICIMUS DOMINO. Heb. *Et nos benedicimus Iah*, viventes nimirum, atque liberati, quemadmodum ante petierat, a verſ. 17. in Eccleſia, in cœtu piorum.

MENOCHII.

Verſ. 1. DOMUS IACOB, &c. eſt repetitio præcedentis hemiſtichii, in exitu familiæ Iſraelis de AEgypto. POPULO BARBARO. Vox Hebraica לעז *lobez* ſignificat loquentem lingua ignota, & barbarus dicitur, cuius lingua non intelligitur, iuxta illud Apoſtoli I. ad Cor. XIV. *Si neſciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi, barbarus.*

V. 2. FACTA EST IUDAEA SANCTIFICATIO EIUS; id eſt, tunc ſanctificavit, & ſepoſuit ſibi gentem Iudæam, id eſt populum Iſraeliticum, in quem præ ceteris nationibus peculiarius regnaret, & dominaretur.

V. 3. MARE VIDIT, ET FUGIT: mare rubrum divinam ſenſit potentiam, & quaſi cederet retro & fugeret, aditum tranſeuntibus patefecit. IORDANIS, &c. In tranſitu eiuſdem populi revolutus eſt in ſuum fontem, & aquas continuit, donec populus in ulteriorem ripam perveniret.

V. 4. MONTES EXULTAVERUNT UT ARIETES. Vel in deſcenſu Domini ſuper montem Sinai, cum terræmotu; vel cum ſcopuli torrentis Arnon ſalierunt in torrentem, & Iſraelitarum hoſtes oppreſſerunt, Num. XXI. 15. Alii ad ſcopulos Iordanis referunt; alii ad undarum cumulos, & agglomerationes inſtar montium elevatas. A FACIE DOMINI, propter præſentiam Domini.

V. 8. CONVERTIT PETRAM, &c. qui in deſerto a naturali ſua duritie, & ſiccita-

Digitized by Google

te rupem convertit, & ſolvit in aquas humentes, & molles.

V. 1. Non nobis Domine, &c. Non meritis noſtris, quæ nulla ſunt, ſed tibi Domine debetur laus omnis, & gloria.

V. 2. Super misericordia tua: propter miſericordiam, & liberalitatem tuam, non propter noſtra merita da nomini tuo gloriam. Et veritate tua: dictorum, & promiſſorum fidelitate. Ne quando dicant gentes, &c. Ne impii, qui nos affligunt, exprobrando nobis cum iniuria nominis tui dicere valeant, Ubi nunc eſt Deus eorum? Cum enim in terris nullum tui ſimulacrum colamus, niſi inſigni potentiæ tuæ effectu te nobis adeſſe oſtenderis, exiſtimabunt, & dicent, Deum, quem colimus, nullibi eſſe.

V. 3. Deus autem noster in caelo, &c. quaſi dicat: Verum illi ut volent nos rideant, quaſi nullibi ſit Deus noſter; nobis enim certiſſime conſtat Deum noſtrum eſſe, & in cælis peculiariter maieſtatem gloriæ ſuæ oſtendere, & omnipotentem eſſe.

V. 4. Simulacra gentium, &c. Contra vero Gentilium idola aurea, & argentea, inania eſſe ſcimus, artificum induſtria, & opera in eam formam fabrefacta, ſed numine plane carentia.

V. 8. Similes illis fiant, &c. Idololatræ digni ſunt qui ſint ſtatuis ratione carentibus ſimiles, ſint velut trunci & ſtipites. Quod ſi placeat hæc per modum imprecationis exponere, non poterunt conqueri idolorum cultores, ſi eos aliis, quos venerantur, ſimiles eſſe cupimus.

V. 9. Domus Israel, populus fidelis Iſraelitarum. Domus Aaron. Aaronis domum ab Iſraele diſtinguit, quia Eccleſia perpetuo diſtincta fuit in duos ſtatus, laicorum ſcilicet, & clericorum, ſive populi, & cleri.

V. 12. Benedixit nobis: beneficia nobis contulit. Pusillis cum maioribus, citra delectum ſtatuum, ætatum, conditionum, & parvis æque, ac magnis.

V. 14. Adiiciat: augeat, & multiplicet benedictiones.

V. 16. Caelum caeli Domino; empyreum cælum quod eſt omnium ſupremum, eſt Domino deſtinatum in aulam regiam. Dedit filiis hominum, in uſum filiorum hominum.

V. 17. Non mortui laudabunt te Domine; quaſi dicat: In hac autem terra, quam tradidiſti nobis, non mortui laudabunt te. Hoc eſt quod Pſalm. vi. 5. dixit: *Non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Vide ibi dicta.

V. 18. Sed nos qui vivimus, &c. quaſi dicat: Proinde nobis faveas, & vitæ diuturnitatem indulgeas, ut multi ſint qui te colant, & laudent, etiam in hac vita.

TIRINI.

Verſ. 2. Iudaea; id eſt, gens Hebræorum, facta tunc est sanctificatio eius, id eſt ſancta familia Dei: quia facta ſeparatione a profanis AEgyptiis, expreſſe conſecravit ſibi Deus populum Hebræum, ut eum ipſe ſanctificaret, & ab eo viciſſim ſanctificaretur. Potestas; id eſt, dominium, id eſt populus, cui ipſe peculiari modo dominaretur: nempe per veram fidem, legem, Sacramenta, ſacrificia, & ſpecialem providentiam.

V. 3. Mare rubrum vidit; id eſt, ſenſit potentem Dei manum in protegendo Iſraele, unde quaſi perculſum fugit, dividens ſe in duas partes, Exodi xiv. 21. Sic poſtea fugit & Iordanis, Ioſue iii. 16.

V. 4. Montes, nempe Sinai, & iuncti colles, exultaverunt; id eſt, ſubſilierunt terræmotu, cum lex promulgaretur in Sinai, Exodi xix. Ita S. Hieronymus & Theodoretus. Hebraice eſt, *parturiit*, & ita vertit Aquila; id eſt, inſtar parturientis contremuit.

V. 1. Nomini tuo da gloriam; id eſt, glorioſum te oſtende; ſcilicet, vindicando nos ab hoſtibus, ut olim vindicaſti patres noſtros cum illos educeres ex AEgypto. Nota. Ab hoc verſu inchoant Hebræi Pſal. cxv.

V. 2. Super misericordia. Hieronymus & Chaldæus, propter miſericordiam & veracitatem tuam.

V. 4. Simulacra Gentium argentum et aurum. Ex hoc loco, & Ba-

ruch VI. & Sap. XV. contra Calvinum patet, Gentiles, ipſas ſtatuas ut deos adoraſſe, ut hodie quoque faciunt in Indiis plurimi, & SS. Patres, Athanaſius, Cyprianus. Lactant. Tertullian. Iuſtinus, Arnobius id paſſim rident ac reprehendunt. Et licet aliqui ex ipſis ſapientiores non ipſas ſtatuas, nec forte etiam dæmonem, aut ſpiritum malignum, ſed Deum verum in ſtatuis adorarint, ut vult Gyraldus *a*, & quidam alii: idololatræ tamen erant, quod æſtimarent, ſtatuam eſſe corpus Dei, ut Triſmegiſtus apud S. Auguſt. *b* & alii apud Euſebium *c*: atque ita Deum habere ſimilia membra, ſeu humana, ſeu vitulina, ſeu ſerpentina. Chriſtiani vero in imaginibus Dei nil numinis, nil vitæ, nil veræ ſimilitudinis admittunt, ſed nudam ſolummodo repræſentationem Dei, eamque nonniſi analogicam, quatenus ſcilicet res & imago corporalis rem ſpiritualem repræſentare & adumbrare poteſt. Vide de his Bellarminum, Vaſquez, Suarez & alios *d*.

V. 8. FIANT; pro, digni ſunt qui fiant ILLIS SIMILES, nempe trunci & ſtupidæ ſtatuæ.

V. 16. CAELUM CAELI; id eſt, cælum præſtantiſſimum & ſupremum, puta empyreum. DOMINO: ſupple, ſedes & thronus eſt.

V. 17. MORTUI NON LAUDABUNT TE; id eſt, laudes tuas non celebrabunt apud viventes. Sic dixi Pſalm. VI. 6. quaſi dicat: Ne ſinas nos interfici, ut hic inter viventes te laudare poſſimus.

(a) Gyrald. Syntagmate I. de Diis Gentium.
(b) Aug. lib. III. de Civ. cap. V. & lib. VIII. cap. XXIII.
(c) Euſ. lib. III. de Præp. cap. III.
(d) Bell. de cultu Imag. Vaſquez de Adoratione. Suares de Relig.

GORDONI.

Titulus, ALLELUIA, ut ſupra. Dat etiam argumentum, & materiam Pſalmi: extollit enim David mirabilia a Deo patrata, quando eduxit populum de AEgypto. Ceterum Hebræi nonum verſum huius Pſalmi faciunt eſſe initium alterius alicuius Pſalmi: ſed communis diſtinctio præfertur.

Verſ. 1. DE POPULO BARBARO. Septuag. ἐκ λαοῦ βαρβάρου. לעז *lobbez*, loquens ignota lingua, & barbarus vocari ſolet, vel לועז, *lobbaz*.

V. 3. Pergit narrare hæc mirabilia; Mare fugit: (poetice) Exod. XIV. Iordanis ſtetit, Ioſue IV. Mons Sinai concuſſus a Dei maieſtate, tremuit; ut ſaltare videretur. Græce Complut. ἐσκίρτησαν, *exultaverunt*. De percuſſa petra, Exod. XX.

V. 1. NON NOBIS DOMINE, &c. Hinc incipit, ut dicebam, Pſalmus CXV. iuxta Hebræos: potior eſt antiqua diſtinctio Septuaginta Interpretum, apud quos hic eſt 9. verſiculus. Quicquid eſt in reliquo Pſalmo, ſatis Paraphraſis elucidat.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & 2. IN *exitu*, &c. Hoc eſt, in ipſo exitu de AEgypto, Deus hunc populum peculiari dedicatione ſanctificavit in populum peculiarem. Quod eſt de populo barbaro, ἐκ λαοῦ βαρβάρου, Hebræus habet לעז *lobboz*, loquens ignota lingua, & barbarus vocari ſolet, לועז *lobbaz*, vel *lobbez*.

V. 3. uſq. ad 9. *Mare vidit*, &c. Incipit recenſere mirabilia. Mare rubrum fugit: (poetice) Exod. cap. XIV. Iordanis ſtetit Ioſue, IV. Mons Sinai concuſſus a Dei maieſtate tremuit, ut ſaltare videretur, Græce ἐσκίρτησαν, *exultaverunt*. Et eadem repetit hic venuſta interrogatione poëtica, quid eſt tibi? Ac ſi diceret, non eſt in incredibile hoc, & tremuiſſe terram; quia a facie & poteſtate Domini hoc factum eſt. Poſtremum quod hic addit, ex petra fluxiſſe aquam profertur Exod. XX.

V, 1. uſq. ad. 10. *Non nobis Domine*, &c. Hebræi hinc iam ponunt initium Pſal. CXV. ſed aliter Hieronymus ſecutus Septuaginta. Ceterum orat Propheta, ut Deus non reſpiciat demerita populi, ſed ſuam gloriam promoveat in populo hoc gubernando: prædicetur, inquit, tibi gloria ſuper miſericordia tua. Addit rationem: *Ne dicant gentes, ubi eſt Deus eorum*. Porro quia omnipotens es, & quia Dii gentium indigni ſunt honore: quod con-

Digitized by Google

concludit imprecando, ex præſcientia, *Similes illis fiant*, &c.

V. 17. *Domus Iſrael*, &c. Hinc uſque ad verſum 26. tria complectitur: primum eſt, in Deo ſperaſſe, tres hominum ordines; nempe Iſraelitas univerſe: ſpeciatim ordinem ſacerdotalem: ac demum (extra hos,) ſecundum rectam rationem viventes in lege naturæ. Secundum, Deum benedixiſſe his tribus ordinibus. Denique his omnibus, quod tertium eſt, bene precatur.

V. 24. *Cælum cæli Domino*, &c. Dixi benedixiſſe hominibus Deum, qui fecit cælum & terram. Cælum quidem ſibi ut peculiarem ſedem reſervavit, in qua ſpeciatim laudetur a beatis; terram autem dedit hominibus, ut ipſi in ea Deum colant: & hoc quidem dum hic vivunt in gratia: nam mortui, in inferno Deum non laudabunt.

BOSSUET.

Verſ. 2. IUDAEA, *Iudas*, Heb. & nota iam inde ab egreſſu AEgyptiaco Iudæ dignitatem. SANCTIFICATIO EIUS: populus Domino ſanctus, hereditas eius.

V. 4. MONTES EXULTAVERUNT...: ſucuſſi ſunt; id eſt, populi montium incolæ timuerunt. Sic in Cantico Moyſis Exod. xv. 14. 15. *Aſcenderunt populi & irati ſunt*, &c. *conturbati ſunt principes Edom*, &c.

V. 1. NON NOBIS... Hic incipit Pſal. CXV. ſecundum Hebræos. Hieronymus tamen non dividit, niſi error eſt in editis. Sic enim Hier. non CL. Pſalmos haberet ſed tantum CXLIX. Et cum antecedentibus facile connectitur; ne ſcilicet populus tot Dei miraculis clarus gloriam ſibi potius quam Deo tribuat.

V. 9. DOMUS ISRAEL, Iſrael ſimpliciter: Heb.

V. 12. ET BENEDIXIT NOBIS, benedicet: *Benedicet domui Iſrael*, &c. Heb. LXX. parvo diſcrimine: alterum enim optantis; alterum iam geſta memorantis & futura certa ſpe præcipientis.

V. 14. ADIICIAT DOMINUS: vos & poſteros opibus & numero augeat. Sic Flaccus carmine ſeculari:

Romulæ genti date remque prolemque
& decus omne.

V. 17. IN INFERNUM, *in ſilentium*; Hebr. in ſepulcrum & mortem.

V. 18. QUI VIVIMUS: deeſt, Hebr.

PSAL.

PSALMUS CXIV. EUCHARISTICUS.

Quidam a periculo liberatus Deo gratias agit : hic autem Pſalmus cum ſequente connectitur in Hebr. Syr. & apud Hier. dividit Theodor. indicans tamen in Hebr. non dividi, continuatique eſſe ſenſus.

VERSIO S. HIEROYMI.

DIlexi quoniam exaudit Dominus vocem deprecationis meæ.

Inclinavit aurem ſuam mihi, & in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me funes mortis, & munitiones inferni invenerunt me: anguſtiam & dolorem reperi.

Et nomen Domini invocavi: obſecro Domine libera animam meam.

Clemens Dominus, & iuſtus: & Deus noſter miſericors.

Cuſtodit parvulos Dominus: attenuatus ſum, & ſalvavit me.

Revertere anima mea in requiem meam: quia Dominus reddet tibi.

Quia eruet animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos ab offenſa.

Deambulabo coram Domino, in terris viventium.

VERSIO VULGATA.

Alleluia.

1. DIlexi, quoniam exaudiet Do-
minus vocem orationis meæ.
2. Quia inclinavit aurem ſuam mi-
hi: & in diebus meis invocabo.
3. Circumdederunt me dolores mor-
tis: & pericula inferni invenerunt me.
Tribulationem & dolorem inveni: 4
& nomen Domini invocavi.
O Domine libera animam meam: 5
miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus
noſter miſeretur.
6. Cuſtodiens parvulos Dominus:
humiliatus ſum, & liberavit me.
7. Convertere anima mea in requiem
tuam: quia Dominus benefecit tibi.
8. Quia eripuit animam meam de
morte, oculos meos a lacrymis, pe-
des meos a lapſu.
9. Placebo Domino in regione vi-
vorum.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1.] DILEXI, QUONIAM EXAUDIET DOMINUS, &c. Hebr. *Dilexi* (Dominum) *quoniam exaudivit vocem meam, preces meas*, id eſt vocem mei orantis.

V. 2. ET IN DIEBUS MEIS INVOCABO; Id eſt, ideo omni tempore vitæ meæ invocabo illum.

V. 4. O DOMINE LIBERA ANIMAM MEAM. Hebr. אנה, *quæſo Domine, libera animam meam.*

V. 7. CONVERTERE ANIMA MEA IN REQUIEM TUAM; id eſt, abiice abs te omnem ſolicitudinem, & fruere ea pace,

ce, qua antequam in iſta mala incideres fruebare.

V. 9. PLACEBO DOMINO IN REGIONE VIVORUM. Hebr. *Ambulabo coram Domino in terris viventium*; id eſt, adhuc vivam contra ſpem inimicorum meorum, & ſerviam illi: hoc enim eſt coram Domino ambulare, ut Geneſ. XVII. I. *Ambula coram me, & eſto perfectus.*

SA.

De Dei auxilio.

Verſ. I. DILEXI; pro, diligam, ſcilicet Dominum. EXAUDIET; pro, exaudivit.

V. 2. DIEBUS MEIS, id eſt dum vivam. INVOCABO; quaſi dicat, Ad ipſum confugiam.

V. 3. MORTIS, id eſt mortiferi; quaſi dicat, Fui morti proximus. INFERNI, id eſt ſepulcri; quaſi dicat, mortis. INVENERUNT, id eſt apprehenderunt.

V. 4. NOMEN DOMINI, id eſt Dominum. INVOCAVI, ſcilicet dicens quod ſequitur.

V. 6. PARVULOS. Chald. *ſimplices*. HUMILIATUS, id eſt afflictus. Hieron. *attenuatus*.

V. 7. REQUIEM, id eſt tranquillitatem.

V. 8. MORTE, ſcilicet peccati, vel corporis.

V. 9. PLACEBO DOMINO. Hieron. & Chald. *ambulabo coram Domino*; id eſt, ſtudebo ei placere. IN REGIONE VIVORUM; id eſt, inter vivos, qui pæne perieram, niſi me Deus liberaſſet.

ESTII.

Verſ. 8. & 9. QUIA ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MORTE, OCULOS MEOS A LACRYMIS PEDES MEOS A LAPSU. PLACEBO DOMINO IN REGIONE VIVORUM. Similis prorſus concluſio Pſal. LV. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Simul autem utriuſque loci collatione intelligitur, quodnam ibi lumen viventium, & quæ hic dicatur regio vivorum, ſcilicet beatitudo cæleſtis.

MARIANÆ.

ALLELUIA. Quod de titulo Pſalmi ſuperioris dictum eſt, in hoc repetatur. E magno ſe periculo liberatum oſtendit.

V. I. DILEXI, ſcilicet Deum. Cauſa dilectionis. QUONIAM EXAUDIET; pro, exaudivit. Aut ſi ſumas in futuro, erit indicium. Perſpicietur a me Deum diligi, ex eo quod exaudiet.

V. 2. ET IN DIEBUS MEIS INVOCABO; id eſt, dum vixero, ſemper; quaſi dicat: Exauditio effecit ut diligerem, eadem efficiet ut invocem.

V. 3. DOLORES MORTIS. Hieronymus, *funes mortis*. Vox חבל *hebel*, & *dolorem* & *funem* ſignificat. Utrovis modo vertas, ſe morti proximum fuiſſe ait. ET PERICULA INFERNI. Hebr. *anguſtiæ ſepulcri*, id eſt ad ſepulcrum deducentes. INVENI. Repetitio eſt. Anguſtiæ invenerunt me, id eſt invaſerunt. Et ego inveni eas, id eſt paſſus ſum.

V. 4. ET NOMEN DOMINI; pro, at nomen Domini invocavi.

V. 6. PARVULOS, ſimplices cuſtodit. HUMILIATUS SUM, attenuatus, pauper effectus, & liberavit me.

V. 7. ANIMA MEA IN REQUIEM TUAM: pacato animo eſto, ut ante ſolebas. QUIA DOMINUS BENEFECIT TIBI. Hebr. *retribuit tibi*, id eſt tribuit tibi bona. Ideo debes quieſcere.

V. 8. QUIA ERIPUIT. Hic verſus iungitur cum ſequenti. ANIMAM, id eſt vitam meam de morte.

V. 9. PLACEBO DOMINO. Hebr. *ambulabo coram Domino*; id eſt, eius præcepta ſervabo, aut illi placebo, ut Geneſis V. & VI. *ambulare cum Deo*, ſignificat; illi placere. IN REGIONE VIVORUM. Hebr. *in terris viventium*; id eſt, ubicumque terrarum fuero, aut dum vixero. Quia me a morte liberaſti, ut paulo ante dixit; vitam tuis obſequiis mancipabo. Aut ſic vocatur terra Iſrael, *terra vivorum*, ut Daniel. VIII. 9. & aliis locis vocatur Hebraice *terra deſiderabilis*.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. 1. DILEXI, QUONIAM EXAUDIET DOMINUS, &c. Notant, verbum אהב *ahab*, quando abſolute ponitur, ſine accuſativo, aut dativo, ſignificare, oblectationem, ſeu voluptatem capere ex re dilecta & amata. Unde hic vertunt: I. *Delectatus ſum*, vel *carum mihi fuit, quod audivit Iehova vocem meam*. II. *Dilexi quoniam*, volunt eſſe traiectionem, pro *quoniam dilexi, exaudiet Iehova*, &c. ut merito caritatis adſcribat divinam exauditionem. III. *Æquo animo ſum, quoniam exaudivit Iehova vocem precum mearum*. IV. *Amavi Dominum, quod exauditurum confidam illum preces meas*. V. Tremellius, & Iunius: *Diligo, nam exaudit Iehova*: vel *ſat habeo, quod exaudit Iehova vocem meam, deprecationes meas*. Hebræum autem verbum diligendi exponimus, *ſat habere*, ut Græci *ἀγαπάω* dicunt, quia reſpondent hæc verba illi loco Pauli: *Sufficit tibi gratia mea*, &c. II. Corinth. XII. 9.

V. 2. IN DIEBUS MEIS. Exponunt; id eſt, toto vitæ meæ tempore, quamdiu vixero. Alii, id eſt in diebus afflictionis meæ, ut ſequens verſus explicat: ſic infra Pſal. CXVIII. 84. Pſalm. CXXXVI. 7. & Lamentation. I. 21.

V. 3. CIRCUMDEDERUNT ME DOLORES MORTIS, &c. Vide II. Samuel. XXII. 5. & 6. & Pſalm. XVII. 5. & 6.

V. 6. CUSTODIENS PARVULOS DOMINUS. Varie alii: I. *Defendens ſimplices Iehova*. II. *Humilium cuſtos eſt Dominus*. III. *Cuſtos eſt Dominus eorum, qui per ſe ſapere non poſſunt*. IV. *Servans ſimplices Iehova*; id eſt, eos, qui humanis conſiliis deſtituuntur, ab his abſtinent, animoque ſimplice ſe committunt Deo.

V. 7. CONVERTERE ANIMA MEA IN REQUIEM, &c. Diverſimode hunc verſum ex Heb. elucidant: I. Poſtea dixi; vel tunc dixi: *O anima mea, revertere ad locum tuum quietum*: vel *fruere tranquillitate, qua antea frui ſolebas, fruere lætitia prima: quia Dominus in te beneficium contulit*; id eſt, te multis beneficiis cumulavit. II. *Redi ergo, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus præſtitit tibi quod petiviſti*. III. *Redi, o anima mea, ad veterem tranquillitatem tuam; Dominus enim pro te perſolvit quidquid debebas tu*. IV. *Redi, anima mea, in requiem tuam, cum Iehova beneficus ſit erga te*; id eſt, ne amplius eſto perturbata, ſed conquieſcito in Deo propter naturam & beneficentiam eius.

V. 8. QUIA ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MORTE, &c. Quidam: *Quandoquidem eripuiſti me ipſum a morte*, &c. Confirmatio beneficentiæ Dei ab anteacta experientia, quæ enuntiatur per apoſtrophen ad Deum, ut ſit emphaticotera; id eſt, non tantum mortem, verum etiam dolores & impedimenta avertiſti a me, quæ dolorem fuiſſent allatura: gradatio.

V. 9. PLACEBO DOMINO IN REGIONE VIVORUM. Varie ex Heb. illuſtrant: I. *Ut recte ambulem coram Domino inter vivos*. II. *Securus obambulabo poſthac ſub tutela Domini, in atriis eius, una cum illis qui vivunt vere*. Buchananus:

Tutus præſidio Dei
Degam.

III. *Quare ſancte vitam degam coram Domino in regione viventium*. IV. *Indeſinenter ambulabo coram Iehova, in regionibus viventium*; id eſt, in terra, ubi vivunt homines: periphraſis; quaſi dicat: Non peribo ab hoc periculo, ſed pro certo habeo me ſuperſtitem evaſurum, ad gloriam Dei in hac vita procurandam. Forma Hithpahel hic uſurpata proprie eſt, Sancte & integre converſabor coram Deo, quoad vixero: vide de hac locutione in Geneſ. V. 24.

MENOCHII.

Verſ. 1. DILEXI, Dominum. QUONIAM EXAUDIET DOMINUS: Dilexi Dominum, quia benignus eſt, & cum opus habuerimus, aderit nobis, & preces noſtras exaudiet.

V. 2. IN DIEBUS MEIS INVOCABO; quamdiu vivam, illum invocabo.

V. 3. DOLORES MORTIS; dolores mortiferi, & graviſſimæ anguſtiæ. PERICULA INFERNI, pericula mortis temporalis, aut etiam æternæ. TRIBULATIONEM INVENI: incidi, incurri in tribulationem.

V. 4. INVOCABO; dicens ſcilicet quæ ſequuntur. LIBERA ANIMAM MEAM: vi-

tam

tam meam ab hoc mortis diſcrimine; vel animam meam a periculo ſalutis ſpiritualis, in quo verſatur. O DOMINE, in Hebræo eſt, *Quæſo Domine*, nam vox אנה *anna* eſt blandientis, & deprecantis particula, quam vertere poſſumus, *Quæſo*, *obſecro*, &c.

V. 5. DEUS NOSTER MISERETUR; non ſolum eſt miſericors, ſed etiam miſerator. Non ſolum natura ſua eſt miſericors, ſed etiam actu miſericordiam, cum opus eſt, in nos expromit.

V. 6. CUSTODIENS PARVULOS DOMINUS. Dominus cuſtos eſt ſimplicium, qui candide, & ſine dolo agunt. PARVULOS. In Hebr. eſt פתאים *pethaim*, quod non tam parvulum ætate, quam ſimplicem, candidum, & apertum moribus ſignificat, & eum, qui facile perſuadetur. HUMILIATUS SUM. Hebr. *attenuatus ſum*, afflictus ſum; ſed me ſervavit.

V. 7. CONVERTERE ANIMA MEA IN REQUIEM TUAM; redi anima mea ad priſtinam tuam quietem, & tranquillitatem; æquo & pacato animo eſto.

V. 9. PLACEBO DOMINO IN REGIONE VIVORUM. Curabo Domino placere dum vivo, eius præceptis parendo, in eius mandatis ambulando &c. In Hebr. eſt, *Ambulabo coram Domino*; vel ſenſus eſt: In cæleſti patria, quæ eſt regio viventium vera vita, Domino perfecte placebo: nam qui in hac vita placent Deo, non perfecte placent, propter leves culpas, quas ſubinde admittunt.

TIRINI.

Verſ. 1. DILEXI, ſupple, Deum, quia EXAUDIET; pro, exaudire ſolet preces meas, ut patet ex ſequentibus.

V. 3. DE DOLORIBUS MORTIS ET INFERNI, vide Pſal. XVII. 5. & 6.

V. 7. CONVERTERE IN REQUIEM TUAM; id eſt, ex nimia perturbatione redi ad priſtinam mentis tranquillitatem, & in Deo ſecura conquieſce.

V. 9. PLACEBO; id eſt, conabor & modis omnibus ſtudebo placere Deo, IN REGIONE VIVORUM; id eſt, inter vivos; ſeu quoad vivam in hoc mundo. Anagogice, in cælo, inquit ſanctus Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus.

GORDONI.

Titulus eſt, ALLELUIA; de quo ſatis in Pſalmo CV. & CVI. Varie a diverſis datur ſenſus litteræ, & argumentum huius Pſalmi. Sunt, qui putant eſſe gratiarum actionem pro reditu a captivitate. Alii ſcriptum eſſe a Davide quando evaſit ex aliquo periculorum, perſequente Saule. Ceterum ſub his typis, ſenſum myſticum Latini Patres exiſtimant eſſe de aliquo, qui magno vitæ æternæ deſiderio detentus, gemit ſub pondere malorum, quæ fert ſecum vita præſens.

Argumentum, præſertim (circa ſenſum ſpiritualem) quod iam attigi ſi bene expendatur, reddit hunc Pſalmum facilem. Sicut nec difficile eſt, ſingulos verſus in ſenſu litteræ ad Davidem referre, reſpirantem aliquantulum ſub illo pondere perſecutionum.

BOSSUET.

Verſ. 1. DILEXI, QUONIAM.....: diligo Dominum, cum exaudit me: & libentius invoco.

V. 2. IN DIEBUS MEIS, quamdiu vivam.

V. 3. PERICULA INFERNI, *anguſtiæ inferni*, Hebr.

V. 6. HUMILIATUS SUM: *attenuatus ſum*; *& ſalvavit me*, Hier.

V. 7. CONVERTERE, *revertere*, Idem: curas abiice & quieſce in Domino.

V. 8. ERIPUIT, *eripuiſti*, Hebr. A LAPSU, *ab offenſa* Hier.

V. 9. PLACEBO: *deambulabo coram Domino*, Idem: eodem ſenſu ambulavit Henoch cum Deo, Gen. v. 24. quod eſt placuit. Idem de Noe Gen. VI. 9. *in regione vivorum*: inter vivos.

PSALMUS CXV. ITEM EUCHARISTICUS.

VERSIO S. HIERONYMI.

CRedidi propter quod locutus ſum, ego afflictus ſum nimis.

Ego dixi in ſtupore meo, omnis homo mendacium.

Quid reddam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius.

Glorioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.

Obſecro Domine quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus filius ancillæ tuæ; diſſolviſti vincula mea.

Tibi immolabo hoſtiam laudis, & in nomine Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, in conſpectu omnis populi eius.

In atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem, Halleluia.

VERSIO VULGATA.

Alleluia.

10. CRedidi (*a*) propter quod locu-
tus ſum: ego autem humilia-
tus ſum nimis.

11. Ego dixi in exceſſu meo: Omnis
homo mendax.

12. Quid retribuam Domino, pro
omnibus quæ retribuit mihi?

13. Calicem ſalutaris accipiam: &
nomen Domini invocabo.

14. Vota mea Domino reddam co-
ram omni populo eius: 15. pretioſa in
conſpectu Domini mors Sanctorum e-
ius:

16. O Domine quia ego ſervus tuus:
ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea: 17. tibi ſacri-
ficabo hoſtiam laudis, & nomen Do-
mini invocabo.

18. Vota mea Domino reddam in
conſpectu omnis populi eius; 19. in
atriis domus Domini, in medio tui
Ieruſalem.

(a) II. Cor. IV. 13. Rom. III. 4.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 10. CREDIDI, PROPTER QUOD LOCUTUS SUM. Hebr. *Credidi, quando dixi*: *Afflictus ſum valde*; id eſt, in maximis meis calamitatibus, tamen numquam diffidi de divinis promiſſionibus, quibus mihi regnum deſtinatum erat.

V. 11. IN EXCESSU MEO, id eſt in maximo meo timore & perturbatione, cum omnes homines contra me inſurgere viderentur, & dicerent me non eſſe futurum Regem. Tamen dixi omnes mentiri; Deum autem non mentiri.

V. 13. CALICEM SALUTARIS ACCIPIAM. Hebr. *Calicem ſalutis accipiam* vel *levabo*. ET NOMEN DOMINI INVOCABO. Solebant Hebræi cum inſigne aliquod a Deo beneficium acceperant, celebrato convivio, gratias agere. Vocat ergo calicem ſalutis vinum, quod lætitiæ cauſa, pro-

propter recuperatam ſalutem bibebatur cum gratiarum actione. Sic Hebræi. Nobis vero calix ſalutis eſt ſanctiſſimus Chriſti ſanguis, & verum vinum quod lætificat cor hominis.

V. 15. PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTORUM EIUS; id eſt, non temere patitur Deus ſanctos ſuos interfici, magni enim facit. Vel. Non impune abire ſinit mortem ſanctorum ſuorum.

S A.

De Dei auxilio.

Verſ. 10. CREDIDI. Apud Hebræos coniungitur hic Pſalmus præcedenti, qui apud eos eſt CXVI. PROPTER QUOD LOCUTUS SUM. Chald. *propterea loquar*; quaſi dicat: Prædicabo Dei benignitatem. HUMILIATUS. Hieron. *afflictus*.

V. 11. EXCESSU. Hieron. *ſtupore*, ſcilicet animi afflicti & mæſti. MENDAX. Hieron. *mendacium*; quaſi dicat: Non eſt quod quiſquam fidat hominibus, ita ſunt fallaces omnes.

V. 12. RETRIBUIT; pro, *tribuit*.

V. 13. CALICEM, &c. id eſt, imitabor Chriſti paſſiones: Aug. vel quaſi dicat: Gratias agam: ſolebant enim libare in ſacrificiis pro gratiarum actione.

V. 14. REDDAM, id eſt ſolvam.

V. 15. PRETIOSA, &c. quaſi dicat: Defendit ſuorum vitam.

V. 16. ANCILLAE; quaſi dicat, Piæ matris, teque colentis.

V. 17. LAUDIS, id eſt gratiarum actionis. INVOCABO, id eſt prædicabo. Vide Deut. XXXII.

E S T I I.

Verſ. 10. CREDIDI PROPTER QUOD LOLUTUS SUM. Nemo miretur hic aſcriptum verſum 10. cum apud nos ſit Pſalmi initium. Nam hunc Pſalmum nectunt Hebræi ſuperiori, & pro uno recitant, Sed minus recte: quia ſuperior Pſalmus definit in clauſula ſpei ac fiduciæ conſequendæ ſalutis. Ceterum citat hæc verba Apoſtolus II. Corinth. IV. cum ait: *Habentes eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Quibus verbis ſignificat Apoſtolus, quod ſicut Propheta ex fide quam habebat divinis promiſſionibus, excitabatur ad confeſſionem, & celebrationem laudis divinæ; ita nos fideles per fidem excitari debeamus ad eiuſdem fidei confeſſionem, & prædicationem, etiamſi ea confeſſio & prædicatio non careat periculo propter inimicos fidei. Senſus igitur eſt: Credidi firmiter tuis promiſſionibus ad me factis, propterea os meum aperui ad laudem tuam, & confeſſionem bonitatis tuæ, etiamſi mihi inde proveniret perſecutio, per quam ab inimicis meis humiliatus, & anguſtiatus ſum nimis. Vide noſtra loco citato.

V. 11. & 13. EGO DIXI IN EXCESSU MEO, OMNIS HOMO MENDAX. Quid per exceſſum hic intelligi debeat, ambiguum eſt. Vox Græca *ἐκστάσει* ſignificat exceſſum mentis, qualis eſt hominis attoniti & ſtupentis. Vox Hebræa magis ſignificare videtur exceſſum corporis. Significat etiam ſubitam feſtinationem, ac præcipitem fugam. Quare cum talis fuga fere cum ſtupore mentis coniuncta ſit, poteſt hic utrumque ſimul intelligi: videlicet fuga corporalis coniuncta cum mentis ſtupore, & perturbatione. Qui enim ſubito fugere coguntur, plerumque ſunt inopes conſilii, & animo valde perturbato. Pro *mendax*, Hebr. eſt, *mendacium*. Senſus ergo eſt: Cum perſecutionem paterer ab hoſtibus meis, & fugam arriperem, eſſemque proinde animo valde perplexus & perturbatus, cogitavi mecum unde peterem mihi auxilium. Cogitanti autem de auxilio humano, ſane dixi, *Omnis homo mendax*; id eſt, vanus, & cui non ſit credendum neque fidendum, quia facile fieri poteſt, ut fallat, & confidentem in ſe deſerat. Proinde confugi ad auxilium Dei, qui ſolus verax eſt, qui neque falli neque fallere poteſt, & dixi: CALICEM SALUTARIS ACCIPIAM, ET NOMEN DOMINI INVOCABO. Ubi calix ab aliis intelligitur, tribulationis, ab aliis, & rectius, confeſſionis & laudis. Vovet enim his verbis Deo ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ſi e tribulatione eripiatur.

MARIANAE.

ALleluia. In Hebr. nullus eſt titulus, ſed potius ex hoc Pſalmo & præcedenti unus Pſalmus conflatur apud Hebræos. Pergit gratias agere propter liberationem ipſius a periculo.

V. 10. Credidi; ſcilicet, Deo, vel Dei opem mihi affuturam. Propter quod locutus sum, in oratione Deum invocavi. Sic Paulus hunc locum citat II. ad Cor. IV. 13. Hebr. *Credidi, quando dixi, ego afflictus ſum valde*; id eſt, etiam in afflictione confidentiam non amiſi. Sed præſtat, ut כי *chi*, ſumatur pro על כי *hal chi*, *propter quod*, ſicuti etiam accepit Chal. Ego autem; id eſt, etiam eo tempore, quo premebar malis, perſtiti in precibus. Humiliatus. Hebr. *afflictus* aut *deiectus*.

V. 11. In excessu meo; id eſt diſceſſu meo. ἔκςασις inter alia *diſceſſum* ſignificat, Hebr. *in feſtinatione mea*, cum fugerem ob periculum. S. Hieron. *in ſtupore meo*. Omnis homo mendax. Omnes me deleruerunt, ii etiam qui ſe amicos ſimulabant, ſola Dei ope evaſi.

V. 12. Quid retribuam Domino. Quid rependam pro iis, quæ in me contulit, ac ſigillatim ob periculum depulſum?

V. 13. Calicem salutaris accipiam. Hebr. *calicem ſalutum tollam*; id eſt, inſtaurabo convivium pro accepta ſalute, & in gratiarum actionem. Aut offeram ſalutare ſacrificium, in quo libare pleno calice moris erat.

V. 14. Vota mea, quæ Deo promiſi & vovi, ea *coram nunc* (ſic eſt Hebr.) *omni populo eius*, reddam. *Coram nunc*, pro *nunc coram*, ut Hieron. ponit.

V. 15. Pretiosa, rara, non permittit ut Sancti morte opprimantur.

V. 16. O Domine. Hieron. & Chald. *obſecro Domine*, ſive *age Domine*, אנה *anah* particula exclamantis, ſive adhortantis eſt: age Domine: Quia ego servus tuus: iungitur hoc cum ſequenti verſu, *ego ſervus tuus*. Dirupisti vincula mea. Hebr. *aperuiſti*; pro, removiſti vincula.

V. 17. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Sacrificium pacificum in gratiarum actionem ſacrificabo.

V. 18. In conspectu omnis populi eius. Hebr. *coram nunc omni populo eius*. Conſtructio inverſa, ut verſ. 14.

V. 19. In atriis, in templo. In medio tui: appoſitive, quod templum eſt in medio tui, o Ieruſalem.

MALVENDAE.

Verſ. 10. CRedidi, propter quod locutus sum, &c. Hunc Pſalmum Hebræi ſuperiori coniungunt, atque ex duobus unum efficiunt. Verſum iſtum varie alii ex Heb. exponunt: I. ut ſit traiectio, ut Pſalmo ſuperiore, verſ. 1. *Quoniam credidi, idcirco loquar: Ego humiliatus ſum valde*; id eſt, quoniam credidi verbis Samuelis mihi ex parte Dei regnum denuntiantis; iccirco ſociis meis in perſecutione mecum verſantibus intrepide eloquebar hanc divinam regni mei denuntiationem, quamvis in maximis periculis & ærumnis verſarer. II. *Credo & certiſſimam fidem adhibeo promiſſionibus Dei, certo perſuaſus & confirmatus, omnia mihi, ut pollicitus eſt Deus, eventura: propterea ſumma cum fiducia hanc tantum Dei benignitatem cunctis eloquar ac prædicabo*. III. *Firmiſſime credidi, quare & loquebar confidenter, etiam cum graviſſime periclitarer*. IV. *Credidi etiam quando dixi*, ſeu *elocutus ſum, ego afflictus ſum valde*, aut *ad extremam paupertatem redactus ſum*. Hic locus oſtendit, Davidem redactum fuiſſe ad ſummam inopiam, cum Saulem fugeret; quaſi dicat: Fidem habui promiſſis etiam in mediis afflictionibus; cum ſcilicet emendicare coactus ſum panem a Nabale. V. *Fidem in Deum retinui, etiam cum ipſe cogerer dicere, me vehementer deiectum eſſe*. VI. *Credidi, cum hæc locutus eſſem, ego fatus fueram ſupra modum*; id eſt, tum demum vigebat & triumphabat fides in animo meo, cum Deum hac ratione, & me ipſum his argumentis compellaturus eſſem, quæ modo dicta ſunt: nempe proxime Pſalmo præcedente, inde a verſ. 3. Eſt locus quo confitetur infirmitatem ſuæ carnis repudiantis promiſſiones Dei, niſi ſpiritus Dei fidem ſuſtentaſſet in ſpiritu eius. Verbum ענה *ghanah*, acceperunt hic in ſignificatione *reſpondendi & fandi*; non *affligendi*, ut alii fere. Buchananus:

—— polliciti fide
Fretus non dubia, canam
Grato pectore laudes,
Laſſus, rebus & aſperis
Afflictas. ——

Montanus:

Ipſe ut credideram ſic loquor; ille ego
Qui afflictus fueram nimis.

Accommodavit veriſſime ad rem ſuam hunc Pſalmi locum Paulus II. Corinth, IV. 13. VII. iungunt ſequenti verſui: *Verum dixi, cum loquerer in vehementi afflictione mea, cum dicerem in ecſtaſi, omnis homo mendax.*

V. 11. EGO DIXI IN EXCESSU MEO: OMNIS HOMO MENDAX. Multiſariam ex Hebr. explanant: I. *Egō dixi in feſtinare meo, in accelerare meo, in feſtinatione mea, in præcipitatione mea, cum feſtinarem: Omnis homo mentiens*; hoc eſt, dum præceps ſugerem exercitum Saulis, valde afflictus cogitabam: nemo non fallit: promiſerat mihi Samuel regnum, nunc omnia contra ruunt, ut etiam de vita pericliter: verba carnis. Vel cum præcipiti fuga ſaluti meæ conſulerem, quo tempore debuiſſem deſpondere animum, maxime fidem adhibui promiſſionibus Dei: contra autem homines dixi eſſe mendaces, qui ſecus ſtatuerent. II. *Immo in trepidatione & ſumma prope modum deſperatione mea conſtanter dicebam: omnis quidem homo mentitur, & fallere poteſt; verum Deus nequaquam.* Buchananus:

---- trepida fuga
Vitæ proſpiciens meæ,
Sic mecum ipſe loquebar:
Nulla certa homini fides:
At rerum arbiter optimus
Unus polliciti tenax
Unus fallere neſciet.

III. *Cum dicerem in præcipiti mea fuga, omnes homines mendaces eſſe*; id eſt, nuſquam tuta fides, nullus fidus apud homines receptus, omnia proditorum plena, ut in Keilanis & Ziphæis apparuit, I. Samuel. XXIII. IV. *Ego dixeram accelerando*; id eſt, cum præceps raperer in perturbationes carnis, ut accipitur Pſalmo XXX. 23. *omnis homo eſt mendax*; id eſt, nunc demum video Schemuelem non Dei ſpiritu prophetice, ſed ſuo ſenſu humanitus ac mendaciter locutum eſſe, cum me ad regnum Iſraelis indicaret perventurum eſſe. Sic David ex infirmitate, non Deum quidem aperte, ſed Schemuelem perſtringebat; quaſi Dei voluntatem non ſatis exploraſſet Schemuel, & tranſiliiſſet modum vocationis ſuæ. Ego hanc de Samuele explanationem, quantumvis magnorum Interpretum, indignam Davide exiſtimo. V. Forſterus: *Ego dixi in abripiendo me*, id eſt in ecſtaſi mea: Hiſpanice, *en mi arrobamiento*, cum mente abriperer præ ærumnis. Aliqui exponunt: *Omnis homo mendax*; id eſt, cuncta humana, caduca, & fallacia ſunt: cum me videam Regem inunctum fuga raptatum.

V. 12. QUID RETRIBUAM DOMINO PRO OMNIBUS QUAE RETRIBUIT MIHI? Multipliciter ex Hebr. refundunt: I. *Quid reddam Iehovæ, omnibus retributionibus eius ſuper me?* id eſt, quid rependam Domino, quid rependam omnibus retributionibus eius in me? II. *Quid reddam Iehovæ pro omnibus beneficiis eius, quæ contulit in me?* III. *Quid reddam ipſi Iehovæ, omnis retributio eius eſt ſuper me*; id eſt, omnis gratiæ relatio ſuperat vires meas. IV. *Quid autem retribuam Domino pro cunctis in me beneficiis?* V. *Quid retribuam Domino, cuius tam varia exſtant in me beneficia?* VI. *Quam gratiam referam Domino pro illis omnibus, quæ in me contulit beneficiis?* VII. *Quid rependerem Iehovæ? omnia beneficia eius ſuper me*, id eſt *ſuperant me.*

V. 13. CALICEM SALUTARIS ACCIPIAM, ET NOMEN, &c. Quidam: *Poculum ſalutum*; id eſt, *omnis, omnimodæ ſalutis, acceptum exbibebo, & nomen Iehovæ prædicabo.* His duobus verſibus ponuntur officii pii leges, publica profeſſio nominis Dei, & prædicatio beneficiorum eius in Eccleſia; quorum verſuum ſenſus eſt: Holocauſtis & Euchariſticis oblatis Deo, epulum ſacrum populo faciam ad recordationem multiſariæ ſalutis, quam percepi a Deo; ut narratur feciſſe, I. Paralip. XVI. 1. & ſequentibus. *Poculum ſalutum*, id eſt gratiarum actionis de omni ſalute, quam Deus in me contulit. Quidam alluſum putant ad ſacras liberationes quæ ſacrificiis adhibebantur. Alii ad veterem conviviorum morem, quo poſtremo poculum ſalutis per orbem circumferebatur inter convivas: de quo more

vide

vide Fulvium Urſinum in Appendice ad Librum Petri Ciacconi de Triclinio, pag. 167. & Stuckium Lib. III. Antiquitatum Convivialium, cap. xxxiii. quem morem uſurpatum quoque ab Hebræis ex eorum Ritualibus, conſtat; quem quoque Chriſtum in ultima cœna ſervaſſe, Evangeliſtæ teſtantur. Nec deſunt, qui ad ſacras libationes diis in menſa fieri ſolitas referant, de quibus Virgilius AEneidos I.

—— *& in menſa laticum libavit honorem*,

quas Hebræi vero Deo faciebant. Atque hæc latius executi ſunt rerum convivialium auctores. Nonnulli reddunt: *Poculum gratiam actionis pro novo hoc ſalutis genere in altum ſuſtollam; & auxilium Domini implorare non deſinam*. Buchananus:

Te feſta dape, te prece,
Te libamine proſequar:
Te vitæ columen meæ
Grata voce fatebor.

Solebant igitur ſacra celebrare convivia, cum gratias agerent Deo, periculo aliquo maiore liberati: itaque ſignificat his verbis ſe eiuſmodi convivium adornaturum & apparaturum; in quo poculum gratiarum actionis pro vita & ſalute ſervata in altum ſublatum Deo libet, & inter convivas propinandum in orbem circumferat.

V. 14. VOTA MEA. Videntur hæc exponi I. Paralip. XVI. 1. *holocauſta & pacifica*. CORAM OMNI POPULO EIUS. Heb. *In præſentia nunc omni populo eius*. Quidam: *Coram mox toto populo eius*: Synchyſis, pro: *Mox coram toto populo eius*, dicendo; id eſt, coram omnibus Iſraelitis, quos congregaverat Ieruſalaima ad deducendam Arcam Iehovæ; I. Paralipom. XV. 3.

V. 15. PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTORUM EIUS. Exponunt; id eſt, magni æſtimat Dominus mortem piorum; itaque non facile permittit eos ab impiis necari. Alii reddunt: I. *Nam apud Dominum mors benignorum ipſius hominum maximi eſt momenti*. De violenta morte accipiunt; quaſi dicat, gravatim fert mortem proborum Dominus: quare ſi quando interficiuntur, non interficiuntur impune. II. *Gravate Dominus nec temere occidi ſinit quemquam ſanctorum ſuorum, cariſſimi enim ſunt illi*. III. *Quia cara in oculis Iehovæ mors* imminens, vel intentata *gratioſis eius*; id eſt, magno æſtimata, in magno pretio habita, ac per hoc facile permiſſa a Deo. IV. *Pretioſa eſt in oculis Iehovæ, mors intentata iis, quos ipſe benignitate proſequitur*; id eſt, Deus meo exemplo demonſtravit, quam ſibi cara ſit vita fidelium, qui meam toties, tot modis, tantiſque viribus appetitam conſervavit. Buchananus:

Electos genitor tuo
Cuſtos præſidio Regis
Nec per vim pereuntium
Manes linguis inultos.

Montanus:

Iae eſt ante oculos cara, piis ſuis
Mors illata fidelibus;

id eſt, non facile ſuos fideles perire patitur Deus.

Bochius:

---- patietur inultam
Inſontum non ipſe necem, pretioque piorum
AEſtimat immenſo Dominus de cæde cruorem.

Alii, non tam recte & appoſite de ſanctorum morte accipiunt, quam Deus plurimum æſtimat, & in magno pretio & honore in Eccleſia haberi vult: nam etſi Eccleſia hæc verba apte & vere uſurpet; non tamen eodem ſenſu quo hic Pſaltes. Vide ſimile Pſal. LXXI. 14.

V. 16. O DOMINE, QUIA EGO SERVUS TUUS, &c. Hunc verſum varie ex Heb. elucidant: I. *Utique Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, filius ancillæ tuæ: ſolviſti vincula mea*; quaſi dicat: Ita ſe res habet, quod tu non vis pios interfici: nam liberaſti me, qui te colo. II. *Ah Domine, equidem ſervus tuus ſum, ego ſervus tuus ſum, & filius ancillæ tuæ, qui vincula mea ſolviſti*. III. *Gratias ago Domine, quod mei ſervi tui, & filii ancillæ tuæ vincula dirupiſti*. IV. *Merito te amo benigniſſime Domine, quod me ſervum tuum, me, inquam, ſervum tuum, & filium ancillæ tuæ, dignatus ſis effracto carcere e vinculis eripere*. V. *Obſecro, Iehova, cum ego ſim ſervus tuus, ſim ſervus tuus, filius ancillæ tuæ, ſolveris vincula mea*. Notant his quatuor verſibus eſſe concluſionem deprecativam, ut ſibi conſcio divinæ erga

Digitized by Google

ga ſe gratiæ, & liberato a malis, liceat ſemper in Dei cultum incumbere . Filius ancillae tuae. Vide ſupra Pſal. LXXXV. 15.

V. 17. Sacrificium laudis. Heb. *Sacrificium confeſſionis*; ſeu *gratiarum actionis, ſacrificium eucharisticum*. Vide in Levit. VII. 12. Alii; id eſt, agnoſcam, & profitear te. Nonnulli, *victimam collaudationis*. Et nomen Domini invocabo. Heb. *Et in nomine Iehovæ vocabo*; hoc eſt, legitimo cultu te profitebor: vide de hac locutione in Geneſ. IV. 26. Alii: *Et nomen Iehovæ celebrabo, prædicabo*. Nonnulli: *Nec deſinam umquam auxilium Domini implorare*.

V. 18. Vota mea Domino reddam, &c. Amœbæus reſpondens ſuperiori verſ. 5.

V. 19. In atriis domus Domini, &c. Quidam plurale pro ſingulari poſitum volunt, ob amplitudinem atrii; quia unum tantum erat atrium tabernaculi; quaſi dicat: Ad oſtium tabernaculi, vel ad templi atria futura reſpexit, quæ plura erant. Alii, id eſt in Eccleſia, in cœtu piorum.

MENOCHII.

Verſ. 10. Credidi propter quod locutus sum. Credidi Deo, quare non timui loqui, nec intermiſi dicere, & profiteri omnem hominem eſſe fallacem. Vel ſenſus eſt cum ſuperioribus continuatus; quaſi dicat: Placebo Domino in regione vivorum; credo enim huiuſmodi regionem eſſe, licet eam non viderim. Ego autem humiliatus sum nimis. Credidi quidem, ſed non deſii affligi, & vexari; vel ſenſus eſt: Ego credidi eſſe regionem vivorum, quia humiliatus ſum, nec meo nitor ingenio, ſed demiſſe amplector, quæ me docet ſpiritus Domini.

V. 11. Ego dixi in excessu meo; in fuga, & in diſceſſu meo. In Hebr. eſt, *in feſtinatione mea*, vel *in trepidatione mea*, in præcipiti evaſione mea. In Græco eſt ἐν τῇ ἐκστάσει in ſtupore, pavore, & perturbatione mentis, qua corripiebar, cernens mihi perſecutione undique imminuere, & obſtupeſcens ad tanta pericula. Vel ſenſus eſt: Ego qui me humiliavi, & demiſi, exaltatus a Domino ad mentis exceſſum, in eo exceſſu videns quam falſa, & fallacia ſint, quæ videntur hominibus vera, & ſolida bona, dixi, *Omnis homo mendax*.

Omnis homo mendax; quaſi dicat: In homine non eſt ſperandum, non eſt ab eo ſalus expectanda, eſt infidus, nec datam fidem ſervat. Vel iuxta alium ſenſum: Omnis homo, qui humano affectu loquitur de felicitate, & magni æſtimat bona hæc fluxa, & caduca, mendax eſt; vera enim, & ſtabilia bona non inveniuntur, niſi in regione vivorum.

V. 12. Quid retribuam Domino, &c. Cum ſalutem a Domino conſecutus ſum, quid ego rependam ei? Vel ſenſus eſt: Cum Dei beneficio agnoverim regionem vivorum, & vera bona a fucatis dignoſcere, quid pro tanto beneficio Domino retribuam?

V. 13. Calicem salutaris accipiam, &c. Calicem teſtem, & indicem ſalutis meæ accipiam, offeram, libabo Domino vinum gratiarum actionis, iuxta cæremonias legis. Vel ſenſus eſt: Spe ſupernorum bonorum excitatus, calicem hauriam patientiæ malorum, & adverſorum, Dominumque invocabo, ut mihi adſit, ne in vitæ huius via pericliter, aut naufragium faciam.

V. 14. Vota mea Domino reddam, &c. Quæ vovi malis preſſus, ea perſolvam palam, & toto populo ſpectante; didici autem experimento, pretioſam eſſe mortem ſanctorum in conſpectu Domini; id eſt, magni illos Deum facere, & eorum necem non facile permittere. Vel ſenſus eſt: Sacrificium laudis Domino palam offeram, & ſine timore, etiamſi mortem inde mihi imminere intelligam: nam magni facit Dominus mortem iuſtorum ſua cauſa obitam, eamque large muneratur in cælis.

V. 16. & 17. Et filius tuus: non ſolum ſervus tuus, ſed verna domi tuæ natus ex ancilla tua. Fideles Eccleſiæ filii ſunt Dei ancillæ. Dirupisti vincula mea, calamitates, perſecutiones diſſipaſti. Vel, ſervus tuus natus ſum, aut factus, ſed interim magna fruor libertate, a dura dæmonis, & vitiorum ſervitute manumiſſus. Hostiam laudis: ſacrificium pacificum, vel laudem, & confeſſionem, quam loco excellentis ſacrificii admittis.

V. 18.

V. 18. Vota mea, &c. eſt repetitio verſic. 14.

V. 19. In atriis domus Domini; ad oſtium tabernaculi, ante quod erant atria, & area, in qua altare holocauſtorum ſitum erat. In medio tui Ierusalem, extra quam non licebat ſacrificare. Docet hic locus extra Eccleſiam ſive Eccleſiæ communionem, ſacrificia a Deo non probari.

TIRINI.

Verſ. 10. Credidi; ſupple, Deo, promittenti mihi tot malis obruto ſalutem, proſperitatem & regnum, nempe, per Prophetam ſuum Samuelem: quare etiam intrepide elocutus sum illud ipſum, & fidenter aliquibus indicavi. Unde factum, ut, invidente id mihi Saule eiuſque aſſeclis, humiliatus (Hieronymus afflictus) sum nimis.

V. 11. In excessu, Hebraice, *in trepidatione*; Hieronymus, *in ſtupore mentis meæ*, ſcilicet perturbatæ tot vexationibus; Chaldæus, *interfugiendum*. Dixi, Omnis homo mendax, id eſt fallax; quaſi dicat: Adverſante mihi fortuna, deſeror iam ab omnibus etiam intimis, antea amicis meis: nemo fidem mihi datam ſervat; ſolus Deus verax & fidelis: quare & illi ſoli deinceps credam. Lutherus ex hoc loco ſic argumentatur: Facilius eſt verum dicere, quam bonum facere: atqui homo nequit verum dicere, quia omnis homo mendax: ergo nec bonum facere; ergo omnia opera hominum etiam iuſtorum ſunt peccata. Sed reſpondeo, negando minorem: nam *eſſe mendacem*, non eſt idem quod ſemper actu mentiri, ſed pronum ſeu proclivem eſſe natura ſua ad mentiendum & fallendum, quod non eſt peccatum, ſed vitium naturæ peccato originali corruptæ: & per gratiam iuſtificantem minuitur, & magna ex parte tolli poteſt: ita S. Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus.

V. 13. Calicem salutaris, Hebraice, *ſalutum*, id eſt ſalvationis, ſeu *redemptionis* meæ (ut Chaldæus vertit) ſymbolum & teſtem; quaſi dicat: Libabo & ſacrificabo Domino hoſtiam pacificam & Euchariſticam, ſeu gratiarum actionis pro vita & ſalute mihi beneficio ipſius conſervata. Patet ex verſu 17. ſeu antepenult. Alludit enim ad ritum ſacrificiorum pacificorum, in quibus quaſi Dei epulis, ſemper adhibebatur aliquid loco potus; verbi gratia, vinum. cuius pars uva effundebatur, & ſic libabatur Deo, reliquum hauriebant offerentes. Allegorice, ſignificat calicem SS. Euchariſtiæ; Tropologice, martyrii, paſſionum & afflictionum, inquit ſanctus Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus.

V. 14. Vota mea; id eſt, ſacrificia quæ vovi Deo.

V. 15. Pretiosa; id eſt, cara & rara. (Chaldæus, *honorifica*; Hieronymus, *glorioſa*) eſt mors Sanctorum. Ideo ſpeciali admodum providentia invigilat illi Deus, nec quidquam circa illam moveri ſinit temere aut ſine gravi cauſa. Sic dicebat Saul Davidi: *Pretioſa fuit anima mea in oculis tuis*, I. Regum XXVI. 21.

V. 16. & 17. Quia ego filius ancillae tuae; id eſt, vernaculus, ex ancilla tua tibi natus, ideo dirupisti vincula mea; id eſt, calamitates quibus quaſi vinculis conſtringebar. Unde viciſſim obſtringor *ſacrificare* tibi hostiam laudis; id eſt, pacificam & Euchariſticam hoſtiam qua te laudem, tibique gratias agam.

GORDONI.

Titulus, Alleluia, ut ſupra. Pſalmus diverſus eſt a præcedente, iuxta diſtinctionem Septuaginta Interpretum: cohæret tamen in ſenſu, & argumento cum præcedente; ut ſit in præſentia laus pro liberatione Davidis, aut votum de gratiarum actione, pro his beneficiis. Ac demum ſub hoc typo continentur gratiarum actio, & vota perſolvenda pro vita æterna.

Verſ. 10. Credidi, &c. Hic verſus eſt iuxta Hebraicam diſtinctionem, decimus, ſed primus iuxta Septuaginta. Dixit Propheta in fine præcedentis Pſalmi, fore, ut placeret Deo perfectius, quam antea, reſtitutus regno & patriæ. Credidit vero David, ſæpe promittentibus omnia proſpera: tamen quia contigit, ut humilia-

re-

Digitized by Google

retur, & affligeretur, prorupit in exceſſum, dicendo Samuelem, & alios homines mendacium locutos, dum proſpera illa promiſerunt, & regnum. Ita aliqui. Sane fluctuantem animum David in tanta rerum inclinatione oſtendit, ut nunc crederet promittentibus regnum: nunc humiliatus, quaſi deſperaret de eo, & mendaces eſſe promiſſiones ſuſpicaretur. Euthymius (quem ſequitur Bellarminus) dat ſenſum ſpiritualem, quaſi David hanc rerum humanarum varietatem perpendens, abierit in exceſſum mentis; & contemplans cælum vere viventium regionem, dixerit velut inane mendacium eſſe, quicquid in humana felicitate hic reperitur, ſi cum illa regione comparetur. Unde tandem rediens ad ſe, & iam plane ſecurus de utroque regno, pronuntiat verſ. 3. vel 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus*, &c.

At quo ſenſu mendax eſt omnis homo? Non male hoc dici poteſt: Si homo ex ſe ſpectetur, & de ſe ſolo præſumat, quin etiam cum non repugnet homini mentiri, & ſæpe mentiatur, cur non poterit abſolute vocari mendax. Habent tamen adhuc homines, unde non mentiantur, Deo ad id iuvante; ut fit in ſacrorum codicum ſcriptoribus, aut per promiſſionem divinam, quo modo non mentitur Papa, dum docet ex cathedra Eccleſiam. Et mentiuntur Novatores, dum illud proferunt de Pontifice. Et quidem ſi non errant, nec mentiuntur Evangeliſtæ, quod Deus illis aſſiſtat; cur non idem credi poteſt de Papa, ex ſimili præſidio? licet hi omnes æque ex ſua natura mentiri poſſint. Multo minus ex hoc verſu habent Novatores, omnia opera noſtra eſſe peccata. Ceterum apud Septuaginta eſt ψεύστης, *mendax*. Heb. כזב *chazeu*, *mendacium*, & כזב *chozeu*, *mentiens*, aut mendax.

V. 13. Calicem salutaris accipiam. Septuag. *ποτήριον σωτηρίου*. Heb. כוס; *chos*, *calix*, ישועות *iesvubboth*, *ſalutum*, in plurali. Patres magno conſenſu intelligunt calicem patientiæ, & paſſionis. Sic vir iuſtus in adverſitate calicem hunc ſalutis libenter amplectitur, & Deum invocat. Quod etiam ad David adverſa patientem, non male refertur; ut docent inſequentes verſiculi.

BOSSUET.

Verſ. 10. Credidi: credidi quæ ſupra, ſi ſit idem cum ſuperiore: utcumque eſt, credidi; ideo locutus ſum: nihil loquor niſi ex certa puraque fide; ut interpretatur Paulus II. Cor. IV. 13. 14.

V. 11. In excessu meo: ἐκστάσει Aquila: *in ſtupore*; ut & Hier. & Theodor. anxius ac mærens: omnes denique intelligunt vehementem animi motum, quem etiam locus poſtulat. Alii ſimplicius, ac frigidius: Cum excederem pulſus a proditoribus; quaſi diceret: Omnibus hominibus fidem fallentibus, ſoli Deo ſalutem debeo. Vide Pſalm. XXX. 23.

V. 13. Calicem: gratias agam pro ſalute, libato calice; ut David aqua illa Bethlehemitica, II. Reg. XXIII. 17.

V. 15. Pretiosa, *glorioſa*, Hier. τίμιος quod utrumque ſignificat: Pretiosa... mors sanctorum eius: Deo accepta & hominibus venerabilis: quo ex loco docent ſancti Patres, quam honori habenda ſint ipſa monumenta, ipſæ reliquiæ ſanctorum: præſertim vero Martyrum, quorum mors eo eſt pretioſior quo fidei teſtis.

PSALMUS CXVI. EUCHARISTICUS: PROPHETICUS.

Vocatio gentium: Rom. xv. 21. *qua omnia Dei promiſſa firmantur.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Laudate Dominum omnes Gentes, collaudate eum univerſi populi.

Quia confortata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini in æternum. Halleluia.

VERSIO VULGATA.

1. Laudate (*a*) Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

2. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: (*b*) & veritas Domini manet in æternum.

(a) Rom. xv. 11. (b) Ioan. xii. 34.

COMMENTARIA

MALDONATI

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

S A.

Invitatio ad Dei laudem.

Verſ. 2. Confirmata, id eſt ſtabilita. Hieron. *confortata.* Chald. *Roboravit ſuper nos beneficentiam ſuam*; quaſi dicat: Magna eſt in nos miſericordia uſus ſcilicet miſſo Chriſto. Vide Rom. xv. Veritas, ſcilicet in promiſſis.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

MARIANAE.

Alleluia: in Hebræo nihil. Pſalmum ſuperiorem ea vox clauſit. Gentes, Iudæos & Græcos invitat ad laudandum Deum.

V. 1. Laudate Dominum. Paulus ad Rom. xv. 11. hoc de vocatione Gentium intelligit. Hebræi quoque liquido confitentur hic agi de Meſſiæ beneficiis.

V. 2. Quoniam confirmata. Hebr. *roborata*, aucta. Misericordia eius: et veritas Domini. In pleriſque Pſalmis cum *miſericordia* iungit *veritatem*. Eſt namque Deus miſericors in promittendo, verax in præſtando quæ promiſit. Aut quod ad hunc Pſalmum ſpectat, *miſericordia* erga Gentes fuit, *veritas* erga Iudæos propter promiſſiones Patribus factas.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Laudate Dominum, &c. Hoc Pſalmo provocat David omnes gentes ad agnoſcendum & celebrandum regnum Chriſti, propter benignitatem, & veritatem, ac conſtantiam promiſſionum eius, quæ ex mera bonitate & gratia ipſius profectæ ſunt. Vide Romanor. xv.

xv. 11. Omnes gentes. Plerique intelligunt eos omnes qui non ſunt ex Iſrael, ut mox, *populi omnes*, ſingulariter Iſraeliticum populum; ſed præſtat utraque voce idem omnino ſignificari, nempe univerſe omnes mundi nationes.

V. 2. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Varie ex Heb. reddunt: I. *Quoniam roborata eſt*, vel *fortificata eſt*, *fortis fuit ſuper nos*, &c. II. *Nam benignitas eius erga nos prævalluit*, *excelluit*, *maxima fuit*. III. *Quoniam bonitas eius erga nos magis ac magis adoleſcit*. IV. *Copioſiſſime enim uſus eſt erga nos genuina miſericordia ſua*. V. *Quoniam multiplicata*, *aucta*, *eſt ſuper nos miſericordia eius*: Chriſto nobis exhibito. Non ſatis appoſite quidam tranſitive reddunt: *Quoniam roboravit ſuper nos benignitatem ſuam*. Verbo גבר *gabar* hæc omnia inſunt: *Quia invaluit, prævaluit, ſuperior fuit; prædominata eſt*, *exſuperavit*, *exuberavit*, *ſuper nos gratia eius*. Et facile crediderim Paulum Romanor. v. 20. & ſignificatum verbi expreſſiſſe, & ad hunc locum reſpexiſſe, cum ait: *Magis exuberavit*, vel *ſuperabundavit*, ſeu *exſuperavit*, *gratia*. Nec abſurde reddes: *Quoniam heroica fuit*, vel *heroicam ſe exhibuit*, ſeu *præſtitit*, *erga nos miſericordia eius*.

MENOCHII.

Verſ. 2. Confirmata est super nos misericordia eius. Hebr. habet, *Roborata*: multiplicata eſt, & ſtabilita, ut amplius auferenda non ſit, ſed cum omnibus gentibus communicanda. Veritas Domini. Fidelitas promiſſorum, quibus ſe Chriſtum Dominum orbi terrarum daturum fuerat pollicitus.

TIRINI.

Verſ. 2. Confirmata, id eſt ſtabilita. Hebraice & Græce, *confortata*; Chaldæus, *roborata* eſt: nempe miſſo in orbem Chriſto, ut explicat S. Paulus ad Rom. xv. 11.

GORDONI.

Titulus, Alleluia, ut ſupra. Hortatur Propheta Eccleſiam totam ad Deum collaudandum, ob accepta dona divinæ miſericordiæ, quam confirmat Deus per Meſſiæ adventum: ſicut etiam adimplevit veritatem promiſſionum. Citatur ad hunc ſenſum hic Pſalmus Rom. xv. 11. Ceterum miſericordia peculiari modo Gentibus exhibita eſt: veritas vero Iudæis.

BOSSUET.

Verſ. 2. Confirmata ... et veritas Domini: promiſerat enim Abrahamo Deus futurum, ut per Chriſtum, benedictum illud Abrahami ſemen, benedicerentur omnes gentes: Gen. xii. 4. xxiv. 18. interprete Apoſtolo, Gal iii. 16. quod cum præſtitum videamus, iam intelligimus vere adveniſſe Chriſtum ac promiſſa Dei firma eſſe omnia.

PSALMUS CXVII. EUCHARISTICUS.

David poſt tot pericula a Tribubus adunatis Rex agnitus, ſacros cœtus ingreditur : ibique fauſtis excipitur acclamationibus : vide II. *Reg.* V. *Ieſus Ieroſolymis ut Chriſtus accipitur : mox ſuſcitatus a mortuis regnum æternum ingreditur.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius.

Dicat nunc Iſrael, quoniam in æternum miſericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron, quoniam in æternum miſericordia eius.

Dicant nunc qui timet Dominum, quoniam in æternum miſericordia eius.

Cum tribularer invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus meus es; non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi auxiliator, & ego deſpiciam odientes me.

Melius eſt ſperare in Domino, quam ſperare in homine.

Melius eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.

Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini, quia ultus ſum eas.

Circumdederunt me & obſederunt me: ſed in nomine Domini, quia ultus ſum eas.

Circumdederunt me quaſi apes; extinctæ ſunt quaſi ignis ſpinarum : in nomine Domini, quia ultus ſum eas.

VERSIO VULGATA.

Alleluia.

1. Contemini Domino quoniam bonus : quoniam in ſæculum miſericordia eius.

2. Dicat nunc Iſrael quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

3. * Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

4. * Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

5. De tribulatione invocavi Dominum : & exaudivit me in latitudine Dominus.

6. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

7. (*a*) Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos.

8. Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine:

9. Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.

10. Omnes gentes circuierunt me: * & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

11. Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

12. Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: * & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

Im-

Impulſus pellebar ut caderem, & Dominus ſuſtentavit me.

Fortitudo mea & laudatio mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox laudis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum: dextera Domini fecit fortitudinem.

Dextera Domini excelſa, dextera Domini fecit fortitudinem.

Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.

Corripiens arguit me Dominus, & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus eas confitebor Domino.

Hæc porta Domini; iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes: factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud, & hoc eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

Obſecro Domine, ſalva obſecro: obſecro Domine, proſperare obſecro.

Benedictus qui venit in nomine Domini, benediximus vobis de domo Domini.

Deus Dominus, & apparuit nobis; frequentate ſolenmitatem in frondoſis, uſque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.

13. Impulſus everſus ſum ut caderem: & Dominus ſuſcepit me.

14. (*b*) Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

15. Vox exultationis & ſalutis, in tabernaculis iuſtorum.

16. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

17. Non moriar, ſed vivam: & narrabo opera Domini.

18. Caſtigans caſtigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

19. Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: 20. hæc porta Domini, † iuſti intrabunt in eam.

21. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

22. (*c*) Lapidem quem reprobaverunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.

23. * A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

24. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

25. O Domine ſalvum me fac; † o Domine bene proſperare: 26. * benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: 27. Deus Dominus, & illuxit nobis.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris.

28. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

29. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

(a) Hebr. xiii. 6. (b) Exod. xv. 2. (c) Matth. xxi. 42. Luc. xx. 17. Act. iv. 11. Rom. ix. 33. I. Pet. ii. Iſa. xxviii. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Dicat nunc domus Aaron, quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Non interponas *quoniam bonus*, quod eſt duorum verſuum præcedentium, non huius & ſubſequentis.

V. 4. *Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Non addas *omnes* ante relativum *qui*, nec *quoniam bonus*, ante *quoniam in ſæculum*.

V. 12. *Et in nomine Domini quia ultus ſum in eos*. Non eſt omittenda coniunctio *quia*, nec ſubſequens præpoſitio *in*.

V. 23. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*. Alii mutant coniunctionem & cum pronomine *hoc*.

V. 25. *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Non ſcribas *venturus es*, pro *venit*, id eſt perſonam ſecundam pro tertia.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 20. *Iuſti intrabunt in eam*. Loco accuſativi non ſcribas ablativum *ea*.

V. 25. *O Domine ſalvum me fac*. Multi docti iudicant pronomen *me* ſuperfluere. Lege Notationes.

Ibid. *O Domine bene proſperare*. Multi Libri omittunt adverbium *bene*.

NOTATIONES.

Verſ. 1. 2. 3. 4. PRiores quatuor huius Pſalmi verſus finit hoc idem Dei encomium: *Quoniam in ſæculum miſericordia eius*; atque ante hoc legitur, quod omnis Dei in nos miſericordiæ origo eſt, *Quoniam bonus*; ſed id ab aliis quidem univerſis his quatuor verſibus additur; ab aliis tribus dumtaxat; ab aliis ſolummodo duobus; denique ab aliis unico; hac de varietate iam nobis diſſerendum eſt.

Quatuor igitur ſimul his verſibus addunt, *Quoniam bonus*, plerique omnes noſtri græci codices cum græcis auctoribus Chryſoſtomo, Apollinari, Theodorito, atque Euthymio: his conſonant latina Romani Pſalterii exemplaria cum Caſſiodoro Romano Senatore; ſed & nonnulla gallici, hoc eſt vulgatæ noſtræ editionis, Atrebatenſis Collegii unum, Hunnæi alterum B cum tractatoribus Remigio Antiſſiodorenſi, & Ioanne Sabinenſi.

Tribus verſibus primo, ſecundo, tertio addunt, & quarto omittunt *quoniam bonus* alii quidam latinorum noſtræ verſionis codicum, unus Atrebatenſis Collegii manuſcriptus, & nonnulli typis excuſi, Venetiis primus (Anno 1497.), Baſileæ alius, alius Antverpiæ, is qui ex D. Lindani eſt emendatione. Atque inter expoſitores his conformiter legunt Richardus Pampolitanus Eremita, & Iacobus de Valentia Chriſtopolitanus Epiſcopus.

Duobus dumtaxat verſibus primo, & ſecundo habent *quoniam bonus* plerique Latinorum vulgatæ editionis librorum, tam eorum qui calamis, quam eorum qui typis ſcripti ſunt, cum enarratoribus Haymone, Ludolpho, Paſtura, & Richelio. Et ii quidem ſcriptorum librorum, qui aſteriſcis & obeliſcis inſigniti ſunt, obelo id conſignant, quod in ſecundo eſt verſu. Nam Hebraicis in libris unico, eoque verſu legitur *quoniam bonus*. Hebraicis autem libris Chaldaici ſunt conformes.

In hac codicum et exemplarium diverſitate genuinam quærimus vulgatæ Latinorum verſionis ſcripturam; & penſitatis ſingulis, ea nobis (meliori ſalva ſententia) eſſe videtur, quæ primo verſu legit, ſecundo cum obelo addit, tertio & quarto omittit, *quoniam bonus*. Nam ut ad hunc modum legunt libri huius editionis plerique, ita & probatiſſimi quique; alios autem nonnullos veroſimillimum eſt depravatos, aut ex græca lectione, aut ex Romana pſalmodia, aut denique ex ipſorum inter ſe verſiculorum ſimilitudine, ea quæ omnis hac in parte varietatis primam proculdubio cauſam dedit. Quod autem ſecundo potius verſu, quam vel tertio, vel quarto latini codices *quoniam bonus* adiiciant; ex eo fortaſſis eſt, quod græcus Interpretis liber hoc habuerit modo: & certe græca Tornacenſis exemplaris editio ita habet, tametſi ad quarti verſus marginem ſcriptum ſit *oti agatos*. Porro ſubaudiendum videtur poſterioribus locis, *quoniam bonus*, quamvis non addatur.

V. 10. 11. & 12. Eadem terminantur ſententia: *Et in nomine Domini, quia ultus ſum in eos*; in qua nonnihil faceſſit *quia* coniunctio, quam græci codices tollunt, Hebraici, & Chaldaici addunt; ſublata, claram; addita, obſcuram reddit orationem. Latini veteris editionis libri, cum Græcis tranſtulerunt; id enim ex Arnobii, Auguſtini, & Caſſiodori commentariis, Romaniſque Pſalteriis patet: poſteriori vero editioni ex Hebraicis addita eſt. Conſtanter

enim

enim in huius editionis exemplaribus legitur; & in antiquis quidem cum aſteriſci nota. Atque hoc Hieronymus, ipſe editionis iſtius emendator, comprobat: „Dicitis, „ ſcribit Suniæ & Fretelæ, *quia* in grecis „ codicibus non inveniri: *καὶ τῷ ὀνόματι „ κυρίου ἠμυνάμην αὐτούς*, id eſt *in nomine „ Domini ultus ſum eos*; ſed in latinis ſub „ aſteriſco legendum eſt. “ Quamobrem poſteriores inter latinos enarratores legunt; utque explicent, laborant. Nullo igitur pacto e vulgata noſtra editione coniunctio hæc omittenda eſt: nec (in quo Varlenius falſus eſt) in ſua ad hebraicam veritatem verſione Hieronymus prætermiſit, ſi probatioribus exemplaribus (*Lob. Cheval. Reg.*) fides habetur: quibuſdam enim prioribus locis deeſt, tertio tantum legitur; nnl etiam poſterioribus locis legitur, primo tantum deeſt, cum Hebræo tribus locis perinde legant. Exiſtimant autem nonnulli coniunctionem hanc ſuperfluere, cuius ſententiæ & LXX. fuiſſe videntur. Quidam vero pro *utique* aut *certe* accipiunt. Alii plerique eclipticam volunt orationem eſſe ſubauditis quibuſdam perficiendam. Richelius: *In nomine Domini factum eſt, quod me ultus ſum de eis*. Chaldæus: *In nomine verbi Domini confiſus ſum, quod perdam eos*. Eſt enim Chaldæis, & Hebræis futurum, nec eſt *in* præpoſitio, ut neque Græcis: ſed quod eam latinus ſermo poſtularet, videtur addita: in exemplaribus Lobienſi, & Herbipolenſi obelo iugulatur.

V. 23. *Et eſt mirabile in oculis noſtris*. Sic nonnulla latina Pſalteria cum Pſalteriis græcis, & Evangeliis Matthæi (xxi. verſ. 42.) & Marci (xii. verſ. 10.) legunt. Epanorthotæ vero probata lectio eſt: *Hoc eſt mirabile in oculis noſtris*. Ad hunc modum ex noſtris, P, Stapulenſe, Tornacenſe, Lobienſe, & Brugenſe emendatiſſima exemplaria ſcribunt. Atque hæc ſcriptura Hebræo conformior eſt היא נפלאת בעינינו ad verbum reddas: *Hoc mirabile in oculis noſtris* (nam feminina Hebræis ſubſtantive ponuntur, ut neutra Græcis, & Latinis ſuo loquentibus idiomate; quandoque enim hebraicum idioma retinent, ut hoc ipſo loco Græci: *παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν*) Lobienſe manuſcriptum *hoc* aſteriſco notat, tamquam quod ex Hebræo a Pſalterii caſtigatore ſumptum ſit: & hanc q idem lectionem, *Hoc eſt mirabile in oculis noſtris* gallico Pſalterio attribuit; alteram vero *& eſt* Romano; cu Tornacenſis, et Stapulenſis editiones conſentiunt. Nullius hæc momenti ſunt iis qui dum ſenſus eſt integer, de vera noſtræ editionis lectione nihil ſolliciti ſunt. Quod ſequitur ſubſtantivum verbum *eſt*, Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterium veru ſignat, tamquam quod ex Græco legatur, hebraice vero non exprimatur.

V. 25. *O Domine ſalvum me fac*. Pronomen *me* a latinis quibuſdam manuſcriptis omittitur, Brugenſi & Lobienſi; quibus Iacobi, & Lindani editiones conſentiunt; & Bedæ commentarius ſuffragatur: Nec legitur hoc pronomen græce *ὦ κύριε σῶσον δή*, *o Domine ſalva nunc*; nec habetur hebraice אנא יהוה הושיעה־נא *anna adonai hoſanna*, *obſecro Domine ſalva nunc*; neque additur Chaldaice (*a*) בבעו מנך יי פרוק *obſecro te Domine ſerva* (*b*) Euthymius in huius loci commentario *populum tuum* ſubaudit; Chriſoſtomus eos qui Chriſti beneficiis fruuntur. Iacobus itaque Titelmanus, & Varlenius *me* ſupereſſe iudicant: Ianſenius etiam ſenſui obeſſe pronuntiat: intelligit enim populi eſſe vocem a Deo Regi ſuo ſalutem fauſtaque omnia precantis.

Sequitur: O *Domine bene proſperare*. *Bene* ab antiquis codicibus tolli Epanorthotes teſtatum reliquit; noſque id vidimus in noſtris exemplaribus Brugenſi, Lobienſi, Stapulenſi. Neque eſt aut hebraice, aut græce: ſufficienter enim & hebraicam vocem הצליחה & græcam *εὐόδωσον*, exprimat latina *proſperare*; atque adeo, ut et, ſicut illæ, ambigue intelligi poſſit, vel proſpere age, vel proſperitatem da: minime vero arbitror *bene* aut græco *δή*, aut hebraico נא reſpondere (eſt enim hebraice הצלחה נא, græce *εὐόδωσον δή*) quin potius hæc cum præcedenti, tum hoc verſiculo ab Interprete noſtro *σχετλιαστικῶς* accepta, quorum interpretationem latinus ſermo non exprimat.

In eo qui ſequitur verſiculo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, antiqua Epanorthotæ antigrapha pro *qui venit*, *qui venturus eſt* legunt, quibus Tornacenſe manuſcriptum, et quædam Lugdunenſium exemplaria ſuffragantur, ac V. Bedæ commentarius adſtipulatur. Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterium habet *qui venturus es*, quomodo Antiſſiodorenſis Antiſtes, et Pelbartus monachus, aut legerunt, aut expoſuerunt. Exemplaria noſtra iam ante commemorata, Brug. Lob. Stap. *qui venturus* ſcribunt, nec quidquam amplius addunt non *es*, non *eſt*. Hebraice eſt הבא quod eſt, *qui venit*, aut *qui veniens*. Græce legit *ὁ ἐρχόμενος*, id quod et *qui venturus*, et *qui venit* transferri poteſt. In Evangeliis (*c*) tranſlatum eſt *qui venit*: id enim rei geſtæ convenit: futurum autem, prophetiæ non incongruum eſt.

Rei.

V. 25. Salvum me fac. Græc. & Hieron. *ſalva*: ſcilicet, Regem a te miſſum, ſeu Chriſtum: ſic, *Hoſanna filio David* Matth. xxi. Bene prosperare; id eſt, da proſperum ſucceſſum, ſcilicet Regi. *Proſperare*, pro, proſpera. Græc, εὐόδωσον.

V. 26. Benedictus; quaſi dicat, Benedicatur, ſeu celebretur. Nomine, id eſt mandato, ſeu virtute. Benediximus; pro, benedicimus, id eſt bene precamur: eſt autem ſacerdotum vox, ſecundum quoſdam. Vobis, ſcilicet o populi. Domo Domini, id eſt templo.

V. 27. Deus Dominus; quaſi dicat: Dominus, quem colimus, verus eſt Deus. Illuxit. Hieron. *apparuit*. Forte Chriſti adventus indicatur. Constituite, id eſt celebrate. Hieron. *frequentate*. Chald. *Ligate puerum ad ſacrificium ſolemnitatis catenis, donec ſacrificaveritis eum, & effuderitis ſanguinem in corona altaris*. In condensis; quaſi dicat, Arborum ramis templum ornantes. Hieron. *in frondoſis*.

ESTII.

Verſ. 8. O Domine salvum me fac. Illud, *me*, non eſt in Hebræo nec Græco, & nonnullis MSS. Senſus eſt: O Domine, ſalvum fac Regem, ut eſt in Pſal. xix. Vel, ſalvum fac lapidem illum Chriſtum, qui faciat utraque unum, & proſpera regnum eius. Eſt enim manifeſta prophetia de Chriſto eiuſque regno, ut patet Matth. xxiii. ubi de hoc plura. Secundum noſtram lectionem, *Salvum me fac*, ſenſus eſt, ut David de ſe loquatur in perſona Chriſti.

MARIANAE.

Alleluia. Pſalmus ſuperior ea voce clauditur. Pro Chriſti adventu gratias agit Deo.

V. 1. Quoniam bonus. Poteſt etiam verti, *quoniam bonum*; ſcilicet, fecit nobis. Aut, *quoniam bonum* (eius) *& miſericordia in æternum*.

V. 5. De tribulatione; id eſt, de loco anguſtiæ, cum eſſem in loco arcto, invocavi. Et exaudivit me: audivit clamorem meum. In latitudine; pro, eduxit me ex eo loco in locum ſpatioſum.

V. 6. Dominus mihi adiutor. Hebr. non eſt *adiutor*. Hieron. *Dominus mecum*. Aut ſic: *Dominus pro me*, ſcilicet ſtat.

V. 7. Despiciam inimicos. Hebr. *Videbo in odientibus me*, ſcilicet quod opto vindictam. *Deſpiciam* eſt in Vulg. & Hieron. ſed pro *diſpiciam*.

V. 8. Bonum est; id eſt, melius (Hebræi carent comparativo) eſt confidere in Domino, quam in homine.

V. 10. Gentes circuierunt me, id eſt obſederunt, impugnarunt. Et; pro, at, in nomine. Quia, redundat, aut ſumitur, pro ſane. Ultus sum in eos, pœnas ſumpſi.

V. 12. Circumdederunt me sicut apes; id eſt, ſicut examen apum, multi, & feroces. Pſalt. Gotth. *ſicut apes favum*. Sic Græce, & in Vulg. Regia. Et exarserunt. Hebr. *extinctæ ſunt*; pro, extinguentur ſicut ignis in ſpinis, ſcilicet illæ apes: brevis erit moleſtia earum. Chald. *Arſerunt ſicut ignis in ſpinis*, דעך *dabach*, & *extingui* & *ardere* ſignificat.

V. 13. Impulsus eversus sum. Hebr. *Impellendo, impuliſti me, ut caderem*. Loquitur de hoſtibus, & in uno omnes intelligit. Pſalt. Gotth. hunc locum ſic habet: *Tamquam cumulus arenæ impulſus ſum ut caderem*. Dominus suscepit me. Hebr. *adiuvit me*. Noſter pro *adiuvare*, fere ponit *ſuſcipere*, pro *adiutor*, *ſuſceptor*.

V. 14. Et laus mea; id eſt, laudes, & cantici argumentum eſt Deus. Et factus est mihi; pro, attulit mihi ſalutem.

V. 15. Vox exultationis. Ob hoſtes proſtratos laudant iuſti Deum, & datam ſibi ſalutem carmine & canticis celebrant. Aut salutis, id eſt partæ victoriæ.

V. 16. Fecit virtutem; id eſt, magnis viribus Deus ſuos tuetur. Hoc eſt canticum, quod audiri dixit in tabernaculis iuſtorum. Exaltavit me. Hieronymus, *dextera Domini excelſa*; id eſt, ſuperior hoſtibus fuit: ſic Hebr.

V. 17. Non moriar: ut cupiunt inimici. Sed vivam. Sic Hieron. poteſt etiam

etiam verti, *certe vivam*. ET NARRABO, ut narrem opera Domini.

V. 18. CASTIGAVIT ME DOMINUS: ET MORTI NON TRADIDIT ME. Hic deſinit canticum iuſtorum.

V. 19. APERITE MIHI, o ſacerdotes. PORTAS IUSTITIAE. Portas templi ſic vocat, ob iuſtitiam quæ in miniſtris eſſe debet. CONFITEBOR DOMINO, laudabo ob ea quæ in me contulit.

V. 20. IUSTI INTRABUNT, id eſt intrare ſolent, aut debent: procul eſte profani.

V. 22. LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT. Nempe Davidem, qui tempore Saulis abiectus fuit, deinde in excellentiſſimo loco eſt conſtitutus. In quo typus fuit Chriſti, & de ipſo citatur Matth. XXII. 41.

V. 24. HAEC EST DIES: ſcilicet, qua hæc mutatio facta eſt, dies præcipua, eam ergo celebremus.

V. 25. O DOMINE SALVUM ME FAC. *Me* non eſt Hebr. ſed ſic: *ſerva nunc*, aut *quæſo*. Græc. σῶσον δὴ, *ſerva certe*. Qui locus affertur Matth. XXI. 9. ut eſt Hebr. cum pueri obviam Chriſto proceſſerunt: *Hoſanna filio David*; id eſt, *ſerva nunc*, aut *quæſo*, *filium David*. Qui patrem David olim ſervaſti, nunc filium eius ſerva Chriſtum. BENE PROSPERARE. Deponens, da, o Deus, proſperitatem, εὐόδωσον.

V. 26. BENEDICTUS, felix, qui venit, & David ut regnet, & Chriſtus in templum. BENEDIXIMUS. Verba ſacerdotum, qui ſuas laudes cum populo iungunt, Davidique & Chriſto cum pompa venientibus fauſta precantur.

V. 27. DEUS DOMINUS, ET ILLUXIT NOBIS; id eſt, diem lætum tribuit Deus. CONSTITUITE DIEM, pro hoc bono diem feſtum agite. IN CONDENSIS, id eſt ramoſis: ramalia adhibete toto ſpatio uſque ad altare. Hebr. *Alligate feſtum* (id eſt feſti hoſtias) *funibus*, *quouſque ad cornu altaris accedant*, ubi ſcilicet mactari debent.

V. 28. DEUS MEUS ES TU. Populi, aut Vatis gratiarum actio. CONFITEBOR TIBI. Hic verſus Hebr. non eſt, neque Hieronymus ponit.

V. 29. CONFITEMINI. Redit ad Pſalmi caput, & primum verſum repetit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS, &c. Hunc Pſalmum quidam a Davide compoſitum volunt, quando primum in Regem Iehudæ, & totius Iſraelis creatus eſt, & communi omnium tribuum conſenſu, Rex omnium electus eſt, II. Samuel. V. in quo gratias Deo agit quod Rex totius Iſraelis creatus ſit & receptus. Alii exiſtimant Davidem eum conſcripſiſſe, cum ſuperatis aliis gentibus, a poſtrema ſua expeditione in Hammonitas reverteretur II. Samuel. XII. 26. & ſequentibus. Plerique propheticum totum eſſe volunt, quo Eccleſia gratias agit Deo, quod poſt tot rerum diſcrimina, ſalutem & Chriſtum ſit conſecuta. Illud aptius, Davidem ita res ſuas canere ut in his typum Eccleſiæ & Chriſti mirifice exhibeat.

V. 2. DICAT NUNC ISRAEL QUONIAM BONUS, QUONIAM IN SAECULUM MISERICORDIA EIUS. Heb. tantum habent: *Dicat nunc Iſrael, quod in ſæculum benignitas eius*, vel *eſſe in ſæculum benignitatem eius*; ſic in ſequentibus verſibus.

V. 3. DOMUS AARON, id eſt familia Aaronis: vide Pſal. CXIV. 9.

V. 5. DE TRIBULATIONE. Alii, *De anguſtia, de angore, de periculo, de coarctatione, de concluſione*. INVOCAVI DOMINUM Heb. *Vocavi Iah.* Quinquies in hoc Pſalmo occurrit hoc Dei nomen יה *iah*, de quo vide in Pſal. LXVII. 5. & conſulto puto, ut indicet Chriſtum, nempe ipſum IHUH decurtatum, & abbreviatum per humanitatem. ET EXAUDIVIT ME IN LATITUDINE DOMINUS. Varie ex Heb. exponunt: I, id eſt, cum valde coarctarer, exaudivit me, & ſtatuit me in loco lato & amplo; quaſi dicat, Liberavit me ex anguſtiis. II. *Et annuit mihi in latitudine Deus*; id eſt, ampliſſime votis meis annuit. III. *Qui & exaudivit me, & perduxit me in locum ſpatioſum idem ſervator ille Dominus*. IV. *Reſpondens collocavit me in lato Iah*. V. *Et exaudivit me in maiorem amplitudinem dilatans Dominus*. Vide ſimile Pſal. IV. 2.

V. 7. ET EGO DESPICIAM INIMICOS MEOS. Heb. *Et ego videbo in oſoribus meis*. Alii: I. *Spectabo in meis inimicis*, quod deſidero, vel

Digitized by Google

vel opto. II. *Quare videbo evenire hoſtibus meis, qualia quiſque optaret ſuis*. III. *Et ego reſpiciam in oſoribus meis*, victoriam ſcilicet, & triumphum de eis. IV. *Ideo ego diſpicio oſores meos*; id eſt, ſecurus & intrepidus in eos reſpicio. Buchananus:

Lumina damnis ——
------ explebo hoſtium.

V. *Tuto intuebor hoſtes meos*. Frequens eſt hæc locutio in Pſalmis.

V. 9. QUAM SPERARE IN PRINCIPIBUS. Heb. *Quam fiduciam habere iu beneficis*, *munificis*, *ingenuis*, id eſt etiam in potentibus multis: gradatio.

V. 10. OMNES GENTES CIRCUIERUNT ME. Quidam per pluſquam perfectum: *Omnes gentes circumdederant me*, &c. texit brevem narrationem impetuum quos ab hoſtibus pertulit, & victoriarum, quas ipſi attulit gratioſe Deus, uſque ad verſ. 15. ET IN NOMINE DOMINI QUIA ULTUS SUM IN EOS. Heb. *Iu nomine Iehveh*, *quia ſuccidam eos*. Exponunt: *Spero in nomine Iehovæ quod ſuccidam eos*. Alii traiectionem eſſe volunt, pro: *Sed in nomine Iehovæ enervavi eos*. Sic duobus verſibus ſequentibus.

V. 11. CIRCUMDANTES CIRCUMDEDERUNT ME. Heb. *Circumdederunt me*, *etiam circumdederunt me*. Quidam *Etiam atque circumdederant me*. Alii: *Circumdant & circumveniunt me*. Nonnuli: *Cingant me*, *& diligentiſſime circumdent*. Aliqui: *Si me circumdederint*, *& ſane me circumdederunt.* Buchananus;

Circumdent, omnique premant ex parte.

V. 12. CIRCUMDEDERUNT ME SICUT APES; id eſt, plurimis ac confertis agminibus circumquaque: ſic Deuteronom. I. 44. Virgilius Lib. IV. Georgicorum de bello apum.

Tum trepidæ inter ſe coeunt, pennîſque coruſcant,
Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos:
Et circa Regem, atque ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magnîſque vocant clamoribus hoſtem.
——magnum miſtæ glomerantur in orbem.

Seneca Lib. I. de Clementia, cap. XIX. *Iracundiſſimæ, ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt apes: & aculeos in vulnere relinquunt*. EXARSERUNT SICUT IGNIS IN SPINIS. Heb. paſſim alii reddunt: *Extincti ſunt ſicut ignis ſpinarum*; id eſt, quam ocyſſime velut in fumum abierunt, & inanes effecti ſunt. Sic Eccle. VII. 7. Quidam: *Extinguantur tam ſubito quam ignis per ſtipulas volitans*. Alii ſecuti Noſtrum: *Accenſi ſunt*, *arſerunt*, *ſicut ignis ſpinarum*, in contraria ſignificatione: ut ſunt multa verba, quæ in ſecunda coniugatione contrariam ſignificationem habent primæ coniugationi. Nonnulli: *Et conſumere me pergunt ſicut iguis ſpinas*.

V. 13. IMPULSUS EVERSUS SUM UT CADEREM, &c. Heb. *Impellendo impuliſti me ad cadendum*. Quidam: *Graviter impuleras me*, *ut caderem*, *ſed Iehova auxilio fuit mihi*. Volunt eſſe apoſtrophen ad Saulem, vel ad hoſtem unumquemque: in qua David cum ius victoriæ ſuæ explicat, quod ab hoſtibus graviſſime laceſſitus eſſet; tum ſalutem Dei opponit irritis omnium conatibus.

V. 14. FORTITUDO MEA, ET LAUS MEA DOMINUS, &c. Hunc verſum totidem verbis exſcripſit David ex Cantico Moſis Exod. XV. 2. ibi vide. Quidam hic reddunt: *Robur*, *& materia carminis eſt mihi Iah*; *idem eſt ſalus mea*. Alii: *Fortitudo mea*, *& argumentum carminis mei ipſe eſt ſervator Dominus*: *quare confido futurum*, *ut auctor mihi fiat omnimodæ ſalutis*. Nonnulli: *Nam robur meum*, *& carmen meum*, *& ſalus mea Deus eſt*; id eſt, qui materiam ſcribendorum carminum mihi præbet. Aliqui: *Robur meum*, *& carmen Iah*, *is fuit mihi ſaluti*. Buchananus:

Ille meæ vires, illum mea carmina pangent
Unum; ſalutis unus auctor eſt meæ.

V. 15. VOX EXULTATIONIS ET SALUTIS, &c. Hunc verſum dilucidius alii ex Heb. convertunt: I. *Vox iubili*, *& ſalutis partæ auditur in tabernaculis iuſtorum*; id eſt, non ſolus agnoſco me ſervatum, ſed id omnes etiam iuſti cum ingenti lætitia & iubilo fatentur: *propterea quod dextera Domini res præclaras geſſit*. II. *Tum audietur vox exultationis*, *& pro adepta ſalute gratulationis in ædibus iuſtorum*: *dextera enim Domini operabitur in eis fortiter.* III. *Vox cantus & ſalutis eſt in tentoriis iuſtorum*, *dicens*, vel *dicentium*: *Dexteræ*

Iehovæ agit ſtrenue. Hic iam publicum Eccleſiæ officium erga Deum, & Regem deſcribitur, *in tentoriis iuſtorum*; id eſt, in urbe populi Dei, & habitationibus Iſraelitarum gratulantium Deo & Regi. Perſonant, inquit, omnia plauſu, & fauſtis acclamationibus bonorum gratulantium de ſalute ac dignitate mea. Buchanus:

Cunctaque iuſtorum pariter tentoria plaudent,
Meæ ſalutis pariter auctorem Deum.
Laudabunt, cantuque ferent ad ſidera dextram
Belli potentem, divitem victoriæ.

V. 16. Dextera Domini fecit virtutem. Heb. *Dextera Ieveh faciens ſtrenuitati*; id eſt, agit ſtrenue, potenter, robuſte, fortiter. Nonnulli: *Peperit victoriam ſtrenue pugnando*: ſic verſu ſequente.

V. 17. Non moriar, sed vivam, &c. Explicant, ut conſpiraverant ſcilicet hoſtes contra me: quemadmodum ipſe de Pheliſthæis docet Pſal. ix. 7.

V. 18. Castigans castigavit me Dominus, &c. Hebr. *Caſtigando caſtigavit me Iah*: vel *corripiendo corripuit me Iah*; id eſt, *probe caſtigavit me*, *ſevere caſtigavit me*, &c. quaſi dicat: Corripuit me ſeria caſtigatione, at non ſivit me mori; acſi dicat: Dei quidem conſilium fuit, ut me inimicorum opera caſtigaret, ſed inimicorum contra ut profligarent me, quod tamen non permiſit Deus: ſic Iſaiæ x. 6. & 7. & Zachariæ i. 14. & 15.

V. 19. Aperite mihi portas iustitiae, &c. Dialogiſmus, quo continetur explicatio cauſæ, qua ſalus ad Eccleſiam pertinet, hoc, & ſequente verſu: *portas iuſtitiæ*; id eſt, domus Dei, in qua ſola iuſtificantur homines a peccatis, (nam extra Eccleſiam nec iuſtitia, nec ſalus eſt) quam ingrediuntur iuſti Deum iuſtiſſimum adeuntes, ut ſequens verſus exponit. Eſt autem hic ſermo populi quærentis aditum in domum Dei, cui reſponſionem ſubiicit Deus ſequente verſu. Alii volunt eſſe apoſtrophen Davidis, ad ſacerdotes, Levitas, & æditυos Tabernaculi, poſtulantis, ut ſibi Templi portas aperiant, ut in ſacro cœtu Deum celebrare poſſit, a quo tamdiu extorris fuerat, & quamdiu in exilio fuerat, clauſæ illi fuerant.

V. 20. Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam. Quidam: *Hæc ipſa porta ad Iehovam, per quam iuſti intrant*; id eſt, Chriſtus eſt hæc ipſa porta, per quam iuſti intrant in Eccleſiam, Ioann. x. 9.

V. 21. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me; et factus es mihi in salutem. Aliqui reddunt: *Celebrabo te, quia exaudiens me, fuiſti mihi ſaluti*. Notant eſſe orationem populi, conſtantem ex prædicatione beneficiorum Dei, his quatuor verſibus; *quia exaudiens me, fuiſti mihi ſaluti*. Primum beneficium ſingulare, ut ſupra verſ. 5.

V. 22. Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Nos verbatim hunc verſum ex Hebr. expreſſimus (*Lapidem faſtidiverunt ædificantes: fuit capiti pinnæ.*) Alii: I. *Lapis, quem contempſerunt, deſpexerunt ædificantes, fuit capiti anguli*. II. *Lapis, quem repudiaverunt ædificantes, factus eſt in caput angularis pinnæ*. III. *Lapidem repudiaverunt ædificantes, ſed factus eſt ille in caput anguli*. IV. *Nam lapis, quem reiecerunt ædificantes, factus eſt caput anguli*; id eſt, lapis ille conſtitutus eſt in excellentiſſimo loco totius ædificii. V. *Quem lapidem ſpreverant ſtructores, is eſt caput anguli*. Secundum beneficium publicum, pertinens ad Regem hoc verſu: totumque regnum verſibus ſequentibus, uſque ad 25. quod typice in Davidis perſona ſtabilitum, perfecte & abſolute inſtitutum eſt in Chriſto, & in Eccleſia, ut ipſe Chriſtus accommodat Matthæi xxi. 42. & Petrus Actor. iv. 11. & Epiſt. I. cap. ii. 7. Lapis enim eſt typicus David, cui vetus Eccleſia tamquam lapidi diatono, ſive frontato incubuit: verus autem lapis Chriſtus, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit, ut ſit templum ſanctum Domino, Epheſior. ii. 20. & 21. eiuſmodi lapidem angularem, qui duos parietes nectit, ſeu iuncturas ædificii ſuſtinet, Græce diatonum, ſeu *Diatoron* vocant, Latine *Frontatum*: Artifices, *Terpennam* dicunt: vide Vitruvium Lib. II. cap. viii. *ſpreverant ſtructores*; id eſt, proceres in populo Dei, cum Saulis temporibus, tum etiam Isboſethi, ſi Davidem reſpiciamus: ſin autem Chriſtum, Sacerdotes, Scribæ, Phariſæi, & alii omnes qui ex officio

exſtruere, non deſtruere debuerant: *in caput anguli*; id eſt, firmamentum, ſive fundamentum totius Eccleſiæ coagmentatæ in Chriſto, immo angulari lapide, Epheſ. II. 20. prout figurate Iehuda, & Iſrael coaluerant in David.

V. 23. A DOMINO FACTUM EST ISTUD, &c. Hebr. *De cum Iehveh fuit iſta ipſa, mirabilis in oculis noſtris*; id eſt, hæc ipſa res, vel hæc ipſa ſalus: vel neutraliter, *iſtud*. Quidam reddunt: *A Iehova eſt hic, eſtque mirabilis in oculis noſtris*. Hic, videlicet angulus; id eſt, conſtructio & coagmentatio Eccleſiæ, vel hic lapis frontatus Chriſtus.

V. 24. HAEC EST DIES, QUAM FECIT DOMINUS, &c. Hebr. *Iſtum diem fecit Iehveh; exultabimus & lætabimur in eo*. Hunc diem interpretari videtur Paulus II. Corinth. VI. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*; id eſt, tempus regni Chriſti in typo, quando David regnum ſtabilitum fuit. Alii reddunt: *Hac ipſa die effecit Iehova: exultemus & lætemur in ea*; id eſt, hac ipſa die effecit Iehova, nimirum ſalutem Regi & regno, ut coaleſcerent & firme conſtringerentur.

V. 25. O DOMINE SALVUM ME FAC, O DOMINE BENE PROSPERARE. Hebr. abeſt *me*. *Obſecro Iehova, ſerva obſecro*, ſeu *nunc: obſecro Iehova, proſpera obſecro*, ſeu *nunc*. Precatio Eccleſiæ ad Deum pro Rege & regno, ut ſervet, ac fortunet utrumque. Hanc fauſtam acclamationem ſeu orationem, cecinisse Christo vero Regi ac Meſſiæ ingredienti Ieruſalaima turbas, refert Matthæus XXI. 9. BENE PROSPERARE. הצליחה *hatzlicuah*, Imperativum Hiphil, verbi צלח *tzalach*, quidam intranſitive accipiunt ac neutraliter, cum non ſequatur regimen accuſativi: *Proſice, pervade, perrumpe, vim tuam exere; ſecundare, proſperare, proſperos ſucceſſus fac, habe*. Alii active, ſubaudito accuſativo: *Proficere fac, perrumpere fac; ſecunda, fortuna, proſpera, Regem & regnum*: vel *da felicem ſucceſſum nunc Regi & regno*. Figurate, Davidem & regnum eius, quod Saulis culpa & improbitate valde labefactatum erat. Vere & plene, Chriſtum & Eccleſiam.

V. 26. BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI: BENEDIXIMUS VOBIS DE DOMO DOMINI. Diverſimode ex Hebr. transferunt: I. *O beatum, qui venit in nomine Domini: bene ominemur & precemur vobis, qui eſtis domini*. II. *Omni laude maior hic eſt, qui advenit legatus a Domino ad nos: bene precati ſumus vobis & nos e domo Domini, & felices iudicavimus*. III. *Optima quæque illi precamur, qui venit in nomine Domini: noſque fauſta imprecamur vobis e domo Domini*. IV. *Benedictus eſt qui venit in nomine Iehovæ, benedicimus vobis e domo Iehovæ*. Notant hoc & ſequente verſu eſſe orationem Dei ad Regem & populum per ſacerdotes ſuos; quæ continet gratulationis & benedictionis, verba ſacerdotum omnibus benedicentium ex officio, Deut. X. 8. & ſacrificia imperantium. DE DOMO DOMINI: ſeu *e domo Iehovæ*; id eſt, a Iehova, quem pro munere noſtro, veſtro nomine accedimus, & cuius nomine benedictionem vobis denuntiamus depromptam e domo, & theſauro ipſius, Numer. VI. 27. Alii; id eſt, Nos ſacerdotes qui ſumus e domo, ſeu templo Domini, benedicimus vobis ex officio, qui favetis Regi & regno. Buchananus:

O felix, iterum o felix, quem rector Olympi,
Populo ſalutis miſit auctorem ſuo!
Nos quibus eſt ſacri cuſtodia templi,
Vobis precamur cuncta vertant proſpere.

V. 7. DEUS DOMINUS, ET ILLUXIT NOBIS. Quidam iungunt fini præcedentis verſus, & in genitivo reddunt: *De domo Iehovæ, Dei fortis* Iehovæ, *qui illuſtravit nos*; id eſt, perfudit nos hac proſpera & glorioſa victoria: ſic enim lux apud Hebræos proſperitatem & lætitiam ſonat, ut Eſther VIII. 16. CONSTITUITE DIEM SOLEMNEM IN CONDENSIS, USQUE AD CORNU ALTARIS. Multifariam, alii ex Heb. transferunt: I. *Ligate feſtum in frondibus uſque cornua altaris*, vel *vincite ſolemnitatem cum frondoſis*. II. *Redimite feſtum diem frondibus uſque ad aræ cornua*. III. *Quare colligate ſub diem feſtum ramos, & templum ornate uſque ad cornu altaris*. IV. *Vincite feſtivitatem funibus*, id eſt *frondes feſtivitatis, uſque ad cornua altaris*. Notant alludere ad veterem, morem, diebus feſtis, ornandi templa, & altaria

taria ramis, & frondibus, floribuſque per ſunes diſpoſitis: etiam olim a gentilibus uſurpatum, qui etiamnum hodie viget. Virgilius II. AEneidos:

Non delubra Deum miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.

Servius: *Feſta fronde, quæ feſtos indicat dies, vel quæ feſtis diebus adhibentur, ut laurus, oliva, hedera*: & I. AEneidos:

Centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.

V. *Vincite, ligate, feſtivitatem, agnum, hoſtiam, victimam, funibus uſque ad cornua altaris*. Metonymia Synecdochica, ut חג *chagh*, *feſtivitas*, ſumatur pro victima, quæ feſto die ſacrificatur, ut Exod. xxiii. 18. ſic capi volunt Iſaiæ xxix. 1. Nonnulli putant alluſum hic priſcum ad ritum, quo hoſtia funibus ducebatur ad aram, ut eum Ethnici fortaſſe ex Hebræis mutuati fuerint. Iuvenalis Satyra XII.

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem.

Plinius Lib. VIII. cap. xlv. *Hoc quoque notatum vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare*. Feſtus: *Victimam AElius Stilo ait eſſe vitulum ob eius vigorem: alii avem, quæ vincta ducatur ad altare*. Vide Stuckium de ſacrificiis Gentium, fol. 76. & 77. Tremellius, & Iunius hic reddunt: *Ligate ſacrificia feſtiuſque ad cornua altaris*; id eſt, in toto atrio confertim: nam ulterius tranſire populo nefas erat. Leo Iudas: *Itaque victimam alligate funibus ad cornua altaris*. Buchananus:

Lætitia celebrate diem, fœtuſque bidentis
Tenellus aræ vinctus adſtet cornibus.

VI. *Nectite choream manuum complexibus uſque ad cornua altaris. Chagh, tripudium, choream, circumgyrationem, circumrotationem* poſſit ſignificare.

V. 28. Deus meus es tu, &c. Notant, hoc & ſequente verſu eſſe concluſionem laudativam, nimirum a laudatione Dei ſingulari, & publica, quæ adhibebatur, cum iſta Euchariſteria offerrentur Deo.

V. 29. Confitemini Domino, &c. Amœbæus, idem cum verſ. 1. ut finiat cum Dei laudibus, a quibus inceperat.

MENOCHII.

Verſ. 1. Confitemini Domino: laudate Dominum. Bonus, benignus, beneficus. Quoniam in saeculum: quoniam perpetuo duratura eſt miſericordia eius.

V. 2. Dicat nunc Israel, &c. Recenſet eos, quos excitare vult ad Deum laudandum. Iſraelitas omnes, Laicos ſcilicet ad ordinem Leviticum non pertinentes; præterea omnes Levitas, & ſacerdotes; tandem omnes timentes. *Nunc*: hoc gratiæ, vel hoc publici conventus, & confeſſionis tempore.

V. 3. Domus Aaron; Sacerdotes ex Aaron familia.

V. 5. In latitudine. Largiter, & copioſe, vel cum latitudine & lætitia mea exaudivit me, & in locum latum, & ſpatioſum conſtituit me, in quo periclitari non poſſem.

V. 6. Quid faciat mihi homo. Quid faciat mihi homo, & infirma creatura.

V. 8. Bonum est: melius eſt, magis bonum eſt.

V. 10. Circuierunt me: obſederunt, undique oppugnarunt. Et in nomine, &c. At nomine Domini, eiuſque virtute factum eſt, ut eas ulciſceres, pœnas de eis ſumerem; aut, ut ſonat textus Hebræus, *exſcinderem*, vel *perimerem*.

V. 12. Sicut apes: in me aculeos exerentes, quibus figerent me. Sicut ignis in spinis. Spinarum ignis eſt acerrimus, licet breviſſimus, magnum etiam reddit ſtrepitum, & vicina quæquæ abſumpturus, & populaturus videtur. Et in nomine Domini. Hoc explicatum eſt n. 10.

V. 13. Impulsus. Ab inimicis meis ea de cauſa emotus ſum ut caderem, ut proſternerer. In Hebr. eſt. *Impellendo impuliſti me ad cadendum*. Eversus sum: prope abſui a caſu, ab everſione. Suscepit me, iuvit, ac tenuit me ne caderem.

V. 14. Fortitudo mea, et laus mea Dominus; quaſi dicat: Proinde agnoſco robur meum eſſe Dominum, cuius beneficio hoſtium petitiones inconcuſſus eludo; ipſe carminum, & laudum mearum per-

Digitized by Google

perpetuum erit argumentum. FACTUS EST MIHI IN SALUTEM: fuit mihi ſaluti.

V. 15. VOX EXULTATIONIS, ET SALUTIS, &c. quaſi dicat: Neque ego ſolus eum canam, ſed vox iubilationis, & gratiarum actionis pro vita, & ſalute conſervata, auditur in domibus iuſtorum.

V. 16. DEXTERA DOMINI; potentia Domini. FECIT VIRTUTEM. IN Heb. *fecit fortitudinem*; id eſt, ſortia, & admiranda facinora edidit in commodum, & bonum meum. EXULTAVIT ME; eripiens ab omnibus malis, & celſo, & glorioſo in ſtatu conſtituens.

V. 18. CASTIGAVIT ME. In utilitatem meam, non in perniciem, nam in mortem cadere me non permiſit.

V. 19. APERITE MIHI. Apoſtrophe ad ſacerdotes, & æedituos, ut ſibi aperiant portas templi, & Eccleſiæ, quo publice, & ſolemniter Domino agat gratias pro acceptis beneficiis, vel certe divinis beneficiis animatus, maiora ſperare, & poſtulare auder, ideoque petit ſibi cæleſtis Ieruſalem portas reſerari. PORTAS IUSTITIAE. Portas templi, appellat portas iuſtitiæ, & virtutis, quia intra eas Dominus homines iuſtificat, & quia per eas iuſti ingrediuntur ad laudandum Deum. Cæli etiam portæ, ſunt portæ iuſtitiæ, quia nullus eas ingreditur, qui iuſtus non ſit, & omnes labes abſterſerit.

V. 20. HAEC PORTA DOMINI: porta templi Domini, vel porta cæli, in quo ſplendet maieſtas Domini.

V. 21. FACTUS ES MIHI IM SALUTEM: fuiſti mihi ſaluti.

V. 22. LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT AEDIFICANTES, &c. Lapis ille, quem ædificantes reiecerunt tamquam fabricæ ineptum, non ſolum admiſſus eſt, ſed etiam in potiori, & honeſtiori fabricæ loco conſtitutus eſt. Iudæi, Phariſæi, & Sacerdotes, quibus creditum erat munus Eccleſiam veterem ædificandi doctrina, & exemplo, hi Chriſtum reiecerunt: ſed Chriſtus digniori fabricæ loco poſitus eſt; hoc eſt, in capite anguli, ut ſcilicet duos parietes necteret, populum nimirum Iudaicum, & populum gentilem, & ex utriſque unicam coagmentaret Eccleſiam.

V. 23. A DOMINO FACTUM EST ISTUD. Non fortuito hoc accidit, ſed divino conſilio, & voluntate; immo adeo magna res eſt, ut a nullo, præter quam a Domino patrari potuerit.

V. 24. HAEC EST DIES QUAM FECIT DOMINUS. Hæc dies, in qua id factum eſt, qua ſcilicet lapis Chriſtus factus eſt in caput anguli: eſt proprie dies, quam fecit Dominus, quam ſcilicet inſigni hoc beneficio notabilem reddidit; ideoque in ea exultandum, &c. Hæc dies eſt dies reſurrectionis, qua Chriſtus exaltatus, & glorificatus eſt poſt paſſionem, qua a Iudæis reprobatus fuerat.

V. 25. DOMINE. Vide dicta Pſal. CXIV. 4. nam eadem vox Hebræa hic recurrit. SALVUM ME FAC. Has laudes Chriſto dixerunt turbæ in die Palmarum, ut S. Hieronymus annotavit ad cap. XXIII. S. Matth. quod enim dixerunt, *Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini*; in hoc verſiculo habemus, ſed in Evangelio relinquitur vox Hebraica *Oſanna*, quæ hic explicatur per illa verba: *O Domine ſalvum me fac.* BENE PROSPERARE; in inchoato regno tuo: in Græco eſt εὐόδωσον bene procedant res tuæ, & ſucceſſum quem optas, nanciſcantur: ſimile eſt illud Pſal. XLIV. 5. *Proſpere procede, & regna.*

V. 26. IN NOMINE DOMINI: mandato, & potentia Dei ad tollendos hoſtes noſtros, peccatum, mortem, &c. BENEDIXIMUS; id eſt, nos prophetæ, benediximus vobis populis fidelibus, annuntiantes myſteria divina in ſalutem veſtram. VOBIS DE DOMO DOMINI: vobis, qui eſtis de domo Domini, domeſtici Dei.

V. 27. DEUS DOMINUS, ET ILLUXIT NOBIS. Hæc eſt ſumma benedictionis, quod ſcilicet Deus noſter humanam carnem aſſumens nobis apparuerit. CONSTITUITE DIEM SOLEMNEM IN CONDENSIS. Agite diem ſolemnem, denſos & virides ramos afferentes, & ornantes templum uſque ad cornu altaris.

V. 28. DEUS MEUS ES TU, &c. Hæc eſt repetitio dictorum, affectum prophetæ demonſtrans.

TIRINI.

Verſ. 5. IN LATITUDINE; ſupple, conſtituens me; quaſi dicat: Ex magnis anguſtiis animi & corporis eduxit me Deus in latum campum libertatis.

V. 8. BONUM EST. Hieronymus & Chaldæus, *melius* (a) *eſt*: quia hominis, etiam principis, quantumvis potentiſſimi, & liberaliſſimi, vel fortuna, vel voluntas, vel vita mutari poteſt: Deus autem per omnia immutabilis eſt, inquiunt Theodoretus & Genebrardus.

V. 10. CIRCUIERUNT ME, id eſt obſederunt; Hieronymus & Chaldæus, *circumdederunt me*: ſed ego invocato NOMINE Dei, eiuſdem ope vici omnes, & ULTUS SUM me *de illis*.

V. 12. SICUT APES, nempe pungentes & vexantes me undique. ET SICUT IGNIS IN SPINIS: nimirum maximo ſtrepitu & impetu; ſed qui ſubito *extinguitur*, ut vertit Hieronymus.

V. 15. VOX SALUTIS; id eſt, vox gratulationis & gratiarum actionis pro ſalute & victoria parta, ſupple, nunc paſſim audiatur & reſonet. Ita S. Auguſtinus.

V. 19. PORTAS IUSTITIAE; id eſt, valvas templi ſeu tabernaculi, in quod nemo niſi iuſtus & purus ingredi mereretur; ut mox additur. Vocatur quoque PORTA DOMINI, quia pandebat viam in templum, ubi ſingulari modo Deus, quaſi in proprio palatio, ſe præſentem exhibebat. Allegorice, porta ad Patrem eſt Chriſtus; Tropologice, virtutes. Ita S. Hieronimus.

V. 22. LAPIDEM, nempe *puerum Davidem*, inquit Chaldæus, qui reiiciebatur a Saule & populo Iſrael: allegorice & melius, lapis hic eſt Chriſtus, Matth. XXI. 42. & Epheſ. II. 20. QUEM AEDIFICANTES; id eſt, architecti domus ſeu Eccleſiæ Dei, puta principes & pontifices Iudæorum, reiecerunt, tamquam ſibi inutilem, adeoque & noxium lapidem. Sed tamen HIC idem a Deo FACTUS EST CAPUT; id eſt, præcipuus lapis, ANGULI, ſeu præcipuæ partis domus; quaſi dicat: Conſtitutus eſt nobiliſſimus lapis, nempe angularis, totius ædificii iuncturam ſuſtinens, & duos parietes, Gentium & Iudæorum (immo & angelorum) in ſe velut angulo iungens. Ita ſancti Patres.

V. 25. SALVUM ME FAC; Hebraice; *hoſanna*; id eſt, ſalva quæſo. BENEDICTUS; ſupple, ſit a Deo, QUI VENIT IN NOMINE, id eſt miſſu, auctoritate, vice Dei. Hac eadem acclamatione exceperunt Iudæi Chriſtum Matth. XXI. 9. *Hoſanna filio David*; quaſi dicat: Qui Davidem patrem olim ſervaſti, nunc filium eius ſerva Chriſtum.

V. 26. & 27. BENEDIXIMUS VOBIS. Vox eſt ſacerdotum; quaſi dicat: *Nos* DE DOMO DOMINI, id eſt e templo, bene precamur vobis, o populе Dei; quia Deus hucuſque iratus, iam nova beneficentiæ luce ILLUXIT NOBIS, & nova lætitia perfudit nos, dato novo Rege Davide & Meſſia. Quare CONSTITUITE DIEM SOLEMNEM IN CONDENSIS; id eſt, celebrate diem hunc lætum & fauſtum, urbem, plateas, & præ omnibus atria templi, USQUE AD CORNU ALTARIS, ornantes denſis frondibus, ramis & coronis. Ita Hebræa & S. Hieronymus. Et ita factum Chriſto in die Palmarum.

(a) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. VII. a. 5.

GORDONI.

Titulus, ALLELUIA, ut ſupra; Argumentum Pſalmi eſt gratiarum actio: & quidem ad litteram a Davide, propter liberationem a periculis ſub Saule: ab Eccleſia vero, & populo Chriſtiano, pro dato Chriſto; ut eſſet lapis angularis, duos coniungens parietes in templo myſtico.

Verſ. 16. DEXTERA DOMINI FECIT VIRTUTEM, &c. Exponuntur hic voces illæ *ſalutis in tabernaculis iuſtorum*; ſic certe, quod dextera Domini fecerit virtutem; & dextera hæc exaltaverit Davidem. Heb. רוממה *romemah*, *excelſa*, vel exaltans, rad. רום *rum*. Poſteriori modo, & active expreſſerunt Se-

Septuaginta ; addito pronomine ad maiorem declarationem.

V. 22. & 24. LAPIDEM QUEM REPROBAVERUNT AEDIFICANTES, &c. Poſſet hic locus ad Davidem referri ſecundum litteram, qui poſt mortem Saulis, velut lapis angularis coniunxit in unum duo regna, Iudam, & Iſraelem, II. Reg. III. 10. in quo geſſit typum Chriſti. Ita Ianſenius, Vatablus, Arias, & quidam alii: tamen Patres abſolute exponunt de Chriſto: iuxta ſenſum quem dedi in textus explicatione, & ipſe Chriſtus Math. XXI. hoc ſenſu citat hunc locum, ac poſt eum Petrus act. IV. ita fere recentiores. Unde ſequitur hic verſ. 24 HAEC DIES (ſcilicet reſurrectionis) QUAM FECIT DOMINUS; quamvis ab ipſa conceptione hic dies lætitiæ traxerit originem: ſi autem ad Davidem referas, verba hæc erunt vox populi lætantis, cum David utrumque regnum coniunxit: ſed placet agi de Chriſto.

V. 24. & 25. HAEC DIES: Iam hæc lætantis populi verba expoſita ſunt; & additur verſ. 25. O DOMINE SALVUM ME FAC; ſunt fauſtæ acclamationes, ſive Davidi, ut dixi, ſive potius Chriſto, ut accidit die Palmarum, Matthæi cap. XXIII. ſed quod eſt ibi *Oſanna*, הושיעהנא *bo ש ibbah na*, hic explicatur, *o Domine ſalvum me fac*, non eſt una vox, ſed duæ, nempe verbum הושיע *bo ש iab*, & particula, נא *na*, quam Hieronymus vertit, *obſecro*, verbum accipi poteſt, vel active, vel paſſive: verſ. 17. AD CORNU ALTARIS: nempe eo deducenda eſt victima, ubi mactanda eſt.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. CONfitemini, &c. Initio non ſolum invitat ad laudandum Deum, ſed etiam rationem dat. Certe, quoniam Deus, ut bonus eſt per eſſentiam; ita homines bonos reddit per gratiam. Et in hoc maxime relucet eius miſericordia. Inſequenter per tres proximos verſiculos uſque ad quintum, invitat ad hanc laudem populum, ſacerdotes, ac demum omnes gentes timentes Deum; ſive cui bene vixerunt in lege nature; ſive poſtea ſunt convertendi ad Chriſtum.

V. 5. *De tribulatione*, &c. Deum David hic per decem inſequentes verſus dat cauſam a liberatione petitam, cur laudet Deum; bene explicat crebra repetitione affectum orantis, & miſcet antitheſin, eſſe melius fiduciam in Deo, quam in hominibus collocare. Nec tacet verſu 10. magnitudinem periculorum, a quibus liberatus eſt, ut hinc maior appareat cauſa laudandi.

V. 16. Hinc uſque ad verſum 22. poſt datam laudis materiam, ipſe quaſi inſtituto cantico exaltat, & canit Dei laudes. Verba porrò ipſa ſatis docent, quam poſſint bene hæc omnia explicari de Chriſto, & præfertim verſ. 19. & 22.

V. 22. & ſeq. *Lapidem*, &c. Clare ſunt hæc verba de Chriſto, iuxta alia Scripturæ loca, & Patres. Chriſtus fundamentum Eccleſiæ eſt, quem reprobaverunt, & abiecerunt ædificante illi Doctores legis, & Phariſæi: tamen *factus eſt in caput unguli*, connectens duos parietes; unam formans Eccleſiam, ex Iudæi & gentibus; & cuius ipſe eſt caput æternum. De hic verbis vide Eſa. cap. XXVIII. v. 16.

BOSSUET.

Verſ. 2. QUONIAM BONUS: deeſt Hier.

V. 5. EXAUDIVIT ME IN LATITUDINE: ex anguſtiis in latitudinem ac libertatem deduxit.

V. 6. DOMINUS MIHI ADIUTOR. *Dominus meus es*, Hier.

V. 8. BONUM EST ... QUAM &c. melius; Hebraiſmus.

V. 11. CIRCUMDEDERUNT ME ... licet obſederint me, exaſperatis odiis, coniunctiſque viribus, tamen victor evaſi.

V. 12. EXARSERUNT SICUT IGNIS IN SPINIS: tam facile, ac ſpinæ correptæ crepitantibus flammis: at Heb. *ex tincti ſunt*: facile, deficient, ut ignis in levi ſpinarum materia. ULTUS SUM IN EOS: *ſuccivam eos*, Heb. *vices reddidi eis*. LXX.

V. 13. EVERSUS SUM; *pellebar*, Hier.

V. 19. PORTAS IUSTITIAE, ac ſanctitatis; id eſt, templi; ſive tabernaculi atque altaris: nec modo altaris, ſed etiam virtutis, per quam verus eſt acceſſus ad Deum. Theodor.

V. 22. LAPIDEM... IN CAPUT ANGULI: factus eſt lapis angularis & primarius in fundamento, duos parietes iungens. David a Saule & aliquamdiu a decem Tribubus reprobatus, ac ſoli Tribui Iudæ agnitus, deinde omnium princeps; & ſub figura eius Chriſtus a Iudæis ac gentibus impetitus, mox utrorumque caput, ut ipſe interpretatur, Matt. XXI. 42. vide apud Iſaiam XXVIII. 6. Lapidem illum probatum, angularem, pretioſum: in fundamento fundatum, id eſt Chriſtum: Act. IV. 11. Rom. IX. 33. I. Pet. II. 6.

V. 25. SALVUM ME FAC: *ſalva, obſecro*, Hier. *hoſchia na*, Heb. quod eſt nobile illud *hoſanna*, Matt. XXI. 9. de quo vide Hier. in epiſt. ad Damaſum.

V. 27. CONSTITUITE DIEM SOLEMNEM... ligate ſolemnitatem denſis uſque, &c. Hier. ligate victimam ſolemnem denſis funibus, ut ad uſque cornua altaris perducatis. IN CONDENSIS: *in frondoſis*, Hier. ramis obvelate atria Domini.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXVIII. MORALIS: CONSOLATORIUS.

David exul & vagus, atque omnimode ſub Saule vexatus, in divinæ legis meditatione reſpirat. Id autem agit, ut non modo ſe ad obſervandam legem incitet quam vehementiſſime, verum etiam gratiam Dei, ad id opus exequendum ſumme neceſſariam; nec tantum ad intelligendam, ſed etiam ad diligendam legem pari ſtudio commendet ac petat. Vide verſ. 18. 26. 32. 34. & ſeqq. legem variis appellat nominibus diverſo reſpectu. Verbum, communi nomine omnibus divinæ veritatis ſignificationibus: quodque idem eſt, eloquia & ſermones: legem ſpeciatim, qua Deus docet quid agendum ſit: viam, qua Deo duce ingrediamur ad vitam: mandatum ſeu præceptum, quo Deus quid velit ſignificat, unde teſtimonium, quo credimus eius inſtitutis & promiſſis: & ſimile conſcientiæ teſtimonium agnoſcimus; tum etiam ad convincendos impios. Quæ omnia, iuſtitiæ quoque ſeu iuſtificationes dicuntur; quibus iuſti ſimus & ad æquum rectumque, animum componamus: deinde iudicia, quibus pro operibus aut pœnam aut mercedem capiamus. Vide Theodor. hic, & in Pſalm. XVIII. II. *Lex doctoris, Domini, iudicis, teſtis officio fungitur. Iuſtificationes hic ubique ſunt ſtatuta: buccim, Hebr. Eſt autem hic Pſalmus Acroſticus octonarius. Dividitur enim in partes viginti duas, iuxta numerum Hebraicarum litterarum, & pars unaquæque octo verſus continet ab eadem littera incipientes, iuxta ordinem alphabeti. Porro hunc Pſalmum, quanto videtur apertior, tanto profundiorem videri ſibi teſtatur Aug. nec diſſentiunt reliqui.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
Beati qui cuſtodiunt teſtimonia eius: in toto corde requirunt eum.

VERSIO VULGATA.

Alleluia.

ALEPH.

1. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
2. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Nec enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulaverunt.
Tu mandaſti præcepta tua cuſtodiri nimis.
Utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodienda præcepta tua.
Tunc non confundar: cum reſpexero ad omnia mandata tua.
Confitebor tibi in directione cordis: cum didicero iudicia iuſtitiæ tuæ.
Præcepta tua cuſtodiam: ne dereiinquas me nimis.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulaverunt.
4. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.
5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.
6. Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.
7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iuſtitiæ tuæ.
8. Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas uſquequaque.

BETH.

In quo corrigit iuvenis ſemitam ſuam? cum coſtodierit verba.
In toto corde meo exquiſivi te: ne errare me facias a mandatis tuis.
In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.
Benedictus tu Domine, doce me præcepta tua.
In labiis meis narravi omnes iuſtitias oris tui.
In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, quaſi in omnibus divitiis.
In præceptis tuis meditabor, & contemplabor ſemitas tuas.
In iuſtitiis tuis delectabor: non obliviſcar verba tua.

9. In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.
10. In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me a mandatis tuis.
11. In corde meo abſcondi eloquia tua: ut non peccem tibi.
12. Benedictus es Domine: doce me iuſtificationes tuas.
13. In labiis meis pronuntiavi omnia iudicia oris tui.
14. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.
15. In mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.
16. In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliviſcar ſermones tuos.

GIMEL.

Retribue ſervo tuo: vivam, & cuſtodiam verba tua.
Revela oculos meos, & videbo mirabilia de lege tua.
Advena ego ſum in terra: ne abscondas a me mandata tua.
Deſideravit anima mea deſiderare iudicia tua in omni tempore.
Increpaſti ſuperbos: maledicti qui recedunt a mandatis tuis.
Aufer a me opprobrium, & con-

17. Retribue ſervo tuo, vivifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.
18. Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.
19. Incola ego ſum in terra: non abſcondas a me mandata tua.
20. Concupivit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore.
21. Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.
22. Aufer a me opprobrium, & tem-

Digitized by Google

temtum: quoniam teſtimonia tua cuſtodivi.

Etenim ſederunt principes, adverſum me loquebantur: ſervus autem tuus meditabatur præcepta tua.

Sed & teſtimonia tua voluntas mea, quaſi viri amiciſſimi mei.

contemptum: quia teſtimonia tua exquiſivi.

23. Etenim ſederunt principes, & adverſum me loquebantur: ſervus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

24. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

DALETH.

Adhæſit pulveri anima mea: vivifica me verbum tuum.

Vias meas expoſui, & exaudiſti me doce me iuſtitiam tuam.

Viam præceptorum tuorum fac me intelligere, & loquar in mirabilibus tuis.

Diſtillavit anima mea præ ſtultitia: ſerva me iuxta eloquium tuum.

Viam mendacii aufer a me, legem tuam dona mihi.

Viam fidei elegi: iudicia tua proponebam.

Adhæſit teſtimoniis tuis: Domine ne confundas me.

Viam mandatorum tuorum curram: quoniam dilataſti cor meum.

25. Adhæſit pavimento anima mea: vivifica me ſecundum verbum tuum.

26. Vias meas enuntiavi, exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.

27. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

28. Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitatis amove a me ‡ † & de lege tua miſerere mei.

30. Viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus.

31. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine: noli me confundere.

32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.

HE.

Oſtende mihi Domine viam præceptorum tuorum, & cuſtodiam eam per veſtigium.

Doce me, & obſervabo legem tuam: & cuſtodiam eam in toto corde.

Deduc me in ſemita mandatorum tuorum: quia ipſam volui.

Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua [illegible].

Suſcita ſervo tuo [illegible] um, in timorem tuum [illegible]

Averte op[illegible] te-

33. Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper.

34. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & coſtodiam illam in toto corde meo.

35. * Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: quia ipſam volui.

36. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.

37. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.

38. Statue ſervo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

39. Amputa opprobrium meum ‡ veri-

veritus ſum: quia iudicia tua bona.

Ecce deſideravi præcepta tua: in iuſtitia tua vivifica me.

Et veniant mihi miſericordiæ tuæ Domine, & ſalus tua iuxta eloquium tuum.

Et reſpondebo exprobrantibus mihi ſermonem: quia ſperavi in ſermone tuo.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſque nimis: quoniam iudicia tua expectavi.

Et cuſtodiam legem tuam iugiter: in ſempiternum, & ultra.

Et ambulabo in ſpatioſo: quia præcepta tua quæſivi.

Et loquar in teſtimoniis tuis coram regibus, & non confundar.

Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi.

Et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & loquar in præceptis tuis.

Mementò ſermonis ſervo tuo: quem me ſperare feciſti.

Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea: quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi deridebant me nimis: a lege tua non declinavi.

Recordatus ſum iudiciorum tuorum a ſæculo Domine, & conſolatus ſum.

Horror obtinuit me ab impiis, qui dereliquerunt legem tuam.

Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ.

Recordatus ſum in nocte nominis tui Domine, & cuſtodivi legem tuam.

Hoc factum eſt mihi: quia præcepta tua cuſtodivi.

quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iucunda.

40. Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me.

VAU.

41. * Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine: ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.

42. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: quia ſperavi in ſermonibus tuis.

43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque: quia in iudiciis tuis ſuperſperavi.

44. Et cuſtodiam legem tuam ſemper: in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

45. Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſivi.

46. * Et loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu Regum: & non confundebar.

47. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iuſtificationibus tuis.

ZAIN.

49. Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

50. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.

51. Superbi inique agebant uſquequaque: a lege autem tua non declinavi.

52. Memor fui iudiciorum tuorum a ſæculo Domine: & conſolatus ſum.

53. Defectio tenuit me, * pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54. Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55. Memor fui nocte nominis tui Domine: & cuſtodivi legem tuam.

56. Hæc facta eſt mihi: quia iuſtificationes tuas exquiſivi.

HETH.

Pars mea Domine dixi ut cuſtodiam verbum tuum.

57. Portio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam.

Deprecatus ſum vultum tuum in toto corde: miſerere mei ſecundum eloquium tuum.

58. Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo: miſerere mei ſecundum eloquium tuum.

Recogitavi vias meas, & converti pedes meos ad teſtimonia tuà.

59. * Cogitavi vias meas: & converti pedes meos in teſtimonia tua.

Feſtinavi, & non neglexi cuſtodire mandata tua.

60. Paratus ſum, & non ſum turbatus: ut cuſtodiam mandata tua.

Funes impiorum implicaverunt me: legem tuam non ſum oblitus.

61. Funes peccatorum circumplexi ſunt me: & legem tuam non ſum oblitus.

Medio noctis ſurgam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

62. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.

Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium præcepta tua.

63. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Miſericordia tua Domine completa eſt terra, præcepta tua doce me.

64. Miſericordia tua Domine plena eſt terra: iuſtificationes tuas doce me.

TETH.

Benefeciſti ſervo tuo Domine: ſecundum verbum tuum.

65. Bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine, ſecundum verbum tuum.

Bonum ſermonem, & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

66. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

Antequam audirem ego ignoravi: nunc autem eloquium tuum cuſtodivi.

67. Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodivi.

Bonus es tu, & beneficus: doce me præcepta tua.

68. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.

Applicabant mihi mendacium ſuperbi: ego autem in toto corde meo ſervabam præcepta tua.

69. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.

Incraſſatum eſt velut adeps cor eorum, & ego in lege tua delectabar.

70. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus ſum.

Bonum mihi quia afflictus ſum, ut diſcerem præcepta tua.

71. Bonum mihi quia humiliaſti me: ut diſcam iuſtificationes tuas.

Melior eſt mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.

72. Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.

Ma-

IOD.

Manus tuæ fecernnt me, & firmaverunt me, doce me, & diſcam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia ſermonem tuum expectavi.

Scio Domine quia iuſtum iudicium tuum, & vere afflixiſti me.

Sic obſecro miſericordia tua in conſolatione mea, ſicut locutus es ſervo tuo.

Veniant mihi miſericordiæ tuæ, & vivam: quia lex tua delectatio mea.

Confundantur ſuperbi, quoniam inique contriverunt me: ego autem loquar in præceptis tuis.

Revertantur ad me qui timent te, & qui ſciunt teſtimonium tuum.

Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, ut non confundar.

73. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me: * da mihi intellectum, & diſcam mandata tua.

74. Qui timent te videbuntnr me, lætabuntur: quia in verba tua ſuperſperavi.

75. Cognovi Domine quia æquitas iudicia tua: †. & in veritate tua humiliaſti me.

76. Fiat miſericordia tua ut conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſervo tuo.

77. Veniant mihi miſerationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea eſt.

78. Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt teſtimonia tua.

80. Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, ut non confundar.

CAPH.

Defecit in ſalutare tuum anima mea; in verbum tuum expectavi.

Conſumpti ſunt oculi mei in verbum tuum, dicentes, quando conſolaberis me?

Et cum eſſem quaſi uter in prima: præcepta tua non ſum oblitus.

Quot ſunt dies ſervi tui, quando facies in perſequentibus me iudicium.

Foderunt mihi ſuperbi foveas, quæ non erant iuxta legem tuam.

Omnia mandata tua vera, falſo perſecuti ſunt me, auxiliare mihi.

Paulominus conſumſerunt me in terra, ego autem non dimiſi præcepta tua.

81. * Defecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperavi.

82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando conſolaberis me?

83. Quia factum ſum ſicut uter in pruina: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

84. Quot ſunt dies ſervi tui: quando facies de perſequentibus me iudicium?

85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes: ſed ut non lex tua.

86. * Omnia mandata tua veritas: inique perſecuti ſunt me, adiuva me.

87. Paulominus conſummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Se-

Digitized by Google

Secundum miſericordiam tuam vivifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

In æternum Domine, verbum tuum perſtat in cælo.

In generatione, & generatione fides tua; fundaſti terram, & ſtat.

Iudicio tuo ſtant uſque hodie: quia omnia ſerviunt tibi.

Niſi quod lex tua delectatio mea, forte periiſſem in preſſura mea.

In ſempiternum non obliviſcar præceptorum tuorum, quia per ipſa vivificaſti me.

Tuus ego ſum, ſalva me: quoniam præcepta tua quæſivi.

Me expectaverunt impii, ut perderent me: teſtimonium tuum conſiderabo.

Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Quam dilexi legem tuam! tota die meditatio mea.

Super inimicos meos inſtruis me mandato tuo, quia in ſempiternum hoc eſt mihi.

Super omnes qui docebant me eruditus ſum: quia teſtimonia tua meditatio mea.

Super ſenes intellexi: quia præcepta tua ſervavi.

Ab omni ſemita mala prohibui pedes meos, ut cuſtodirem verba tua.

A iudiciis tuis non receſſi: quia tu illuminaſti me.

Quam dulce gutturi meo eloquium tuum ſuper mel ori meo.

Præcepta tua conſiderabam: propterea odivi omnem ſemitam mendacii.

88. Secundum miſericordiam tuam vivifica me: & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

LAMED.

89. In æternum Domine, verbum tuum permanet in cælo.

90. * In generationem & generationem veritas tua: fundaſti terram, & permanet.

91. Ordinatione tua perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi.

92. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt: tunc forte periiſſem in humilitate mea.

93. In æternum non obliviſcar iuſtificationes tuas: quia in ipſis vivificaſti me.

94. Tuus ſum ego, ſalvum me fac: quoniam iuſtificationes tuas exquiſivi.

95. Me expectaverunt peccatores ut perderent me: * teſtimonia tua intellexi.

96. Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

MEM.

97. Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt.

98. Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi eſt.

99. Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

100. Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſivi.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut cuſtodiam verba tua.

102. A iudiciis tuis non declinavi: quia tu legem poſuiſti mihi.

103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!

104. A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis

Digitized by Google

NUN.

Lucerna pedi meo verbum tuum ; & lux ſemitæ meæ.

Iuravi, & perſeverabo : ut cuſtodiam judicia iuſtitiæ tuæ.

Afflictus ſum uſque nimis : Domine vivifica me iuxta verbum tuum.

Voluntaria oris mei complaceant tibi Domine, & ſecundum iudicia tua doce me.

Anima mea in manu mea ſemper, & legis tuæ non ſum oblitus.

Poſuerunt impii laqueum mihi, & a præceptis tuis non aberravi.

Hereditas mea teſtimonia tua in ſempiternum : quia gaudium cordis mei ſunt.

Inclinavi cor meum ut facerem iuſtitias tuas, propter æternam retributionem.

105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.

106. Iuravi, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

107. Humiliatus ſum uſquequaque Domine : vivifica me ſecundum verbum tuum.

108. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : & iudicia tua doce me.

109. Anima mea in manibus meis ſemper : & legem tuam non ſum oblitus.

110. Poſuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erravi.

111. Hereditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei ſunt.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.

SAMECH.

Tumultuoſus odivi, & legem tuam dilexi.

Protectio mea & ſcutum meum tu es : verbum tuum expectavi.

Recedite a me maligni, & cuſtodiam mandata Dei mei.

Confirma me ſecundum verbum tuum, & vivam : & noli me confundere ab expectatione mea.

Auxiliare mihi, & ſalvus ero : & delectabor in præceptis tuis iugiter.

Abiecisti omnes qui averſantur præcepta tua : quia mendax cogitatio eorum.

Quaſi ſcoriam computaſti omnes impios terræ : propterea dilexi teſtimonia tua.

Horripilavit a timore tuo caro mea, & iudicia tua timui.

113. Iniquos odio habui : & legem tuam dilexi.

114. Adiutor, & ſuſceptor meus es tu : & in verbum tuum ſuperſperavi.

115. Declinate a me maligni : & ſcrutabor mandata Dei mei.

116. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & vivam : & non confundas me ab expectatione mea.

117. Adiuva me, & ſalvus ero : & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

118. † Spreviſti omnes diſcedentes a iudiciis tuis : quia iniuſta cogitatio eorum.

119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi teſtimonia tua.

120. Confige timore tuo carnes meas : a iudiciis enim tuis timui.

Feci

Digitized by Google

AIN.

Feci iudicium & iuſtitiam: ne derelinquas me his qui calumniantur me.
Sponde pro ſervo tuo in bonum: ne calumnientur me ſuperbi.
Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.
Fac cum ſervo tuo iuxta miſericordiam tuam, & præcepta tua doce me.

Servus tuus ſum ego, inſtrue me: & cognoſcam teſtimonia tua.
Tempus eſt ut facias Domine: prævaricati ſunt legem tuam.
Propterea dilexi mandata tua: ſuper aurum & topazium.
Propterea in univerſa præcepta tua dilexi: omnem ſemitam mendacii odio habui.

121. Feci iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me.
122. Suſcipe ſervum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.
123. Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum: & in eloquium iuſtitiæ tuæ:
124. Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam: & iuſtificatione tuas doce me.
125. Servus tuus ſum ego: da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.
126. † Tempus faciendi Domine: diſſipaverunt legem tuam.
127. Ideo dilexi mandata tua, ſuper aurum & topazion.
128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

PHE.

Mirabilia teſtimonia tua: idcirco cuſtodivit ea anima mea.
Oſtium ſermonum tuorum lucidum, docens parvulos.
Os meum aperui & reſpiravi: quia mandata tua deſiderabam.

Reſpice ad me, & miſerere mei: iuxta iudicium diligentium nomen tuum.

Greſſus meos firma in ſermone tuo, & non des poteſtatem in me univerſæ iniquitati.
Redime me a calumnia hominum, & cuſtodiam præcepta tua.
Vultum tuum oſtende ſervo tuo; & doce me præcepta tua.

Rivi aquarum fluebant de oculis meis: quia non cuſtodierunt legem tuam.

129. Mirabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea.
130. Declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis.
131. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.
132. Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.
133. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniuſtitia.
134. Redime me a calumniis hominum: ut cuſtodiam mandata tua.
135. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum: & doce me iuſtificationes tuas.
136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.
Præcepiſti iuſtitiam teſtimonii tui, & veritatem tuam nimis.
Conſumpſit me zelus meus: quia obliti ſunt verborum tuorum hoſtes mei.
Probatus ſermo tuus nimis, & ſervus tuus dilexit illum.
Parvulus ego ſum, & contemptibilis: ſed præcepta tua non ſum oblitus.

Iuſtitia tua, iuſtitia ſempiterna, & lex tua veritas.
Tribulatio & anguſtia invenerunt me: mandata tua voluntas mea.

Iuſtitia teſtimonia tua ſemper: doce me, & vivam.

SADE.

137. Iuſtus es Domine: & rectum iudicium tuum.
138. Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua: & veritatem tuam nimis.
139. Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.
140. Ignitum eloquium tuum vehementer: & ſervus tuus dilexit illud.
141. Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
142. Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum: & lex tua veritas.
143. Tribulatio & anguſtia invenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.
144. AEquitas teſtimonia tua in æternum: intellectum da mihi & vivam.

Clamavi in toto corde, exaudi me Domine: præcepta tua cuſtodiam.

Invocavi te, ſalvum me fac; & cuſtodiam teſtimonia tua.
Surgebam adhuc in tenebris, & clamabam: verbum tuum expectans.
Præveniebant oculi mei vigilias, ut meditarer in ſermonibus tuis.
Vocem meam exaudi iuxta miſericordiam tuam: Domine ſecundum iudicium tuum vivifica me.
Appropinquaverunt perſecutores mei ſceleri, & a lege tua procul facti ſunt.

Prope es tu Domine, & omnia mandata tua veritas.
A principio novi de teſtimoniis tuis: quod in æternum ſundaveris ea.

COPH.

145. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine: iuſtificationes tuas requiram.
146. Clamavi ad te, ſalvum me fac: ut cuſtodiam mandata tua.
147. † Præveni in maturitate, & clamavi: quia in verba tua ſuperſperavi.
148. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.
149. Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine: & ſecundum iudicium tuum vivifica me.
150. Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti ſunt.
151. Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.
152. Initio cognovi de teſtimoniis tuis: quia in æternum fundaſti ea.

Vide afflictionem meam, & eripe

RES.

153. Vide humilitatem meam, & me:

me: quia legis tuæ non ſum oblitus.

Iudica cauſam meam, & redime me: in ſermone tuo vivifica me.

Longe ab impiis ſalus, quia præcepta tua non quæſierunt.

Miſericordiæ tuæ Domine: iuxta iudicia tua vivifica me.

Multi qui perſequuntur me, & affligunt me: a teſtimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricatores tuos, & mœrebam: quia verbum tuum non cuſtodierunt.

Vide quoniam præcepta tua dilexi: Domine iuxta miſericordiam tuam vivifica me.

Caput verborum tuorum veritas, & in ſempiternum omne iudicium iuſtitiæ tuæ.

[illegible]

Principes perſecuti ſunt me ſine cauſa: verba autem tua timuit cor meum.

Gaudens ego ſum in eloquio tuo: ſicut qui invenit ſpolia multa.

Mendacium odio habui, & deteſtatus ſum: legem tuam dilexi.

Septies in die laudavi te: ſuper iudiciis iuſtitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.

Expectavi ſalutare tuum Domine, & mandata tua feci.

Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea nimis.

Cuſtodivi præcepta tua & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Ingrediatur laus mea coram te Do-

eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.

154. Iudica iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

155. Longe a peccatoribus ſalus quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

156. Miſericordiæ tuæ multæ Domine: ſecundum iudicium tuum vivifica me.

157. Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: a teſtimoniis tuis non declinavi.

158. Vidi prævaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

159. Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in miſericordia tua vivifica me.

160. Principium verborum tuorum, veritas: in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

SIN.

161. Principes perſecuti ſunt me gratis: & a verbis tuis formidavit cor meum.

162. Lætabor ego ſuper eloquia tua: ſicut qui invenit ſpolia multa.

163. Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

164. Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

165. Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum.

166. Expectabam ſalutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.

167. Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer.

168. Servavi mandata tua, & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

TAU.

169. Appropinquet deprecatio mea mi-

Digitized by Google

mine: ſecundum verbum tuum doce me.

Veniat deprecatio mea ante vultum tuum: ſecundum eloquium tuum libera me.

Fundant labia mea hymnum: docebis enim me præcepta tua.

Loquetur lingua mea ſermonem tuum: quia omnia mandata tua iuſta.

Sit manus tua auxiliatrix mea: quia præcepta tua elegi.

Deſideravi ſalutare tuum Domine, & lex tua voluntas mea.

Vivet anima mea, & laudabit te: iudicia tua auxiliabuntur mihi.

vuErravi quaſi ovis perdita, quære ſer-
nom tuum: quia mandatorum tuorum n ſum oblitus.

mea in conſpectu tuo Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundum eloquium tuum eripe me.

171. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut ſalvet me: quoniam mandata tua elegi.

174. Concupivi ſalutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea eſt.

175. Vivet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuvabunt me.

176. Erravi, ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 28. *Dormitavit anima mea præ tedio.* Noſter Interpres vertit *dormitavit*, non *ſtillavit*, ut alii.

V. 35. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum.* Non mutes quartum caſum in ſextum *ſemita*.

V. 41 *Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine.* Non mutes præſens imperativi *veniat*, cum futuro indicativi *veniet*.

V. 46. *Et loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu Regum.* Non ſcribas *de* loco prioris *in*.

V. 48. *Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in iuſtificationibus tuis.* Correctores prætulerunt præteritum imperfectum *exercebar* futuro *exercebor*.

V. 53. *Pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*: Non mutes *pro* quod eſt propter, cum *præ* vel *a*.

V. 59. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua.* Videtur *converti* eſſe noſtræ editionis, potiuſquam *averti*: ſed error eſt, quod quidam pro prima perſona, legant ſecundam *convertiſti*, vel *avertiſti*.

V. 73. *Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua.* Non mutes coniunctionem copulativam *&* in cauſativam *ut*.

V. 81. *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Nec hic mutes præteritum *defecit* in præſens *deficit*.

V. 86. *Omnia mandata tua veritas: inique perſecuti ſunt me, adiuva me.* Retinendum eſt adverbium *inique*, non ſurrogandum nomen *iniqui*.

V. 90. *In generationem & generationem veritas tua.* Non eſt mutandus prior accuſativus in ablativum *generatione*.

V. 95. *Teſtimonia tua intellexi.* Corrupte in quibuſdam Libris ſcribitur *dilexi* quod eſt amavi, pro *intellexi*.

Lectionum Varietas.

V. 9. *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam.* Alii Libri ſcribunt futurum *corriget*, pro præſenti *corrigit*.

V. 29. *Et de lege tua miſerere mei.* Ab aliis omittitur præpoſitio *de*.

V. 75. *Et in veritate tua humiliaſti me.* Antiqui Epanorthotæ, aliique præter coniunctionem *&*, omittunt etiam pronomen *tua*, cum ſimilitudine veri.

V. 118. *Sprevisti omnes diſcedentes a iudiciis tuis.* In aliis Libris, pro *iudiciis*, melius eſſe videtur *iuſtitiis*. Lege Notationes.

V. 126.

V. 126. *Tempus faciendi Domine*. Hebræus, & antiqui, & Græcus, alt Epanorthotes, *Domino*, non habent *Domine* vocandi caſu.

V. 127. *Præveni in maturitate, & clamavi*. Quidam Libri habent *immaturitate*; quidam *in immaturitate*. Legantur Notationes.

Ibid. *Quia in verba tua ſuperſperavi*. Multi Libri omittunt *quia*, Hebræo, & Græco conſentanee.

NOTATIONES.

Verſ. 28. **D**Ormitavit anima mea præ tædio. Sic latini codices habent cum latinis Enarratoribus Arnobio, Hilario, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, Caſſiodoro, & poſterioribus. Sic habent & noſtri græci codices. ἐνύσταξεν ἡ ψυχή μου ἀπὸ ἀκηδίας cum græcis tractatoribus Euthymio, & Theodorito. Sacer autem Ambroſius, qui magna ſemper cura genuinam ſcripturæ lectionem inveſtigat, pro *dormitavit*, *ſtillavit* legit: & „ Aliqui, inquit, codices „ habent *dormitavit*, quia ἐνύσταξεν, & ἔσταξεν „ duabus litteris diſſonant. Potuit inter„ pres, vel antiquarius ſcriptor hic falli; „ νυστάζειν *dormire* eſt, στάζειν *ſtillare* &c. Qui „ facilioribus igitur laborum utuntur com„ pendiis, *dormitavit* accipiunt; ſed Orige„ nes qui multorum interpretationes dili„ genti diſcuſſit indagine, *ſtillavit* ſecutus „ eſt. " Hactenus Ambroſius. Collegit autem Origenes ἔσταξεν potius quam ἐνύσταξεν legendum ex hebraico fonte דלפה נפשי מתוגה. Dalaph, omnium ſententia στάζειν ſeu *ſtillare* ſignificat. Hinc legimus Proverbiorum XXVII. 15. דלף טורד ביום סגריר ינו *Stillatio aſſidua in die pluvia, & litigioſa mulier comparantur*. Itaque ex Hebræo Hieronimus vertit: *Diſtillavit anima mea præ ſtultitia*, vel (ut tria ex noſtris manuſcriptis, unum Beſſarionis, alterum Hunnæi, Planeini tertium legunt, & alii transferunt) *præ triſtitia*. Leguntur & LXXII. hanc ipſam hebraicam dictionem *Dalaph* ad hunc modum interpretati. Iob XVI. 21. quod hebraice eſt דלפה עיני & latinus reddidit *ſtillat oculus meus*, illi tranſtulerunt στάξει (Gr. στάζει) μου ὁ ὀφθαλμός. Rurſus quod eſt Eccleſiaſtæ X. 18. ידלף הבית, latinus *perſtillabit Domus*, LXX. ad eumdem modum, στάξει ἡ οἰκία interpretati ſunt. Videri igitur poſſint & hoc Pſalterii loco ex דלפה ἔσταξεν reddidiſſe: niſi forte dicat quis, hos Septuaginta duos Interpretes operas diviſiſſe; nec ab eis Iob, atque Eccleſiaſten translatos, a quibus Pſalmi converſi ſunt; quæ ſententia quibuſdam hodie viris doctis probatur. Sed ſit vera ea opinio; non poteſt tamen non probabile videri ἔσταξεν hoc loco ſcriptum eſſe: νυστάξῃ, & νυστάζει legimus pſalmo CXX. 3. 4. ſed ex נום non ex דלף iterum, νυσταγμὸν, CXXXI. 4. & ſed ex תנומה, non ex דלף. Ut ut autem ſit, ſive ἔσταξεν ſive ἐνύσταξεν, LXX. reddiderint; noſter latinus interpres ἐνύσταξεν legit, vertitque *Dormitavit anima mea præ tædio*; quod tamen non adeo ab ἔσταξεν ſeu *ſtillavit* diſcrepat. Nam quæ ſtillat anima, hoc eſt cuius vires tamquam per aſſiduam ſtillationem defluunt, quaſi dormitat: ut prætercam non abſimilem eſſe ſtillationi, dormitantium nictationem.

V. 59. *Et converti pedes meos in teſtimonia tua*. Pleraque exemplaria *converti* ſcribunt: nonnulla *averti* (quod eſt, revocavi) Epanorthotæ quædam, Lugdunenſium quædam, atque ex noſtris Brugenſe. Epanorthotæ verba ſunt: „ Et infra, *Et averti pede meos*, „ ideſt ab aliis verti *in teſtimonia tua*: alias „ *converti*. " Utramque lectionem admittunt & hebraica vox אשיבה, & græca ἐπέστρεψα; quamquam ex ἀπέστρεψα fortaſſe ſit *averti*. Inter latinos Enarratores Ambroſius *averti* legit, id quod ex ipſa eius enarratione fit veriſimile: ſimiliter Auguſtinus, & Proſper, quorum explicatio eſt: Averti, ſcilicet a viis meis, quæ diſplicuerunt mihi, ut irent in teſtimonia tua, atque ibi haberent viam. Caſſiodorus autem, & ex poſterioribus multi *converti* legerunt. Hieronymus ad Suniam & Fretellam: „ In eo„ dem: *Et converti* (a) *pedes meos in teſti„ monia tua*; in græco legiſſe vos dicitis „ καὶ ἐπέστρεψα, id eſt *& averti*. Sed & hoc „ ſuperfluum eſt. " Neſcio an depravatus ſit hic Hieronymo locus: verum enim vero magis depravatum reor in manuſcriptis, quæ vidimus, duobus, in quibus *convertiſti*, ſeu *avertiſti* probatur, *averti* ſuperfluum iudicatur; cum non tantum Græcis, ſed & Hebræis, atque Chaldæis prima legatur perſona, nec alia reperiatur in Hieronymianæ translationis antigraphis: conſtanter enim habent: *Et converti pedes meos ad teſtimonia tua*; uno Tornacenſi excepto, in quo *convertiſti* eſt. Meminit lectionis huius, *Et avertiſti pedes meos* Auguſtinus: ſed non exiſtimaſſe ſe genuinam eſſe, ſatis inſinuat.

V. 118. *Spreviſti omnes diſcedentes a iudiciis tuis*. Quinque Hentenii manuſcripta, duo Pariſienſium, & antiqua Epanorthotæ pro *iudiciis*, *inſtitiis* habent, quibus ſeptem ex noſtris exemplaribus, eaque emendatiora

ra conſentiunt; ſed & alia tria, in quæ diverſarum editionum congeſta ſunt Pſalteria Lobienſe, Tornacenſe ac Stapulenſe ſuffragantur. Bedæ, Brunonis, Richelii, Pelbarti, Paſturæ, & Titelmanni poſteriorum enarratorum eadem eſt lectio. Veterum Arnobii, Hilarii, & Hieronymi commentariis inſerti textus ad eumdem modum *iuſtitiis* legunt: ſed ipſa Hilarii commentaria *iuſtificationes* nominant. Hebraice eſt מחקיך *Hukkim* ſeu *Hukkoth* latini ex hebræo interpretes *præcepta* vel *ſtatuta* tranſtulerunt: Græci, LXX. δικαιώματα converterunt cum hoc, tum plerisque huius Pſalmi locis. δικαιώματα autem Latinus noſter ex græco interpres eodem hoc pſalmo centies, ſi fieri poteſt interptetatus eſt *iuſtificationes*; atque & hoc loco *a iuſtificationibus* diſerte legnnt Ambroſius, Auguſtinus, Proſper, & Caſſiodorus, quibus conforme eſt Romanum Pſalterium. Gallici igitur Pſalterii potior lectio eſt *iuſtitiis*, quippe quæ & Patrum lectioni vicinior: & conſuetæ translationi ſimilior, & caſtigatioribus exemplaribus ſit conformior; atque in hanc R. D. Lindanus, & Pariſienſes abeuntes ſententiam *iuſtitiis* emendarunt: δικαιώματα *iuſtitias* ab Interprete converſa, & in XVII. Pſalmo reperio verſu 23. ubi & Hebraice eſt חקות. *Iudicia*, κρίματα græce, hebraice מִשְׁפָּטִים dici ſolent; quamquam diverſis his nominibus eadem Dei lex ſignificetur, *iudiciis* quod eam Dei ſententia obſervandam decreverit; *iuſtitiis*, vel *iuſtificationibus*, quod iuſtitiæ conformis ſit, veram præſcribat iuſtitiam iuſtoſque, qui obſervant, faciat.

V. 147. *Preveni in maturitate*. Græce eſt προέφθασα ἐν ἀωρίᾳ, quod eſt *preveni in immaturitate*, ſive ut S. Ambroſius interpretatur *ante horam*, *ante tempus*. Mirum itaque eſt latinis: codicibus, quorum eſt ex græco verſio, legi: *Preveni in maturitate*; ſic enim legunt quotquot habemus manuſcripta, niſi quod quædam ita ſcribant ut an *immaturitate*, ſeu *in maturitate* legendum, ſit merito dubites. Innumera alia R. D. Lindanus conſuluit, nec invenire potuit, quod *in immaturitate*, ſicut græcus habet, legeret, niſi tandem in Eccleſia Barlo ioxta Venloniam ſita unum, id quod nos ex probatiſſimi Antiſtitis fide in Bibliorum margine annotavimus. Legit quidem & Regiorum Bibliorum latinus textus *in immaturitate*: ſed is græco textui accomodatus eſt occaſione, quam diximus aliquando. Iſtud ipſum de ſui temporis codicibus quæſtus eſt Auguſtinus, cuius XXIX. concione hæc ſunt in hunc locum verba: „ Quod ſequitur, habet aliquid obſcuritatis, quod aliquanto diutius exponendum eſt. *Preveni intempeſta nocte & clamavi*. Plures codices non habent *intempeſta nocte*, ſed *immaturitate*; vix autem unus inventus eſt, qui haberet geminatam præpoſitionem, ideſt *in immaturitate*. Immaturitas itaque in hoc loco nocturnum tempus eſt, quod non eſt maturum, id eſt opportunum, ut agatur aliquid vigilando, quod etiam vulgo dici ſolet, hora importuna. Nox quoque intempeſta, id eſt media, quando quieſcendum eſt, hinc proculdubio numcupata eſt, quia importuna eſt actionibus vigilantium, &c. Quod ergo græce dictum eſt ἐν ἀωρίᾳ non uno verbo, ſed duobus, id eſt præpoſitione et nomine, hoc interpretes noſtri quidam dixerunt *intempeſta nocte*. Plures *immaturitate* non duobus verbis, ſed uno, cuius vocabuli nominativus eſt *immaturitas*. Nonnulli vero in duobus verbis, ſicut græcus poſuit, *in immaturitate*; ἀωρία quippe *immaturitas* eſt, ἐν ἀωρίᾳ *in immaturitate*: " Hæc D. Auguſtinus, in quibus præterquamquod conqueratur vix in ullis codicibus inveniri potuiſſe *in immaturitate*, id obſervandum eſt, non eum agnoviſſe eam lectionem, quæ noſtrorum hodie eſt codicum *in maturitate*; ſed has dumtaxat tres, *intempeſta nocte*, *immaturitate*, *in immaturitate*. *In maturitate* ſi legiſſet, probaturus non fuiſſe videtur, utpote a ceteris interpretationibus, et græco textu alienum; fortaſſis etiam legit atque ob hanc cauſam nihil fecit. Si autem earum, quarum meminit Auguſtinus, aliqua noſtri interpretis verſio eſt, aut *immaturitate* eſt, aut *in immaturitate*. Nam *intempeſta nocte*, quam Proſper ſecutus eſt, noſtrorum codicum ſcripturæ diſſimilior eſt. D. Bruno Herbipolenſis Antiſtes *immaturitate* Pſalterium caſtigavit: atque hoc certe modo non pauci ſcriptorum codicum legi patiuntur; quin et Ludolphus ad hunc legit modum, et ſubaudiendam monuit *in* præpoſitionem, ideſt *in immaturitate*, Hieronymus Varlenius *in immaturitate* interpretem reliquiſſe opinatur. Opinionis eiuſdem & Ruræmundenſis Epiſcopus eſt qui ſecutus, vix dubium, illud quod iuxta Venloniam reperit antigraphum, ad hunc modum Pſalterium emendavit: *Preveni in immaturitate*; ſimiliter Argentoratenſes in eo, quem cum tranſlationibus 4. & paraphraſibus duabus ediderunt Pſalmorum libro: *Preveni in immaturitate*. Atque hanc aut eam certe, quæ Herbipolenſis Epiſcopi eſt, caſtigationem comprobat Remigii Antiſſiodorenſis expoſitio, ea quæ huiuſmodi eſt: „ Et merito

„ de-

Digitized by Google

„ debes me clamantem, & honeſta petentem exaudire, quia ego alios præveni in maturitate, ideſt in adoleſcentia, quæ ætas eſt immatura & indomita ad cuſtodienda mandata tua, &c. Cum ergo adhuc ætate viderer immaturus ad talia, tamen ad te clamavi, & præveni alios bene vivendo.“ Adſtipulatur Haymonis Alberſtatenſis commentarius: „ Et non tantum clamavi; ſed etiam præveni alios in maturitate; quia cum alii in perfecta & matura ætate ad te venire ſoleant, ego puer & immaturus ad te feſtinavi, vel præveni in maturitate, ideſt ante adventum tuum, ſcilicet ante tempus plenitudinis & gratiæ, ad te promerendum.„ Suffragatur D. Ambroſii enarratio, ex qua interlinearis gloſſa deſumpta eſt: „ Præcurrit, Ambroſius ait, ætatis maturitatem quiſquis in adoleſcentia poſitus ſenilem gravitatem induit, & iuveniles annos veteraria quadam continentia regit, fervoremque virentis corporis in cana morum maturitate componit.“ Quibus ex verbis patet Ambroſium non ut textus habet, *anticipavi in maturitate* legiſſe; ſed *Anticipavi maturitatem*, vel *anticipavi*, ſeu *præveni in immaturitate*, aut quod ad eumdem modum intelligo *immaturitate*. Hilariana commentaria de Hilario id ipſum loquuntur. Sic habent: „ Addidit adhuc & meritum obtinendæ ſalutis, dicens: *Præveni in maturitate & clamavi, in verba tua ſemper ſperavi*. Non exſpectavit infirmam a vitiis ſenectutem, neque deferveſcentibus longo uſu luxuriæ æſtibus, frigidæ ætatis tempus elegit: ſed maturitatem omnem fide & religione prævenit, vincens per continentiam laſcivientes annos, & ſenectutis maturitatem, modeſtæ & caſtæ adoleſcentiæ tranquillitate præveniens.“ Videntur Hilarius, et Ambroſius *præveni maturitatem* legiſſe; ſed facile habuiſſe potuerunt, *Præveni immaturitate* aut *in immaturitate*, et expoſuiſſe id quod hinc ſequitur, atque idem unum eſt; *Præveni maturitatem*, (nam et in Auguſtino id licet obſervare) utique enim, qui prævenit in immaturitate, prævenit maturitatem. Eſt autem ex his operæ prætium animadvertere, ad quem modum Scripturæ textum, Patrum commentariis interiectum; qua fuerunt indoctiſſimi ſcribæ audacia; ad vulgatam legendi rationem immutarint, cum ipſa commentaria ſubiecta reclament. Id et alias non raro notavimus (*b*). Nonnumquam etiam ipſa Patrum verba ei legendi modo quem ſubſtituerant, accommodaſſe deprehendimus. In promptu eſt exemplum hoc ipſo loco commentariorum Hilarii: ſequitur enim poſt paululum recitato verſu proximo: *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut me. el. tua*: „ Qui in maturitate clamorem prævenerat, nunc ipſos dies meditationibus prævenit.“ Quomodo hic poſteriori prius reſpondeat, aut quid hoc eſſe poſſit, niſi legas: Qui maturitatem clamore prævenerat? Sic namque reſtituendus videtur locus. Quemadmodum autem in Patrum enarrationibus genuina lectio in eam quæ vulgi errore recepta eſt, mutata conſpicitur ſic procuIdubio et in ipſis Sacrorum bibliorum accidit libris. Emendatum licet exemplar deſcribentibus propoſitum eſſet, errare id cenſuerunt, ſi in pervulgatum errorem non conſpiraret; ita tandem factum eſt, ut germana lectio oppreſſa extinctaque ſit, nec inveniri poſſit a poſteris, qui magna ſedulitate inveſtigant, quam olim extitiſſe argumentis certis colligunt. Primus autem error ſæpe numero ex re non intellecta commiſſus eſt, quod non intelligebant, perperam ſcriptum iudicabant; itaque corrigendum ad ſimilem quempiam modum, quo poſſet & facile intelligi, & ab auctore ſcriptum videri. Sic hoc opinor in loco, cum eius, quod ſcriptum erat, *Præveni immaturitate*, aut *in immaturitate*, ſenſum non viderent, errorem eſſe iudicarunt, emendandum, in duas una voce diſtracta, *Præveni in maturitate*. Rurſus cum in aliis legerent exemplaribus *Præveni in immaturitate*, quod ſcirent immature nihil aut dicendum aut gerendum, ſcribendum potius exiſtimarunt ad eumdem modum, *Præveni in maturitate*, errorem, dum corrigere vellent, facientes. Aut fortaſſe movit, quod *in immaturitate* ſignificare arbitrati ſunt, poſt maturum tempus; itaque quamdam verborum inter ſe repugnantiam eſſe, *præveni, in immaturitate*: eum enim qui præveniſſet, mature veniſſe dicerent. Porro citra omnem, aut corruptelam, aut ambiguitatem in Brunonis Carthuſiani elucidationibus hanc explicatam invenio lectionem: *Præveni immaturitate*; ſic ibi legitur: „ Et iuſtum eſt ut me ſalvum facias & exaudias, propter hæc merita mea quia ego adhuc poſitus in immaturitate, id eſt immatura ætate, ſcilicet in iuventute, quæ eſt ætas immatura, fervens, & prona ad omnia vitia magis quam ſenectus, præveni in bonis operibus, ideſt anteveni ceteros fideles, qui tandem in ſenectute, quæ matura ætas eſt, cœperunt bene operari (&c.) Matura ætas ſenectus dicitur, eo quod in ſenectute ex natura maturiores mores homines habeant. Immatura vero ætas dicitur iuventus, eo quod in „ iu-

„ iuventute coutiugat ex natura mores ha-„ bere immaturiores, &c. “ In Gloſſa Ioannis de Turre-eremata hoc & quidem ſolum lego: „ Ex magno orandi affectu præveni „ horam opportunam, in qua ſolet fieri „ oratio; præoccupavi faciem tuam ut læ-„ tus & vigilans tibi occurrerem. “ Multum igitur veriſimilis eſt huius loci, aut hæc *Præveni immaturitate*, aut iſta lectio *Præveni in immaturitate*. Ceterum nolo ego pronuntiare adulteriuam eſse, *Præveni in maturitate*, præſertim cum eſse videatur non tantum recentiorum Enarratorum, Lyrani, Richelii; verum etiam veterum quorumdam; id quod ex commentariis Arnobio, & Hieron mo adſcriptis intelligi poſſit. Iu Aruobii commentario ad hunc habes modum: „ Præveni iu maturitate & ex-„ clamavi. Fui puer, poſtea adoleſceus, „ itemque juvenis, nunc ecce iam ſeuui, „ & vitæ meæ fiuem attendens iu hac ma-„ turitate poſitus clamo, & præveniunt „ oculi mei “ &c. In Hieron mi: „ Vetera „ vitia pudicitia iuvenili prævenit, qui per „ maturitatem vivacis animi ſpem ſuam „ uumquam a verbis Dei removit. V. Beda utrumque inſiguiter exponit: *Præveni in maturitate*, & *Præveni immaturitate*. Hoc itaque modo, cum ad Græcorum codices, tum ad Latinorum enarrationes, collatæ ſint propoſitæ varietates: reſtat nunc ut eaſdem ad Hebraicum fontem diſcutiamus. Hebraice eſt קדמתי בנשף id quod quidam *præveni in crepuſculo*; quidam *præveni in crepuſculum* vertunt. Prior interpetatio ei lectioni non male conveniat, quæ habet: *Præveni in maturitate*. Eſt enim crepuſculum maturum orationi tempus, ſicut aurora, quæ contiuuo ſuccedit crepuſculo, ſtudiis eſt amica. Poſterior vero translatio alteram lectiouem, *Præveni in immaturitate* tutatur, atque eo amplius, quod Septuaginta duorum verſioui ſimilis ſit: quod enim crepuſculum antecedit tempus ἐςιν ἡ ταῖ νυκτὸς ἀωρία. In eamdem ſententiam vertunt alii: *Præveni diluculum*; alii *Præveni in nocte*. Hierouymus *Surgebam adhuc in tenebris*, qui & aliis non paucis Scripturæ locis cum Græcis traaslatoribus נשף *tenebras* interpretatus eſt.

(a) 1. MS. *convertiſti*. 1. MS. *avertiſti*.

(b) Theodorito in latinum verſo data eſt vulgatæ noſtræ æditionis Scriptura *in maturitate*, ſed commentarius ἐν ἀωρία exponit.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. NON ENIM QUI OPERANTUR INIQUITATEM. Vel, Non utique operantur iniquitatem, qui in viis eius ambulant.

V. 5. AD CUSTODIENDAS IUSTIFICATIONES TUAS. Hebr. *ſtatuta tua*.

V. 8. IUSTIFICATIONES TUAS CUSTODIAM. Hebr. *ſtatuta*, *præcepta*.

V. 9. IN QUO CORRIGIT. Hebr. יזכה, *mundabit*.

V. 13. IN LABIIS MEIS PRONUNTIAVI. Heb. *narravi*, *commemoravi*, vel *narrabo*, *commemorabo*.

V. 15. IN MANDATIS TUIS EXERCEBOR. Hebr. *Mandata tua meditabor*, vel *de mandatis tuis loquar*.

V. 20. CONCUPIVIT ANIMA MEA. Hebr. *conſternata eſt*. Vel, *Defecit anima mea propter amorem quem habet ad mandata tua*, ut Pſalm. LXXXIII. 3. *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*: & CVIII. 81. *Defecit in ſalutare tuum anima mea*.

V. 24. NAM ET TESTIMONIA TUA MEDITATIO MEA EST. Hebr. *Etiam teſtimonia tua oblectationes meæ ſunt*, *& viri conſilii mei*; id eſt, non habeo alios conſiliarios quam mandata tua.

V. 25. ADHAESIT PAVIMENTO ANIMA MEA. Hebr. *terræ*, vel *pulveri*; hoc eſt, proximus morti ſum.

V. 28. DORMITAVIT ANIMA MEA PRAE TAEDIO. Hebr. ſtillavit, id eſt flevit: vel defluxit, languefacta eſt.

V. 29. DE LEGE TUA MISERERE MEI. Hebr. *Legem tuam gratam mihi fac*: aut *legem tuam gratis mihi dona*.

V. 32. VIAM MANDATORUM TUORUM CUCURRI. Hebr. *curram cum dilataveris*.

V. 33. LEGEM PONE MIHI DOMINE. Hebr. *Doce me Domine viam mandatorum tuorum*.

V. 35. QUIA IPSAM VOLUI. Hebr. *Quia ea delector*.

V. 38. IN TIMORE TUO. Hebr. *Ad timorem tuum*; id eſt, ut timeam te, imprime animo meo verba tua.

V. 39.

Digitized by Google

*V.*39. QUOD SUSPICATUS SUM. Heb. *Quod timui*; id eſt, quod video mihi impendere.

V. 42. ET RESPONDEBO EXPROBRANTIBUS MIHI VERBUM. Hebr. *exprobranti mihi verbum*. Sept. videntur legiſſe חרפי *exprobratoribus verbi*; id eſt, qui mihi exprobrant quod verbis tuis credam.

V. 48. ET EXERCEBOR IN IUSTIFICATIONIBUS TUIS. Hebr. *& loquebar de mandatis tuis*.

V. 49. MEMOR ESTO VERBI TUI SERVO TUO. Hebr. *Verbi ad ſervum tuum, in quo feciſti me ſperare*.

V. 51. SUPERBI INIQUE AGEBANT. Hebr. *deriſerunt*.

V. 56. HAEC FACTA EST MIHI. Hebr. *Hoc mihi contigit, quia mandata tua cuſtodivi*; id eſt, hæc omnia bona quæ numeravi inde mihi nata ſunt, quod ſervaverim præcepta tua.

*V.*65. BONITATEM FECISTI CUM SERVO TUO. Hebr. *bonum guſtum*; id eſt, rectam intelligentiam legis tuæ mihi concede. Vel *bonum ſermonem*, id eſt facultatem eloquendi.

V. 67. PROPTEREA ELOQUIUM TUUM CUSTODIVI. Hebr. *Nunc autem*; id eſt, poſtquam humiliatus ſum.

V. 69. MULTIPLICATA EST SUPER ME INIQUITAS SUPERBORUM. Hebr. *Confinxerunt adverſum me mendacium ſuperbi*.

V. 85. NARRAVERUNT MIHI INIQUI FABULATIONES, &c. *Foderunt mihi ſuperbi foveas: quod non eſt ſecundum legem tuam.*

V. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS VIDI FINEM. Id eſt, cum omnia mortalia finem habeant, ſola lex tua ſemper manet. Sicut, *Cælum & terra tranſibunt, verba autem tua non præteribunt*. Matth. XXIV. 35.

V. 98. QUIA IN AETERNUM MIHI EST. Id eſt, Cordi mihi eſt, ſemper unumquodque mandatorum tuorum.

V. 109. ANIMA MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER. Id eſt, quamvis vita mea ſemper expoſita ſit periculis propter te, tamen legis tuæ non ſum oblitus. Hoc enim ſignificat, Animam eſſe in manibus: ut I. Reg. XXVIII. 21. *Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea*.

V. 111. HEREDITATE TUA ACQUISIVI TESTIMONIA TUA. Hebr. *Tamquam hereditatem meam habui*; id eſt, in illis exiſtimavi omnes meas opes collocatas eſſe.

V. 112. PROPTER RETRIBUTIONEM, in æternum, in finem, vel in ſæculum, in finem.

V. 113. INIQUOS ODIO HABUI. Hebr. *cogitationes odio habui*, id eſt omnes alias curas præter legem tuam.

*V.*114. ADIUTOR ET SUSCEPTOR MEUS ES TU. Hebr. *Latibulum meum, & ſcutum meum*.

V. 116. SUSCIPE ME SECUNDUM ELOQUIUM TUUM. Hebr. *Suſtenta, confirma, fulci me ſecundum verbum tuum*; id eſt, quemadmodum mihi promiſiſti, & ne patiaris expectationem meam inanem eſſe.

V. 118. SPREVISTI OMNES DISCEDENTES A IUDICIIS TUIS, &c. Hebr. *Conculcaſti omnes qui diſcedunt a mandatis tuis, quia vanæ* (ſunt) *fraudes eorum*; id eſt, nec potuerunt ſuis fraudibus pœnas evadere.

V. 119. PRAEVARICANTES REPUTAVI OMNES PECCATORES TERRAE, &c. Hebr. *Tamquam ſcorias aboleviſti omnes impios terræ, propterea dilexi teſtimonia tua*.

V. 120. CONFIGE TIMORE TUO CARNES MEAS. Hebr. *Horruit timore tuo caro mea*. Hieronym. *Horripilavit*.

V. 122. SUSCIPE SERVUM TUUM IN BONUM. Hebr. *Securum redde me*. Vel, *Fidei iube pro me ne bono excidam*.

V. 126. TEMPUS FACIENDI DOMINE. Id eſt, tempus eſt ut deſinas diſſimulare, & otioſus quodammodo eſſe, puniaſque eos qui irritam fecerunt legem tuam.

V. 127. IDEO DILEXI. Ideo ſcilicet quia ſciebam tempus eſſe iam ut faceres quod facturus es; id eſt, reddas unicuique ſecundum opera ſua.

V. 130. ET INTELLECTUM DAT PARVULIS. Hebr. *ſimplicibus*.

V. 138. MANDASTI IUSTITIAM. Id eſt, valde commendaſti iuſtitiam, & fidelitatem teſtimoniorum tuorum; hoc eſt, ut ea crederemus atque faceremus.

V. 145. IUSTIFICATIONES TUAS REQUIRAM. Hebr. *Mandata tua cuſtodiam*.

V. 148. PRAEVENERUNT OCULI MEI AD TE DILUCULO. Hebr. *Prævenerunt oculi mei vigilias*; id eſt, ante tempus evigilandi evigilavi.

V. 150. APPROPINQUAVERUNT PERSEQUENTES ME. Hebr. *Appropinquaverunt qui ſequuntur cogitationem malam*.

V. 153. VIDE HUMILITATEM MEAM. Hebr. *afflictionem meam*.

V. 164. SUPER IUDICIA. Hebr. *propter*.

V. 168. OMNES VIAE MEAE; id eſt, omnes actiones meas ad te dirigebam.

S A.

De præceptorum Dei obſervantia.

Nota. In hoc Pſalmo Dei præcepta vocari etiam mandata, æquitatem, iudicia, iuſtitias, iuſtificationes, teſtimonia, verbum, verba; eloquium, eloquia, ſermones, viam, vias, legem, veritatem, & ordinationem, idque ſingulis fere verſibus.

ALEPH, id eſt *doctrina*. Quamquam de interpretatione harum litterarum non oportet eſſe ſolicitum, ſolum enim indicant a qua littera incipiant Hebraice ſequentis Pſalmi verſus omnes.

Verſ. 1. IMMACULATI, id eſt integri, ſeu puri. Chald. *perfecti*. VIA, id eſt vitæ inſtituto, ſeu moribus.

V. 2. SCRUTANTUR; id eſt, diligenter inveſtigant. Hieron. & Chald. *Cuſtodiunt*. TESTIMONIA. Sic vocantur Dei præcepta, quod per ea teſtetur quid velit. IN TOTO; pro, & in toto: *in* autem pro *ex*.

V. 3. AMBULAVERUNT; pro, ambulant.

V. 4. NIMIS; quaſi dicat, Diligenter obſervari.

V. 5. IUSTIFICATIONES: ſic vocantur Dei præcepta, quod per eorum obſervationem iuſtificemur, creſcentes ſcilicet in iuſtitia, quam Theologi iuſtificationem ſecundam vocant, de qua & illud intelligunt: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*. Hieron. *præcepta*. Chald. *decreta*.

V. 6. CONFUNDAR, id eſt pudefiam. PERSPEXERO; id eſt, animum intendero.

V. 7. DIRECTIONE, id eſt rectitudine. IN EO QUOD DIDICI. Hieron. & Chald. *cum didicero*. IUDICIA: ſic præcepta dicuntur, quod Dei iudicium ſeu ſententiam contineant: vel *iudicia*, quaſi iuſtitiæ. IUSTITIAE TUAE, id eſt a tua iuſtitia profecta.

V. 8. USQUEQUAQUE. Chald. *prorſus*. Quidam cum *cuſtodiam* iungunt.

BETH, id eſt *domus*.

V. 9. CORRIGIT. Chald. *purificabit*. ADOLESCENTIOR. Hieron. *iuvenis*. Chald. *puer*. VIAM, id eſt vitæ rationem.

V. 10. REPELLAS. Hieron. & Chald. *errare facias*.

V. 11. ABSCONDI; id eſt, repoſui, vel recondidi. TIBI, id eſt contra te, Chald. *coram te*.

V. 13. PRONUNTIAVI, id eſt prædicavi. Hieron. & Chald. *narravi*. ORIS TUI, id eſt ore tuo prolata.

V. 14. DIVITIIS; ſcilicet, ſolent alii delectari.

V. 15. EXERCEBOR. Hieron. *meditabor*. Chald. *loquar*. CONSIDERABO. Hieron. *contemplabor*.

V. 16. MEDITABOR. Hieron. & Chald. *delectabor*.

GIMEL, id eſt *retributio*, vel *perfectio*, ſeu *plenitudo*.

V. 17. RETRIBUE; pro, tribue. Chald. *retribue bonum*. VIVIFICA ME; quaſi dicat: Tribue ut vivam. Hieron. *vivam*, Chald. *& vivam*.

V. 18. REVELA, id eſt illumina. MIRABILIA, id eſt myſteria. DE LEGE TUA; pro, legis tuæ.

V. 19. INCOLA. Hieron. *advena*. Chald. *peregrinus*. MANDATA, id eſt mandatorum intelligentiam.

V. 20. CONCUPIVIT.... DESIDERARE; id eſt, vehementer deſideravit.

V. 21. INCREPASTI; id eſt, puniſti, vel minatus es, ſeu arguiſti.

V. 22. OPPROBRIUM; ſcilicet, quo me afficiunt inimici. EXQUISIVI. Hieron. & Chald. *cuſtodivi*.

V. 23. SEDERUNT, ſcilicet pro tribunali. EXERCEBATUR. Hieron. *meditabatur*.

V. 24. MEDITATIO. Hieron. & Chald. *voluptas*. CONSILIUM; id eſt, quod conſulo in dubiis, ſeu, ſiquid agendum eſt.

DALETH, id eſt *oſtium*, vel *tabulæ*.

V. 25. PAVIMENTO. Hieron. & Chald. *pulveri*; quaſi dicat: Parum abſum a ſepul-

Digitized by Google

pulcro, ſeu morte. Verbum; id eſt, promiſſa, ſeu potius præcepta; quaſi dicat: Fac me vivere ſecundum legem tuam.

V. 26. Vias; id eſt, facta, ſeu vitæ rationem totam. Ennuntiavi. Hieron. *expoſui*, ſcilicet tibi.

V. 27. Instrue me. Hieron. & Chald. *fac me intelligere*. Exercebor. Hieron. & Chald. *loquar*. Mirabilibus, ſcilicet operibus.

V. 28. Taedio, id eſt anxietate. Græc. *acedia*. Hieron. *ſtultitia*. Chald. *dolore*. Confirma. Hieron. *ſerva*. Chald. *vivifica*. Verbis, id eſt præceptis.

V. 29. Iniquitatis. Hieron. & Chald. *mendacii*. De lege tua, id eſt ſecundum legem tuam; vel quaſi dicat: Da gratiam ſervandi legem tuam.

V. 30. Veritatis. Hieron. & Chald. *fidei*; quaſi dicat, Viam fidelem, ſeu rectam. Vide Gen. xxiv. ubi pro recto itinere Hebr. eſt *via veritatis*.

V. 31. Confundere, ſcilicet ſpe fruſtratum.

V. 32. Cucurri. Hieron. & Chald. *curram*. Cum dilatasti. Chald. *cum dilataveris*. Hieron. *quoniam dilataſti*, ſcilicet gratia tua recreans.

He, id eſt *iſta*.

V. 33. Legem pone mihi. Hieron. *oſtende mihi*. Chald. *doce me*, ſcilicet viam, &c. Exquiram. Hieron. & Chald. *cuſtodiam*.

V. 34 Et scrutabor; pro, ut ſcruter. Hieron. & Chald. *& obſervabo*. Et custodiam; quaſi dicat: Scrutabor, ut cuſtodiam.

V. 35. Ipsam volui; id eſt, id ſemper optavi.

V. 36. Avaritiam, id eſt cupiditatem pravam. Chald. *mammonam*, id eſt pecuniam.

V. 37. Via, id eſt præceptis. Vivifica. Chald. *ſana*; quaſi dicat: Fac me vivere ſecundum legem tuam.

V. 38. Statue. Hieron. *ſuſcita*. Chald. *confirma*; quaſi dicat: Confirma me in timore præceptorum tuorum.

V. 39. Amputa. Hieron. *averte*. Chald. *amove*. Opprobrium: ſcilicet, quo me afficiant quidam, quod tibi ſerviam, vel patiendum malis in die iudicii. Suspicatus sum. Hieron. *reveritus ſum*. Chald. *timui*. Iucunda; quaſi dicat: Quod delecter præceptis tuis. Hieron. & Chald. *bona*.

V. 40. Aequitate. Hieron. & Chald. *iuſtitia*; quaſi dicat, In lege tua iuſta: ſic ſup. *In via tua vivifica me*.

Vau, id eſt *&*.

V. 41. Salutare. Hieron. *ſalus*. Secundum eloquium, id eſt in obſervatione præceptorum.

V. 42. Quia speravi, id eſt quod ſperarim. Sermonibus, id eſt præceptorum obſervatione.

V. 43. Usquequaque. Chald. *penitus*. Quia in iudiciis, &c. quaſi dicat: Hanc veritatem, quod confido præceptis tuis. Supersperavi; id eſt valde ſperavi.

V. 44. In saeculum, &c. Hieron. *in ſempiternum*, *& ultra*.

V. 45. Ambulabam. Hieron. & Chald. *ambulabo*. Latitudine; quaſi dicat, Libere, ſeu ſecure.

V. 46. Loquebar. Hieron. & Chald. *loquar*. Confundebar. Hieron. & Chald. *confundar*.

V. 47. Meditabar. Hieron. & Chald. *delectabor*.

V. 48. Levavi. Hieron. & Chald. *levabo*: ſcilicet, ut faciam. Exercebar. Hieron. & Chald. *loquar*. In. Chald. *de*.

Zain, id eſt *huc*, vel *hac*.

V. 49. Verbi, id eſt præceptorum; quaſi dicat: Da mihi præcepta, tua ſervandi gratiam. Servo; pro, ad ſervum tuum; quaſi dicat, mihi datorum. In quo, id eſt in quorum obſervatione.

V. 50. Haec, &c. pro, id me conſolatum eſt: ſcilicet, quod præceſſit, vel quod ſequitur. Hieron. & Chald. *hæc mea conſolatio*. Eloquium, id eſt præceptorum obſervatio.

V. 51. Superbi, id eſt legis Dei contemptores. Inique agebant usquequaque. Hieron. & Chald. *deridebant me nimis*.

V. 52. A saeculo, id eſt iam inde a principio, datorum ſcilicet præceptorum.

V. 53. Defectio; id eſt, animi deiectio, ſeu triſtitia. Hieron. *horror*. Chald. *tremor*.

V. 54. Cantabiles; pro, cantiones. Hieron. *carmina*. Chald. *hymni*. Erant; pro, ſunt.

V. 55. ET CUSTODIVI; pro, ut cuſtodirem.

V. 56. HAEC FACTA EST MIHI. Hieron. *hoc factum eſt mihi*; id eſt, id mihi curæ fuit, vel ea quæ dixi mihi acciderunt. Chald. *id mihi fuit ad meritum*: ſcilicet, quod ſequitur. EXQUISIVI. Hieron. & Chald. *cuſtodivi*.

HETH, id eſt *vita*.

V. 57. PORTIO. Hieron. & Chald. *pars*; quaſi dicat: Mihi pro hereditate eſt cuſtodia legis tuæ?

V. 58. FACIEM TUAM, id eſt te. SECUNDUM ELOQUIUM; id eſt, ut poſtulat tuorum præceptorum obſervatio, vel ut promiſiſti.

V. 59. VIAS MEAS. Chal. *bonas facere vias meas*.

V. 66. PARATUS SUM, ET NON SUM TURBATUS. Hieron. *Feſtinavi, & non neglexi*. Chald. *Feſtinavi, & non diſtuli*.

V. 61. FUNES, id eſt vincula, ſeu laquei, aut retia, vel inſidiæ. Chald. *cohors*. PECCATORUM. Hieron. & Chald. *impiorum*.

V. 62. SURGEBAM. Hieron. & Chald. *ſurgam*. SUPER, id eſt de. Chald. *propter*. IUSTIFICATIONIS. Hieron. & Chal. *iuſtitiæ*.

V. 65. PARTICEPS. Chald. *ſocius*; quaſi dicat, unus ex numero.

TETH, id eſt *bonum*.

V. 63. BONITATEM. Hieron. *bene*. SECUNDUM VERBUM TUUM; id eſt, dando, ſeu docendo tua præcepta: vel, ſecundum promiſſum tuum.

V. 66. BONITATEM, ſcilicet voluntatis. DISCIPLINAM, id eſt mortificationem paſſionum. SCIENTIAM, ſcilicet intellectus. CREDIDI, ſcilicet obediens tamquam tuis.

V. 67. HUMILIARER. Chald. *affligerer*. PROPTEREA; quaſi dicat, factus cautior. Hieron. & Chald. *nunc autem*.

V. 68. IN BONITATE, id eſt pro bonitate.

V. 69. SUPER, id eſt contra. SCRUTABOR. Hieron. *ſervabam*. Chald. *ſervabo*.

V. 70. COAGULATUM, &c. quaſi dicat, Obſtinati ſunt. Hieron. *incraſſatum eſt, velut adeps*, &c. MEDITATUS SUM. Hieron. & Chald. *delectabar*.

V. 71. HUMILIASTI, id eſt affixiſti. DISCAM. Hieron. *diſcerem*.

V. 72. BONUM MIHI. Hieron. *melior eſt mihi*. ORIS TUI, id eſt a te præcepta.

IOD, id eſt *principium*.

V. 73. MANUS TUAE, id eſt potentia, & ſapientia. FECERUNT, ſcilicet animam. PLASMAVERUNT, ſcilicet corpus. DA MIHI INTELLECTUM. Hieron. *doce me*.

V. 74. VERBA TUA, id eſt promiſſa; vel, per verba tua; quaſi dicat: Per præceptorum obſervationem ſperavi præmium. SUPERSPERAVI. Hieron. & Chal. *expectavi*, ſcilicet mercedem.

V. 75. AEQUITAS. Chald. *iuſta*. IN VERITATE, id eſt merito. HUMILIASTI. Hieron. & Chald. *afflixiſti*.

V. 76. FIAT; quaſi dicat: Sic agat. SECUNDUM ELOQUIUM TUUM, id eſt obſervando tua præcepta; vel, ut promiſiſti. SERVO TUO, id eſt mihi, ſcilicet præceptum.

V. 77. VIVAM, ſcilicet vita beata: Auguſt. MEDITATIO. Hieron. & Chald. *delectatio*.

V. 78. EXERCEBOR. Hieron. & Chald. *loquar*.

V. 79. CONVERTANTUR MIHI. Hieron. *revertantur ad me*; quaſi dicat, Iungantur mihi.

V. 80. IMMACULATUM. Hieron. *perfectum*.

CAPH, id eſt *manus*.

V. 81. DEFECIT, ſcilicet præ deſiderio. Chald. *deſideravit*. IN SALUTARE TUUM. Chald. *redemptionem tuam*. VERBUM, id eſt promiſſum; vel quaſi dicat, in præcepta: ſcilicet, quibus adiunxiſti promiſſionem mercedis, ſi obſerventur.

V. 82. IN ELOQUIUM, id eſt promiſſum, vel obſervando præcepta.

V. 83. SICUT UTER, &c. quaſi dicat, contracta cute macilentus. IN PRUINAM. Chald. *ad fumum*. NON; pro, tamen non.

V. 84. QUANDO, id eſt uſque dum. IUDICIUM, ſcilicet puniens.

V. 85. MIHI, id eſt de me, ſeu contra me. FABULATIONES, id eſt vana, ſeu nugas. NON UT LEX TUA; quaſi dicat: Non ſecundum legem tuam id faciunt; vel, nihil ſimile legi tuæ loquuntur mecum.

V. 86. VERITAS. Hieron. *vera*. INI-

QUE

Digitized by Google

QUE. Hieron. & Chald. *falſo*.

V. 87. PAULOMINUS; id eſt, parum abſuit quin. CONSUMMAVERUNT. Hieron. & Chald. *conſumpſerunt* IN TERRA; pro, in terram, ſcilicet deiectum.

LAMED, id eſt *diſciplina*, vel *cor*.

V. 89. VERBUM; id eſt, præceptum, quod veluti dediſti cælo.

V. 90. VERITAS, id eſt præceptum poſitum terræ.

V. 91. ORDINATIONE, id eſt præcepto. DIES, id eſt temporum ſucceſſio.

V. 92. MEDITATIO. Hieron. & Chald. *delectatio*. TUNC: ſcilicet, cum affligebar. HUMILITATE. Hieron. *preſſura*. Chald. *afflictione*.

V. 93. IN IPSIS, id eſt per ipſas.

V. 94. EXQUISIVI, ſcilicet ut facerem.

V. 95. INTELLEXI. Hieron. *conſiderabo*.

V. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS. &c. quaſi dicat: Omnia quamvis perfecta finem habent, at lex tua perpetua. LATUM; quaſi dicat: Longiſſime ſe extendit.

MEM, id eſt *ex ipſis*.

V. 97. QUOMODO. Hieron. *quam*; quaſi dicat, o quantum,

V. 98. SUPER, id eſt pluſquam. MIHI. Chald. *apud me*.

V. 100. QUAESIVI. Hieron. & Chald. *ſervavi*.

V. 102. POSUISTI, id eſt præſcripſiſti.

V. 104. INTELLEXI, ſcilicet quid agere debeam.

NUN, id eſt *paſcua*, vel *ſempiternum*.

V. 106. STATUI. Hieron. *perſeverabo*. IUSTITIAE TUAE, id eſt a tua iuſtitia profecta.

V. 107. HUMILIATUS. Hieron. *afflictus*. USQUEQUAQUE. Chald. *vehementer*.

V. 108. VOLUNTARIA. Chald. *oblationes*, ſcilicet ſpontaneas. ORIS; ſcilicet, laudes, & gratiarum actiones. BENEPLACITA, ſcilicet tibi; quaſi dicat, Gravanter accipe.

V. 109. IN MANIBUS MEIS. Chald. periclitatur, ac ſi eſſet in ſuperficie manus.

V. 110. ET; pro, & tamen. ERRAVI; id eſt, diſceſſi, ſeu declinavi.

V. 111. HEREDITATE ACQUISIVI; id eſt, pro hereditate habui. Hieron. *hereditas mea*.

V. 112. IN AETERNUM, PROPTER. Hieron. *propter æternam*. RETRIBUTIONEM, id eſt præmium.

SAMECH, id eſt *firmamentum*, vel *adiutorium*.

V. 113. DILEXI; pro, diligo.

V. 115. DECLINATE. Hieron. *recedite*. SCRUTABOR. Hieron. & Chald. *cuſtodiam*.

V. 116. SUSCIPE. Chald. *ſuſtenta*. SECUNDUM ELOQUIUM TUUM; id eſt, promiſſum, vel in obſervatione tuorum præceptorum. VIVAM, ſcilicet vita gratiæ, ſeu ſpirituali. AB EXPECTATIONE, ſcilicet fruſtratum.

V. 117. MEDITABOR. Hieron. *delectabor*.

V. 118. SPREVISTI. Hieron. *abieciſti*. Chald. *conculcaſti*. INIUSTA. Hieron. & Chald. *mendax*.

V. 119. PRAEVARICANTES, id eſt legis tuæ tranſgreſſores. Hieron. *quaſi ſcoriam*. REPUTAVI; quaſi dicat: Habui eos loco quo debui. Hieron. *computaſti*. PECCATORES. Hieron. & Chald. *impios*.

V. 120. CONFIGE ... CARNES MEAS. Hieron. *horripilavit caro mea*. Chald. *inflammatur caro mea*.

AIN, id eſt *oculus*, vel *fons*.

V. 121. IUDICIUM ET IUSTITIAM; id eſt, præcepta tua plena iuſtitia & iudicio. TRADAS, id eſt tradi permittas.

V. 122. IN BONUM, id eſt benefaciens.

V. 123. DEFECERUNT IN; id eſt, ardenter expectarunt. ELOQUIUM IUSTITIAE, id eſt præcepta iuſta.

V. 125. SCIAM. Hieron. *cognoſcam*.

V. 126. FACIENDI. Hieron. *ut facias*. ſcilicet vindictam. Chald. *faciendi voluntatem Domini*.

V. 127. IDEO; ſcilicet, qua punis tranſgreſſores. TOPAZION. Lapis eſt pretioſus, ſic dictus ab inſula. Chald. *obrizum*.

V. 128. DIRIGEBAR, id eſt me recte componebam.

PHE, id eſt *os*.

V. 129. SCRUTATA EST. Hieron. & Chald. *cuſtodivit*.

V. 130. PARVULIS. Chald. *ſimplicibus*.

V. 131.

V. 131. Aperui, ſcilicet ut ſolent fatigati, vel expectantes magno deſiderio. Attraxi spiritum. Hieron. *reſpiravi*. Desiderabam, ſcilicet facere; vel quaſi dicat, Amavi.

V. 132. Secundum iudicium, id eſt legem; quaſi dicat, Ut ſoles, Chald. *pro conſuetudine*.

V. 134. Redime, id eſt libera.

V. 135. Illumina; quaſi dicat, Oſtende hilarem & benevolam.

V. 136. Exitus, id eſt rivos. Chald. *fluenta*. Custodierunt, ſcilicet impii, vel oculi.

Tsade, id eſt *iuſtitia*.

V. 137. Iudicium; id eſt, præceptum.

V. 138. Testimonia; pro, nempe teſtimonia. Nimis, ſcilicet ſervari.

V. 139. Tabescere me fecit. Hieron. *comſumpſit me*. Zelus, id eſt ſtudium erga legem tuam.

V. 140. Ignitum, id eſt velut igni probatum. Chald. *purum*.

V. 141. Adolescentulus; pro, velut adoleſcentulus, ſcilicet qui ſolet contemni. Hieron. & Chald. *parvulus*, ſcilicet ætate. Contemptus. Hieron. *contemptibilis*.

V. 142. in aeternum. Hieron. *ſempiterna*. Veritas, id eſt ſtabilis, ſeu conſtans.

V. 143. Meditatio. Hieron. *voluptas*. Chald. *delitiæ*.

V. 144. AEquitas, id eſt æquiſſima. Hieron. *iuſta*.

Coph, id eſt *vocatio*, vel *ſimia*.

V. 145. Requiram. Hieron. & Chald. *cuſtodiam*.

V. 147. Praeveni, ſcilicet alios. Hieron. *ſurgebam*. In maturitate, id eſt tempore immaturo. Hieron. *adhuc in tenebris*. Chald. *in aurora*. Verba; id eſt præcepta; quaſi dicat, In præceptorum obſervatione.

V. 149. Iudicium. Chald. *iudicia*.

V. 151. Prope, ſcilicet tuos. Viae, id eſt præcepta. Hieron. & Chald. *mandata*. Veritas; pro, vera.

V. 152. Initio; ſcilicet ætatis meæ, ſeu diſcretionis; quaſi dicat: Ex quo cœpi ratione uti, ſeu legi tuæ ſtudere. Hieron. *a principio*. Fundasti, id eſt ſtabilia eſſe voluiſti.

Res, id eſt *caput*.

V. 153. Humilitatem. Hieron. *afflictionem*.

V. 154. Iudica iudicium meum: Chald. *age cauſam meam*. Propter eloquium tuum. Hieron. & Chald. *in ſermone tuo*, id eſt præceptis tuis.

V. 156. Iudicium tuum. Hieron. & Chald. *iudicia tua*, id eſt præcepta.

V. 158. Tabescebam. Hieron. *mærebam*.

V. 159. In; id eſt, pro.

V. 160. Principium. Hieron. *caput*; quaſi dicat: Summa, vel a principio ad finem uſque vera ſunt.

Sin, id eſt *dens*.

V. 161. Gratis, id eſt ſine cauſa. A verbis tuis, ſcilicet ne diſcederem.

V. 162. Laetabor. Chald. *lætor*. Invenit: præſens eſt.

V. 163. Iniquitatem. Hieron. *mendacium*. Chald. *falſitatem*.

V. 164. Super. Chald. *propter*.

V. 165. Pax, id eſt tranquillitas. Scandalum, id eſt offendiculum.

V. 168. In conspectu tuo, id eſt tibi notiſſimæ.

Tau, id eſt *ſignum*.

V. 169. Appropinquet, id eſt admittatur. Eloquium tuum, id eſt legem tuam.

V. 171. Eructabunt. Hieron, & Chald. *fundent*. Hymnum, id eſt laudem.

V. 172. Pronuntiabit. Hieron. *loquetur*. Chald. *narrabit*. AEquitas. Hieron. *iuſta*.

V. 173. Fiat. Hieron. & Chald. *ſit*; quaſi dicat, Adſit.

V. 174. Meditatio. Hieron. *voluptas*.

V. 175. Vivet; quaſi dicat, Dum vivet. Chald. *vivat*, ſcilicet ſpiritualiter.

V. 176. Quae periit, id eſt perdita, ſeu peritura.

E S T I I.

Psalmus hic Hebr. ſcriptus eſt per alphabetum, ſic ut ſingulæ litteræ alphabeti unum perficiant octonarium. Totus Pſalmus moralis eſt complectens encomium legis divinæ, ex cuius, ob-

ſer-

ſervatione dependeat ſalus & beatitudo hominis; & quam firmum præſidium ſit lex Dei adverſus omnia mala. Notandum autem quod in toto hoc Pſalmo nullus eſt verſus, in quo non lex Dei nominetur, vel ſub ipſo nomine legis, vel ſub alio nomine idem fere ſignificante: cuiuſmodi ſunt hæc vocabula, mandatum, præceptum, iudicium, iuſtitia, iuſtificatio, via, teſtimonium, ſermo, verbum, eloquium, ordinatio. Quod autem propheta omnibus iſtis vocabulis legem, aut mandata legis voluerit ſignificare, facile quiſque deprehendet, ſi in ſingulis verſibus pro quolibet iſtorum vocabulorum legem ſubſtituat. Id enim ſi faciat, nihilominus clarum & apertum ſenſum inveniet, immo in quibuſdam etiam clariorem.

Ita obſervavi in hoc Pſal. CXVIII. omnes verſiculos ad Deum dirigi; id eſt, ſermonem eſſe prophetæ Deum alloquentis, exceptis tribus primis verſibus, in quibus de Deo loquitur in tertia perſona, qui ſunt quaſi præparatorii ad reliquum corpus huius Pſalmi, tamquam orationis cuiuſdam ad Deum dirigendæ; & excepto tertio verſiculo Samech, in quo facit apoſtrophen ad malignos impedientes meditationem legis divinæ, cum ait: *Declinate a me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.*

V. 1. BEATI IMMACULATI IN VIA, QUI AMBULANT IN LEGE DOMINI. Iſte verſiculus, immo totus iſte Pſalmus vehementer adverſatur doctrinæ Hæreticorum huius temporis de iuſtificatione. Docent enim iuſtificationem noſtram conſiſtere in ſola continua remiſſione peccatorum, non in operatione virtutum. Contra vero Pſalmus iſte, docens, in quo ſita ſit hominis felicitas, loquens haud dubie de felicitate, id eſt iuſtitia huius vitæ; vix uſquam meminit remiſſionis peccatorum, ſed paſſim beatitudinem collocat in obſervantia mandatorum Dei; tantumque abeſt, ut omnia opera hominis iuſtificati vocet peccata, (ut faciunt Hæretici) ut iuſtificatum hominem potius appellet ſtatim in ſuo exordio *immaculatum*. Non quod aliquis vivat ſine peccato; ſed quia recte immaculati dicuntur, qui coram Deo ſine crimine, & coram hominibus vivunt ſine querela. Hinc Pſal. XVIII. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo*. Græce *magno*, id eſt mortali.

V. 13 IN LABIIS MEIS PRONUNTIAVI OMNIA IUDICIA ORIS TUI. Quomodo huic ſententiæ non advertetur illud Apoſtoli ad. Rom. XI. *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius*, &c. pulchre exponit Gregor. Lib. II. Dialog. cap. XVI. ac dicit prophetam in labiis ſuis pronuntiaſſe omnia iudicia, non ſimpliciter, ſed oris Dei; id eſt, quæ Deus locutus eſt homini, non autem ea quæ Deus tacet, & occulta eſſe vult. Itaque Sancti, inquit, iudicia quæ Deus tacet, neſciunt; quæ Deus loquitur, ſciunt.

V. 17. RETRIBUE SERVO TUO; VIVIFICA ME, ET CUSTODIAM SERMONES TUOS. Quæres: Quid petit ſibi retribui? Dicendum; quod phraſi Hebraica retributio frequenter accipitur pro datione, ſeu donatione liberali, & gratuita; ſicut reſpondere, pro eloqui. Unde illud: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* id eſt, quæ dedit & liberaliter in me contulit? Senſus igitur eſt: *Retribue ſervo tuo*; quaſi dicat: Hoc beneficium mihi ſervo tuo conferas, ut vivam. Et quidem ſi me vivificaveris, cuſtodiam verba tua. Verba ſunt hominis iuſti petentis ampliorem iuſtitiam, & vitam.

V. 48. ET LEVAVI MANUS MEAS AD MANDATA TUA QUAE DILEXI. Levat homo manus ſuas ad mandata Dei, quæ diligit, quando ſic ea diligit, ut etiam ſanctis operibus exequatur. Levat autem manus, quia ad ea opera implenda, divinum deſuper auxilium exſpectat. Et recte: nam ſi teſte Apoſtolo, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, II. Cor. III. quanto minus aliquid boni facere?

V. 91. ORDINATIONE TUA PERSEVERAT DIES, QUONIAM OMNIA SERVIUNT TIBI. Pro *ordinatione*, Hebr. eſt, *iudiciis*; quaſi dicat: Lege tua, & ordinatione, etiam dies ſuccedit poſt intermediam noctem. *Quoniam omnia ſerviunt tibi*, vel voluntate, vel neceſſitate, ait Bonaventura Lib. I. de Perf. religioſ cap. XXII. Nam etiam mali, Deoque rebelles, Deo ſubſerviunt; dum id faciunt in cuius vel iuſta punitione, vel gratuita condonatione Deus, ut iuſtus, & miſericors glorificatur.

Digitized by Google

V. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS VIDI FINEM, LATUM MANDATUM TUUM NIMIS. Ex Hebræo verti poteſt: *Omnis perfectionis vidi finem*; cuius ſenſus hic reddi poteſt: Vidi res omnes quantumcumque perfectiſſimas, & conſummatiſſimas in hoc ſæculo, tandem finem aliquem habere; quaſi dicat: Nihil, quantumcumque perfectum in rebus humanis, eſt perpetuum, ſed tandem aliquo fine concluditur. At vero, *Latum mandatum tuum nimis*; id eſt, lex tua ſola infinita eſt, tantamque habet latitudinem, ut fine, aut menſura al qua comprehendi non poſſit. Atque hoc eſt, quod ſupra dixit hoc eodem octonario: *In æternum Domine, verbum tuum permanet in cælo. In generationem & generationem veritas tua.* Dicuntur autem hæc ad commendationem legis Dei, comparatione omnium aliarum rerum: nam lex Dei æterna eſt, cetera caduca, & tranſitoria. Huic ſimile eſt: *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, tum vulgatus ille verſiculus: *Omnia prætereunt, præter amare Deum*: nam lex Dei amorem præcipit. Qui autem diligit legem implevit.

V. 98. SUPER INIMICOS MEOS PRUDENTEM ME FECISTI. Quidam ſic intelligunt: Cum inimici ſoleant eſſe perſpicaciſſimi in notandis vitiis eius, quem oderunt, ego tamen hanc eorum perſpicaciam ac diligentiam ſuperavi in perſcrutandis vitiis meis, & perveſtiganda vita mea. MANDATO TUO; id eſt, ex directione tui mandati & legis. Aut ſimplicior ſenſus iſte videtur: Licet inimici mei aliis nominibus, velut induſtria artium humanarum, ac peritia rei bellicæ me ſuperent; me tamen eis ſuperiorem, doctiorem, prudentiorem feciſti *mandato tuo*, id eſt cognitione ac diligenti ſtudio præceptorum tuorum. Vide etiam Pſal. CXLV.

V. 100. SUPER SENES INTELLEXI. Præcedit: *Super omnes docentes me intellexi*: & ſignificat David ſe meditatione mandatorum Dei etiam præceptoribus ſuis doctiorem evaſiſſe. De hoc ſic Greg. hom. XVI. in Ezech. Sciendum eſt, quia per incrementa temporum crevit ſcientia ſpiritualium patrum. Plus namque Moyſes quam Abraham, plus Prophetæ quam Moyſes, plus Apoſtoli quam Prophetæ in Dei ſcientia eruditi ſunt.

V. 103. QUAM DULCIA FAUCIBUS MEIS ELOQUIA TUA SUPER MEL ORI MEO. Quidam ſic: Dulciora ſunt mihi eloquia tua, quam ori mel. Ita Genebrard. Ianſen. Caietanus. At magis placet, ut, quod facit Auguſtinus, fauces & os eodem referantur, ut ſicut fauces cordis intelligi oportet, ita & os cordis non corporis intelligamus.

V. 109. ANIMA MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER; quaſi dicat: Verſor in magnis & continuis periculis, neque tamen legis tuæ ſum oblitus. Similis phraſis eſt Iudicum XII. & I. Reg. XIX. Et hic ſenſus etiam explicatur per verſum ſequentem, cum dicit: *Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi*: cui quomodo conſonet, quod poſtea dicit in Tau, verſ. 176. *Erravi ſicut ovis quæ periit*, vide ibi.

V. 112. INCLINAVI COR MEUM AD FACIENDAS IUSTIFICATIONES TUAS IN AETERNUM, PROPTER RETRIBUTIONEM. Unus hic verſus duo deſtruit dogmata Hæreticorum noſtri temporis. Quorum alterum eſt, liberum arbitrium habere ſe mere paſſive in bono opere, nec habere poteſtatem ſeſe inclinandi ad bonum, ſed tantum ſuſcipiendi gratiam, per quam operetur. Contra hoc enim dicit Propheta: *Inclinavi egomet cor meum*; non quidem gratiam excludens, ſed liberi arbitrii vim activam aſtruens. Alterum eſt, non eſſe bene operandum intuitu mercedis alicuius a Deo expectandæ, ſed, ut aiunt, liberali animo, & gratis. Contra illud ergo ait propheta: *Inclinavi cor meum*, &c. *propter retributionem*. Et quæ eſt illa retributio? Indicat illam verſio Hieron. ex Hebræo, qui ſic vertit: *Inclinavi cor meum, ut facerem iuſtitias tuas propter æternam retributionem*. Scilicet ſervus eſt, & non filius, qui Deo ſervit propter temporalem retributionem; ſed qui ei ſervit propter æternam retributionem, quæ non eſt aliud quam Deum cognoſcere, eoque frui, ille liberaliter amat Deum, ipſique ſervit, pro mercede non aliud quærit, quam ipſum Deum; ut ei amore & cognitione perfecta coniungatur. Vide etiam ad illa verba Dei ab Abraham Geneſ. XV. *Ego merces tua magna nimis*.

V. 121.

V. 121. FECI IUDICIUM ET IUSTITIAM, NON TRADAS ME CALUMNIANTIBUS ME. En fiduciam bonorum operum coram Deo. Sic Ezechias, & Nehemias quoque opera ſua bona allegant apud Deum. Nec vero aliud hic de ſe cantat David, quam quod de eo alibi Scriptura teſtatur; feciſſe ſcilicet eum iudicium & iuſtitiam omni populo ſuo, II. Reg. VIII. & I. Paralip. XVIII.

V. 136. EXITUS AQUARUM DEDUXERUNT OCULI MEI, QUIA NON CUSTODIERUNT LEGEM TUAM. Hæc ſententia a pleriſque ita exponitur: Oculi mei ubertim lacrymas effuderunt præ doloris & pœnitentiæ magnitudine, quia videlicet iidem oculi legem tuam non cuſtodierunt, quia per eos tamquam per feneſtras mors animæ, id eſt peccatum ſubintravit. Senſus quidem pius; ſed, ut apparet, non proprius huius ſententiæ. Nam Propheta toto hoc Pſalmo non induit perſonam hominis pœnitentis. Unde, ſicut initio dixi, nuſquam meminit remiſſionis peccatorum, neque in ea ponit beatitudinem; ſed perſonam repræſentat hominis iuſti, qui propter iuſtitiam patiatur perſecutionem, & nihilominus in lege Dei delectetur, & magno zelo abſcondatur contra peccatores. Unde & ille verſus: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, non ita intelligendus eſt, quaſi genitivus *peccatorum*, veniat a nominativo *peccatum*, ſed a nomivativo, *peccator*, ut ex Græco & Hebr. eſt manifeſtum; ut ſenſus ſit: Funes hominum impiorum me circumdederunt; id eſt, impii ſuis fraudibus & inſidiis me circumvenerunt. Itaque & illud: *quia non cuſtodierunt legem tuam*, non ad oculos referendum eſt: nam & illud ſatis improprie diceretur, ſed ad homines impios, & ſuos inimicos; de quibus ſupra & infra ſæpe meminit; & ſenſus eſt: Multum dolui, multum ploravi, & ex animo me male habui, quod hic inimici mei, & tui, non cuſtodierint legem tuam. Similes ſunt aliæ ſententiæ: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*. Item, *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam*, & ſimiles.

V. 165. PAX MULTA DILIGENTIBUS LEGEM TUAM, ET NON EST ILLIS SCANDALUM. Non hoc ſignificat quod iuſtus ſcandalizari non poſſit exemplis malis aliorum, ſed tantum commendatur hic fructus iuſtitiæ, nempe habere pacem, & carere ſcandalo; ut ſenſus ſit: Qui legem tuam diligunt, multa pace fruentur, & a ſcandalis; id eſt, offenſionibus & documentis inimicorum liberi erunt, idque vel in hoc ſæculo, vel ſaltem in eo ſæculo, quod eſt tempus retributionis, id eſt in vita futura. Simile quid ſignificatur Pſalmo XC. de iuſto homine: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*; id eſt, ne ulla res te lædat.

V. 176. ERRAVI SICUT OVIS QUAE PERIIT, QUAERE SERVUM TUUM, QUIA MANDATA TUA NON SUM OBLITUS. Quæritur quomodo ergo ſuperius verſ. 119. dixit: *Et legem tuam non ſum oblitus*? & verſu proximo: *de mandatis tuis non erravi*? Reſpondeo: hoc loco, ubi Propheta dicit ſe erraſſe ſicut ovem quæ periit, non intelligitur error a mandatis Dei: nam toto hoc Pſalmo Propheta loquitur, ut homo iuſtus & mandata Dei obſervans, & in lege eius ambulans, & proficiens; neque uſquam peccatum ſuum hic proponit, aut veniam petiit; ſed erraſſe ſe dicit; id eſt, vagum & profugum fuiſſe, propter inſidias & perſecutiones hoſtium, quarum ſubinde meminit hoc Pſalmo.

MARIANAE.

Legis Dei obſervantiam & meditationem commendat. Atque ita, ut in ſingulis verſibus ſemper Legis mentionem inculcet, non eadem ſemper voce, ſed variis, quæ ad decem Hebraice numerum revocantur: Latinæ maiori numero ſunt, at plures quindecim. Sequitur Hebr. litteras Alphabeti, ita tamen, ut octoni verſus a ſingulis litteris inchoent. Pſalmus omnium longiſſimus.

V. 1. BEATI IMMACULATI. Hebr. *perfecti*. IN VIA, vita & moribus.

V. 2. QUI SCRUTANTUR. Hebr. *cuſtodiunt*, obſervant teſtimonia eius, id eſt legem.

V. 3. NON ENIM QUI OPERANTUR. Sic Hieronym. At Hebr. *Etenim non operantur iniquitatem*, (&) *in viis eius ambulant*

bulant, id eſt in mandatis: ſic Chald. explicat. Itaque qui cuſtodiunt Dei teſtimonia, ii a malo recedunt, & faciunt bonum.

V. 4. Nimis. Hebr. *valde*; id eſt, diligentiſſime obſervari mandaſti legem tuam.

V. 5. Dirigantur, diſponantur. Viae meae, ratio vitæ. Ad custodiendas iustificationes tuas. Hebr. *præcepta*.

V. 6. Tunc non confundar. Hebr. *non pudeſiam*. Cum perspexero; id eſt, ob oculos habuero mandata tua.

V. 7. In directione cordis. Hebr. *in rectitudine cordis*; id eſt, rectum cor habebo, teque recte laudabo. In eo quod didici, ubi didicero. Iudicia iustitiae tuae, id eſt leges tuas iuſtas.

V. 8. Iustificationes, præcepta cuſtodiam. Usquequaque. Hebr. *uſque valde*, quod Kimhi iungit cum *cuſtodiam*, ſic: *Præcepta tua ſervavi diligentiſſime, ne me derelinquas*.

V. 9 In quo corrigit adolescentior. Hebr. *puer*. Inſtitutió a puero optima, eaque fieri debet inculcando illi legem Dei. In custodiendo. Reſponſió ad interrogationem. Hebr. *in cuſtodiendo* (viam, ſeu vitam) *iuxta verba tua*.

V. 10. Ne repellas, ne errare me ſinas.

V. 11. Abscondi, ut theſaurum eloquia tua.

V. 12. Benedictus, laude dignus es tu.

V. 13. In labiis meis; id eſt, non ſolum in corde repoſui, ſed in lingua verſavi iudicia tua.

V. 15. Exercebor. Hebr. *meditabar*, loquebar, aut loquar teſtimonia tua.

V. 16. Meditabor. Hebr. *oblectabo me*. Hieron. *In iuſtitiis tuis delectabor*.

V. 17. Retribue servo tuo, ſcilicet hoc beneficium. Vivifica me. Hebr. *vivam*; pro, ut vivam, & cuſtodiam ſermones tuos.

V. 18. Revela, id eſt aperi oculos meos. Considerabo mirabilia de lege tua, id eſt mirabiles legis ſenſus.

V. 19. Incola. Hebr. *peregrinus*. In hoc exilio tua lex me conſolatur.

V. 20. Concupivit. Hebr. *Fracta eſt anima mea præ deſiderio iudiciorum tuorum*.

V. 21. Increpasti. Hebr. *perdidiſti ſuperbos*, id eſt legis contemptores. Maledicti: deteſtabiles, qui declinant, diſcedunt, aberrant a mandatis tuis.

V. 22. Et contemptum, hoſtium, quo me contemnunt, aufer, quia Exquisivi. Hebr. *ſervavi*, teſtimonia tua.

V. 23. Etenim sederunt Principes. Non a vulgo ſolum contemnor, ſed Principes etiam in ſuis conciliis obloquuntur contra me.

V. 24. Meditatio. Hebr. *oblectatio*. Et consilium meum iustificationes tuae; id eſt, legem tuam in conſilium adhibeo. Hebr. *Viri conſilii mei ſunt mihi teſtimonia tua inſtar conſultorum*.

V. 25. Adhaesit pavimento. Hebr. *pulveri*; id eſt, in periculo vitæ verſor. Secundum verbum tuum. Ut promiſiſti, vivifica me.

V. 26. Vias meas, res meas. Enuntiavi, exposui; ſcilicet, in oratione. Quod ſi ego ita feci, tu viciſſim Doce me legem tuam.

V. 27. Et exercebor. Hebr. *& meditabor*, ſeu loquar mirabilia tua. Non continebo apud me, quæ me docueris.

V. 28. Dormitavit. Heb. *ſtillavit*, ſcilicet lacrymas: ſic Ambroſius hic legit, & Originem ait legiſſe ἔςαξεν, *diſtillavit*, pro ἐνύςαξεν, id eſt *dormitavit*. Prae taedio. ἀπ' ἀκηδίας, *præ acedia*. Hebr. *præ anxietate*. Hieronymus, *præ ſtultitia*; ſcilicet, ob ea quæ ſtulte egi. In verbis tuis. Hebr. *ſecundum verba tua*, confirma me. Viam iniquitatis. Hebr. *mendacii* amove a me. Et de lege tua; id eſt, cognitione tuæ legis me inſtrue.

V. 30. Non sum oblitus. Hebr. *poſui*: ſcilicet, ob oculos *iudicia tua*, legem.

V. 31. Noli me confundere. Hebr. *Ne pudefacias me*; id eſt, permittas indignum aliquid facere.

V. 32. Cum dilatasti; id eſt, cum me recreaſti tua conſolatione, tunc legem tuam ſervavi.

V. 33. Legem pone mihi. Hebr. *doce me*. Viam iustificationum tuarum, id eſt tuas iuſtificationes, tua præcepta. Et exquiram eam. Hebr. *cuſtodiam*. Semper. Hebr. (ad) *calcaneum*, id eſt, uſque ad finem, dum vixero. Vox עקב *hekeb*, id eſt *calcaneum*, ſignificat *finem*

&

Digitized by Google

& *mercedem*, quia eſt finis operis, ut in corpore calcaneum.

V. 34. DA MIHI INTELLECTUM. Hebr. *fac me intelligere*. ET SCRUTABOR. Heb. *cuſtodiam* mandata.

V. 37. IN VIA TUA, in lege tua. VIVIFICA ME; id eſt, fac vivam, & non moriar traſgrediens.

V. 38. STATUE. Hebr. *ſurgere fac*, præſta. ELOQUIUM TUUM; id eſt, quod es pollicitus in tua lege. IN TIMORE TUO. Hebr. *ut timeam te*, teque colam.

V. 39. AMPUTA OPPROBRIUM MEUM, QUOD SUSPICATUS SUM. Hebr. *timui*. QUIA IUDICIA, id eſt lex. IUCUNDA: ſcilicet, eſt mihi, ea delector. Hebr. *bona*, id eſt ſuavia, iucunda.

V. 40. IN AEQUITATE. Hebr. *in iuſtitia*; id eſt, pro tua iuſtitia, qua bonis faves, fac ut vivam.

V. 41. SALUTARE TUUM. Hebr. *Salus tua* veniat. SECUNDUM ELOQUIUM TUUM; id eſt, iuxta legem tuam, ut in illa promiſiſti.

V. 42. VERBUM; id eſt, reſponſum dabo exprobrantibus meam ſpem eſſe in verbo tuo, id eſt lege tua.

V. 43. ET NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM VERITATIS; id eſt, ne me mentiri permittas abſolute, aut in iis quæ mihi de tua ope polliceor. USQUEQUAQUE. Hebr. *uſque valde*, id eſt umquam, ullo tempore.

V. 44. IN SAECULUM. Hebr. *in ſæculum, & uſque*: ſcilicet, ad mortem, dum vixero, aut in perpetuum fac cuſtodiam legem tuam.

V. 45. ET AMBULABAM, aut ambulavi. IN LATITUDINE, id eſt lætitia.

V. 47. ET MEDITABAR. Hebr. *oblectabar in mandatis tuis*.

V. 48. ET LEVAVI MANUS MEAS; id eſt, admovi mandatis, ut ea facerem. ET EXERCEBAR. Heb. *meditabor*, aut *loquar in* (pro, de) *præceptis tuis*.

V. 49. VERBI TUI; id eſt, promiſſionis in lege factæ ſervo tuo, memor eſto.

V. 50. HAEC; pro, hoc. VIVIFICAVIT ME; pro, reficit me tua lex.

V. 51. SUPERBI INIQUE AGEBANT. Heb. *Superbi irrident me uſque valde*, id eſt vehementer. Ego nihilominus in tua lege perſtiti.

V. 52. IUDICIORUM TUORUM A SAECULO DOMINE; id eſt, quæ ſunt æterna, memor fui.

V. 53. DEFECTIO, id eſt deliquium. Heb. *tremor*. PRO PECCATORIBUS: propter peccatores tenuit me.

V. 54. CANTABILES. Hebr. *cantica erant mihi iuſtificationes tuæ*. IN LOCO. In domo peregrinationis meæ, iis ſolabar exilium.

V. 55. MEMOR FUI NOCTE, cum alii quieſcunt. ET CUSTODIVI LEGEM TUAM; ſcilicet, quæ id præcipit, ut diebus ac noctibus de te, deque tua lege cogitem.

V. 56. HAEC FACTA EST MIHI. *Hæc*, ſcilicet memoria, & meditatio accidit mihi, quia legem tuam ſervavi, quæ id præcipit. Aut quia in quibus verſamur, de iis cogitare ſolemus.

V. 57. PORTIO MEA DOMINE, pars mea, hereditas mea. DIXI, decrevi. Alii conſectantur opes, aut alia; ea eſt eorum pars: mihi inſtar omnium legis tuæ cuſtodia.

V. 58. FACIEM TUAM, te deprecatus ſum: vel *faciem* Propitiatorium vocat. Ergo in tabernaculo oravi. Quid petiit? MISERERE MEI, ut in tua lege promiſiſti.

V. 59. COGITAVI VIAS MEAS; id eſt, errores vitæ meæ, & continuo correxi eam.

V. 60. PARATUS SUM, ET NON SUM TURBATUS. Hebr. *feſtinavi, & non diſtuli cuſtodiam legis*. Non procraſtinavi. Ratio optima vitam mutandi.

V. 61. FUNES PECCATORUM, generis maſculini. Impii ſuis me fraudibus & laqueis implicarunt, & tamen legis memoriam excutere non potuerunt.

V. 62. SUPER, propter. IUDICIA IUSTIFICATIONIS TUAE. Heb. *iudicia iuſtitiæ tuæ*; id eſt, iuſta tua iudicia, ut meditarer, & laudarem ea, ſurgebam nocte.

V. 63. PARTICEPS EGO SUM. Hebr. *Socius ego omnibus qui te timent*. Illis me adiungo, aliorum vito conſortia.

V. 64. MISERICORDIA; id eſt, ea miſericordia, qua terreſtres amplecteris, me doce legem tuam.

V. 65. SECUNDUM VERBUM TUUM, ut in lege promiſiſti, bonitatem feciſti.

V. 66. BONITATEM, ET DISCIPLINAM ET SCIENTIAM DOCE ME. Hebr. *bonitatem guſtus & ſcientiæ*; id eſt, quanta ſit

vo-

voluptas in lege tua. QUIA MANDATIS TUIS CREDIDI, illa quidem ampleƈtor, voluptatem tu largire.

V. 67. PRIUSQUAM HUMILIARER EGO DELIQUI. Hebr. *Erravi, ob peccata pleƈtor*. PROPTEREA. Hebr. *& nunc* (cognito errore) legem ampleƈtor.

V. 68. ET IN BONITATE TUA. Hebr. *& benefaciens* (ut ſoles quia bonus) doce me.

V. 69. MULTIPLICATA EST. Hebr. *concinnarunt*. SUPER ME, contra me. INIQUITAS, mendacium. Falſis me accuſationibus petiverunt. SCRUTABOR. Hebr. *cuſtodiam*, aut cuſtodio mandata tua.

V. 70. COAGULATUM EST. Heb. *impinguatum eſt cor eorum*, nihil intelligunt. SICUT LAC. Heb. *ut adeps*. Hieronym. vox Hebr. חלב *helcb* pro ratione punƈtorum utrumque ſignificat, *lac* & *adipem*.

V. 71. BONUM MIHI QUIA HUMILIASTI ME: afflixiſti. Ab afflictione ſæpe inchoat converſio.

V. 72. BONUM MIHI, melior. LEX ORIS TUI, doƈtrina tua. SUPER, id eſt plus quam, MILLIA AURI ET ARGENTI, ſcilicet nummos, id eſt multos aureos & argenteos. In divinis Libris viginti aut triginta auri aut argenti totidem ſiclos ſignificant, de quo nos libro de Pond. & menſ. cap. VI. plura.

V. 73. PLASMAVERUNT ME. Hieronym. *Firmaverunt me*. Alii, *Diſpoſuerunt me* manus tuæ.

V. 75 ET IN VERITATE TUA; id eſt, iuſte afflixiſti me.

V. 76. FIAT MISERICORDIA TUA; id eſt, pro tua miſericordia in hac afflictione me conſolare. Iuſta eſt afflictio, liberatio erit ex benignitate.

V. 77. MEDITATIO. Hebr. *delitiæ* lex tua eſt.

V. 78. QUIA INIUSTE INIQUITATEM. Hebr. *Quia mendacio me perverterunt*; id eſt, pervertere ſunt conati, pudefiant. EXERCEBOR. Hebr. *meditabor*, loquar in tuis mandatis.

V. 79. CORVERTANTUR MIHI; id eſt, ad me, mihi ſocientur boni, impiorum commercium averſor.

V. 80. IMMACULATUM: perfeƈtum fiat cor meum.

V. 81. DEFECIT: deſideravit ardenter, IN SALUTARE TUUM. Heb. *ſalutem tuam*. ANIMA MEA, ego.

V. 82. DEFECERUNT, præ lacrymis caligarunt oculi. IN ELOQUIUM TUUM, præ deſiderio eorum, quæ in Lege promittis. Caſſiodorus Lib. Divin. leƈt. cap. XV. legit, *Defecerunt oculi mei in eloquium meum*. Nova prorſus leƈtio.

V. 83. QUIA; pro, *cum*, ut Hieronym. aut, quamvis in miſeria eſſem. SICUT UTER IN PRUINA. Hebr. *Sicut uter in fumo*; id eſt, arefaƈtus, ſine ſucco, tamen præceptorum tuorum fui memor.

V. 84. QUOT SUNT DIES SERVI TUI? id eſt, pauci: ne ergo differas ultionem in hoſtes.

V. 85. NARRAVERUNT MIHI. Hebr. *foderunt mihi ſuperbi foveas*; id eſt, inſidias pararunt, quod eſt contra legem tuam: ideo vindiƈtam peto.

V. 86. OMNIA MANDATA TUA VERITAS; id eſt, nulla fraus eſt in tua lege, qualis eſt, qua illi ſe armant. INIQUE, non *iniqui*, *ἀδίκως*. Heb. *mendacio perſecuti ſunt me*, id eſt dolo & fraude.

V. 87. PAULO MINUS; id eſt, parum abſuit, quin me peremerint, in terram abiecerint.

V. 88. SECUNDUM, id eſt pro tua miſericordia. VIVIFICA ME: recrea, revoca a morte ad vitam.

V. 89. VERBUM TUUM; id eſt, decretum tuum, quo cælos condidiſti, in æternum manet.

V. 90. IN GENERATIONEM; id eſt ſemper veritas tua manet, qua formaſt terram, & quæ ſunt in ea.

V. 91. ORDINATIONE TUA. Heb. *iudiciis tuis ſtant uſque hodie*: ſic Hieronymus: quæ de ſingulis decreviſti, ſic manent.

V. 92. MEDITATIO. Hebr. *obleƈtatio*, meæ delitiæ, niſi eſſet lex tua. TUNC FORTE. Hebr. non eſt *forte*, ſed, *tunc periiſſem in afflictione mea*.

V. 93. NON OBLIVISCAR: tua lege ab interitu ſervatum eſſe, ſemper memoria retinebo.

V. 95. ME EXPECTAVERUNT; id eſt, cum impii me perdere vellent, ego non deſtiti a tuæ legis intelligentia.

V. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS. Hebr. *omni perfeƈtioni*; id eſt, res, quamvis

vis perfectæ, definunt. Omnia pereunt quamuis perfecta. LATUM MANDATUM TUUM NIMIS; id eſt, finem non habet. In eo ab aliis rebus diſcrepat.

V. 98. SUPER INIMICOS MEOS. id eſt plus quam inimicos. PRUDENTEM ME FECISTI. Græc. *ἐσόφισας*, *ſapere me feciſti*: ſic Hebr. MANDATO TUO; pro, in mandato tuo: *ἐντολὴ σου*, *mandatum tuum*. Hebr. *mandata tua*. QUIA IN AETERNUM MIHI EST, ſcilicet lex, id eſt mecum, non diſcedit a me: ſemper ante oculos verſatur lex.

V. 100. QUAESIVI. Hebr. *cuſtodivi mandata*, ideo plus quam ſenes intellexi.

V. 102. POSUISTI MIHI. Hebr. *Quia legem tu docuiſti me*.

V. 104. A MANDATIS TUIS; id eſt, ex præceptis tuis prudens factus intellexi quid faciendum. VIAM INIQUITATIS. Hebr. *omnem ſemitam mendacii*; id eſt, fallaciam omnem odivi.

V. 107. USQUEQUAQUE. Hebr. *uſque valde*; id eſt, vehementer humiliatus ſum.

V. 108. VOLUNTARIA, id eſt ſpontaneas oblationes. BENEPLACITA FAC DOMINE; id eſt, ſuſcipe volenter, ſint tibi gratæ.

V. 109. ANIMA MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER. Sic Hebr. non *in manibus tuis*. Senſus: Verſor ſemper in vitæ periculo. Quæ in manibus ſunt, periculo ſunt proxima. Quam formam loquendi & Iudic. XII. habes, & 1. Reg. XXVIII. 21. Hic Græce, *in manibus tuis*: ſic in Pſalt. Rom. ſed vitioſe: de quo Hieron. ad Suniam & Fretellam.

V. 111. HEREDITATE ACQUISIVI; id eſt, pro mea hereditate habui legem tuam. QUIA EXULTATIO, gaudium, lætitia cordis mei ſunt mandata.

V. 112. AD FACIENDAS IUSTIFICATIONES TUAS IN AETERNUM PROPTER RETRIBUTIONEM. Hieronymus, *propter æternam retributionem*. עקב *hekeb*, ſignificat *calcaneum*, ſignificat etiam *mercedem*. Id ſecuti ſunt Septuag. ſicque locus verti poteſt: *In æternum* (propter) *mercedem*; ſignificat etiam *finem*. Hoc ſecutus Chald. dixit: *In æternum* (& uſque in) *finem*: ſcilicet dum vixero, omni tempore. Utroque modo ſupplendum, quod parentheſi ſignatur. Hebræi hoc poſterius ſequuntur. Hebr. ſolum eſt, *in æternum finem*, ſeu *mercedem*: ideo ſupplendum aliquid.

V. 113. INIQUOS. Hieronymus, *tumultuoſos*. Alii, *cogitationes*, *& commenta* (alia) *odivi*.

V. 114. ADIUTOR, ET SUSCEPTOR. Hebr. *latebra*, *& ſcutum meum es tu*. Septuag. ſuſtulerunt metaphoram, & poſuerunt quod illa ſignificatur.

V. 115. DECLINATE A ME MALIGNI: ET SCRUTABOR. Hebr. *cuſtodiam*. Pravorum conſortia vitet qui legem Dei cupit ſervare. Id ſignificat, *declinate a me maligni*.

V. 116. SUSCIPE ME. Hebr. *robora me*. SECUNDUM ELOQUIUM TUUM, ut in lege promiſiſti. ET NON COFUNDAS ME, pudefacias, ſi expectatio mea me fefellerit.

V. 117. ADIUVA ME, fulci me. ET MEDITABOR. Hieron. *& delectabor in lege tua*.

V. 118. SPREVISTI, conculcaſti. DISCEDENTES, errantes. QUIA INIUSTA COGITATIO. Hebr *quia mendacium dolus eorum*, id eſt fallax.

V. 119. PRAEVARICANTES REPUTAVI. Hebr. *abiicis* (ut) *ſcoriam omnes peccatores terræ*.

V. 120. CONFIGE TIMORE TUO. Heb. *Tremuit præ timore tuo caro mea*.

V. 122. SUSCIPE SERVUM TUUM. Hieronymus, *ſponde pro ſervo tuo*. Alii, *dirige*, *oblecta*. ערב *barab*, multas ſignificationes habet. IN BONUM, id eſt in lege. *Bonum* eſt unum e vocabulis, quibus lex ſignificatur: ſic Faber; & alioqui nulla in hoc verſu mentio legis eſſet.

V. 123. OCULI MEI DEFECERUNT; ſcilicet, præ copia lacrymarum. IN SALUTARE TUUM. Hebr. *ad ſalutem tuam*, ſcilicet expectando tuam opem. ET IN ELOQUIUM; id eſt, promiſſa iuſta tua cum expecto.

V. 126. TEMPUS FACIENDI DOMINE. Hebr. *Domini*; id eſt, in gratiam Domini laborandi tempus eſt, cum alii diſſipant legem tuam. Aut *tempus faciendi Domino*; id eſt, vindicandi, ut puniat eos qui legem diſſipant: ſic Hieron. & Cyrillus Alexandrinus ſæpe.

V. 127 IDEO DILEXI MANDATA TUA SUPER plus quam. TOPAZION: ſic Hieronymus, eſtque gemma aurei coloris.

Vox

Vox Hebr. *aurum obryzum*, id eſt puriſſimum, ſignificat, aut etiam gemmam: de quo Cant. II. 5.

V. 128. PROPTEREA AD OMNIA MANDATA TUA DIRIGEBAR. Hebr. *omnia mandata rectificavam*; id eſt, recta eſſe defendebam. VIAM INIQUAM. Hebr. *viam mendacii*; id eſt, fallaciam, omnes & dolos odivi.

V. 129. SCRUTATA EST. Hebr. *Cuſtodivit ea teſtimonia tua anima mea*.

V. 130. DECLARATIO. Hebr. *Porta, ingreſſus, illuminat & intelligere facit ſimplices*: ſcilicet, quid illis agendum, quid deſiderandum. *Porta* pro initio ſermonum tuorum.

V. 131. ET ATTRAXI SPIRITUM, id eſt aerem. Anhelavi præ cupiditate tuæ legis. Qui ardenter cupiunt aliquid, hiare dicuntur.

V. 132. SECUNDUM IUDICIUM; id eſt, ut ſoles miſereri iis, qui te diligunt, me aſpice.

V. 133. DIRIGE. Hebr. *firma greſſus meos*. SECUNDUM ELOQUIUM TUUM. Hebr. *in verbo tuo*. Septuag. pro Beth legere Caph. OMNIS INIUSTITIA. Hebr. *omnis iniquitas*, aut *vanitas*; id eſt, nulla dominetur mei.

V. 134. REDIME ME; id eſt libera me. A CALUMNIIS, ab oppreſſione hominum.

V. 135. FACIEM TUAM ILLUMINA; id eſt, te benevolum oſtende.

V. 136. EXITUS AQUARUM: in accuſativo διεξόδους. Hebr. *rivos*, id eſt vim lacrymarum. DEDUXERUNT; id eſt, emiſerunt oculi. Alii, *deſcenderant*: ſic Hebr. *iaredu*, *deſcenderunt rivi* (ex) *oculis meis*. Alii, *ſubierunt*, ut Ambroſius docet in Græcis codicibus hanc fuiſſe varietatem. QUIA NON CUSTODIERUNT. Græce, ἐφύλαξα, *cuſtodivi*, ſicque eſt in Vulgata Regia. Noſtra lectio oſtendit alios Græcos codices habuiſſe ἐφύλαξαν, ſic Hebr. *quia non cuſtodierunt*, ſcilicet homines, aut oculi mei legem. Hieronymus ad Suniam & Fretellam ait variaſſe Græcos codices.

V. 137. RECTUM IUDICIUM TUUM. Hebr. *rectum iudicia tua*; id eſt, omnia ſunt recta.

V. 138. MANDASTI IUSTITIAM, ut eſſemus iuſti. TESTIMONIA TUA, appoſitive: iuſtitia tuis teſtimoniis & veritate continetur. NIMIS, valde; & iungitur cum *mandaſti*.

V. 139. TABESCERE. Hebr. *confecit*; occidit me, zelus meus.

V. 140. IGNITUM. Hebr. *conflatum*, *purgatum igne*, *probatum eloquium tuum*.

V. 141. ADOLESCENTULUS. Heb. *Parvus* (quidem) *& contemptus ego* (ſed) *præcepta tua non ſum oblitus*.

V. 143. INVENERUNT ME; id eſt, irruerunt in me anguſtiæ, oppreſſerunt me, & tamen in mandatis tuis meditatio mea eſt. Hebr. *delitiæ*.

V. 144 AEQUITAS TESTIMONIA TUA; id eſt, iuſta ſunt tua teſtimonia. INTELLECTUM DA MIHI. Hebr. *fac me intelligere*, ſcilicet illa. ET VIVAM; pro, ut vivam, ſcilicet in æternum, quod verbum præceſſerat.

V. 145. REQUIRAM. Hebr. *cuſtodiam iuſtificationes*. Si me exaudieris, ego viciſſim legem cuſtodiam.

V. 146. SALVUM ME FAC, UT CUSTODIAM. Hebr. *& cuſtodiam*. Sed *&* ſumitur ſæpe pro *ut*.

V. 147. IN MATURITATE, id eſt mature, cito. Græc. ἐν ἀωρίᾳ, id eſt *in immaturitate*, id eſt intempeſta nocte: ſic in Vulg. Regia Hebr. *in crepuſculo*, forte veſpertino, propter ea quæ proximo verſ. ait. *Præveni*; id eſt, ante alios ſurrexi ad preces.

V 148. PRAEVENERUNT OCULI MEI AD TE DILUCULO. Hebr. *antevertunt vigilias*. Nox in tres vigilias dividebatur. Ita ſignificat ſe tota nocte vacare precibus.

V. 149. ET SECUNDUM IUDICIUM TUUM; id eſt, legem tuam, ut in ea promiſiſti. VIVIFICA ME: refice me.

V. 50. APPROPINQUAVERUNT PERSEQUENTES ME INIQUITATI; id eſt, ſectantur peccatum. Hebr. *Appropinquaverunt* (ſcilicet contra me) *ſequentes iniquitatem*, id eſt pravi.

V. 151. PROPE ES TU DOMINE. Antitheſis. Illi appropinquant contra me, aut iniquitati; at tu Domine prope me es, ut mihi faveas. VIAE TUAE. Hebr. *præcepta tua*. VERITAS, id eſt vera.

V. 152. INITIO COGNOVI; id eſt, pridem cognovi, quod teſtimonia tua ſicut tu æterna ſunt. Hieronymus, *A principio novi de teſtimoniis tuis, quod in æternum fundaveris ea*.

V. 153. VIDE HUMILITATEM MEAM. Hebr. *afflictionem meam vide*.

V. 154. Iudica. Heb. *Litiga litem meam, & libera me.*

V. 156. Secundum iudicium; id eſt, legem, ut in ea promiſitti, vivifica me.

V. 158. Et tabescebam. Hebr. *tædio afficiebar*, aut *obiurgabam*. Hieronymus, *mærebam cum peccatores viderem*.

V. 159. In misericordia tua. Heb. *Secundum miſericordiam vivifica me.* Septuag. Beth pro Caph legere.

V. 160. Principium Hebr. *caput verbi tui veritas*; id eſt, ſumma, eo omnia ſpectant. Aut *caput*, id eſt a capite, a principio (uſque ad finem). Lex tua veritas, id eſt vera. In aeternum omnia iudicia iustitiae tuae; pro, iuſtitia tuorum iudiciorum, id eſt legis. Itaque *veritas* a principio, & *iuſtitia* ad finem in æternum ſunt.

V. 161. Gratis, ſine cauſa Principes me perſequuntur. Formidavit: non ab illis principibus, ſed a lege tua; id eſt, legem tuam metuo.

V. 163. Iniquitatem. Hebraice, *mendacium odio habui.*

V. 164. Septies in die; id eſt, ſæpe te laudo. Super, id eſt propter legem tuam. Septies cadit iuſtus.

V. 165. Pax multa: ſelicitas, aut tranquillitas eſt iuſtis, & non eſt illis Scandalum, offendiculum: in nulla re offendunt, cuncta proſpere cadunt illis.

V. 166. Expectabam salutare. Heb. *ſalutem*; id eſt, quod a te ſalutem expectarem, legem diligo.

V. 168. Omnes viae meae, rationes, actiones. In conspectu tuo, te non latent. Aut *in conſpectu tuo*, ad te referuntur, & propter te fiunt.

V. 169. Deprecatio mea. Heb. *clamor meus*. In conspectu tuo Domine, ad te. Iuxta eloquium; pro, ut vivam iuxta eloquium & legem tuam: Heb. Scholiaſtes.

V. 170. Secundum eloquium; id eſt, promiſſiones tuas, eripe me.

V. 171. Eructabunt labia mea. Heb. *proment inceſſanter*. Hieronymus, *effundent*. Hymnum, laudem. Cum docueris, aut quia docuiſti me ſtatuta tua.

V. 172. Pronuntiabit, prædicabit, laudabit lingua mea eloquium tuum.

V. 173. Fiat manus tua. Hebr. *ſit manus tua* (id eſt protectio) *mihi*. Ut salvet me. Hebr. *ut auxilietur mihi*. Elegi, ſcilicet præ omnibus aliis rebus elegi mandata tua.

V. 174. Salutare. Heb. *ſalutem*; id eſt, opem tuam cupivi. Meditatio. Hebr. *delitiæ meæ*. Si tua lege delector, æquum eſt ut mihi opem feras.

V. 175. Vivet anima mea, aut vivam, fac vivam. Et iudicia tua, lex tua. Adiuvabunt me: ea afferet ſalutem, & opem, quam cupio.

V. 176. Sicut ovis quae periit; id eſt, errat a grege. Quaere servum tuum: ſcilicet, aberrantem, reduc ad caulam. Aut, *quære*; id eſt, fer opem, quam peto data legis cognitione. Quia mandata tua: ſcilicet, ſic fiet, ut non obliviſcar legis tuæ. Aut, ea ſit merces memoriæ legis quam habeo, mihi opitulari.

MALVENDAE.

Verſ. 1. BEati immaculati, &c. Notant, longiſſimum hunc Pſalmum conſcripſiſſe Davidem in graviſſimo ſuo exilio ſe conſolantem, quo felicitatem piorum in obſequio voluntatis Dei poſitam eſſe canit. Scriptum autem per Ogdoadas, quæ ſingulæ ordine Alphabetico conſtant, ad inſignem Pſalmi doctrinam notandam, & facilius memoria complectendam. Vide Pſal. cx. verſ. 1. & Pſal. xxiv. 1. Quidam hic reddunt: I. O *beatos, integros via*, ſive *itinere*; id eſt, quorum mores ſunt probi, qui vitam pure & innocenter agunt. II. *O beatos, qui vitæ integrum iter tenent.* III. *Felices qui innocenter vivunt in hac vita.* IV. *Beati integri via*; id eſt, ratione & inſtituto vitæ, cum illa præceptis Dei conformatur. In lege Domini. Multis nominibus in hoc Pſalmo utitur, quibus expreſſam Dei voluntatem erga homines deſignet, quæ omnia ut occurrent, a nobis accurate explicanda ſunt. Primum quidem eſt תורה *torah*: aiunt eſſe, *inſtitutionem, conſtitutionem, diſpoſitionem, inſtructionem, doctrinam, qua docemur de voluntate Dei erga nos, & quomodo nos vitam & mores formare oporteat*. Græci reddiderunt; νόμος Latini *Lex*: tametſi Hebræis generalior vox eſt, quam legis vocabulum. Interdum peculiariter Legem Moſis, ſeu quin-

que Moſis libros: interdum alios Scripturæ Libros; & univerſe Sacram ipſam Scripturam: plerumque rationem & præſcriptum cuiuſcumque rei, ſignificat; in Levitico maxime, ubi ſæpe pro certo ritu & cæremonia accipitur: exempla abunde tibi Lexica ſuppeditabunt. Hoc Pſalmo ſumitur pro doctrina, ſeu inſtitutione, ſeu univerſo verbo Dei; quod ſic vocatur, quod nos de Dei voluntate erga nos, & noſtro officio erga Deum, & proximum noſtrum doceat, & erudiat, & recte vivendi rationem præſcribat.

V. 2. TESTIMONIA EIUS. עדות *ghedu-ioth*. Secundum nomen, id eſt *teſtimonia*, ſeu *teſtificationes*: quo nomine divina lex, & verbum Dei appellatur, quo nobis de voluntate ſua teſtatur: & quod ſit teſtimonio Iſraelitis, quod legem & præcepta Domini ſuper ſe receperint: & quod verbo ſuo nobis teſtatur Deus, ſe ſe adeſſe, & nos curare, quo conſcientiam de eo habeamus, quem alias neque videmus, neque ſentimus, neque intelligimus. Vide Notas in Deuteron. IV. 45. Quidam Hebræorum, *teſtimonia* dicta volunt in Scriptura omnes narrationes hiſtoricas quæ teſtatiſſimam continent veritatem, atque ita perſpicuæ ſunt, ut ſi aliquis teſtaretur de re aliqua, quam ipſe viderit, aut audierit, ut ſunt, Creatio mundi, Diluvium, diviſio linguarum, Hiſtoria Patrum, Egreſſio Iſraelitarum, Tranſitus Rubri maris, & id genus hiſtorica. Alii *teſtimonia* dici exiſtimant omnia illa præcepta, quæ populo Iſraelitico velut quædam *Mnemoſyna* fuere, quibus aliqua Dei miracula & beneficia eis in memoriam revocarent, quaſi teſtantia Dei beneficentiam: ut ſunt præcepta Sabbati, Feſtorum, Thephillim, &c. ſed vox generalior eſt. Quidam, *Oracula*, vertunt, quibus Deus voluntatem ſuam teſtatur, ac manifeſtat.

V. 3. NON ENIM QUI OPERANTUR INIQUITATEM, &c. Noſtra Tranſlatio ordine verba Hebraica reddidit. (*Etiam non operati fuerunt iniuſtitiam: in viis eius ambulaverunt.*) Alii: I. *Etiam qui non operantur iniquitatem, ſed in viis eius ambulant.* II. *Qui etiam non operantur iniquitatem, ſed in viis eius ambulant.* III. *Nam qui per vias tuas incedunt, non patrant iniquitatem.* IV. *Qui ſcelera nulla deſignant, ſed in viis eius incedunt.* V. *Profecto tales nullum ſcelus admittent, ſed recta per vias, quas illis monſtravit, gradientur.* IN VIIS EIUS AMBULAVERUNT. דרכים *derachim*, tertium nomen, id eſt *viæ*, *itinera*: metaphorice ſumitur pro *inſtitutis*, *ſtudiis*, *vitæ*, *ſeu agendi rationibus*, *doctrinis*, *dogmatibus*, *moribus*, *conſuetudinibus*, *cultibus*, *religionibus*. Hebræorum nonnulli ſumi volunt pro pii alicuius operis directione, ad quod quiſque ex præcepto non tenetur: quæ Theologi *Conſilia* vocant, ut diſtinguant a præceptis, ſed vox univerſalior eſt.

V. 4. MANDATA TUA. פקדים *pikkudim*, quartum nomen eſt; id eſt *Viſitata*, *viſitationes*, *inſpectiones commiſſa*, *decreta*, *commendata*, *depoſita*. Vide in Pſal. XVIII. 9. hoc eſt, præcepta, quæ contineant ea, quæ nobis Deus obſervanda velut depoſita commendavit. Heb. volunt eſſe præcepta iuris naturæ, quæ ipſa mens dictat, & in corde humano tamquam depoſitum includuntur, omnium animis inſita. CUSTODIRI NIMIS. Heb. *Ut obſerventur valde*, id eſt ſummo ſtudio, ac diligentia.

V. 5. UTINAM DIRIGANTUR VIAE MEAE De voce, אחלי *achalai*, *utinam*; vide Notas in II. Regum v. 3. hic varie reddunt: I. *Enixæ precationes*, vel *preces meæ ſunt*, *ut dirigantur viæ meæ*. II. *Valetudines meæ eſſent*, *ut dirigantur viæ meæ*. III. *Ægritudinibus*, *infirmitatibus*, *meis aptabuntur viæ meæ*. DIRIGANTUR. Heb. Futurum יכונו *iiconu*, *apparabuntur*, *comparabuntur*, *ratificabuntur*, *firmabuntur*, *diſponentur*, *ſtabilientur*, *perficientur*. VIAE MEAE; id eſt, rationes agendi, ſtudia, inſtituta mea. Quidam: *Utinam comparentur viæ meæ*, *ad obſervandum ſtatuta tua*; id eſt, providentia tua diſponantur omnia, quæ ad vitam meam bene inſtituendam pertinent; hoc verſu: & ego ipſe conſerver a te, infra verſ. 8. IUSTIFICATIONES TUAS. חקים *chukkim*, quintum nomen, id eſt *conſtituta*, *ſtatuta*, *cæremoniæ*, *ritus*: de qua voce vide Notas in Geneſ. XXVI. 5. & Exod. XV. 25. Hebræi aiunt, *chukkim*, eſſe præcepta, quorum ratio occulta eſt, & arcana, ſeu myſtica, nec facile indagari poteſt: ut ſunt cæremonialia.

V. 6. CUM PERSPEXERO IN OMNIBUS MANDATIS TUIS. Quidam: *Cum intuebor in omnia præ-*

præcepta tua; id eſt, recognoſcam & tenebo illa, edoctus a te. Alii: *Cum ſcilicet attentus ero ad omnia præcepta tua*. Nonnulli: *Sed ſemper ante oculos haberem univerſa mandata tua*. MANDATIS TUIS. מצות *mitzuoth*, ſextum nomen; id eſt, *præcepta*, *iuſſus*, *iuſſiones*, *mandata*, quæ nos ligant & adſtringunt ad obſervationem alicuius rei. Generalius eſt, quam *chukkim*. Hebræi aiunt eſſe præcepta quorum rationem lex ipſa explicat, ut præceptum Sabbati, Exod. xx. 10. & 11. Alii, præcepta negativa ea voce ſignificari putant, id eſt quæcumque vetat Deus. Sed latius patet.

V. 7. IN DIRECTIONE CORDIS. Heb. *In rectitudine cordis*, id eſt recto animo; quidam: *pectore candidiſſimo*, non fucato. IUDICIA IUSTITIAE TUAE. משפטים *miſchpatim*, ſeptimum nomen, id eſt *iudicia*. Hebræi aiunt eſſe præcepta, quibus ius unicuique tribuitur, & inter hominem & proximum ſuum exercetur, ſive inter reum & accuſatorem. Alii Hebræorum volunt eſſe iudicia, quæ nihil aliud ſunt quam merces aut pœna unicuique operi conſtituta. Plerique noſtrorum docent, eſſe leges politicas, quibus cum proximis vivitur, & conſtitutiones, quæ ad ſocietatem humanam tuendam pertinent: vide notas in Exodi xv. 25. Alii, *edicta*, ſeu *indicata* exponunt, quod Deus recto iudicio omnia agere inſtituat. Aliis Scripturæ locis aliter ſumitur, ut paſſim indicamus. Hic quidam reddunt, *Rationes æquitatis tuæ*. Alii, *Iudicia iuſtitiæ tuæ*; id eſt, *iudicia iuſtiſſima*, ſeu *leges tuas iuſtas*. Nonnulli, *Iura iuſtitiæ tuæ*.

V. 8. NON ME DERELINQUAS; id eſt, adſis & cuſtodias, ut dictum eſt in verſ. 5. liptotes. USQUEQUAQUE. Heb. *Uſque ad valde*. Alii: *Admodum*; id eſt, adeo, ut a te penitus deſertus maneam.

V. 9. IN QUO CORRIGIT ADOLESCENTIOR, &c. Varie ex Hebr. explanant: I. *In quo mundabit puer ſemitam ſuam? ſi cuſtodiat eam iuxta verbum tuum*, interrogatio, cum reſponſione. II. Ut totus verſus ſit interrogatio: *In quo mundabit puer viam ſuam, ad cuſtodiendum ſe ſecundum verbum tuum?* id eſt, quomodo quis ab ipſa pueritia inſtituere recte poterit vitam ſuam ad præſcriptum verbi tui? ut interrogationi ſequentibus verſibus reſpondeat. III. *Quo pacto adoleſcens vitam inculpatam aget? nempe ſi eam cuſtodiat, ut dictat verbum tuum*. IV. *Qua tandem re mundum cuſtodiat adoleſcens iter ſuum, æque ac obſervantia ſermonum tuorum?* V. *Qua maxime re corrigere poterit adoleſcens licentioſus vitæ ſuæ genus? nulla magis quam ſi diligenter obſervaverit verba tua*. VI. *Quomodo purificabit puer ſemitam ſuam? obſervando eam ſecundum verbum tuum*. Exponunt, *purificabit*; id eſt, vitam beneficio Dei purgatam per remiſſionem peccatorum vindicare a novis peccati ſordibus & puram ſervare poterit? *puer*; id eſt, filius & ſervus Dei, quiſquis eſt. SECUNDUM VERBUM TUUM. דבר *dabar*, octavum nomen; id eſt, *Verbum*, ſive *ſermo*, nimirum ipſum verbum Dei, quo per ſe, vel per Prophetas ſuos patefacit nobis ſuam voluntatem, & ſua opera, attributa, perfectiones, naturam.

V. 10. IN TOTO CORDE MEO, &c. Propoſitio inſtituti ſui ſingularis, quo Propheta uſus eſt in animo ſuo informando, quod beatorum attributum eſt, ſupra verſ. 2. Duo itaque continet, petitionem a Deo, ut ſervi ſui ſtudia promoveat; & narrationem ſtudii ſui. EXQUISIVI TE. Alii per præſens: *Quero te*, nimirum ſecundum verbum tuum, quod partim accepi, & recondidi in animo meo, verſ. 11. partim amplius doceri peto, verſ. 12. NE REPELLAS ME A MANDATIS TUIS. Hebr. *Ne ſinas me errare a præceptis tuis*, qua via tu quærendus & conſequendus es.

V. 11. ELOQUIA TUA. Heb. ſingulariter אמרה *imrah*, nonum nomen; id eſt, *Dictum*, *ſermo*, *pronuntiatum*, *promiſſio*, *eloquium*, *dictatum*, *edictum*.

V. 12. BENEDICTUS ES DOMINE. Quidam: *Inclite tu Domine*. Alii: *Omni laude maior tu Domine*. Plerique: *Laude dignus*, *prædicandus Iehova*.

V. 13. IN LABIIS MEIS PRONUNTIAVI, &c. Quidam: *Labiis meis recenſeo omnia iura oris tui*. Expoſitio ſtudii ſui, qua David oſtendit ſe boni & fidelis diſcipuli officium facere.

V. 14. IN VIA TESTIMONIORUM TUORUM DELECTATUS SUM, &c. Multifariam hunc verſum ex Hebr. elucidant: I. *In via teſtimoniorum tuorum lætatus ſum, quaſi ſuper omnia opulentia*. II. *In via teſtimoniorum tuorum gaviſus ſum, ſicut in opulentia*

ſentia multa; id eſt, genere vivendi, quod docent leges tuæ, magis capior, quam capitur dives opibus copioſiſſimis. III. *Ut in via conteſtationum tuarum gaudeam magis, quam in innumeris divitiis*. IV. *Modus & ordo admonitionum tuarum oblectant me, quantum nullæ divitiæ*. V. *Et incedere per viam obteſtationum tuarum magis me iuvat, quam omnium rerum copia propemodum*. VI. *De via teſtimoniorum tuorum gaudeo, ut ſuperiorum omnibus opibus*.

V. 15. IN MANDATIS TUIS EXERCEBOR. Quidam: *Ac de tuis conſtitutionibus diſſero*. Alii: *De mandatis tuis meditor*. ET CONSIDERABO. Heb. *Et reſpiciam, intuebor, ſuſpiciam, diligenter expendam*. Sic infra verſ. 18. SEMITAS TUAS. אורחות *oracboth*, decimum nomen, id eſt *ſemitæ, itinera*. Translatitie, *Conſuetudines, mores, converſationes, ſtudia, inſtituta, agendi rationes*, ſingulariores, & exquiſitiores. Synonymum prope modum דרכים *deracbim*, ſupra verſ. 3. niſi quod *oraċboth*, arctius eſt.

V. 16. MEDITABOR. Verbum geminatum שעשע *ſchagbaſchagb*, in Hithpahel magnam hic vim habet: Summopere me oblectabo, ingentem voluptatem, & oblectationem capiam: vide ſupra Pſal. XCIII. 19. Sic infra verſ. 47.

V. 17. RETRIBUE SERVO TUO, &c. Hunc verſum diverſimode ex Heb. convertunt: I. *Repende ſuper ſervo tuo, ut vivam & cuſtodiam verbum tuum*. II. *Hoc præſta ſervo tuo, ut vivere liceat, & parere mandatis tuis*. III. *Beneficium confer in ſervum tuum, ut dum vivo obſervem verbum tuum*.

V. 18. REVELA OCULOS MEOS: vel *retege oculos meos*, id eſt mentis meæ; quaſi dicat: Explica me ex ignorantia mea.

V. 19. INCOLA, vel peregrinus, EGO SUM IN TERRA. Quidam: *Peregrinante me in hac terra*; id eſt, quamdiu vivo peregre a Domino, II. Corinth. v. 6.

V. 20. CONCUPIVIT ANIMA MEA DESIDERARE IUSTIFICATIONES TUAS. Varie ex Hebr. transferunt: I. *Fracta anima mea ex deſiderio ad iudicia tua*. II. *Attrita eſt anima mea deſiderare iudicia tua*. III. *Confracta, conſternata, eſt anima mea ob deſiderium*; id eſt, *admodum deſiderando iudicia tua*. IV. *Deſolata, devaſtata, deturbata eſt, anima mea ad concupiſcendum iudicia tua*. V. *Excuſſa eſt*, ut amplius ſuo loco, & in ſuo ſtatu non ſit, *anima mea, præ cupiditate ad iudicia tua*. VI. *Fractus eſt animus meus præ animo & perpetuo deſiderio cognoſcendi æquiſſima iudicia tua*. VII. *Rumpitur enim anima mea deſiderio iuſſuum tuorum*. VIII. *Nam comminuitur anima mea*; vel, *comminuor ipſe, ob deſiderium erga iura tua*.

V. 21. INCREPASTI SUPERBOS, &c. Quidam: *Tu qui perdis ſuperbos, maledictos qui errant a præceptis tuis: Devolve a me opprobrium*, &c. ut ſententia expleatur ſequente verſu; quaſi dicat: Tu ſemper peſſum dediſti ſuperbos, & tibi conſtas in iudiciis tuis; iam itaque mihi hoc ipſum beneficium præſta.

V. 22. AUFER A ME OPPROBRIUM, ET CONTEMPTUM. Quibus me ſuperbi afficiunt. QUIA MANDATA TUA EXQUISIVI. Quidam: *Quia teſtimonia tua cuſtodio*; hoc eſt, quo opprobrio & contemptu ab iſtis afficior, eo nomine, quo teſtimonia tua cuſtodio.

V. 23. ETENIM SEDERUNT PRINCIPES, &c. Hunc verſum varie alii ex Heb. efferunt: I. *Principes enim in conſeſſu ſuo contra me conſultant: ſervus autem tuus meditatur in mandatis tuis*. II. *Quoties ſederunt congregati Principes, ut contra me loquerentur: ſervus tuus nihil aliud quam exercebat ſe in mandatis tuis*. III. *Nam & Principes conſident ac obtrectant mihi*; quaſi dicat: Non ſolum a plebeis male audio, ſed etiam a Principibus, *quod ſervus tuus differit de tuis decretis*; id eſt, ob eam ſcilicet cauſam, quod legum tuarum ſim ſtudioſus: vel, At interim ſervus tuus differit, &c. IV. *Tum confidentibus Principibus de me ſermones frequentantibus, ſervus tuus meditatur de ſtatutis tuis*. Amplificatio ſuperioris petitionis a conſtante ipſius officio erga legem Dei; quaſi dicat: Etiam obloquentibus mihi Principibus, vacabam legi tuæ, neglecto fortiter ipſorum probro & contemptu, a t que oblocutione.

V. 24. NAM ET TESTIMONIA TUA, &c. Hunc verſum clarius alii ex Hebr. transferunt, I. *Etiam teſtimonia tua erunt ſolatia mea: erunt viri conſilii mei*. II. *Conteſtationes tuæ, & delectationes meæ ſunt, & ſenatores mei*. III. *Profecto admonitiones tuæ oblectaverunt me, & fuerunt veluti*

viri

viria conſiliis mihi. IV. *Quodque*, vel *profecto*, *obteſtationes tuæ ſunt meæ delitiæ*, *& conſiliarii mei*. V. *Tum teſtimonia tua oblectationes meæ ſunt*, *homines conſilii mei*; id eſt, conſiliarii mei ſunt. VI. *Etiam teſtimonia tua ſunt baſia mea*, &c.

V. 25. ADHAESIT PAVIMENTO ANIMA MEA, &c. Alii ex Heb. reddunt: I. *Adhæſit pulveri*, ſeu *terræ*, *anima mea*; id eſt, parum abeſt, quin deferar ad foſſam ſeu ſepulcrum: propterea *vivifica me ſecundum verbum tuum*; id eſt, reſtitue me vitæ priſtinæ, ut pollicitus es. II. *Humi defixa eſt anima mea*; *tu tamen refice me iuxta verbum tuum*. III. *Adhæſit pulveri anima mea*, *& tantum non perii*: *reſtitue me priſtinæ valetudini* iuxta promiſſa tua. IV. *Cum humi iaceat anima mea*, *recrea me ſecundum verbum tuum*. V. *Adhæret pulveri vita mea*; id eſt, deiectus & proſtratus ſum calamitatibus: metaphora: *vivum ſerva me ſecundum verbum tuum*. Buchananus:

Æger animus languet, *ægrum recrea*
verbo tuo.

V. 26. VIAS MEAS ENUNTIAVI, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. I. *Vias meas exponam tibi*, *tu ergo reſponde mihi*, *& doce me iuſſa tua*. II. *Opera mea recenſui*, *quare exaudiſti me*: *doce quæſo me intelligere mandata tua*. III. *Vias meas*; id eſt, quæ agere volebam, *narravi tibi*, *& exaudiſti me*: *doce igitur me ſtatuta tua*. IV. *Negotia mea tibi expoſui*, *tuque exaudiſti me*: *quare doceto me decreta tua*. V. *Vias meas recenſentem exaudiviſti me*; id eſt, cum me, calamitates meas, animum meum, & vitæ inſtitutum exponens, fidei tuæ committerem.

V. 27. IN MIRABILIBUS TUIS. Exponunt: *In admirandis tuis operibus*. Alii: *In lege tua*, *quæ maxima*, *& admiranda myſteria continet*.

V. 28. DORMITAVIT ANIMA MEA PRAE TAEDIO. Multifariam alii ex Heb. I. *Stillavit anima mea lacrymis præ triſtitia*. *Diſtillavit anima mea ob dolorem*. III. *Diffluit anima mea*, vel *ſtillatim perit vita mea*, *præ ſolicitudine*. IV. *Diffluit anima mea tædio*. V. *Solutus eſt mihi animus præ anxietate*. VI. *Liquefacta eſt anima mea præ mærore*. VII. *Agonizavit anima mea*, vel *in agonia fuit*, *præ dolore*. VIII. *Stillat anima mea præ mæſtitia*; id eſt, veluti liquefacta contabeſcet, adeo in lacrymas effundor: hyperbole.

V. 29. VIAM INIQUITATIS AMOVE A ME. Ex Hebr. I. *Averte iter mendax a me*; id eſt, adulterinum vivendi modum. II. *Tolle a me iter mendacii*. III. *Studium mentiendi*, *& fucate vivendi aufer a me*. IV. *Viam falſitatis amove a me*; id eſt, ignorationem veræ doctrinæ quæ mihi a natura hæret, lege tua per gratiam adime, his duobus verſibus: & libera ab infirmitate vitæ, ut in vera doctrinæ fides & prompto obſequio ambulem, duobus aliis. ET DE LEGE TUA MISERERE MEI. Alii ex Heb. I. *Et doctrina tua miſerere mei*. II. *Et lege tua dignare me*. III. *Et legem tuam dona*, ſeu *largire mihi*. IV. *Et legem tuam benigne mihi proponito*. V. *Et lex tua ſit grata*, aut *gratioſa mihi*. VI. *Et legem tuam gratioſe largire mihi*. VII. *Et legis tuæ gratiam fac mihi*. VIII. ex verbo: *Et lege tua gratificare mihi*, vel *gratifica me*; id eſt, lege tua, ſeu evangelio iuſtifica, ſanctifica me: da mihi gratiam evangelii, in remiſſionem peccatorum, gratis promiſſam.

V. 30. VIAM VERITATIS ELEGI, &c. Hunc verſum ex Hebr. alii: I. *Nam viam certam elegi*: *& iudicia tua ob oculos habeo*. II. *Viam fidei*, aut *veritatis*; id eſt, verum vitæ genus *delegi*, &c. III. *Iter enim veritatis elegi*, *& iuſta tua mihi placent*. IV. *Genus vitæ candidum & conſtans elegi*: *& æquiſſima iudicia tua propoſui ante oculos mihi*. V. *Viam veritatis eligo*, *iudiciorum tuorum*, ſubaudi, *viam*, *propono mihi*. Quidam reddunt: *Et iudicia tua coæquavi*; id eſt, ne latum unguem a iudiciis tuis diſcrepavi, vitam omnem, & actiones meas ad normam legis tuæ exegi & confirmavi; vel *& iudicia tua adæquavi*; id eſt, adæquate obſervavi, plene & iuſte cuſtodivi.

V. 31. NOLI ME CONFUNDERE. Heb. *Non pudore ſuffundes me*. Quidam: *Ne unquam ſinas me cum pudore fruſtrari ſpe mea*. Alii: *Haudquaquam me pudefacias*; id eſt, ne permittas me facere aliquid aut dicere, unde merito ridear ab hoſtibus legum tuarum. Nonnulli: *Ne ſinas me erubeſcere*; id eſt, eo infirmitatis prolabi, atque decidere, ut mihi probroſa ſit vita mea.

V. 32. CUM DILATASTI COR MEUM.

Qui-

Digitized by Google

Quidam: *Ubi tu gaudio dilataveris cor meum*. Alii: *Quibus exhilares cor meum*. Nonnulli: *Poſtquam in latitudinem eduxeris cor meum*; id eſt, cum me exhilaraveris, tum facile factis exprimam mandata tua. Aliqui: *Cum dilataveris animum meum*; id eſt, anguſtum & tenuem ſpiritum meum ampliaveris, & donorum tuorum capacem effeceris, propter quorum tenuitatem nunc mærore conficitur: ſic vocatur amplitudo animi I. Reg. IV. 29.

V. 33. Et exquiram eam semper. Vocem עקב *gnekeb*, varie exponunt: I. *Et obſervabo eam calcaneo*; vel, *Et cuſtodiam eam obſervando veſtigia*; id eſt, obſervabo eam per veſtigia, nempe viam calcatam & tritam. II. *Et cuſtodiam eam uſque in finem*. III. *Et cuſtodiam eam per veſtigium*; id eſt, diligenter inſiſtam per eam, & perveſtigabo illam. IV. *Uſque ad calcem*; id eſt, integre totam a capite ad calcem, vel ad unguem: exactiſſime. V. *Ut eam retineam uſque in finem*; id eſt, quo ad vixero. VI. *Quam cuſtodiam in finem uſque*, id eſt tota vita. VII. *Et cuſtodiam illam propter mercedem*, *premium*: ſimilem locutionem infra verſ. 12.

V. 36. Et non in avaritiam. Quidam reddunt: *Neque ſinas deflecti ad quæſtum*. Proponitur una ſpecies mali, quæ maxime familiaris eſt, ut conſcendatur ad genus ſequente verſu.

V 37. Averte oculos meos, &c. Hebr. *Tranſire fac, transfer oculos meos*. Exponunt, Id eſt, ſtudia animi mei avoca ab his rebus, quæ hominibus videntur expetendæ & ſuſpiciendæ, duobus verſibus: & ab omni maleficio libera; quaſi dicat, Rege & confirma animum, vitamque meam. Ne videant, vel *reſpiciant* vanitatem; id eſt, ad res vanas ſe convertant, abducti a voluntate tua.

V. 38. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. Pluriſariam alii ex Heb. I. *Confirma ſervo tuo dictum tuum, quod congruit timori tuo*. II. *Firma ſervo tuo eloquium tuum in timorem tuum*. III. *Fac ſurgere ſervo tuo promiſſum tuum, qui timori tuo adhæret*. IV. *Præſta ſervo tuo quod eloquium tuum pollicetur habentibus timorem tuum*. V. *Præfige autem ſervo tuo verba tua, quæ ipſum timoris tui admoneant*. VI. *Propone ſervo tuo eum ſermonem, qui maxime invitat ad venerationem tui*. VII. *Præſta ſervo tuo ſermonem tuum, qui addictus eſt reverentiæ tui*.

V. 39. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum. Hebr. *Transfer, averte opprobrium meum quod expavi*, vel *quod reformido*; id eſt, malum, quod bono iuri tuo adverſatur, ac proinde iam metuo; deinceps véro probroſum mihi futurum eſſet, ut ſupra dixit verſ. 31.

V. 40. In aequitate tua vivifica me. Alii: I. *In iuſtitia tua fac ut vivam*; id eſt, fac ut vitam meam inſtituam in ſanctitate & iuſtitia. II. *Recrea, refice, me iuſtitia tua*; id eſt, abſoluta illa bonitate tua. III. *Quare pro tua æquitate in vita conſerva me*. IV. *Iuſtitia tua ſuſtine me*.

V. 41. Et veniat super me misericordia tua Domine, &c. Varie ex Hebr. hunc verſum elucidant: I. *Et venient mihi gratia tua, Iehova: ſalus tua iuxta dictum tuum*. Verbum plurale *venient*, cum ſingulari, *gratia*, & *ſalus*, ad indicandam omnimodam, & multiplicem ſalutem: ſed nihil neceſſe, nam חסדך *chaſadecha*, etiam ſine Iod pluraliter ſumitur, *benignitates*, *gratia tuæ*. II. *Obveniet mihi benignitas tua Domine, deinde & ſalus tua iuxta verbum tuum*. III. *Contingat mihi ut particeps fiam omnimodæ benignitatis tuæ, Domine, & ſalutis, quam promittunt verba tua*. IV. Iungunt ſuperioribus: *Ut obveniant mihi Domine tua beneficia, & ſalus tua ſecundum eloquium tuum*; id eſt, auxilium tuum iuxta promiſſa tua. V. ſequentibus nectunt: *Cumque mihi benignitates obvenerint tuæ, Iehova, ſalus tua ſecundum ſermonem tuum*. Tunc *Reſpondebo probro afficienti me*, &c. Hac ſexta ogdoade continetur promiſſio, ſive votum grati animi erga Deum, acceptorum beneficiorum nomine. Conſtat autem profeſſio hæc primum libera declaratione apud adverſarios per ſpiritum Dei, verſ. 41. & 42. deinde vitæ integritate, & proteſtatione apud omnes, tribus ſequentibus; ac poſtremo ſancto ac pio uſu apud Deum cum animo ſuo, verſ. 47. & 48. *benignitates tuæ*, quas ego ſupra petii, verſ. 17. & tu promiſiſti.

V. 42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, &c. Multifariam hunc verſum ex Heb. explanant: I. *Ut fit*,

d by Google

ſit, quod reſpondeam opprobranti mihi, nam fiduciam habui in verbo tuo. II. *Ut reſpondeam opprobrantis verbo, qui verbo tuo fidem habeo.* III. *Ut habeam, quod reſpondeam ei, qui exprobrat mihi, quod dicere ſoleam fidere me promiſſioni tuæ.* IV. *Ut habeam verba quibus reſpondeam exprobranti mihi, quod fidam verbo tuo.* V. *Reſpondebo probro afficienti me, rem*; id eſt, non diſſimulabo, ſed ita plane ut res habuerit, eloquar: *quia fiduciam habeo [in verbo tuo.*

V. 43. ET NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM, &c. Noſtra Translatio hunc verſum verbo tenus ex Heb. repræſentavit (*Et non eripies de ore meo verbum fidei uſque ad valde: quia iudiciis tuis anxie expectavi.*) Alii clarius, I. *Et ne omnino eripias ab ore meo verbum veritatis*, ſeu *verum: ſiquidem tua iudicia exſpecto*, vel *ob iudicia tua*, quæ ſcilicet exerces in impios, *in te ſperavi.* II. *Sed ne abripe ab ore meo verbum veritatis admodum:* ſeu *verbum verum admodum*; id eſt, *veriſſimum, quandoquidem iura tua expecto.* III. *Quare ne umquam ſinas, quæſo, irritum fieri hoc, quod ſæpe dixi, & vere: iudicia enim tua exſpectavi, quibus palam fiet, mea ne an adverſariorum cauſa ſit melior.* IV. quaſi dicat: Ne ſinas me in errorem labi, quia ad iudicia tua vehementer & anxie anhelo.

V. 45. ET AMBULABAM IN LATITUDINE, &c. Alii: I. *Et ambulavi in latitudine, quia mandata tua exquiſivi*; id eſt, cum Dei ſpiritus abeſt, recta vivendi via anguſta & difficilis eſt: contra cum ille adeſt, omnia aſpera & anguſta ſeſe explicant in vias latas & planas; quaſi dicat: Cum conſcientiæ tranquillitate, & voluptate cordis vivam, nihil mihi timens ab ira tua, ut qui regia & lata via gradiuntur, nihil a latronibus ſibi timent. II. *Ambulem tuto gradu*, vel *in ſecuritate, quia mandata tua quæro.* III. *Et ut ambulare queam ſine offendiculo per loca ſpatioſa: mandatorum enim tuorum ſtudioſus inveſtigator fui.* IV. *E quidem ſpatiabor in latitudine, quia conſtitutiones tuas quæſivi.* V. *Indeſinenterque ambulabo in ipſa latitudine*; id eſt, magna, & regia, ſive conſulari via; metaphora: *quia mandata tua quæro*; verbum *ambulandi* eſt ex Hithpahel, & magnam vim habet; id eſt, aſſidue, indeſinenter, libere, ample verſabor, ſpatiabor, &c.

V. 47. ET MEDITABAR. Heb. *Et oblectabor.* Vide ſupra verſ. 16. nam idem eſt verbum.

V. 48. ET LEVAVI MANUS MEAS AD MANDATA TUA. Quidam per futurum. I. *Et levabo palmas meas ad præcepta tua*; id eſt, manus admovebo præceptis tuis; quaſi dicat: Dabo operam ut factis exprimam præcepta tua, vel ſumma alacritate perficiam ea, quæ iubent leges tuæ. II. *Tollam in altum manus meas, ut opera præſtem, quæ præſcribunt præcepta tua.* III. *Attollam manus meas ad præcepta tua*; id eſt, avide manum admovens excipiam, evolvam, & perveſtigabo mandata tua: metaphora.

V. 49. MEMOR ESTO VERBI TUI, &c. Hunc verſum multifariam ex Hebr. exponunt: I. *Memento verbi ad ſervum tuum, ſuper quo ſperare feciſti me.* II. *Memora verbum ſervo tuo, ut ſpem meam fulcias.* III. *Memor eſto eius, quod promiſiſti ſervo tuo, & ſpem magnam concipere iuſſiſti me.* IV. *Memor ſis verbi ad ſervum tuum prolati*; id eſt, promiſſi: *quo me in ſpem adduxiſti.* V. *Recordare verbi cum ſervo tuo habiti, de quo ſpem feciſti mihi.* Petit gratiam Dei: de hoc autem *recordandi* verbo vide in Geneſ. VIII. 1.

V. 50. HAEC ME CONSOLATA EST IN HUMILITATE MEA, &c. Quidam: *Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea: ſermonem tuum vivificare me.* Aiunt eſſe narrationem animi conſolationem percipientis, cum ex promiſſionibus Dei, pios confirmantibus, conſolantibus, & recreantibus; tum ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, totis his ſeptem verſibus: quibus contineri putant formulam conſolationis: unde poſteriora verſuum verba per infinitum fere reddunt.

V. 53. DEFECTIO TENUIT ME PRO PECCATORIBUS, &c. Varie alii ex Hebr. I. *Tremor apprehendit me, ab impiis derelinquentibus doctrinam tuam.* II. *Horror obtinuit me, ab impiis, qui dereliquerunt legem tuam.* III. *Terror apprehendit me propter impios derelinquentes legem tuam.* IV. *Totus horreo ſceleratos iſtos, qui deſerunt legem tuam.* V. *Horror invaſit me, quoties perpendi ſceleratum & periculoſum impiorum vitæ genus, quod viderem contem-*

nere

Digitized by Google

nere eos doctrinam tuam. VI. *Horror invadit me cogitantem de impiis, qui legem tuam deſerunt*. VII. *Procella prebendente me ab improbis, deſertoribus legis tuæ*, puta celerrima, graviſſimaque procella: metaphora. VIII. *Turbo*; id eſt, afflictio, *apprebendit me, magis quam impios deſertores legis tuæ*. IX. *Aduſtio corripuit me ab improbis*, &c. id eſt, impii ſuis perſecutionibus aduſunt me. X. *Ardor, æſtus, obtinuit me propter improbos*, &c. id eſt, uror zelo legis Dei quam improbi deſerunt. De voce זַלְעָפָה *zalgbapbab*, vide Notas in Pſalm. x. 6.

V. 54. CANTABILES MIHI ERANT, &c. Multipliciter alii hunc verſum ex Hebr. explanant: I. *Cantus, cantiones, cantica fuerunt mibi ſtatuta tua*; id eſt, ſunt occaſio & materia ſcribendorum carminum, vel illa cano: *in loco peregrinationum mearum*; id eſt, dum exulo & fugio huc illuc a facie inimicorum. II. *Iuſta tua carmen mibi ſunt, dum bic boſpes ſum*. III. *Pro carminibus fuerunt mibi præceptiones tuæ, quocumque loco fuiſſem tempore exilii mei*. IV. *Mibi vero decreta tua ſunt carmina in domo, quam incolo*. V. *Pſallendi argumenta eſſe mibi ſtatuta tua, in loco peregrinationum mearum*; id eſt, ubicumque locorum verſer in terra: periphraſis terræ: vide Geneſ. XLVII. 9.

V. 56. HAEC FACTA EST MIHI, QUIA IUSTIFICATIONES TUAS EXQUISIVI. Alii ex Hebr. *Hoc fuit mibi*, vel *evenit mibi, quod præcepta tua cuſtodivi*; id eſt, hanc pietatem conſecutus ſum, vel omnia bona quæ commemoravi mihi contigerunt, quia præcepta, &c. vel, *boc mibi evenit, ut tui memor eſſem etiam in nocte, quod præcepta tua cuſtodire ſoleam*. II. *Id mibi quæſo contingat, ut præcepta tua ſervem*. III. *Hoc mibi ſummopere fuit curæ, ut mandata tua ſervarem*. IV. *Hæc ſpes fuit mibi, quia præcepta tua cuſtodivi*. V. *Hæc conſolatio eſt mibi, me mandata tua cuſtodire*; ut conveniat cum verſ. 50. VI. *Hoc babui, ita compoſui vitam meam, quia*, &c.

V. 57. PORTIO MEA DOMINE, DIXI, CUSTODIRE LEGEM TUAM. Illud, *dixi*, quidam antecedentibus iungunt, dixi quod Iehova eſt portio mea, ut obſervem mandata tua, & tunc eſt mutatio perſonæ; vel illud *Iebova* ſumendum in Vocativo: *O tu Iebova*. Alii ſequentibus nectunt: *Portio mea es tu Iebova*: propterea *decrevi obſervare verba tua*. Sed interpunctio Hebraica primum illud magis poſtulat. Ergó varie convertunt: I. *Sors mea, Domine, in boc ſum, ut cuſtodiam verba tua*. II. *Portio mea es tu Domine: quare ſtatui ſervare quæ mandata ſunt verbis tuis*; quaſi dicat: Habeant alii ſibi ſuas opes, honores, potentiam: tu Domine hereditas mea, & luculentum patrimonium meum, tu unus mihi omnia bona es: itaque propoſui in colendis legibus tuis omnem curam & diligentiam ponere. III. *Portio mea es, Iebova, dico, ut obſervem verba tua*. Exponunt, *dico*, recolens nempe te dixiſſe, *Ego ſum Deus tuus, continenter ambula coram me*, &c. Geneſ. XVII. 1. IV. Nonnulli volunt eſſe traiectionem: *Dixi, o Iebova, ſortem meam eſſe obſervare verba tua*.

V. 58. DEPRECATUS SUM FACIEM TUAM IN TOTO CORDE MEO. Alii: I. *Suſpicio faciem tuam ſupplex toto meo corde*: II. *Ambivi toto pectore favorem tuum erga me*. III. *Deprecor faciem tuam ex toto animo*. Conſcius videlicet imbecillitatis meæ, in ſolo favore tuo ſpem pono. MISERERE MEI SECUNDUM ELOQUIUM TUUM. Alii ex Hebr. I. *Prob'in beneficum te mibi exbibeas ſecundum verbum tuum*, id eſt promiſſiones tuas. II. *Miſereat te, quæſo, mei iuxta verbum tuum, quo promiſiſti adfuturum te mibi*. III. *Gratiam fac mibi ſecundum ſermonem tuum*; id eſt, præſta promiſſionem gratiæ propter verbum tuum in Chriſto, non habita ratione infirmitatis meæ.

V. 59. COGITAVI VIAS MEAS; ET CONVERTI PEDES MEOS, &c. Ex Hebr. alii I. *Computavi vias meas*, id eſt omnes agendi rationes: *& redire feci pedes meos*, id eſt affectus, *ad teſtimonia tua*. II. *Cogitatione obivi vias meas, & reduxi pedes meos ad obteſtationes tuas*; quaſi dicat: Diligenter expendi meum vivendi modum, & deprehenſis peccatis meis, regreſſus ſum ad legem tuam. III. *Recenſui vias meas, coram videlicet vita mea, & revocavi pedes meos in viam rectam, & ad ea, quæ præſcripta mibi ſunt abs te*. IV. *Conſiderem vias meas, & referam pedes meos ad conteſtationes tuas*. V. *Reputo vias meas*; id eſt, contendo ad præſtandam pro-

Digitized by Google

profeſſionem officii mei, quod a me ſtipulatus eſt Deus: ut referam pedes meos ad teſtimonia tua; id eſt, ut redeam ad obſequium tuum, abs quo natura defecerat, deponamque veterem hominem cum concupiſcentiis eius, & novum induam.

V. 60. PARATUS SUM, ET NON SUM TURBATUS, &c. Alii ex Hebr. I. *Feſtinavi & non tardavi ad cuſtodiendum mandata tua*. II. *Feſtinavi, & non neglexi cuſtodire mandata tua*. III. *Feſtinavi abſque dilatione cuſtodire mandata tua*. IV. *Incunctanter properem ad cuſtodiendum mandata tua*. V. *Feſtinavi, & nullam moram feci, ut cuſtodirem præcepta tua*. VI. *Feſtino, ac non cunctor, obſervare mandata tua*: Proprie: *Feſtinavi, acceleravi, & non interturbare me feci, ad obſervandum præcepta tua*, vel *non diſtraxi me, non diſtuli*.

V. 61. FUNES PECCATORUM CIRCUMPLEXI SUNT MA. Diverſimode alii ex Heb. I. *Catervæ, cunei, chordæ, ſpiræ, turmæ, turbæ, cœtus improborum prædati ſunt, deſpoliaverunt, me*: ita ea vox ſumitur I. Samuel. x. 5. II. *Dolores, cruciatus, tormenta improborum*, active; *implicaverunt me, conati ſunt me abſtrahere*: vel *certo ceperunt, comprehenderunt, retinuerunt me*. III. *Vincula ſceleratorum ſi me captivum teneant, legis tamen tuæ ne obliviſcar*. IV. *Studiis nocendi veluti vinculis ſcelerati homines tantum non illaqueaverunt me: ego vero qualiacumque eſſent pericula, doctrinæ tuæ non ſum oblitus*.

V. 64. MISERICORDIA TUA, DOMINE, PLENA EST TERRA, &c. quaſi dicat: Mihi contigit benignitate tua, qua plenus eſt orbis. Alii petitionem eſſe volunt, ut Deus tenuitatis eius miſertus, promiſſionem gratiæ præſtet, ſupra verſ. 58. ad quam adhibere argumentum, a beneficentia Dei in res omnes creatas.

V. 65. BONITATEM FECISTI, &c. Quidam *Bene egiſti cum ſervo tuo Domine, & iuxta promiſſa tua*. Alii: *Bono affeciſti ſervum tuum Iehova ſecundum verbum tuum*. Petitio documentorum Dei, ab anteacta ipſius beneficentia erga ſupplicem.

V. 66. BONITATEM, ET DISCIPLINAM, ET SCIENTIAM DOCE ME. Diverſe alii ex Hebr. I. *Bonitatem, intentionem, & ſcientiam, doce me*. II. *Bonitatem ſenſus, & ſcientiam doce me*; id eſt, optimum & exactiſſimum iudicium, bene iudicandi facultatem, & exactiſſimam cognitionem ſeu intelligentiam. III. *Bonum guſtum & ſcientiam doce me*; quaſi dicat: Ea eſt humani iudicii depravatio, ea cæcitas animorum & ignorantia, ut falſa pro veris, & mala pro bonis ut plurimum amplectamur: at tu Domine, qui iam ſervo tuo benigne facere cœpiſti, ita mentem meam illumina, ut perſpiciam quid appetendum, vitandumque ſit: ita guſtum animi mei ſana, ut verorum bonorum ſuavitatem ſentiam, cetera omnia iudicem amara & abſurda. IV. *Utilitatem quæ eſt in cognitione legis tuæ, doce me*. V. *Præſtantiam rationis & ſcientiæ doce me*.

V. 67. PRIUSQUAM HUMILIARER EGO DELIQUI; PROPTEREA ELOQUIUM TUUM CUSTODIVI. Plerique verbum ענה *ghanah*, in humiliandi, & affligendi ſignificatione capiunt: I. *Antequam affligerer, ego errans eram; nunc autem eloquium tuum cuſtodio*; quaſi dicat: Res ſecundæ mihi mentem a recto abducebant: adverſæ vero ita animum componunt, ut iam legem tuam obſervem. II. *Antequam in ærumnas incidiſſem, errabam: nunc autem eloquium tuum cuſtodio*. III. *Prius quam diligenter auſcultarem ad mandata tua, ſæpe aberravi: nunc autem attentior factus, verbis tuis parebo*. IV. *Prius quam loquerer, & commentarer de lege tua*, prius quam operam legi tuæ darem, *in errore eram*. V. *Cum nondum loquerer ego errabam*, id eſt inde ab ortu meo ſum peccator alienus a lege tua, & filius iræ: *nunc autem ſermonem tuum obſervo*; hoc eſt, ſed fide teneo promiſſiones tuas in animo meo, *obſervo*, nimirum in animo; ut Geneſ. XXXVII. 11.

V. 69. MULTIPLICATA EST SUPER ME INIQUITAS SUPERBORUM. Non uno modo ex Hebr. transferunt. I. *Applicaverunt ſuper me falſitatem ſuperbi*. II. *Applicaverunt mihi mendacium ſuperbi*. III. *Concinnaverunt, conſuerunt, compoſuerunt adverſum me falſum ſuperbi*. IV. *Offerunt mihi quidem ſuperbi mendacium*. V. *Excogitaverunt adverſum me mendacium ſuperbi*. Buchananus:

Me ſuperbi criminantur.

VI. *Contabulaverunt adverſum me mendacium ſuperbi*; id eſt, falſas tabellas ſcripſerunt, falſis criminationibus tabellas

obſignarunt contra me. Aut *fabricarunt*, *ſtruxerunt*, *compinxerunt contra me mendacium*. Hiſpanice eleganter, *Entablaron*. VII. *Concinnantibus contra me falſitatem ſuperbis, ego ex toto animo cuſtodio mandata tua*. Explicatio bonæ conſcientiæ, quæ non tantum immota eſt a calamitatibus, hoc & ſequente verſu; verum etiam per illas augeſcit notitia, & ſtudio voluntatis Dei, duobus reliquis.

V. 70. COAGULATUM EST SICUT LAC COR EORUM. Quidam: *Quorum cor craſſeſſit, ut adeps*; id eſt, mens & animus eorum redditus eſt ineptus ad intelligenda ſacra; quaſi dicat: Voluptatibus & rerum terrenarum cupiditatibus quaſi adipe mentem obductam & hebetem habent. Alii: *Impinguatum eſt, & ſtupore velut arvina obductum cor illorum*. Nonnulli: *Obeſatur quaſi adipe cor illorum*; id eſt, magis ac magis in dies induratur: metaphora: ſic Iſaiæ VI. 10. EGO VERO LEGEM TUAM MEDITATUS SUM. Hebr. *Ego lege tua oblector*, Quidam: *Ego legem tuam amanter*, ſive *cum amore*, ſeu *voluptate complexus ſum*.

V. 71. BONUM MIHI QUIA HUMILIASTI ME, &c. Quidam: *Bono mihi fuit me affligi, ut diſcerem ſtatuta tua*. Alii: *Utiliſſimum quoque mihi fuit quod in miſeriam deiectus ſum*. Nonnulli: *Euge mihi quod afflictus ſum, quo mandata tua didicerim*. Aliqui: *Utile fuit quod rebus adverſis nonnihil afflictus fuerim: hoc enim in cauſa fuit, ut ſtudioſius diſcere cuperem mandata tua*.

V. 72. BONUM MIHI LEX, &c. Alii: I. *Melior eſt mihi lex oris tui quam millia talenta auri & argenti*. II. *Dulcior eſt mihi lex oris tui, quam infinitus modus auri, vel argenti*. III. *Gratior eſt mihi doctrina oris tui, quam vel auri, vel argenti pondo mille*. IV. *Melior eſt mihi lex oris tui, multis millibus nummum aureorum & argenteorum*; vel *quam auri & argenti millenarii*.

V. 73. MANUS TUAE FECERUNT ME, ET PLASMAVERUNT ME. Hebr. *Et apparaverunt, aptaverunt, concinnaverunt, diſpoſuerunt, adornaverunt, confirmaverunt, perfecte ſtabiliverunt, me*; quaſi dicat: Tua illuſtris creatura ſum, tuis manibus compacta, fac ergo ut in me eluceat gloria tua, quæ in ſalute mea conſpicua futura eſt, dum me reddis intelligentem præceptorum tuorum, etiam coram omnibus bonis; verſu ſequente.

V. 75. COGNOVI DOMINE, &c. Hebr. *Cognovi, Iehveh, quia iuſtitia iudicia tua: & in fide afflixiſti me*. Alii: I. *Novi Iehova, quod iuſtitia ſunt iudicia tua*, ſeu *quod iuſta ſunt iudicia tua*, hoc eſt, quod iuſte me affligas: ſtatim ſe ipſum exponit: *& in veritate afflixiſti me*, id eſt merito & iure. II. *Novi Domine, quod inſtiſſima æquitas ſint iudicia tua, & merito afflixeris me*. III. *Scio Domine quod iudicia tua ſint iuſtitia*; id eſt, nedum iuſta, ſed ipſa iuſtitia; *& fides cum me detruſiſti in miſeriam*. IV. *Agnoſco Iehova, iuſta eſſe iudicia tua, & te in fide afflixiſſe me*; id eſt, iuſte ac non præter verbum tuum. V. Quidam verbum ענה *ghanah*, in ſignificato *reſpondendi & exaudiendi* accipiunt: *Equidem ſcio Domine, quod iuſta ſunt iudicia tua, nam ex fide adiuvas me*.

V. 76. SECUNDUM ELOQUIUM TUUM SERVO TUO. Quidam: *Iuxta ſermonem ſervo tuo factum*. Alii: *Secundum ſermonem tuum habitum cum ſervo tuo*. Aliqui: *Secundum eloquium tuum, quod ſpem aperuit ſervo tuo*. Nonnulli: *Id enim promiſiſti ſervo tuo verbis tuis*.

V. 77. QUIA LEX TUA MEDITATIO MEA EST. Hebr. *Quia lex tua oblectationes, voluptates, meæ*. Quidam: *Quia lex tua eſt omnis*, ſeu *omnimoda oblectatio mea*. Alii: *Doctrina enim tua vehementer oblectat me*. Nonnulli: *Etiam lex tua blandi & amabiles amplexus mei ſunt*: vel *blanda, baſia mea ſunt*. Sic infra verſ. 92. & 143. & 174.

V. 78. QUIA INIUSTE INIQUITATEM FECERUNT IN ME. Pluriſariam ex Hebr. transfundunt: I. *Quoniam falſitate torſerunt me*. II. *Quia falſo curvare me voluerunt*. III. *Qui ſine cauſa vexaverunt me*. IV. *Qui mendacio me opprimere quærunt*. V. *Quoniam ſine cauſa, falſo, immerito, perverterunt me*; id eſt, pervertere me voluerunt, vel a vita, vel a recta via. VI. *Quod falſis de cauſis pervertant me*. VII. *Quoniam inique contriverunt me*. VIII. *Quoniam falſo offenderunt*, vel *læſerunt me*.

V. 79. CONVERTANTUR MIHI TIMENTES TE. Quidam: I. *Redeant ad me, qui te timent*, quos ſcilicet ſuperbi illi a me averterant; vel, veniant ad me frequenter ut commententur & diſſerant mecum de legibus tuis. II. *Conveniant apud me*,

qui

Digitized by Google

qui reverenter colunt te. III. *In gratiam autem redeant mecum, qui te timent*. IV. *Convertantur ad me timentes tui*; id eſt, adiungant ſe mihi, cognita & demonſtrata per iudicia tua æquitate cauſæ meæ: ſic Iob VI. 29.

V. 80. FIAT COR MEUM IMMACULATUM, &c. Quidam: *Erit animus meus integer in ſtatutis tuis, ut non erubeſcam*: quod eveniret, ſi a ſtatutis tuis recederem: ut ſupra verſ. 31.

V. 81. DEFECIT IN SALUTARE TUUM ANIMA MEA. Alii ex Hebr. I. *Conſumpta eſt ſaluti tuæ anima mea*; id eſt, concupiſcendo ſalutem tuam, ſeu ſalvari a te. II. *Defecit ad ſalutem tuam anima mea*; id eſt, defeci præ deſiderio ſalutis, ſeu opis tuæ. III. *Vix amplius eſt apud ſe præ deſiderio ſalutis quam expectat, anima mea abs te*. IV. *Concupiſcit*, vel *deperit anima mea ſalutem tuam*. V. *Conſumitur deſiderio ſalutis tuæ anima mea*: ſic verſu ſequente.

V. 83. QUIA FACTUS SUM SICUT UTER IN PRUINA. Alii ex Hebr. I. *Quia fui ſicut uter in fumo*, vel *in fumario*, qui ex fumo areſcit & deteritur. II. *Similis enim evaſi utri in fumo pendenti*. Hoc dicit, quod eſſet aridus niger, & contractus præ tædio: uter enim, id eſt pelliceum vas, ſi in fumario ſuſpendatur, areſcit, & contrahitur. III. *Quamvis ſim ſimilis utri ad fumum*; id eſt, arefactus, exhauſtus viriditate, & quaſi confectus, atque in rugas abiens. IV. *Sum enim ſicut uter in incendio*. V. *Quamvis ſimilis eſſet cutis mea utri fumo in rugas contracto*; *mandatorum tamen tuorum non fui oblitus*. Interim vox pruinæ retineri poteſt, nam קיטור *kitor*, *vaporem*, *nebulam*, quoque ſignificare poteſt, & cum grandine & nive coniungitur. Pſal. CXLVIII. 8. & ſignificatus eodem tendit. Feſtus: *Pruina dicta, quod fruges ac virgulta perurat*.

V. 84. QUOT SUNT DIES SERVI TUI? QUANDO FACIES, &c. Exponunt; Id eſt, quanto tempore victurus eſt ſervus tuus in hoc mundo? ſubaudi, parvo tempore; quaſi dicat: Cum parvo tempore ſim victurus, fac ut antequam moriar, videam improbos tibi dare pœnas. Alii: *Quot adhuc reliqui ſunt dies ſervo tuo? quando tandem, de his, qui perſequuntur me, ſupplicium ſumes?* Nonnulli: *Quamdiu ſervus tuus expectabit? quando exiges pœnas a perſequentibus me?* Aliqui: *Quanti erunt dies ſervi tui?* id eſt, hoc tempus calamitoſum, quo premitur ſervus tuus, quamdiu eſt duraturum: vide ſupra Pſal. CXIV. 2. *Quando exercebis in perſequentes me iudicium?*

V. 85. NARRAVERUNT MIHI INIQUI FABULATIONES. Ratio huius verſionis perſpicua eſt, & aliis paſſim explicata. Hebr. *Foderunt mihi ſuperbi foveas*; id eſt, inſidias, in quas corruerem. SED NON UT LEX TUA. Hebr. *Quod non ſecundum legem tuam*. Alii: I. *Quod non eſt*, vel *fit*, *ſecundum legem tuam*. II. *Verum id non docuerat eos doctrina tua*. III. *Qui ſecundum legem tuam non ambulant*. IV. *Qui non ſecundum legem tuam ſunt*, vel *qui ſe non conformant legi tuæ*.

V. 86. OMNIA MANDATA TUA VERITAS. Quidam: *Omnia præcepta tua ſunt ipſa veritas*, vel *fides*; id eſt, vera, certa, firma, conſtantia, fidelia, ſincera, non falſa aut fucata. INIQUE PERSECUTI SUNT. Hebr. *Falſo gratis, ſine cauſa, immerito, falſis de cauſis perſecuti ſunt me*, ut ſupra verſ. 78.

V. 87. PAULO MINUS CONSUMMAVERUNT ME IN TERRA. Alii ex Hebr. I. *Tantum non proſtraverunt me in terram*. II. *Ferme funditus perdiderunt me in terra*. III. *Parum abſuit, qui in me conſecerint in terra*. IV. *Propemodum conſumpſerunt me deiectum in terram*.

V. 89. IN AETERNUM DOMINE, VERBUM TUUM PERMANET IN CAELO. Hebr. varie alii reddunt: I. *In ſæculum Iehova, verbum tuum ſtans*, vel *ſtabilitum in cælis*, id eſt ipſis cælis teſtibus; quaſi dicat: Quæ ſemel dixiſti, non ſoles retractare; quod cæli teſtantur, qui permanent verbo tuo, quo olim dixiſti, ſint cæli. II. *Verbum tuum Domine cum cælis in perpetuum conſtat*. III. *Perpetuo Domine, quidquid umquam fieri voluiſti, ſtabile erit in cælis*. IV. *In ſæculum, o Iehova, verbum tuum conſiſtit in cælis*. Efficacitatem verbi Dei explicat, univerſe a generali cæli & terræ creatione, & adminiſtratione, hoc & ſequente verſu: deinde a ſingulari & extraordinaria, verſ. 91. quaſi dicat: Imperium tuum in creaodo & adminiſtrando cælos & terram, immotum

conſiſtit, conſtans & firmum permanet.

V. 90. In generationem et generationem veritas tua, &c. Varie alii: I. *Veritas quoque tua per omnem poſteritatem, perinde ac tellus abs te condita durabit*. II. *In generationem & generationem coſtantia tua in promiſſis durabit: ſtabilem voluiſti eſſe terram, & ſtabilis erit*. III. *Tuaque fides per univerſa ſæcula* perſtat, *qui paraſti terram ut conſiſtat*. IV. *In unaquaque generatione fides tua: cum ſtatueres terram, illa conſtabat*. Fidem hic pro conſtantia, certitudine, firmitate verbi divini accipiunt.

V. 91. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia, &c. Varie ex Hebr. explanant: I. *Iudiciis tuis ſteterunt hodie*, id eſt omnes dies: *quia omnia ſervi tui*; id eſt, ad exequenda divina iudicia parati adſtant omnes dies. II. *Ea quæ perſiſtunt uſque in hodiernum diem, tuis iudiciis: omnia enim tibi ſerviunt*. III. *Ad iudicia tua perſtant uſque ad hanc diem: quia omnia ſunt ſervi tui*; hoc eſt, ad iudicia tua implenda parent tibi, ut ſervi heris ſuis obſequi ſolent. IV. *Ad iudicia tua perſtant hodie*, præſtanda nimirum atque exequenda, quia illa omnia, ſcilicet cæleſtia & terreſtria, *ſunt ſervi tui*. V. *Quibus modis unumquodque ſubſiſtere voluiſti, uſque in hodiernum diem ſubſiſtit: omnia enim obediunt imperio tuo*; quaſi dicat: Quidquid ab initio creaviſti uſque in hodiernum diem ita conſiſtit, ut a ſapientia tua, tuoque accuratiſſimo iudicio conſtitutum fuit: denique omnia imperio tuo parent, nihil temere, nihil fortuito fit in mundo, omnia divini numinis tui conſilio adminiſtrantur. VI. *Iuxta decreta tua omnia conſiſtunt hodie: nam omnia obſequuntur tibi*.

V. 92. Nisi quod lex tua meditatio mea est. Hebr. *Niſi lex tua oblectationes tuæ*. Vide ſupra verſ. 77. & infra verſ. 143. & 174.

V. 95. Me expectaverunt peccatores ut perderent me, &c. Exponunt: Id eſt, ita conſtanter quæro atque conſidero, ut nullis inimicorum tentamentis avocer, adductus maieſtate verbi tui: in quo omnia inveni ampliſſima, & perfectionis infinitæ, quantumvis gravibus premar anguſtiis.

V. 96. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. Varie ex Hebr. explanant: I. *Omnia, quæ facta ſunt, finem habitura video: ſed præceptum tuum omnem finem excedet*. II. *Nihil tam abſolutum, tamque perfectum, cuius interitum videre non poſſim: præter latiſſime ſe extendens mandatum tuum*. Siquidem lex tua nullis temporum finibus circumſcribitur, nulla vi aut vetuſtate conſumi vel obliterari poteſt. III. *Video finem habere omnia, etiam perfectiſſima; tuum autem præceptum latiſſime patet*; quaſi dicat, nullum finem habet. IV. *Omni perfectioni video eſſe finem*: videlicet rerum creatarum: *latum vero eſſe mandatum tuum valde*, ita ut finis illius videri non poſſit, id eſt infinitum: mioſis.

V. 97. Quomodo dilexi, &c. Hunc verſum dilucidius alii ex Heb. transferunt. I. *Quantum ego tuam legem amo! de qua meus ſermo eſt quotidie*. II. *Ut legem tuam amo! quæ unica cogitatio mea eſt omni tempore*. III. *Quam amavi legem tuam! toto die ipſa fuit occupatio mea*. IV. *Quam diligo legem tuam! toto die eſt meditatio mea*. Notant Davidem occaſione ſumpta ab amplitudine verbi, quam modo commendaverat, rapi in duas exclamationes, quibus celebrat amorem ſuum erga verbum Dei, primum propter præſtantiam ſcientiæ & intelligentiæ, quam ſupra omnes eſt conſecuturus ex meditatione & ſtudio illius; deinde propter præſtantiam uſus, quem percipit ex verbo, ceteris verſibus.

V. 98. Super inimicos meos, &c. Varie alii ex Hebr. I. *Præ inimicis meis ſapientem reddes me præceptis tuis; quia in ſæculum ipſum mihi*; id eſt, unumquodque eorum; hoc eſt, ſingula mea ſunt, illa enim ſemper in corde & ore habeo. II. *Inimicis meis prudentiorem feciſti me mandatis tuis, nec umquam ſinam me avelli ab illis*. III. *Mandatum tuum prudentiorem fecit me hoſtibus meis, ſemper enim mecum eſt*. IV. *Inimicis meis ſapientiorem me reddit præceptis tuis*; id eſt, lex tua informans in præceptis tuis: *nam in ſæculum adeſt mihi*. תחכמני techaccemeni, poteſt eſſe ſecunda perſona maſculea, *Sapientificabis me*, & tertia feminea, *ſapientificabit me*, ſcilicet lex tua.

V. 99. Super omnes docentes me in-

INTELLEXI. Heb. *præ omnibus docentibus me intelligere me feci*. Alii: I. *Univerſis, qui me docere conati ſunt, prudentior evaſi*, ſeu *intelligentior*. II. *Supra omnes præceptores meos cautus factus ſum*. III. *Plus enim ſapio, quam qui me docent*. IV. *Omnibus doctoribus meis intelligentior fio*. Verbum ex Hithpahel ſignificatum intendit, & accuratam magnamque intelligentiam & obſervationem indicat. Sic verſu ſequente.

V. 101. AB OMNI VIA MALA. Heb. *Ab omni ſemita mali*; id eſt, inſtituto vitæ. Sic infra verſ. 104.

V. 103. QUAM DULCIA. Verbum מלץ *malatz*, quod hic in Niphal ponitur, alibi non exſtat, omnes fere reddunt: *Quam dulcuerunt, quam dulcia & ſuavia fuerunt*, vel *quam dulcificata, dulcia facta ſunt*. Quidam voce conſona reddunt: *Quam permulſi*; id eſt, *melliti, ſunt palato meo ſermones tui*, vel *inſtar mulſi*. ELOQUIA TUA. Heb. ſingulariter quidam capiunt: *Dictum tuum*, ſeu *ſermo tuus*; id eſt, unumquodque ex dictis tuis. Alii ſubaudiunt, iudicia *ſermonis tui*. Sed poteſt eſſe plurale, etiam deficiente Iod.

V. 104. OMNEM VIAM INIQUITATIS. Heb. *Omnem ſemitam falſitatis*, vel *omnem ſemitam fallacem*; id eſt, omne vivendi genus adulterinum, & alienum a lege tua.

V. 105. LUCERNA PEDIBUS MEIS, &c. quaſi dicat: In tenebris vitæ huius ingredienti, lex tua mihi tamquam fax prælucet, ne quid offendam, neve aberrem ab ea via, quæ ducit ad vitam: & docet me quid agendum mihi.

V. 106. IURAVI, ET STATUI, &c. Alii ex Hebr. I. *Iuravi, & firmavi, ad cuſtodiendum iudicia iuſtitiæ tuæ*; id eſt, firmo & conſtanti animo iuravi, &c. II. *Iuravi, & perſeverabo, ut cuſtodiam*, &c. III. *Iuravi, & præſtabo*; nempe *cuſtodire iudicia*, &c. IV. *Iuravi, & conſtitui ſervare iuſta iudicia tua*. V. *Iuravi, & perſiſtam in propoſito ſervandi quidquid æquiſſimo iudicio præcepiſti*. VI. *Iuravi, idque conſtanter præſtabo, ut cuſtodiam iudicia tua iuſta*. VII. *Iuravi quod præſtabo, me obſervaturum iura iuſtitiæ tuæ*.

V. 108. VOLUNTARIA ORIS MEI BENEPLACITA FAC DOMINE. Diverſimode alii ex Heb. I. *Spontaneas oris mei accepta obſecro, Iehova*. II. *Spontanea* ſacrificia *oris mei grata habe, quæſo, Iehova*; id eſt, amplectere laudes, quas tibi ſponte offero. III. *Pias has oblationes oris mei gratanter, quæſo, accipe Domine*. IV. *Gratæ igitur ſint tibi, Domine, oblationes, quas ſponte nuncupavit os meum*. V. *Voluntarias oblationes oris mei accepta quæſo Iehova*; id eſt, orationes meas, & gratiarum actiones; quaſi dicat: Serva me propter laudem tuam, quam ſalute accepta celebrabo: ſyllepſis, ſive noema. VI. *Promptitudo oris meis, ſic oro tibi Domine placeat, ut iudicia tua me doceas*.

V. 109. ANIMA MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER, &c. Ex Heb. Alii: I. *Anima mea eſt in palma mea continue: & doctrinæ tuæ non ſum oblitus*. Hiſpanicus Interpres, puro Hiſpaniſmo reddidit: *Mi alma eſta en mi palma de continuo*; id eſt, *ando ſiempre en peligro de la vida: mas de tu ley no me he olvidado*. II. *In diſcrimine vitæ ſemper verſor: non tamen obliviſcor legis tuæ*. III. *Anima mea in manu mea iugiter verſante, tamen legis tuæ non obliviſcor*; id eſt, quamvis ego verſer in præſentiſſimis periculis. Sic I. Samuel. XXVIII. 21. & Iob XIII. 14. IV. *Vitam meam veluti in manu omnibus expoſitam porto: doctrinæ tamen tuæ in malis tam præſentibus non ſum oblitus*. V. *Anima mea iugiter me admonet, ut legis tuæ ne obliviſcar*. Non tam recte. Hanc locutionem non intellexit Virgilius Polydorus Adagiorum ſacrorum 657.

V. 111. HEREDITATE ACQUISIVI TESTIMONIA TUA IN AETERNUM. Varie alii: I. *Hereditas mea ſunt conteſtationes tuæ in perpetuum*. II. *Hereditate accepi teſtimonia tua in ſæcula*. III. *Poſſidere conſtitui conſtitutiones tuas tota vita mea*. IV. *Æterna hereditate mihi venerunt obteſtationes tuæ*; id eſt, quaſi fundum hereditarium poſſideo leges tuas. V. *Poſſideo teſtimonia tua in ſæculum*.

V. 112. IN AETERNUM, PROPTER RETRIBUTIONEM. Varie alii: 1. *Studens æterno fini*; 2. *In finem uſque, & adeo æternum*; 3. *Uſque in finem vitæ meæ*; 4. *In æternum, non ſine cauſa*; 5. *In ſæculum, in finem uſque*. Vide ſupra verſ. 33. nam eſt eadem locutio.

V. 113. INIQUOS. סעפים *ſaghaphim*; varie exponunt: I. *Cogitationes*, ſcilicet hu-

humanas, *excogitata*, *commenta*, imaginationes, alienas a lege Dei; vel cogitationes inanes, inutiles, infructuoſas. II. *Cogitabundos*, *prave cogitantes*, *aſtutos*, *callidos*, *malitioſos*, *corruptores*. III. *Sublimia*, & *eminentia*. IV. *Excelſos*, *ſublime*, *eminentes*, ſeu *nimis alta*, *ſublimia*, *& eminentia affectantes*. V. *Deflectentes* huc illuc, eos qui cogitationibus diſtrahuntur mundanis, & qui a recto deflectunt. VI. *Propendentes* ad diverſas opiniones, *inconſtantes*, *ſuſpenſos* animo. VII. *Sceleratos*. VIII. *Surculos*; id eſt, ramos ſpurios a legis trunco diductos. IX. *Cogitationes alias*.

V. 114. ADIUTOR. Hebr. *Abſconſio mea*, vel *latebra mea*, *latibulum meum*, *protectio*, *defenſio mea*, *receptus meus*.

V. 117. ET MEDITABOR. Hebr. *Et incumbam*. Alii: *Et oblectabor*, vel *oblectabo me*. Nonnulli: *Blande reſpiciam*, *amanter*, *& cum voluptate amplectar*. Vide in Exod. v. 9.

V. 118. SPREVISTI. Hebr. *ſtraviſti*, *proſtraviſti*, *conſternaviſti*, *conculcaviſti*, QUIA INIUSTA COGITATIO EORUM. Varie alii ex Heb. I. *Quia falſitas ſapientia eorum*. II. *Quia mendax deceptio eorum*. III. *Quia mendacium eſt dolus eorum*. IV. *Fallax enim eſt dolus ipſorum*. V. *Propterea quod ſubdola eſt cogitatio illorum*. VI. *Nam fallacia eſt ipſorum vafrities*; id eſt, irriti erunt eorum conatus vafri ac doloſi. VII. *Quia falſus eſt dolus eorum*, hoc eſt, inanis; vana eſt hypocriſis, quæ ſuos ipſius concinnatores fruſtratur.

V. 119. PRAEVARICANTES REPUTAVI OMNES PECCATORES TERRAE, &c. Heb. convertunt: I. *Ut ſcorias ceſſare feciſti*; id eſt, abiicis, & perdis: *omnes impios terræ*. II. *Velut ſcoriam eraſiſti a reliquo hominum numero omnes impios, qui erant in terra*. III. *Tollis cunctos terræ impios, veluti quisquilias*. IV. *Chalebmiam computaſti omnes impios terræ*, id eſt æruginem, vel rubiginem. Pro השבתה *biſebbatta*, per He, quod hodie legitur, legerunt חשבת *chiſebbatta*, cum Cheth, *reputaſti*: ut Noſter mutatione unius puncti חשבתי *chiſebbaiti*, *reputavi*. V. *Tamquam Scoriæ*, *facis ut ceſſent omnes improbi terræ*; id eſt, verbo tuo, & afflictionibus, iudiciiſque tamquam igne conſumis & abiicis: ſic Iſaiæ 1. 25. & Malach. III. 3. IDEO DILEXI TESTIMONIA TUA. Exponunt; Id eſt, quia latebra & ſcutum es diligentibus te, ſupra verſ. 114. improborum vero iuſtus iudex, verſ. 118. & 119.

V. 120. CONFIGE TIMORE TUO CARNES MEAS, &c. Quidam reddunt: *Horret pavore tui caro mea*, *adeo a iudiciis tuis timeo*; quaſi dicat: Non quidem a præſentia tua metuo, ut Adam Geneſ. III. nam contra illam mihi adeſſe expeto: ſed ab infirmitate mea, ne provocem iudicia tua: ſic ponitur elegans epanorthoſis, ſeu correctio, eorum, quæ ſupra dixerat, *Horret pavore tui*. Alii: *Perhorreſcit corpus meum præ timore tui*: veritus ſcilicet ne quid admittam in legem tuam: *& iudicia tua revereor*. Nonnulli: *Sic eraſiſti impios, ut exhorruerit præ metu caro mea*: *& a iudiciis tuis*, *ſecundum quæ de impiis ſupplicium ſumpſiſti*, *exterritus fuerim*.

V. 121. FECI IUDICIUM ET IUSTITIAM. Quidam: *Quod æquum & iuſtum eſt feci*. Alii: *Exerceo iudicium & iuſtitiam*; id eſt, æquo & bono faciendo operam do, quo teſtimonio confirmatur animus meus de electione & vocatione mea. Alii; id eſt, ſtudui legibus æquiſſimis. Sed de hac locutione vide in Geneſ. XVIII. 19.

V. 122. SUSCIPE SERVUM TUUM IN BONUM. Ob ampliſſimam verbi ערב *gharab*, ſignificationem, plurifariam hic reddunt: I. *Dulcifica ſervum tuum in bonum*: id eſt, fac ut ſit aliis dulcis & utilis. II. *Fac ut dulceſcat ſervus tuus in bono*: vel *fac ſuavem & dulcem ſervum tuum in bono*; id eſt, ut cum dulcedine & ſuavitate operetur bonum. III. *Dulceſce ſervo tuo in bonum*: hoc eſt, dulcem ac ſuavem te præbe ſervo tuo, quod ei bene vertat. IV. *Oblecta ſervum tuum rebus bonis*; id eſt, ſic animum meum amore tuæ legis, ac pietatis inflamma, ut omnes meas voluptates & delectationes in his rebus conſtitutas habeam. Quo ſenſu nec hic verſus carebit mentione legis divinæ, ut eum Hebræi excipiunt. V. *Congruere fac ſervum tuum bono*. VI. *Apta ſervum tuum bono*; id eſt, redde aptum vel idoneum ad bonas res. VII. *Sponde*, *fide iube pro ſervo tuo in bonum*. VIII. *Recipe in fidem ſervum tuum pro bonitate*. IX. *Obi vadimonium pro ſervo tuo in bonum*; id eſt, compare, & te ipſum ſiſte coram adverſariis meis, ſuſcipiens cauſam meam: metaphora ab uſu forenſi.

V. 123.

Digitized by Google

V. 125. Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Quidam: *Oculi mei conſumuntur deſiderio ſalutis tuæ*. Aliqui: *Oculi mei defecerunt anxie ſpectando ad ſalutem tuam*, id eſt opem tuam. Alii: *Fatiſcunt oculi mei ad ſalutem tuam*. Nonnulli: *Oculi mei caligare cœperunt, proſpectantes diu, num aliunde adveniret ſalus abs te*.

V. 126. Tempus faciendi Domine, &c. Hebr. *Tempus ad faciendum ipſi Iehveh*. Diverſimode accipiunt: I. *Eſt autem Domino tempus idoneum ut agat*; id eſt, ut exerceat iudicia ſua in improbos: *ſiquidem ruperunt legem tuam*. II. *Id ut facias, Domine, tempeſtativum eſt, diſſiparunt enim legem tuam*. III. *Tempus appetit, quo ſumpturus es ſupplicium Domine de impiis: nihil enim fecerunt doctrinam tuam*. IV. *Tempus eſt ut faciat Iehova*; vel vindictam in hoſtes: ut Geneſ. XVIII. 29. & 30. vel benignitatem erga ſervum ſuum, ſupra verſ. 124. *irritam faciunt legem tuam*; id eſt, eo audaciæ proruperunt adverſarii mei, ut non tantum contra me, ſed contra verbum ipſum tuum aperte veniant, & illud labefactare tentent. V. *Tempus faciendi pro Domino*; id eſt, in gratiam Domini, pro cauſa eius, cum impii conentur diſſipare verbum eius. Non tam recte alii: *Tempus faciendi voluntatem Domini*: vel *ſacrificandi Domino*: quando alii legem violant.

V. 127. Ideo dilexi mandata tua, &c. Notant, hoc & ſequente verſu eſſe ætiologiam, cur David informari petat in cognitione legis; nimirum quod legem bonam & ſanctam eſſe novit: ſe autem ultro diligere bonum, & malum odiſſe profitetur: unde hunc verſum ita reddunt: *Propterea amplius diligo præcepta tua, quam aurum, & quidem aurum purgatiſſimum*. Alii, *obrizum*. Vide in Iob XXVIII. 17.

V. 128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, &c. Hunc verſum noſtra translatio ex verbo repoſuit (*Super ſic omnia viſitata omnium rectificari: omnem ſemitam falſitatis odivi*.) Alii diverſimode: I. *Propterea omnia mandata omnium direxi: omnem ſemitam falſitatis odivi*. Exponunt, *omnium*; id eſt, omnium legum, omniumque hominum mandata recto animo ſervavi, iuxta præceptum Pauli Roman. XIII. 1. uſque ad 8. & I. Petri II. 13. uſque ad 19. II. *Propterea omnia præcepta omnium præceptorum legis recta eſſe cenſui: omnem ſemitam mendacii odi*. III. *Idcirco univerſa mandata tua recta ſequor: ab omni autem via fallaci abhorreo*. IV. *Propterea mandata tua omnia iudicavi eſſe iuſtiſſima; & omne genus vitæ fucatum odio habui*. V. *Eamque ob rem omnes conſtitutiones, univerſas defendo ut rectiſſimas: omnem autem ſemitam fallacem odio proſequor*. VI. *Propterea quod omnia mandata de omnibus rectifico*; id eſt, *recta agnoſco & pronuntio: omnem ſemitam falſitatis odi*. Vide ſupra verſ. 104.

V. 129. Mirabilia testimonia tua. Varie alii ex Hebr. I. *Magnificæ ſunt conteſtationes tuæ*. II. *Admiratione dignæ ſunt cæremoniæ tuæ*. III. *Separata ſunt teſtimonia tua*, nimirum ab humana *cognitione*. IV. *Occultationes ſunt*, vel *occulta*, aut *arcana ſunt, teſtimonia tua*; id eſt, reconditam quamdam ſcientiam habent.

V. 130. Declaratio sermonum tuorum illuminat. Multipliciter alii ex Hebr. I. *Apertio ſermonum tuorum illuminabit*; id eſt, explicatio, explanatio, declaratio: ut reſpondeat ei, quod dixerat, *ſeparata, occulta, arcana*. II. *Oſtium, ianua, ingreſſus, aditus, verborum tuorum illuminat*; quaſi dicat: Prima illa rudimenta legis tuæ illuſtrant mentes accedentium ad ea; vel verba tua, etiam a limine ſalutata, illuminant; quaſi dicat: Non modo ſi quis in intima arcana legum tuarum penetret, ſed etiam ſi vel oſtium earum tantum attingat, & primoribus, ut aiunt, labris ſcientiam illam divinam deguſtet, ſtatim cæleſti quodam lumine illuſtratur. III. *Initium verborum tuorum lumen affert*. IV. *Aperta & dilucida verba tua illuminant*.

V. 131. Os meum aperui, et attraxi spiritum, &c. Varie ex Hebr. elucidant: I. *Os meum aperui, & aſpiravi*, vel *os meum dilatavi, & anhelavi*, ſeu *reſpiravi: quia præcepta tua deſideravi*. II. *Eoque aperio meum os, & traho anhelitum, quia præcepta tua deſidero*; quaſi dicat: Tanto deſiderio legum tuarum ardeo, ut ore aperto ad illas aſpirem, vel adeo vehementi ſtudio legum tuarum flagrat cor meum, ut ſubinde cogar haurire aerem. III. *Præcepta tua non aliter de-*

Digitized by Google

ſidero, quam cum anhelus ſpiritum traho. IV. *Ore meo veluti hiabam, ut aſſequerer prudentiam, mandata enim tua vehementer amavi*. V. *Os meum diſtendo, & anhelo: quia præceptorum tuorum cupidus ſum*; id eſt, omnibus modis ac nervis contendo, ut aſſequar: metaphora, ab anhelis & feſſis viatoribus. Alii metaphoram eſſe volunt, ab his, qui cum aliquid vehementer cupiunt, hiatu oris, & maioris ſpiritus attractione indicant ſuum deſiderium. VI. *Os meum aperui, hauriam*, ſcilicet, intelligentiam.

V. 132. SECUNDUM IUDICIUM DILIGENTIUM NOMEN TUUM. Varie explicant: I. *Secundum conſuetudinem tuam erga diligentes nomen tuum*. II. *Perinde atque his qui nomen tuum diligunt*. III. *Quomodo miſereri ſoles eorum, qui amantes ſunt nominis tui*. IV. *Ut aſſoles facere erga nominis tui amatores*. V. *Secundum ius*, vel *prout eſt ius erga amantes nomen tuum*.

V. 133. GRESSUS MEOS DIRIGE SECUNDUM ELOQUIUM TUUM. Diverſimode alii ex Hebr. I. *Greſſus meos firma in dicto tuo*. II. *Veſtigia mea certifica in sermone tuo*. III. *Formato greſſus meos eloquio tuo*. IV. *Pedes meos inſtitue in ſermone tuo*; id eſt, rationem vitæ meæ: metaphora; quaſi dicat: Fac vivam & incedam iuxta præcepta tua. V. *Fac tendant omnia ſtudia mea in verba tua*. ET NON DOMINETUR MEI OMNIS INIUSTITIA. Quidam: *Ut non regnet in me ulla impietas*. Alii: *Et ne ſinas dominari in me ullam iniquitatem*; id eſt, me a viis tuis abducendo, eam in me dominium obtinere: & ſi volentibus nobis facere bonum, adiacet malum, & peccatum habitat in carne noſtra: vide Romanor. VII.

V. 135. FACIEM TUAM ILLUMINA. Hebr. *Lucere fac, in ſervo tuo*. Alii: I. *Faciem tuam illuſtra in ſervum tum*; id eſt, fave mihi ſervo tuo in hoc, *ut doceas me ſtatuta tua*. II. *Et ſerenum vultum oſtende ſervo tuo*. III. *Fac clare appareat favor vultus tui, erga ſervum tuum*. IV. *Fac ut præluceat facies tua ſervo tuo*; id eſt, inſtilla mihi documenta per ſpiritum.

V. 136. EXITUS AQUARUM DEDUXERUNT OCULI MEI, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. ita reddunt: I. *Rivi aquarum deſcendunt ab oculis meis, propter illos, qui non cuſtodiunt legem tuam*; id eſt, effundor in lacrymas, non tantum mea; ſed etiam improborum cauſa, quorum miſereor; ut infra verſ. 139. & omnium, maxime legis tuæ cauſa, quam violari fero indigniſſime. II. *Oculi mei rivos aquarum emanant, propterea quod legem tuam non cuſtodiunt*, improbi. III. *Rivi aquarum effluxerunt ex oculis meis, propterea quod alio me abduxerint, & non ſervaverint legem tuam*. IV. *Rivos aquarum effuderunt oculi mei*. Notant, quando verbum ירד *iarad, deſcendit*, conſtruitur cum voce *oculorum*, tunc active ſumi: ut Lamentation. I. 16. Vide in Ierem. XIII. 17. Alii: *Rivis aquarum defluxerunt oculi mei, ſuper non obſervaverunt*, &c. Hiſpaniſmus, *ſobre no haver guardado*, &c. ut Iſai. LIII. 9.

V. 137. ET RECTUM IUDICIUM TUUM. Hebr. ſubſtantive; *Et rectum, rectitudo, iudicia tua*. Adiective. *Et rectum iudicium tuum*; id eſt, unumquodque ex iudiciis tuis, omnia & ſingula iudicia tua, rectiſſima ſunt. Quidam: *Et rectus iudiciis tuis*.

V. 138. MANDASTI IUSTITIAM, &c. Hunc verſum diverſimode ex Heb. interpretantur: I. *Præcepiſti iuſtitiam eſſe teſtimonia tua, & veritatem tuam valde*; id eſt, præcepiſti iuſtitiam & veritatem eſſe validiſſima tua teſtimonia. II. *Tu præcepiſti mirum in modum mandata tua iuſtitiam & veritatem*; id eſt, tu admodum præcepiſti obſervari leges tuas, quæ ſunt æquiſſimæ & veriſſimæ. III. *Præcepiſti iuſtitiam teſtimoniorum tuorum, & fidem*. Hypallage, pro, *iuſta teſtimonia tua & fidelia tua, valde*; id eſt, quæ teſtimonia tua ſunt admodum iuſta & fidelia. IV. *Adeſſe voluiſti iuſtitiam ſtatutis tuis, & veritatem valde*. V. *Quæ tu mandas conteſtationes, iuſtæ & veræ ſunt ſupra modum*.

V. 139. TABESCERE ME FECIT ZELUS MEUS. Multifariam ex Hebr. alii: I. *Contriſtavit me zelus meus*. II. *Succidit me*. III. *Confecit, conſumpſit, me*. IV. *Enecat me zelus meus*, vel *indignatio mea*; quaſi dicat: Adeo gravis eſt ira, qua ego afficior, quod hoſtes obliviſcantur legis tuæ, ut illa pene me enecet. V. *Moleſtiſſime tuli*. VI. *Incredibili dolore conficior*, &c. INIMICI MEI; id eſt, Saul rex, & proceres, ac magnates regni, quibuſcum ſe ut parvum tenuem ac contemptum comparat, verſ. 141.

V. 140.

V. 140. IGNITUM ELOQUIUM TUUM VEHEMENTER. Hebr. *Victum, fuſum, excoctum conflatum, expurgatum, examinatum; purificatum igni, dictum tuum.* Sic Pſal. XII. 7. & Pſal. XVII. 31. Quidam: *Purus eſt per omnia ſermo tuus valde.* Alii: *Eloquium tuum vehementer inflammat.* Nonnulli: *Eſtque eloquium tuum purgatiſſimum*; id eſt, purius omni auro quod uſtor ſæpe ſæpius igne purgavit.

V. 147. PRAEVENI IN MATURITATE, &c. Varie alii hunc verſum ex Heb. efferunt: I. *Præveni in nocte, & clamavi: verba tua expectavi.* II. *Præveni in mane, & clamavi, verbum tuum exſpectans.* III. *Prævenio alios crepuſculo, & clamo: quia verbum tuum exſpecto.* IV. *In crepuſculo antevertens clamo, & habeo ſpem in verbo tuo.* V. *Antevertens in ipſo diluculo* omnes alios, *vociferor: in verbum tuum ſperavi.* VI. *Ante diluculum evigilavi, & clamavi, quod ſpes mihi omnis eſſet in promiſſionibus tuis.* VII. *Propero maturrime & invoco, verbis enim tuis fido.* VIII. *Veniens ante te in ipſo crepuſculo ut vociferer; in verbo tuo ſpem habeo.*

V. 148. UT MEDITARER ELOQUIA TUA. Hebr. *Ad meditandum, commentandum, diſſerendum de dicto,* ſeu *ſermone tuo,* vel *ad exercendum me in ſermone tuo.* Quidam: *Ad conferendum in ſermone tuo.*

V. 149. SECUNDUM IUDICIUM TUUM VIVIFICA ME; id eſt, recrea me, refice me, conſerva me in vita pro more tuo, ut tuos ſervare ſoles. Quidam: *Secundum iudicia tua vivum conſerva me*; id eſt, fac ut vivam ſecundum iudicia tua, ſive ad præſcriptum legum tuarum. Sic infra verſ. 156.

V. 150. APPROPINQUAVERUNT PERSEQUENTES ME, &c. Diverſe alii ex Heb. hunc verſum exponunt: I. *Cogitaverunt ſequaces cogitationis: a doctrina tua elongati ſunt*; id eſt, Philoſophi, & hæretici ſectatores inanium cogitationum excogitaverunt ſuas opiniones, alieniſſimas a doctrina tua. II. *Appropinquaverunt perſecutores ſceleri: a lege tua procul facti ſunt.* III. *Appropinquaverunt perſecutores ſceleris,* id eſt *ſcelerati: a lege tua procul abfuerunt, remoti fuerunt.* IV. *Appropinquaverunt* ſceleri *ſequentes ſcelus: a lege tua elongaverunt ſe*; id eſt, qui ſceleris ſunt ſtudioſi, ut ſceleri appropinquant, ita ſunt longe a lege tua: & tu viciſſim ab illis diſcedis: contra tu propinquus ades, ſubaudi, piis & ſtudioſis legis tuæ, verſu ſequente. V. *Appropinquant enim, qui a lege tua ſunt alieni; & iniuria perſequuntur me.* Traiectio verborum. VI. *Magno conatu egerunt, qui perſequuntur me, ut ſcelerata deſignarent: quare a lege tua abſunt quam remotiſſime.* VII. *Appropinquantibus* adverſum me *ſectatoribus ſceleris, qui a lege tua longe abſunt; Tu propinquus es Iehova,* nectunt enim verſui ſequenti. VIII. *Propius me acceſſerunt ſectantes ſcelus, qui longe diſceſſerunt a lege tua.*

V. 151. PROPE ES TU DOMINE: ET OMNES VIAE TUAE VERITAS. Quidam. I. *Appropinqua & tu Domine*; vel *prope ades tu Domine: firmæ ſunt enim promiſſiones tuæ.* II. *Præſto es tu Domine: nam omnia promiſſa tu vera ſunt*; id eſt, Tu ſemper præſto ades colentibus nomen tuum.

V. 152. INITIO COGNOVI DE TESTIMONIIS, &c. Alii ex Heb. I. *Pridem novi de teſtimoniis tuis, quod, ut durent in ſæculum, fundaveris ea.* II. *Iam inde ab initio intellexi de teſtimoniis tuis, quod velis illa ſempiterna eſſe.* III. *Ab initio cognovi de admonitionibu tuis, quod perpetuo ſtabiles eſſe volueris eas.* IV. *Ab ipſo exordio id novi de conteſtationibus tuis, quod eas fundaſti, ut ſint ſempiternæ.* V. *Pridem novi de teſtimoniis tuis, te in ſæculum fundaſſe ea*; id eſt, conſtituiſſe ut ſint æterna: nam hic verſus exegetice finem ſuperioris explicat.

V. 154. IUDICA IUDICIUM MEUM, ET REDIME ME. Alii ex Heb. I. *Litiga litigium meum, & redime me.* II. *Age cauſam meam, & defende me.* III. *Suſcipe cauſam meam, & vindica, adſere, me.* IV. *Patrocinium ſuſcipe cauſæ meæ, & libera me*; id eſt, age mihi advocatum, & patronum. PROPTER ELOQUIUM TUUM VIVIFICA ME. Alii: I. *At dictum tuum,* ſeu *in verbo tuo*; id eſt, iuxta promiſſiones tuas, *conſerva me in vita.* II. *Iuxta verbum tuum ne ſinas vitam adimi mihi.* III. *Et recrea me oblato eloquio tuo.* IV. *Pro ſermone tuo vivum conſerva me.*

V. 155. LONGE A PECCATORIBUS SALUS. Quidam reddunt: *Procul ab eſſendo ab improbis ſalutem,* ſeu *ita ut procul ſit ab improbis ſalus*; id eſt,

ab adverſariis cauſam iniquam agentibus.

V. 158. VIDI PRAEVARICANTES, ET TABESCEBAM. Diverſimode ex Heb. convertunt. I. *Vidi fallaces, & certavi, contendi, litigavi*, cum eis. II. *Vidi prævaricatores, & tædio*, ſeu *moleſtia*, vel *faſtidio affectus ſum*. III. *Vidi excurſores, & diſſectus ſum*. IV. *Videbam præfractos & diſſecabar*. V. *Cum prævaricatores video, totus mæreo*, vel *indignor, excandeſco*. VI. *Aſpiciebam prævaricatores, & invaſit me horror propter amentiam illorum*. VII. *Videns prævaricatores, me ipſum excrucio*. VIII. *Simul ac video perfide agentes, faſtidio me ipſum torqueo*. Verbum קוט *kut*, hic in Hithpahel poſitum magnam vim habet; quaſi dicat, *Vehementiſſime ac moleſtiſſime deſſecabar*. Vide de eius notione in Pſal. XCIV. verſ. 10. ſic infra Pſal. CXXXVIII. verſ. 21.

V. 160. PRINCIPIUM VERBORUM TUORUM, VERITAS. Heb. *Caput verborum tuorum, fides*. Exponunt, ſummum ac præcipuum verborum tuorum eſt ipſa certitudo, veritas, firmitas, conſtantia. Alii ſingulariter, ut magis Hebræa poſtulant: *Caput*, ſive *præſtantia verbi tui*: hypallage, id eſt *præſtantiſſimum verbum tuum*: ut Exod. XXX. 23. *eſt ipſa veritas*; hoc eſt, eſt certiſſimum, fideliſſimum, & conſtantiſſimum; ut ſequentia explicant. Diverſimode reddunt: I. *Caput verbi tui veritas*; id eſt, a principio, a ſæculo; hoc eſt, ſemper, verbum tuum fuit veriſſimum, & conſtantiſſimum. II. *A primo tempore quo in hominum notitiam venit, verbum tuum veritas eſt*. III. *Ab æterno eſt verax verbum tuum*. IV. *Caput & ſumma verborum tuorum ſtabilitas*. Alii totum verſum ita elucidant: *Caput*, id eſt præcipuum *in ſermone tuo eſt veritas*; *& in iudiciis tuis iuſtitia, idque ſemper*.

V. 161. ET A VERBIS TUIS FORMIDAVIT COR MEUM. Quidam: *Et a verbo tuo pavet animus meus*, non autem a principibus abſterretur; quaſi dicat: Quos non tantopere metui, quam timui ex animo, ne a verbis tuis diſcederem: vel quamquam homines potentiſſimi, tyranni, ſcilicet, Saul, & proceres regni, me capite & fortunis oppugnabant; numquam tamen tam eorum vim formidavi, quam ne aberrarem ab obſervatione præceptionum tuarum. Rectius alii: *Cor autem meum reveretur verbum tuum*; id eſt, & tamen colo te diligenter, & contineo me in officio.

V. 164. SEPTIES IN DIE LAUDEM DIXI TIBI. Quidam: *Septies quotidie laudo te*, id eſt ſæpe numero, frequenter: numerus finitus pro infinito, ut Levitici XXVI. 18. Alii: *Abundantiſſime, copioſiſſime omnimode, affatim*, nam ſeptenarius eſt numerus ſaturitatis & univerſitatis. SUPER IUDICIA IUSTITIAE TUAE. Nonnulli: *Propter iudicia tua iuſta*. Alii: *De iudiciis iuſtis tuis*, quorum ſumma ſequente verſu continetur.

V. 165. PAX MULTA DILIGENTIBUS LEGEM TUAM, &c. Quidam: *Pacem multam eſſe diligentibus legem tuam, neque eſſe eis offendiculum*; id eſt, ſummam tranquillitatem animi, incolumitatem, proſperitatem, bonorum omnium affluentiam: nec ullum eis occurrere offendiculum, quod eam pacem adimat, aut evertat. Alii reddunt: *Magna felicitas parata eſt amantibus legem tuam, quique non impingunt in aliquod offendiculum*, quod eos a lege tua deſciſcere faciat.

V. 167. CUSTODIVIT ANIMA MEA TESTIMONIA TUA; id eſt, ex animo obſervavi legem tuam.

V. 168. QUIA OMNES VIAE MEAE IN CONSPECTU TUO. Alii: I. *Nam omnes viæ meæ ante te*, vel *tibi expoſitæ ſunt*; id eſt, quidquid ago in hac vita, eſt tibi notum; quaſi dicat: Vito ſcelera quantum poſſum, quia ſcio illa te non latere. II. *Omnes enim viæ meæ notiſſimæ ſunt tibi, nec ulla illarum latet te*. III. *Quia omnes viæ meæ coram te ſunt*; id eſt, tu vides, inſtituis, & curas vitam meam, ſive omnes vitæ meæ rationes, & inſtituta.

V. 171. ERUCTABUNT LABIA MEA HYMNUM. Quidam: *Depromunt, profundent, labia mea laudem*; id eſt, Abunde te laudabunt, pleno ore laudes tuas canent.

V. 175. VIVET ANIMA MEA, ET LAUDABIT TE; id eſt, vivam ego, & laudabo te. Synecdoche.

V. 176. ERRAVI SICUT OVIS. Quidam: *Erro ut pecus*; id eſt, incertis ſedibus huc illuc vagare cogor. QUAE PERIIT; id eſt, quæ procul a grege & paſtore ſuo vagatur errabunda; ut ſequentia verba oſtendunt. QUAERE SERVUM TUUM: ut paſtor amiſſam pecudem: ut Lucæ XV. 4.

QUIA

Quia mandata tua non ſum oblitus; id eſt, audio vocem tuam ut ovis tua; Ioann. x. 3. & ſequentibus; vel reduc me in regnum, a quo exulo, quandoquidem pareo præceptis tuis.

MENOCHII.

Hic Pſalmus eſt omnium longiſſimus, nam continet viginti duos octona- rios; hoc eſt, verſiculos centum ſeptuaginta ſex. Cauſam tantæ longitudinis fuiſſe ſuſpicatur Bellarminus, ut haberet populus, in quo pie, & cum fructu occuparetur, dum ter in anno ex omni parte ad tabernaculum aſcenderet: videtur enim Pſalmus compoſitus, ut in itinere caneretur, quo Pſalmo finito, ſequuntur Pſalmi graduales, qui inter aſcendendum gradus tabernaculi canebantur.

Artificium huius Pſalmi eſt huiuſmodi. Primi octo verſiculi incipiunt a prima littera alphabeti, ſequentes octo a ſecunda, & ſic deinceps, uſque ad finem totius alphabeti, quod viginti duabus litteris conſtat. Illud tandem notandum in hoc Pſalmo, Dei præcepta vocari etiam mandata, æquitatem, iudicia, iuſtitias, iuſtificationes, teſtimonia, verbum, verba, eloquium, eloquia, ſermones, viam, legem, veritatem & ordinationem, idque ſingulis fere verſibus, quod ſemel monuiſſe ſatis ſit, ne ad faſtidium ſæpius idem repetere cogamur.

V. 1. Immaculati. Integri, perfecti, ſinceri, ſimplici corde, & candido: hoc enim ſignificat vox Hebræa תמימים *chemimim*. In via. Qui ita in via Domini, & in via huius vitæ ambulant, numquam offendant, ſed integre, ſancte, & perfecte in omnibus agant.

V. 2. Scrutantur: & inveſtigant ſenſum legis Domini ſtudio illius ſervandæ. Teſtimonia. Sic vocantur Dei præcepta, quod per iſta teſtatur quid velit. In toto corde exquirunt eum. Ubi legem intellexerint, eam ſervare, & toto corde Deo placere ſtudent.

V. 3. In viis eius ambulaverunt. Qui adhuc aliqua in re inique agunt, nondum vitam inſtituunt ſecundum eas vivendi rationes quas ipſe præſcripſit, & per quas ad illum tenditur, & pervenitur.

V. 4. Nimis: cum maxima diligentia & ſolicitudine.

V. 5. Utinam dirigantur viae meae. Ita diſponantur vitæ meæ rationes, conſilia, & actiones, ut legem tuam plene cuſtodiam. Iustificationes. Sic vocantur Dei præcepta, quod per eorum obſervationem in iuſtitia, & ſanctitate creſcamus.

V. 6. Non confundar, non pudefiam. Cum perspexero, &c. Cum intentus fuero ad cuſtodiam mandatorum.

V. 7. Confitebor tibi; laudabo te. In directione cordis: in rectitudine cordis, recto ſincero, & non fucato corde. In eo quod didici, &c. Quod didicerim iudicia iuſtitiæ tuæ. Iudicia. Sic præcepta dicuntur, quod Dei iudicium ſive ſententiam contineant. Quod ſint edicta, ſecundum quæ probi, & improbi iudicandi ſunt; vel quod ſignificent nobis, & nota faciant ea, quæ facienda, aut vitanda iudicavit, ac cenſuit Deus.

V. 8. Non me derelinquas usquequaque. Non me plane deſeras, ſed ita mihi adſis, ut ſervare præcepta tua poſſim.

V. 9. In quo corrigit, &c. Qua ratione poterit adoleſcens puras efficere vias ſuas ut non peccet, & a teneris virtuti aſſueſcat? In custodiendo, &c. exequendis mandatis tuis.

V. 10. Ne repellas me a mandatis tuis: ne permittas me aberrare a via mandatorum tuorum, ſive per pravam doctrinam, ſive per mores corruptos.

V. 11. Abscondi: diligenter meditatus ſum, animo volvi, alte cogitavi, & repoſui in intima mentis.

V. 12. Benedictus es Domine. Dignus es qui ab omnibus ob tuam benignitatem benedicaris.

V. 13. Pronuntiavi; prædicavi. Oris tui: quæ per Prophetas, & Apoſtolos es locutus, qui ſunt veluti os tuum.

V. 14. Sicut in omnibus divitiis: ut ſolent alii parandis divitiis delectari, aut illis quæſitis lætari.

V. 15. Exercebor; meditabor, loquar; Græce eſt ἀδολεσχήσω, quo verbo LXX. uti ſolent pro *meditari*, ſeu exercere ſe in prece, & ſimilibus contemplationis operibus.

V. 16. Meditabor. Hier. & Chald. De-

Delectabor; vel, ut alii vertunt, *Delitiabor*.

V. 17. Retribue. Beneficia tribue, benefac, da liberaliter. Vivifica me. In Hebr. eſt *vivam*; Utinam vivam, tribuet ut vivam.

V. 18. Revela oculos meos. Retege, velum ab oculis meis aufer. Considerabo: videbo, intelligam. Mirabilia de lege tua, mirabiles legis tuæ ſenſus.

V. 19. Incola ego sum in terra. Peregrinus; hodie vivus, cras moriturus, unde obiter hac vita utor, ac in ea unica conſolatio eſt lex tua. Vel, ſum peregrinus, ideoque in parum mihi notis itineribus tuis facile aberrare poſſum; poſtulo ergo ut mandata tua, quibus dirigi poſſum, non abſcondas a me.

V. 20. Concupivi desiderare; id eſt, vehementer deſideravi; vel quaſi dicat: A carne fragili mihi metuens cupio ſaltem deſiderare legem Dei; neque ab eius expetitione umquam per carnis ſtuporem revocari.

V. 21. Increpasti. Comminatus es pœnam ſuperbis, & tranſgreſſoribus legum tuarum. Maledicti qui declinant, &c. videtur eſſe alluſio ad illud Deut. xxvii. 26. *Maledictus omnis qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit.*

V. 22. Opprobrium, et contemptum, quem ab hiſce ſuperbis ſuſtineo, quod ſim legum tuarum ſtudioſus. Exquisivi, cuſtodivi.

V. 23. Etenim. Hebr. *etiam*; quaſi dicat: Etiam principes, quorum erat tueri pios, & virtutis ſtudioſos, in ſuis conventiculis de me lædendo conſultabant. Servus tuus: ego ſervus tuus. Exercebatur. Meditabar, colloquebar cum tuis decretis, ſicque muniebam me contra omnes inſectationes.

V. 24. Meditatio mea. In Heb. eſt, *delitiæ meæ*. Consilium; conſultor, conſiliarius.

V. 25. Adhaesit pavimento anima mea. Adeo humiliata, & afflicta eſt anima mea, ut malorum prementium pondere, terræ adhæſerit. Pavimento, *pulveri* ut eſt in Hebr. quaſi dicat: Propemodum perii, morti, ſepulcroque proximus. Vivifica me secundum verbum tuum: priſtino ſtatui reſtitue me ſecundum fidele promiſſum tuum.

V. 26. Vias meas enuntiavi: mea negotia, res, facta, vitæ meæ neceſſitates explicavi tibi.

V. 27. Instrue me. Ad verbum ex Hebr. *Intelligere me fac*. Exercebor in mirabilibus tuis. Meditandis, & cognoſcendis. Hoc eſt quod dixi ſupra n. 18. *Conſiderabo mirabilia de lege tua*.

V. 28. Dormitavit anima mea prae taedio, &c. In Hebr. eſt, דלפה *ſtillavit*. Quare videntur LXX. vertiſſe ἔσταξεν *ſtillavit*, & non ut nunc habetur ἐνύσταξεν: ſententia vulgatæ eſt: Præ tædio malorum quæ patior, anima mea cœpit deficere, & a priſtino ſuo vigore, & promptitudine tibi ſerviendi flacceſcere; itaque verbis promiſſionum tuarum ita confirma cor meum, ut alacritate reſumpta perſeverem, & pergam in bene cœptis: ſenſus Hebræi textus in idem recidit, nam ſtillavit anima mea, ſignificat, Defecit anima mea inſtar earum rerum, quæ liqueſiunt, & paulatim perdunt humorem ſuum. Qui autem deficiunt, & liqueſiunt præ triſtitia, ſolent etiam deficiendo dormitare: Luc. xxii. *Invenit eos dormientes præ triſtitia*. Taedio. Græce eſt ἀκηδία: eſt autem *accedia* triſtitia, & torpor revocans ab opere bono exercendo.

V. 29. De lege tua miserere mei. In Hebræo, *legem tuam dona mihi*. Gratiam legis perficiendæ da mihi. Italice diceremus: *Fatemi grazia dell' oſſervanza della voſtra legge*.

V. 31. Noli me confundere. Quod accideret, ſi tuo me auxilio deſtitueres.

V. 32. Cucurri; alacriter, expedite, & cum delectatione. Cum dilatasti cor meum. Cum ex anguſtiis explicuiſti me, cum me lætitia ſpirituali affeciſti.

V. 33. Legem pone mihi, &c. In Heb. eſt: *Doce me viam præceptorum tuorum*; ſenſus vulgati textus eſt: Eam vivendi rationem, quam docent mandata tua iuſtiſſima, tu quæſo Domine mihi pone, & ſtatue pro lege. Exquiram eam: viam illam iuſtificationum tuarum.

V. 34. Da mihi intellectum, legis tuæ. Scrutabor. Vide dicta n. 2.

V. 35. Deduc me, &c. Incedere me fac, dirigere me per viam tuorum præceptorum. Volui: elegi, vel mihi in ea placui.

V. 36.

V. 36. Inclina cor meum in teſtimonia tua. Auxilio gratiæ tuæ fac ut propendeam, & ferar in amorem, & obſervationem legis tuæ. Et non in avaritiam. Ne inclines me in avaritiam deſerendo gratia tua.

V. 37. Ne videant. Ne concupiſcant, ne ducantur oculorum concupiſcentia. Vanitatem doctrinæ, & morum: ne fluxis hisce rebus, & brevi tempore duraturis capiar, illaſque magnum aliquid eſſe credam.

V. 38. Statue servo tuo, &c. id eſt, fac ut per ſanctum timorem tuum ſtatuatur, confirmetur, ſolidetur lex tua in ſervo tuo, ut immobiliter in illo hæreat, & perſeveret.

V. 39. Amputa opprobrium meum. Aufer opprobrium, quo me hoſtes afficiunt, falſa ſcilicet convitia, & probra. Alii de peccato interpretantur, quod nobis eſt probro, & dedecori. Quod suspicatus sum: *quod timui*, ut eſt in Hebræo. Iudicia tua iucunda. טובים *tovim* bona, utilia, fructuoſa, benigna ſunt iudicia tua, quæ in pios decernis.

V. 40. In aequitate tua. Pro tua æquitate, & iuſtitia conſerva mihi vitam.

V. 41. Salutare tuum. Salus, & defenſio tua veniat ſuper me, mihi contingat. Eloquium tuum. Promiſſum tuum.

V. 42. Respondebo exprobrantibus mihi verbum. Exprobrantibus, & conviciantibus mihi reſpondebo verbum verum cui reſiſtere non poterunt. Quia speravi, &c. Summa reſponſionis meæ erit, locaſſe me ſpem meam in ſermonibus, & promiſſis tuis, quæ excidere, & eventu fruſtrari non poſſunt.

V. 43. Ne auferas, &c. Nullo modo permittas auferri ex ore meo hoc verbum veritatis, quo glorior adverſus exprobrantes mihi, ne efficias, deſtituendo me gratia tua, ut non audeam hoc verbum loqui. Ne claudas os de te confidentis, & promiſſa tua prædicantis. Quia in iudiciis tuis supersperavi; id eſt, quia in tua iuſtitia, & fidelitate multum omnino ſperavi.

V. 45. Et ambulabam. Verti etiam poſſit per futurum, *& ambulabo*, ut etiam quæ ſequuntur, loquebar, confundebar, meditabar. In latitudine. Magna cum alacritate, & cordis lætitia, vel cum magna facilitate, ad inſtar eorum, qui per vias planas, & nulla re impeditas facile ambulant, aut currunt. Exquisivi. Vide dicta, n. 2.

V. 46. Non confundebar. Non me pudebat hæc loqui, & profiteri.

V. 47. Meditabar. In Hebr. eſt *delectabar:* cum gaudio, & delectatione contemplabar.

V. 48. Levavi manus meas, &c. Manus admovi ad mandata tua, ut ea opere effecta darem.

V. 49. Memor esto. Præſta, perfice: in Deum enim non cadit oblivio. Verbi tui servo tuo, &c. Promiſſi tui ſervo tuo facti, in quo me ſperare feciſti.

V. 50. Haec me consolata est. Hæc res, hæc promiſſio, femininum pro neutro, quo Hebræi carent. In humilitate mea: in afflictione, & calamitate mea. Vivificavit me. Roboravit, vel in vita conſervavit; quaſi dicat: Iam pridem me vita defeciſſet præ malorum multitudine, & magnitudine, niſi me eloquia tua conſervaſſent.

V. 51. Superbi: iniqui, & peccatores, qui inſectabantur me. Inique agebant. Spem meam, quam in te poſui deridentes. In Hebr. enim eſt, *irridebant me*.

V. 52. Iudiciorum tuorum a saeculo: iudiciorum, quæ ab initio ſæculi exercuiſti, exaltans humiles, & ſuperbos deprimens.

V. 53. Defectio. ἀθυμία animi defectus, deſtitutio, deliquium, propter zelum vehementem, quo urebar videns peccatores violantes legem tuam.

V. 54. Cantabiles mihi erant, &c. quaſi dicat: Impii legem divinam violant, aut derelinquunt, quia inſuavem eſſe iudicant, mihi autem adeo ſuavia ſunt præcepta tua, ut in hac vitæ peregrinatione dulce canticum ſint, quo mirifice delector. In Hebr. eſt, *Carmina mihi fuerunt præcepta tua*.

V. 55. Nocte; tempore calamitoſo; vel, nocturno tempore cum ceteri dormiunt quiete, & tranquille nomen tuum recolo, & ex ardenti amore tuo legem tuam conſtanter cuſtodivi.

V. 56. Haec facta est mihi. Hoc

totum,

totum, hæc omnia, quæ memoravi mihi evenerunt, quia mandata tua diligenter executus ſum.

V. 57. Portio mea Domine. O Domine, qui es mea portio, theſaurus, ſeu pars mea hereditaria. Dixi: cum animo meo firmiter ſtatui cuſtodire legem tuam.

V. 58. Deprecatus sum faciem tuam. Deprecatus ſum ut mihi faveres, & benigne me tuo auxilio reſpiceres, ut iuxta votum meum, legem tuam ſervare poſſem. Secundum eloquium tuum: iuxta promiſſiones tuas. Cogitavi vias meas. Mea facta expendi, vitæ meæ actiones, & rationes conſideravi. Et converti, &c. Et converti me ad legem tuam moribus exprimendam.

V. 60. Paratus sum, et non sum turbatus. In Hebr. eſt, *Feſtinavi, & non tardavi cuſtodire mandata tua.* Non ſum turbatus, territus, aut retardatus difficultate operis aut alio impedimento interveniente.

V. 61. Funes peccatorum. Impii, & peccatores ſuas inſidias, & tendiculas inſtruxerunt ut perderent me, demones etiam ſuis tentationibus me aggreſſi ſunt, ſed obtinere non potuerunt ut legem tuam oblivifcerer, aut derelinquerem.

V. 62. Media nocte, &c. Adeo legis tuæ non obliviſcebar, ut ne ſomnus quidem nocturnus mihi memoriam tui poſſet eripere; quare media nocte ſurgebam ut te laudarem, & memorarem iuſta iud cia, & decreta tua.

V. 63. Particeps ego sum, &c. quaſi dicat: Sum unus ex iis, qui timent, & reverentur te.

V. 64. Misericordia, &c. Nullos terræ incolas miſericordiæ tuæ expertes eſſe pateris.

V. 65. Bonitatem fecisti: beneſeciſti ſervo tuo. Secundum verbum tuum: ut fueras pollicitus.

V. 66. Bonitatem, beneficentiam; in Greco eſt χρηστότητα. ſuavitatem morum; quaſi dicat: Peto ut quemadmodum in me bonus fuiſti, ſuavis, & beneficus, ita me cum proximis talem eſſe doceas. Disciplinam: prudentiam, qua mala declinare ſciam, & perſequi bona. Scientiam, qua agnoſcam myſteria legis tuæ. Quia mandatis tuis credidi; id eſt, quia credidi mandatorum tuorum promiſſionibus; ſive credidi mandata tua divina eſſe, & digniſſima, quæ diligentiſſime cuſtodiantur.

V. 67. Priusquam humiliarer ego deliqui. Bonitatem feciſti mecum, etiam cum me humiliaſti, & afflixiſti: nam priuſquam a te malis erudirer, aberraveram a via virtutis, ad quam tua caſtigatione revocatus ſum. Propterea, &c. Propterea deinceps attentius legem tuam cuſtodivi, & porro cuſtodiam.

V. 68. In bonitate tua: quæ tua eſt bonitas, & benignitas.

V. 69. Multiplicata est, aucta eſt.

V. 70. Coagulatum est sicut lac cor eorum. Cor eorum induratum eſt, obtuſum, & quaſi arvina & adipe obtectum. Durum factum eſt, ut induratur caſeus ex lacte coagulato confectus. In Hebræo eſt, *ſicut adeps.*

V. 71. Humiliasti: afflixiſti me, ut me erudires; nam vexatio dat intellectum.

V. 72. Bonum mihi lex, &c. Melior, potior. Super millia auri et argenti, pondera.

V. 73. Manus tuae fecerunt me, &c. quaſi dicat: Opus tuum ſum, ad te ergo pertinet ut perficias me, ut artifices ligna quæ elaborarunt, & præcipue facias ut bene intelligam mandata tua.

V. 74. Videbunt me, et laetabuntur. Videntes me ſervantem mandata tua, & tuo munere proſpere agentem, lætabuntur, quod ſcilicet non irrita fuerit ſpes mea, quam in te conſtitui.

V. 75. Cognovi Domine, &c. Cognovi præcepta tua eſſe æqua, & iuſta. Vel, cognovi pœnas, quas mihi indixiſti, merito mihi fuiſſe inflictas. In veritate tua, iuſte, & iure.

V. 76. Fiat misericordia tua ut consoletur me. Similis eſt hæc phraſis illi, quæ habetur ſupra n. 29. ſenſus eſt: Rogo ut miſericordiam tuam in hoc mihi oſtendas, & exhibeas, ut conſoleris me. Italice diceremus, *Fatemi grazia di conſolarmi.* Secundum eloquium tuum: iuxta promiſſiones tuas factas mihi ſervo tuo.

V. 77. Et vivam. Mortuum enim ſe exiſtimat, ſi divino favore, & gratia deſtitutus ſit. Quia lex tua meditatio

mea

MEA EST. Hæc eſt ratio, cur audeat petere miſericordias Domini: decet enim Deum miſericorditer reſpicere eum, qui aſſidue meditatur in divina lege.

V. 78. CONFUNDANTUR: pudefiant, ſpe ſua de me fruſtrati. SUPERBI: legum tuarum contemptores. INIUSTE, &c. quia iniuria affecerunt me. EGO AUTEM EXERCEBOR, &c. Interim ego inſtitutum meum tenebo tibi ſerviendi, & alacrius ſervabo legem tuam.

V. 79. CONVERTANTUR MIHI: convertantur ad me, & mihi adiuncti legem Dei cuſtodiant. QUI NOVERUNT TESTIMONIA TUA. Quicumque timorem Dei, & ſcientiam legis habent.

V. 80. FIAT COR MEUM IMMACULATUM, &c. Fac ut integre, & perfecte in tuis ſtatutis vivam. UT NON CONFUNDAR. Neque in hac vita, neque in futuro iudicio.

V. 81. DEFECIT IN SALUTARE TUUM ANIMA MEA. Anima mea præ deſiderio conſequendæ ſalutis, aut ſalvatoris Chriſti ardet, languet, & deficit. IN VERBUM TUUM SUPERSPERAVI. In promiſſo tuo magnam ſpem habui.

V. 82. DEFECERUNT OCULI MEI IN ELOQUIUM TUUM; id eſt, mens mea attendendo, & expectando promiſſum auxilium quod diutius differtur, deficit præ deſiderio quomodo oculi corporis deficiunt, cum nimis diu reſpiciunt locum, ex quo expectatus, & deſideratus amicus venturus creditur. DICENTES. Dicendo, eſt proſopopœia, quaſi oculi loquantur.

V. 83. FACTUS SUM SICUT UTER IN PRUINA. Propter calamitatum magnitudinem, & diuturnitatem, & propter deſiderii vehementiam, iam facta eſt cutis mea utri coriaceo pruina congelato, & conſtricto ſimilis; id eſt, totus areo, & contabeſco. In Hebræo eſt, *ſicut uter in fumario*, ut aliqui vertunt; vel, *in fumo*, nam קיטור *qitor*, vaporem nebulam, aut fumum ſignificat.

V. 84. QUOT SUNT DIES SERVI TUI; quaſi dicat: Quot ſunt dies quibus ego ſervus tuus in his calamitatibus victurus ſum. QUANDO FACIES, &c. Quando iudicabis & condemnabis vexantes, & perſequentes me.

V. 85. NARRAVERUNT MIHI INIQUI FABULATIONES. Affert cauſam, cur maxime cupiat ab iniquorum conſuetudine ſe ſubducere, quia ſcilicet impii tentantes pios, narrant delectationes mundi, quæ meræ nugæ ſunt, & ineptiæ, quæ comparari non poſſunt cum deliciis, & ſuavitate divinæ legis.

V. 86. OMNIA MANDATA TUA VERITAS; id eſt, veriſſimas promiſſiones continent, non autem fabulationes, & nugas, quales narrant iniqui.

V. 87. PAULOMINUS CONSUMMAVERUNT ME. Parum abfuit quin perderent, & exitio afficerent. IN TERRA; terrigenæ, mortales, qui in terra degunt.

V. 88. VIVIFICA ME. Conſerva me in vivis: ſum veluti mortuus, erue me Domine ab his malis.

V. 89. IN AETERNUM DOMINE, &c. Decretum, & mandatum tuum in æternum permanet in cælis: cæli tuo decreto, & verbo ſunt ſtabiles, & firmi in perpetuum.

V. 90. VERITAS TUA: firmitas decretorum tuorum.

V. 91. ORDINATIONE TUA, &c. Iuxta diſpoſitionem, & voluntatem tuam dies in ſuo curſu ſemper perſeverat.

V. 92. NISI QUOD LEX TUA MEDITATIO MEA EST; id eſt, niſi lex tua meditatio mea fuiſſet. Italica phraſis bene reſpondet; dicimus enim: *Se non foſſe che io medito la tua lege, ſarei a queſt' ora morto per queſta afflizione mia*. MEDITATIO. In Hebr. eſt, *delectatio*. IN HUMILIATE MEA. Afflictione, inopia, miſeria.

V. 93. IN IPSIS VIVICASTI ME. Quia per ipſas vitam mihi conſervaſti.

V. 94. TUUS SUM EGO, &c. Quia tuus ſum, ideo decet ut me ſerves, & a malis eripias.

V. 95. ME EXPECTAVERUNT, &c. Me expectantes obſervaverunt, & inſidias poſuerunt, nec tamen propterea deſiit intelligere præcepta tua.

V. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS, &c. Cum ſic conſiderarem teſtimonia tua intellexi nihil eſſe tam abſolutum, & perfectum in hoc mundo, quod non haberet finem. Symmachus vertit πάσης κατασκευῆς, *omnis ſtructuræ* vidi finem. LATUM MANDATUM TUUM NIMIS; quaſi dicat: At mandatum tuum, ſive lex tua latiſſime ſe porrigit: nam omnibus ſæculis

lis conſtanter permanet, cum interim omnia alia intereant.

V. 97. QUOMODO DILEXI: mirum quantum dilexi.

V. 98. SUPER INIMICOS MEOS. Pluſquam inimicos meos. QUIA IN AETERNUM MIHI EST, quia perpetuo legem tuam animo verſo, & opere exhibeo.

V. 99. SUPER OMNES DOCENTES ME INTELLEXI. Parentibus etiam meis, & doctoribus, qui me olim legem tuam docebant aſſidua eius meditatione, ſapientior factus ſum.

V. 102. A IUDICIIS TUIS NON DECLINAVI. A via recta legis tuæ non aberravi. QUIA TU LEGEM POSUISTI MIHI. Ego vero illam diligenter, & conſtanter ſequor.

V. 103. QUAM DULCIA, &c. Suavior mihi eſt legis obſervatio menti meæ, quam ori meo guſtus mellis.

V. 104. A MANDATIS TUIS INTELLEXI. Præceptis tuis eruditus ſum.

V. 105. LUCERNA, &c. qua actiones meæ dirigantur.

V. 106. IURAVI, ET STATUI. Intelligi hoc poteſt de circumciſione, Baptiſmo, Confirmatione, & reliquis fidei, & religionis actionibus, tam ſolemnibus, quam privatis votis, & profeſſionibus.

V. 107. HUMILIATUS SUM, &c. Afflictus, & vexatus ſum valde, occaſione legis ſervandæ, quia *omnes, qui pie vivere volunt, perſecutionem patiuntur*, ut ait Apoſtolus II. Timoth. III. VIVIFICA ME. Ex his malis eripe, & vivum conſerva ut es pollicitus. Vel, vivere me fac pie, & ſancte ſecundum legem tuam.

V. 108. VOLUNTARIA; voluntarias, liberales, & ſpontaneas oblationes meas. ORIS MEI; vel ſenſus eſt; quas ore meo pollicitus ſum me oblaturum; vel, quæ ex ore meo prodeunt, ut ſunt preces, & laudes nominis Domini, quæ vituli labiorum apellantur Oſee XIV. 13. Vel certe per voluntariam oblationem oris, intelligit conſtantem voluntatem iuramento firmatam, divinæ legis ſervandæ. IUDICIA TUA DOCE ME: doce me perfecte ſervare legem tuam.

V. 109. ANIMA MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER. Quam ſerio conſtituerim cuſtodire legem tuam, ex hoc intelligi poteſt, quod quotidie de vita periclitor propter legis tuæ cuſtodiam. Eſſe in manibus aliquid, eſt verſari in periculo: nam quod eſt in manu, eſt expoſitum, & obnoxium externæ direptioni, aut facile in terram devolvi poteſt, & confringi. ET LEGEM TUAM, &c. & nihilominus a legis tuæ obſervatione non patior me divelli.

V. 110. DE MANDATIS TUIS NON ERRAVI: non deflexi a mandatis tuis, ſed illa conſtanter tenui.

V. 111. HEREDITATE ACQUISIVI. Græce ἐκληρονόμησα hereditavi, hereditate poſſedi, accepi in hereditatem, pro hereditate elegi. EXULTATIO CORDIS MEI: iucundiſſima mihi ſunt, & ſuaviſſima.

V. 112. IN AETERNUM PROPTER RETRIBUTIONEM. D. Hieron. vertit, *Propter æternam retributionem*. Textus Hebraicus utramque interpretationem admittit.

V. 113. INIQUOS. In Hebræo eſt סעפים *ſehaphim*: quidam exponunt: *Habentes cogitationes malas & iniquas, infructuoſas*. Alii, *cogitabundos*, aut, *corruptores*. Tales Hæretici & pravi politici.

V. 114. ADIUTOR, ET SUSCEPTOR MEUS: in Hebræo eſt, *latibulum, & ſcutum meum*, qua metaphora docet, ſe ſub tutela Dei abſcondi, & tamquam ſcuto defendi. IN VERBUM TUUM SUPERSPERAVI: in tuis promiſſionibus valde ſperavi.

V. 115. DECLINATE A ME MALIGNI, &c. conſuetudo enim malorum, divinarum rerum meditationem impedit, quæ animum quietum, & pacatum requirit.

V. 116. SUSCIPE ME, &c. adiuva me, confirma, ſuſtenta, ſecundum promiſſum tuum. ET VIVAM, poteſt eſſe optantis; fac vivam; vivam obſecro. NON CONFUNDAS ME, &c. ne patiaris me fruſtratum, excidere ſpe mea, ac propterea erubeſcere.

V. 118. SPREVISTI, in Hebr. eſt, *conculcaſti*, סלית *ſalitha*. INIUSTA COGITATIO EORUM. In Hebræo eſt, *quia falſitas*, vel, *mendacium dolus eorum*; id eſt, quia fallax, & mendax eſt calliditas eorum.

V. 119. PRAEVARICANTES REPUTAVI. In Hebræo eſt סיגים חשבת *ſigim hisbatha*, ſcorias ceſſare feciſti, deleviſti, abraſiſti. Metaphora ab aurifice deſumpta, qui argenti, vel auri ſcoriam abiicit, ut Deus impios. Videntur impii, & politici ſplendere, & aurum eſſe, ſed illorum

ſplen-

ſplendor eſt inanis, & falſus, ut etiam eorum ſapientia, quam non probat Dominus. Porro omnes peccatores ſunt prævaricantes, quia aut legem ſcriptam violant, & prævaricantur; aut certe legem naturalem. IDEO DILEXI TESTIMONIA TUA; ut tam magnum malum effugiam, dilexi legem tuam, & illi adhæſi.

V. 120. CONFIGE TIMORE TUO CARNES MEAS. In Græco eſt, καθήλωσον, clavis timoris tui transfige carnes meas, ne ad ſua deſideria ferantur: ſic faciendum docet Apoſtolus cum ait: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*, Gal. v. 24. A IUDICIIS ENIM TUIS TIMUI; id eſt, quia iam timere cœpi iudicia tua, & pœnas, quas legem tuam violantibus intentas, idcirco cupio clavis huius timoris plane configi: ut in eo perſeverem, & in lege tua, nec ab illa umquam divelli poſſim.

V. 121. FECI IUDICIUM, ET IUSTITIAM, ius ſuum unicuique reddidi. NON TRADAS ME CALUMNIANTIBUS ME, ne permittas me a calumniatoribus iniuſte vexari. Demones ſunt calumniatores noſtri, quos ideo διαβόλους, *Diabolos* appellamus; hoc eſt, calumniatores.

V. 122. SUSCIPE SERVUM TUUM IN BONUM: adiuva me in bonum; id eſt, ut bene mihi ſit, ut bonum aſſequar, vel exequar. In Hebræo eſt, *dirige, & apta ſervum tuum ad bonum*, ut ſcilicet ſemper illi placeat, quod vere bonum eſt. SUPERBI; ſive homines, ſive demones.

V. 123. OCULI MEI DEFECERUNT, &c. Vide dicta ſupra numero 81. & 82. SALUTARE TUUM: ſalutem, quam a te expecto. ELOQUIUM IUSTITIAE TUAE; id eſt, promiſſionem tuam fideliſſimam.

V. 125. DA MIHI INTELLECTUM, &c. fac me intelligere teſtimonia tua.

V. 126. TEMPUS FACIENDI DOMINE; id eſt, tempus eſt Domine, ut facias iudicium adverſus impios, eoſque punias. DISSIPAVERUNT LEGEM TUAM: quia non utcumque in legem tuam peccaverunt, ſed illam penitus diſſipaverunt, & peſſumdederunt.

V. 127. IDEO DILEXI MANDATA TUA, &c. videns alios ſpernentes & diſſipantes legem tuam, magis exarſi zelo, & deſiderio illius cuſtodiendæ. TOPAZION. Vox

Hebraica פז *paz* ſignificare videtur aurum purum, & optimum, ſed per metaphoram crediderim etiam dici de topazio lapide pretioſo aurei coloris.

V. 128. AD OMNIA MANDATA TUA DIRIGEBAR: recte ambulabam in via mandatorum tuorum.

V. 129. MIRABILIA: mirabilis eſt divina lex, quod magna cum brevitate complexa ſit omnia iuſtitiæ principia; omnes enim leges iuſtæ, quæ conſtitutæ ſunt, aut conſtituentur, a lege Decalogi derivantur, & in illa continentur. Mirabilis etiam fuit lex vetus, propter varia myſteria, quæ ſub cortice obſervationum, & cæremoniarum occultabat. SCRUTATA EST; ut illa bene intelligat, & perficiat.

V. 130. DECLARATIO SERMONUM TUORUM ILLUMINAT, ſermones tui ſi explicentur, & declarentur, lumen afferunt rudibus, ut quid credere debeant, ſciant, & quid fugere, aut perſequi. PARVULIS, rudibus, ſimplicibus, ignorantibus.

V. 131. OS MEUM APERUI, ET ATTRAXI SPIRITUM: ingemui, ſuſpiravi, anhelavi, ore hiante aerem attraxi, præ legis tuæ deſiderio.

V. 132. ASPICE IN ME, reſpice me benignus. SECUNDUM IUDICIUM. Vox Hebr. משפט *miſpat*, ſignificat iudicium, morem, conſuetudinem, modum, habitum, &c. ſenſus eſt, Miſerere mei iuxta conſuetudinem, qua uteris erga amicos tuos, qui te diligunt.

V. 133. GRESSUS MEOS. Actiones meas, vitæ meæ rationem.

V. 134. REDIME ME, libera me. UT CUSTODIAM, &c. ut animo tranquillo cuſtodiam mandata tua.

V. 135. FACIEM TUAM ILLUMINA, favorem tuum oſtende.

V. 136. EXITUS AQUARUM, rivos aquarum, copioſiſſimas lacrimas. CUSTODIERUNT, oculi, vel homines.

V. 138. MANDASTI IUSTITIAM TESTIMONIA TUA: iuſſiſti nos ſervare iuſtitiam, & teſtimonia tua, legem tuam, quæ ipſa iuſtitia eſt, & veritas.

V. 139. TABESCERE ME FECIT ZELUS MEUS, &c. Conficior zelo, & indignatione, quod inimici mei tuorum verborum ſint immemores.

V. 140. IGNITUM: igne probatum, &

excoctum, purum ab omni labe, SERVUS TUUS, ego qui ſervus tuus ſum.

V. 141. ADOLESCENTULUS SUM EGO, &c. parvus, & abiectus: non eſt nomen ætatis, ſed conditionis, & ſtatus. IUSTIFICATIONES TUAS NON SUM OBLITUS: licet me homines contemnant, tamen non ſum oblitus præcepta tua.

V. 142. IUSTITIA TUA IUSTITIA IN AETERNUM: iuſtitia immutabilis, & ſemper eadem perſeverans. LEX TUA VERITAS, quia nihil falſi continet: promiſſiones enim eius, & comminationes omnino impleri debent.

V. 143. TRIBULATIO, &c. Quotieſcumque aſflictus ſum & malis vexatus, meditor mandata tua, quæ me conſolantur, & roborant.

V. 144. AEQUITAS TESTIMONIA TUA IN AETERNUM. Idem repetit quod verſiſiculo 138. & verſu 142. dixerat aliis verbis; ſenſus eſt: Præcepta tua ſunt æterna iuſtitia, quia ſemper iuſtiſſima ſunt. INTELLECTUM DA MIHI ET VIVAM. Da mihi legis tuæ intelligentiam ut vivam, nam eius ignoratio impietatem, indeque mortem gignit.

V. 145. IUSTIFICATIONES TUAS REQUIRAM: Si me exaudieris ſtudioſius, & liberius mandata tua cognoſcere quæram, & effecta dare.

V. 146. UT CUSTODIAM MANDATA TUA: ut tuo munere adiutus integre ſervem mandata, & legem tuam.

V. 147. PRAEVENI IN MATURITATE: mature admodum ſtrato me eripui: tempus ſolitum ſurgendi præveni. Hebr. habet בנשף *banneſceph*, *in crepuſculo*. Græcus ἐν ἀωρίᾳ *in immaturitate*, ut etiam legit S. Auguſtinus: ſenſus eſt idem. SUPERSPERAVI, vehementer ſperavi.

V. 148. PRAEVENERUNT OCULI MEI AD TE DILUCULO, &c. In Hebr. eſt: *prævenerunt oculi mei vigilias*; quaſi dicat: Adeo ſtudioſus fui legum tuarum, ut in earum meditatione vigiles excubitores nocturnos prævenerim.

V. 149. SECUNDUM IUICIUM TUUM. Vide dicta n. 132. VIVIFICA ME: eximens me a periculis mortis corporis, & multo magis animæ.

V. 150. APPROPINQUAVERUNT ......, INIQUITATI, iniquitatem diligunt, illi adhærent, illam perſuadere, & applicare aliis conantur, quanto autem propius ad iniquitatem accedunt, tanto longius diſcedunt a lege tua.

V. 151. PROPE ES TU DOMINE; præſto es colentibus legem tuam, illis ades benignus, & ſtrenuus adiutor. Vel ſenſus eſt: Licet qui me perſequuntur, a lege tua longe facti ſint, non tamen a te, qui prope, immo ubique es, ſubducere poterunt. OMNES VIAE TUAE VERITAS: omnes actiones tuæ, omnia conſilia tua iuſta, & fidelia, & ut mihi quod pollicitus es auxilium præbebis, ita illis pœnam, quam meriti ſint.

V. 152. INITIO COGNOVI DE TESTIMONIIS TUIS, &c. ut novi mandata tua æquiſſima eſſe, & iuſtiſſima, ita iam ab initio novi ea eſſe æterna, quodque in æternum fundaveris ea, ut in perpetuum ſerventur ab omni ætate, & ſexu.

V. 153. VIDE, oculis miſericordiæ tuæ. HUMILITATEM MEAM, aſflictum ſtatum rerum mearum. QUIA LEGEM TUAM NON SUM OBLITUS. Licet non perfecte, ut par eſſet legem tuam cuſtodiam, non tamen eam negligo, parvipendo, aut illius obliviſcor.

V. 154. IUDICA IUDICIUM MEUM, &c. inter me, & inimicos meos, cauſam meam age, & libera me. ELOQUIUM TUUM, promiſſionem dictorum fidem. VIVIFICA ME: libera me, ut cum ex hiſce malis emerſero alacrius vivam.

V. 155. LONGE A PECCATORIBUS SALUS, &c. Longe abſunt peccatores a ſalute, quia mandatorum tuorum obſervatio non eſt illis curæ.

V. 156. SECUNDUM IUDICIUM, &c. Vide dicta n. 132. VIVIFICA ME. Vide dicta n. 154.

V. 157. A TESTIMONIIS TUIS, &c. & tamen a teſtimoniis tuis non declinavi.

V. 158. TABESCEBAM. Zelo legis tuæ exardeſcens. Vide ſupra n. 139.

V. 160. PRINCIPIUM VERBORUM TUORUM VERITAS, &c. Principium, in Hebræo eſt ראש *roſc*, & in Græco ἀρχὴ, quæ voces interdum *ſummam* ſignificant, ut cum dicitur Numer. I. 2. λάβετε ἀρχὴν πάσης συναγωγῆς, quod D. Hieronymus vertit: *Tollite ſummam univerſæ congregationis*; ſententia ergo eſt: ſumma verborum tuorum eſt veritas. Veritatem in omnibus ſpectas, & illam tibi pro ſcopo pro-

proponis. Vel ſenſus eſt: Verba tua procedunt a veritate ut a ſuo principio, & quaſi fonte, & ideo veriſſima ſunt, & in æternum manent iudicia iuſtitiæ tuæ.

V. 161. GRATIS, immerito, ſine cauſa. A VERBIS TUIS, &c. verba tua timuit cor meum.

V. 162. SICUT QUI INVENIT SPOLIÀ MULTA, ſicut lætantur qui victoriam adepti, & pretioſis ſpoliis onuſti revertuntur domum.

V. 164. SEPTIES IN DIE, ſæpius in die: nam eſt numerus finitus pro indefinito. SUPER, propter iuſta iudicia tua.

V. 165. PAX, tranquillitas animi, felicitas, proſperitas. NON EST ILLI SCANDALUM, offendiculum. Non impingunt, non cadunt.

V. 166. EXPECTABAM SALUTARE TUUM OMINE. Vide dicta numero 81.

V. 168. OMNES VIAE MAE, &c. omnes actiones meæ tibi ſunt cognitæ, & earum es inſpector.

V. 169. DA MIHI INTELLECTUM, legis tuæ.

V. 170. ELOQUIUM TUUM, promiſſum tuum.

V. 161. ERUCTABUNT, &c. hymnum tibi dicam; laudes tibi canam.

V. 172. PRONUNTIABIT, &c. loquar hominibus, & docebo eos præcepta tua.

V. 173. FIAT MANUS TUA, &c. adſit mihi, & ſalvet me potentia tua. QUIA MANDATA, &c. æquum enim eſt, ut tui, & legis tuæ ſtudioſum ſerves.

V. 174. SALUTARE TUUM, ſalutem, vel Chriſtum ſalvatorem.

V. 175. VIVET ANIMA MEA: cum optatam ſalutem obtinuerit, & manus tua illum iuverit. IUDICIA TUA ADIUVABUNT ME: mandata tua me iuvabunt, ut mihi bene ſit.

V. 176. ERRAVI, &c. a via recta præceptorum tuorum. SICUT OVIS QUAE PERIIT; a grege aberrans. QUAERE, ut reducas. QUIA MANDATA TUA NONSUM OBLITUS. Vide dicta num. 153.

TIRINI.

Eſt hic Pſalmus Alphabeticus: nam ſinguli octonarii, ſeu octoni verſus (quales continet 22. nempe quot ſunt litteræ Hæbræorum) incipiunt ab una eademque littera Hebræa iuxta ordinem Alphabeti Hebraici; verbi gratia, octo primi verſus ab *Aleph:* octo ſequentes a *Beth*, & ſic conſequenter. Cauſa eſt, inquit S. Ambroſius, ut indicetur, quod *lex* divina ſit *Alphabetum* fidelium: cui (addit Hilarius) a prima ætate, cum primis litteris & rudimentis ſtudioſe incumbendum.

V. 1. BEATI IMMACULATI, ſeu puri; Chaldæus, *perfecti*, IN VIA; id eſt, in ſuo vivendi modo, inquit Ianſenius; vel in via legis & virtutis, ut ſanctus Auguſtinus & Genebrardus; vel, ut Theodoretus, in via huius vitæ, qua mox a partu properamus ad mortem.

V. 7. CONFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE CORDIS; id eſt, laudabo te corde recto: eo *quod didicerim* ex te IUDICIA IUSTITIAE TUAE; id eſt, leges tuas iuſtas.

V. 9. IN QUO CORRIGIT. Hebr. & Chald. *purificat*; Symmachus, *illuſtrat*, ADOLESCENTIOR; Chaldæus, *puer*; Hieronymus, *iuvenis*; quaſi dicat: Quid eſt quod puerum, adoleſcentem, iuvenem, alioquin effrænem & indomitum coercet, ducit & dirigit? ita Theodoretus.

V. 10. NE REPELLAS ME. Hebr. Chald. & Hieronymus, *Ne aberrare me facias a lege tua*.

V. 13. PRONUNTIAVI; id eſt, prædicavi: Hieronymus & Chaldæus, *narravi*.

V. 17. RETRIBUE, VIVIFICA. Hieronymus & Chaldæus, *tribue ut vivam*, ſcilicet diu, & liber a malis.

V. 18. REVELA; id eſt, velo deducto aperi, illumina oculos: velo, inquam, ignorantiæ, & carnalium cogitationum; ET CONSIDERABO, ſeu cognoſcam, MIRABILIA myſteria *legis tuæ*. Ergo non tam facilis eſt S. Scriptura (quod tamen iactant hæretici) quin ad eius myſteria percipienda opus ſit lumine & gratia Dei, II. Petri 1. 20.

V. 9. INCOLA. Hieronymus, *advena*;

Chaldæus, *peregrinus*; quaſi dicat: Viam ad cælum neſcio, tu me illam doce.

V. 21. INCREPASTI. Genebrardus, comminatus es pœnas, & præſentes & æternas. Melius, ſevere puniviſti, immo perdidiſti, SUPERBOS contempores legum tuarum.

V. 24. CONSILIUM MEUM IUSTIFICATIONES TUAE; id eſt, leges tuæ ſunt mihi a conſiliis, illas in dubiis conſulo: ita fere Hieronymus & Chaldæus.

V. 25. ADHAESIT PAVIMENTO ANIMA MEA; id eſt, ego pondere ærumnarum humi proſtratus iaceo, morti ac ſepulcro proximus.

V. 26. VIAS MEAS; id eſt, negotia mea omnia, ENUNTIAVI, aperui & permiſi tibi, ſcilicet optans in omnibus a te dirigi.

V. 28. DORMITAVIT, Origenes, Hieronymus & Ambroſius, *ſtillavit* lacrimis, Chaldæus, *in languore fuit*, idque PRAE TAEDIO malorum quibus obruor. Unde CONFIRMA ME, Hebraice, *erige*, excita me, IN VERBIS TUIS; id eſt, ſecundum promiſſa tua: ſic ſequenti.

V. 29. DE LEGE TUA; id eſt, ſecundum legis tuæ promiſſum.

V. 32. DILATASTI COR MEUM; id eſt, cæleſti favore ac gratia tua ex anguſtiis tribulationum quibus arctabar, explicuiſti me, & in latum libertatis ac lætitiæ campum deduxiſti me: ita ſanctus Chyſoſtomus, Dydimus & alii. Simile Pſal. IV. 2.

V. 33. LEGEM PONE. Hieronymus & Symmachus, *oſtende*, Aquila & Theodotion, *illumina me*, Chaldæus, *doce me*, tum exterius per Sacerdotes & Doctores; tum interius per illuminationem & inſpirationem gratiæ tuæ.

V. 36. NON IN AVARITIAM: ſupple, ſinas me inclinari. Neque enim Deus per ſe aut efficienter, ſed tantum per accidens & deficienter dici poteſt inclinare in malum: nempe permittendo, & uberiorem gratiam ſubtrahendo. Quo modo nauclerus ſua abſentia dicitur cauſa naufragii. Vide dicta Geneſ. XLV. Porro avaritiæ meminit præ reliquis vitiis, eo quod nihil æque avellat mentem hominis a cuſtodia legis divinæ, ac ſuperflua cupidita & ſtudium rerum terrenarum.

V. 38. STATUE; ſupple, ſemper ob oculos; IN; id eſt, cum, TIMORE TUO, de quo vide Pſal. CX. 9.

V. 39. AMPUTA: Hieronymus & Chaldæus, amove, aufer, averte probra & convitia hoſtium, quæ SUSPICATUS SUM; id eſt, ſuſpecta habeo; Hieronymus, *reveritus*, ſeu *veritus ſum*; Chaldæus, *timui*.

V. 42. EXPROBRANTIBUS MIHI, quaſi ſim reiectus & derelictus a te, RESPONDEBO VERBUM; id eſt, facile reſponſum dabo, ſcilicet quod numquam fruſtra *ſperarim*, & etiamnum ſperem, IN SERMONIBUS, ſeu promiſſis, TUIS.

V. 43. NE AUFERAS, vel potius, ne permittas auferri, USQUEQUAQUE, id eſt ullo modo; Chaldæus, penitus. Simile ſupra verſ. 36. QUIA IN IUDICIIS, ſeu promiſſis, TUIS SUPERSPERAVI; id eſt, valde & totus ſperavi.

V. 45. IN LATITUDINE. Vide dicta verſ. 32.

V. 49. VERBI; id eſt, promiſſi tui facti mihi per Samuelem & Nathan Prophetas, de regno mihi meiſque poſteris ſtabiliendo, inquit R. Salomon & Theodoretus: allegorice, de Chriſto ex me naſcituro, Arnobius.

V. 52. IUDICIORUM TUORUM, quibus Abraham, Loth, Moyſen, omneſque pios ab impiis ſemper liberaſti.

V. 53. DEFECTIO; id eſt, animi deliquium, ex triſtitia & zelo, cum videam ab impiis legem tuam negligi. Theodoretus.

V. 54. CANTABILES. Hieronymus, *carmina*. Chaldæus, *hymni*; quaſi dicat: Sicut peregrinantes laboris & viæ tædia leniunt canendo, ſic & ego cantando præcepta tua ſublevo moleſtias exilii mei.

V. 56. HAEC FACTA EST. Hebraiſmus, pro *hoc* (nempe, quod cantillem præcepta tua, & etiam noctu atque in ſomnis illa revolvam) *factum eſt*, ſeu *evenit mihi* ex eo, quod legem tuam tam ardenter amem & exquiram.

V. 57. PORTIO: ſupple, hereditaria, & theſaurus omnis meus in hac vita. Simile infra verſ. 3.

V. 59. COGITAVI. Hieronymus, *recogitavi*, expendi, quæ & quales eſſent viæ quas hucuſque ambulavi.

V. 61. FUNES; id eſt, inſidiæ, retia, remoræ hoſtium; Chaldæus, *cohors impiorum*: allegorice, demonum, inquit S. Auguſtinus & Theodoretus.

V. 63.

Digitized by Google

V. 63. PARTICEPS, Chaldæus, *ſocius*; Symmachus, *coniunctus*, & ita particeps meritorum, & communionis Sanctorum: nam omnia membra unius eiuſdemque corporis participant de bono ſingulorum.

V. 65. BONITATEM FECISTI. Hieronymus, *bene*, ſeu benigne, *feciſti mihi*. Hinc *doce me* quoque erga alios.

V. 66. BONITATEM; id eſt, benignitatem, qua proximis meis propter te benefaciam. Item DISCIPLINAM, id eſt ſapientiam; Chaldæus, *congruam rationem*; Vatablus, *bene iudicandi facultatem*. Hebræus, *bonum guſtum*: nempe quo diiudicem dulce ab amaro, cæleſtia a terrenis, bona a malis. Denique SCIENTIAM, ſcilicet practicam agendorum, qua ſciam quid & quomodo quovis caſu mihi ſit agendum & canendum. Vide ſanctum Auguſtinum & Theodoretum.

V. 70. COAGULATUM; id eſt, condenſatum & induratum, ſcilicet odio in me; Vatablus & Euthymius, *caſeatum*; Chaldæus & Hieronymus, *incraſſatum eſt velut adeps*; id eſt, pingues ſunt, delitiis vacant, obtuſo ſunt corde ad intelligendum ſacra & divina; meæ vero delitiæ ſunt lex tua.

V. 79. CONVERTANTUR MIHI TIMENTES TE. Hieronymus & Chaldæus, *revertantur ad me*, qui propter calamitates & miſerias meas aufugerant, vel alienati erant a me, facta iam tranquillitate, redeant ad priſtinum amicum.

V. 81. & 82. IN SALUTARE TUUM; id eſt, præ deſiderio ſalutis a te ſperatæ: allegorice, præ deſiderio Chriſti Salvatoris ex me & pro me naſcituri: Anagogice, vitæ & ſalutis æternæ: ita S. Ambroſius & Auguſtinus. Hinc etiam, DEFECERUNT OCULI MEI. Hieronymus; *conſumpti ſunt*; nempe lacrymis, & dum nimis intente in cælum ſuſpiciunt, & ELOQUIUM, ſeu promiſſum, TUUM expectant.

V. 83. SICUT UTER IN PRUINA, ſcilicet congelatus, induratus, corrugatus, contractus: ſic & ego ærumnis conſtrictus areſco totus, rugeſco & contabeſco.

Tropologice, S. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Theodoretus, Euthymius, ſicut uter dum caleſit mollitur, & pruina obdureſcit: ſic corpus delitiis enervatur; ieiuniis, continentia, mortificatione, adverſitate roboratur.

V. 87. PAULO MINUS CONSUMMAVERUNT ME; id eſt, parum abſuit quin conſumpſerint me.

V. 89. VERBUM TUUM IN CAELO; id eſt, præceptum datum cælis; quaſi dicat: Cæli tuo decreto ſunt firmi & ſtabiles in æternum, ſimiliter TERRA verſu ſeq. & DIES, verſ. 91. id eſt, temporum ſucceſſio & ſeries ordinatiſſima. Et ego quoque verſ. 92. PERIISSEM IN HUMILITATE MEA; id eſt, in afflictione & miſeriis meis, NISI LEX TUA fuiſſet MEDITATIO MEA. Hieronymus & Chaldæus, *delectatio*, *delitiæ meæ*; id eſt, niſi verbum tuum me recrearet & oblectaret, & ſic in vivis conſervaret, ſicut conſervat cælum & terram.

V. 96. OMNIS CONSUMMATIONIS: ſeu rei conſummatæ & perfectæ, ut vertit Symmachus; quaſi dicat: Omnis humana potentia, ſapientia, opes, imperia, finem habent celerrimum, & nihil tam perfectum, quod non aliquando finiatur: ſola lex divina tam lata eſt, ut quaſi immenſa, ſeſe ad omnia temporum & locorum ſpatia extendat, omnibus imperans, omnia gubernans, & obedientem ad cælos, negligentem ad inferos deducens, inquit Arnobius & Theodoretus. Item lata dicitur, quia mentem in tribulatione dilatat; Euthymius. Vide verſu 32.

V. 98. IN AETERNUM MIHI EST: ſupple, in animo reconditum: vel perpetuo ſervandum.

V. 99. SUPER; id eſt, pluſquam, OMNES INTELLEXI, quid agere neceſſum ſit, vel expediat. Idem verſu 100. & verſu 104.

V. 108. VOLUNTARIA ORIS MEI; id eſt, ſpontaneæ *oblationes* (ut vertit Chaldæus) quæ ex ore meo egreſſæ ſunt vovendo, fac *beneplaceant tibi*. Tropologice, ſunt conſilia Evangelica, inquit ſanctus Hieronymus, Hilarius, Theodoretus.

V. 109. ANIMA, id eſt vita, MEA IN MANIBUS MEIS SEMPER. Chaldæus: *Periclitatur quotidie, ac ſi* eam *in ſuperficie manus meæ*, omnium hoſtium direptioni expoſitam geſtarem. Simile Iud. XII. *Poſui animam meam in manibus meis*, & I. Reg. XIX. *Poſuit animam ſuam in manu ſua*, & Iob XIII. *Animam meam porto in manibus meis*.

V. 111. HEREDITATE ACQUISIVI; id eſt, hereditavi, pro hereditaria portione ac-

accepi, & mihi ſelegi non aurum, non gemmas, non palatia, non officia, ſed obſervationem legum tuarum: ita ſanctus Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Theodoretus,

V. 118. INIUSTA. Hieronymus & Chaldæus, *mendax*, ſeu fallax, eſt calliditas & *deceptio* illorum.

V. 119. REPUTAVI PRAEVARICANTES; id eſt, habui eos pro tranſgreſſoribus legis tuæ; id eſt, pro hominibus nihili, quorum vita, utpote noxia Reipublicæ nullius eſt momenti: Hieronymus, Symmachus & Chaldæus: *Reputaſti & abolevisti quaſi ſcoriam*; quaſi dicat: Sicut ſcoria per ignem ab auro & argento ſecernitur, nec tamen igne conſumitur; ita tu Deus impios a piis ſecernes, ureſque igne æterno, nec tamen exures; ut eſſe deſinant.

V. 120. TIMORE TUO: de quo Pſal. cx. 10. ſeu timore tui, quaſi clavo, CONFIGE concupiſcentias *carnis meæ*, ut his mortua vivat ſoli Deo: ita ſanctus Ambroſius & Auguſtinus.

V. 126. TEMPUS FACIENDI; id eſt, mihi opitulandi, & hoſtes puniendi: Theodoretus & Euthymius. Græce enim eſt, *Domino*, Hebraice, *Domini*. Allegorice, tempus extremi iudicii.

V. 131. ATTRAXI SPIRITUM, id eſt aerem; Hieronymus, *reſpiravi*, nempe ſicut famelici & laſſi aerem hiante ore captant; ita ego ſummo deſiderio anhelavi ad ſcientiam, intelligentiam & praxim legis tuæ. Hilarius, Theodoretus, Ianſenius, Genebrardus.

V. 132. SECUNDUM IUDICIUM; id eſt, ſecundum legem vel conſuetudinem qua uteris erga amicos tuos.

V. 135. FACIEM TUAM ILLUMINA; id eſt, oſtende te mihi hilarem & benevolum: Pſal. IV. 7.

V. 136. EXITUS; Hieronymus, *rivos*; Chaldæus, *fluenta, aquarum*; id eſt, lacrymarum, profuderunt OCULI MEI, QUIA NON CUSTODIERUNT LEGEM TUAM: nempe in contemplanda & concupiſcenda Berſabee.

V. 138. MANDASTI IUSTITIAM TESTIMONIA TUA; id eſt, præcepiſti iuſtiſſimas & veriſſimas leges tuas omni ſtudio obſervari.

V. 140. IGNITUM; id eſt, quaſi aurum in igne *probatum*, ut vertit Hieronymus; Chaldæus, *purum*. Vide Pſal. II. 7.

V. 141. ADOLESCENTULUS. Hieronymus & Chaldæus, *parvulus*, & abiectus quaſi puer: nam minimus ſum fratrum meorum: Theodoretus.

V. 142. IUSTITIA IN AETERNUM; quaſi dicat: Non mutatur, non excidit, non corrumpitur *iuſtitia* ET LEX, ſeu iuſta lex, TUA, ut ſolent humanæ, ſed æternum durat, & æternam mercedem confert, inquit S. Auguſtinus.

V. 147. PRAEVENI IN MATURITATE; id eſt, mature, ante conſuetum tempus, ſurgendi & orandi; Chaldæus, *in aurora*; Hieronymus, *ſurgebam adhuc in tenebris*: ita ſanctus Auguſtinus, Theodoretus, Euthymius. Sic verſu 62. dixerat, *Media nocte ſurgebam*. Hinc ortum habent hymni Chriſtianorum antelucani & nocturni, de quibus Plinius ad Traianum.

V. 151. PROPE ES; id eſt præſto es, ades omnibus invocantibus opem tuam, & ſervantibus legem tuam. S. Hieronymus & Euthymius.

V. 152. INITIO, id eſt, ab initio ætatis meæ.

V. 154. IUDICA IUDICIUM MEUM; Chal. & Hieronymus, *Age & iudica cauſam meam*, inter me & hoſtes meos. VIVIFICA ME? id eſt, fac vivam lætus & alacer, ſed propter eloquium; id eſt, iuxta promiſſum tuum.

V. 160. PRINCIPIUM, Hebraice, ראש *ros*, id eſt *caput*, ut vetit Hieronymus, ſeu ſummarium; quaſi dicat: A principio uſque ad finem, veriſſima & fideliſſima ſunt omnia *verba* ſeu promiſſa *tua*: Euthymius.

V. 161. PRINCIPES: Saul eiuſque aſſeclæ. GRATIS; id eſt, ſine iuſta cauſa, ſine meo merito aut culpa.

V. 164 SEPTIES IN DIE; id eſt, ſæpiſſime per diem. Unde conſtat, ſeptem Horas Canonicas non inventas aut inſtitutas a Damaſo Papa cum S. Hieronymo & Ambroſio, ut vult Sigebertus: ſed, urgente Davide, in uſu fuiſſe apud Iudæos in templo & ſynagogis: & inde ab Apoſtolis tranſlatas in Eccleſias Chriſtianorum, ut patet ex S. Clemente, Cypriano, Athanaſio, Baſilio & aliis a Bellarmino citatis *a*.

V. 175. VIVET. Chaldæus & Vatablus, *vivat*; quaſi dicat: Fac me valentem, ve-

vegetum, lætum diu vivere, ut diutius laudem te. *Et iudicia tua*, quibus præmia bonis, pœnas improbis decernis, *adiuvent me*.

V. 176. Erravi, ſcilicet a patria mea exul, inquit ſanctus Hieronymus & Euthymius. Vel, ut ſanctus Ambroſius, Auguſtinus, Theodoretus, a via legis tuæ per varia peccata deflexi. Quaere, me per gratiam tuam prævenientem & excitantem, ſine qua nemo reſurgere poteſt a peccatis.

(a) Bellarm. Lib. I. de Bonis. oper. in particulari cap. XIII.

GORDONI.

Titulum, Alleluia, ut ſupra Pſal. cv. Argumentum eſt commendatio divinæ legis; cum exhortatione ad eam ſervandam: utilitatem habet ſingularem, quod lectori proponat, & ingerat ſanctos, ac pios erga Deum affectus. Alphabeticus eſt Pſalmus: nam ſinguli octoni verſus incipiunt a littera alphabeti; ordine, uſque ad ת. Sequentur Pſalmi, qui graduales vocantur, & qui cani ſolebant in aſcenſione graduum tabernaculi; ſicut iſte decantatus putatur in itinere, quando ter in anno veniebant omnes ad tabernaculum. Verſus continet 176. Itaque octo primi verſus in Hebræo incipiunt ab Aleph, & ita deinceps, ב, ג, ד, &c. Ceterum tam eſt facilis Pſalmus, ut perſpecto iam argumento, nihil fere, aut parum ad Paraphraſin videatur addendum.

Verſ. 1. BEati, &c. In hac mortalium via, & vita, qui ita ambulant in lege Domini, ut nullum committant peccatum mortale. Sept. *μακάριοι ἄμωμοι*. Hebr. תמימי דרך *themime darech*, *perfecti viæ*. תם *tham*, *ἄμωμος*. Ceterum totus hic Pſalmus damnat Novatores. Quorſum enim toties repetita exhortatio ad ſervandam legem, ſi impoſſibilis obſervatio eſt. Belle hic ex verſu *3.* habemus non ambulare Novatores in viis Dei (ſed quod ſequitur, Diaboli) cum fateantur ſe ſemper operari iniquitatem. Heb. פעלו *pabbalu*, *operati ſunt*, præteritum pro futuro, vel præſenti.

V. 65. Bonitatem. Hoc eſt, benignitatem, fecisti cum servo tuo, iuxta promiſſiones tuas. Eſt quidem in Heb. טוב *tob*, *bonum*, tamen Septuag. legerunt טוב *tub*, *bonitatem*: habent enim *χρηστότητα* *ſuavitatem*, *bonitatem*.

V. 70. Coagulatum est sicut lac, In Heb. eſt, חלב *cheleb*, *adeps*. Sed Septuaginta legerunt חלב *chalab*, quod eſt *lac*. Verum quidquid legatur, perinde eſt quoad ſenſum.

V. 85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes. Sed Hieronymus vertit: *Foderunt mihi ſuperbi foveas*; ſane quidem כרה radix eſt *fodere*: immo etiam Iob VI. 27. eſt ſodere, & invenire mendacia. Vox autem שיחות *wichoth*, cum puncto in ſiniſtro cornu, quam Hieronymus vertit, foveas, ſignificat, *locutiones*: fodere vero mendaces locutiones, non differt in ſenſu a verſione Septuag. quam Noſter ſequitur, & utraque verſio bona erit, nec una repugnat alteri. Græce, *διηγήσαντό μοι ἀδολεσχίαι*.

V. 112. Inclinavi cor meum propter retributionem. Certe invitis Novatoribus, merces obſervatæ legis, & ſtipendium, eſt vita æterna, ut expreſſe docet lex Evangelica. Præſens textus eſt apud Septuag. *εἰς τὸν αἰῶνα δι' ἀντάμειψιν*, Hieronymus ex Hebræo, propter æternam retributionem. Hebr. לעולם עקב *lebholam bhekkeu*. Pagninus, *in ſæculum*, Paraphraſtes Chald. in *æternum*, *uſque in finem*: alii uſque in calcem, ſeu calcaneum & veſtigium; hoc eſt, præmium, & retributionem, quæ datur in fine, qui ſenſus probaret contra aliquos, fieri aliquando in veteri teſtamento mentionem præmii æterni, & vitæ futuræ, ut obſervat hic Lorinus. Denique quod eſt hic, *iuſtificationes*, Septuaginta habent *δικαιώματα*, Heb. חקיך *chukkecha*, rad. חקק *ſtatuere*.

V. 119. Praevaricantes. Septuaginta, *παραβαίνοντας*. Quærit Auguſtinus hoc loco, & de Civit. Lib. XVI. cap. XXVII. quomodo omnes peccatores ſint prævaricatores, cum Rom. II. aliqui dicantur peccare ſine lege: ſed hoc intellige de lege ſcripta; alioqui omnis peccans eſt prævaricator alicuius legis; ſaltem non ſcriptæ. In Hebr. שוגים *wogim*, *errantes*, *recedentes*, a rad. שוג *wug*, *recedere*; tamen

men Hieronymus vertit, *ſcoriam* a voce שיג *ſig*, mutato puncto.

V. 120. CONFIGE TIMORE TUO CARNES. Hieronymus: *Horripilavit a timore caro*. Septuag. καθήλωσον, *confige*. Hebr. סמר מפחדך בשרי *ſamar mipachdecha beſari*. Pagninus, *Horruit a timore tuo caro mea*. Probabile eſt Septuaginta legiſſe סמר *ſemor*, imperativum Chald. habent enim καθήλωσον.

V. 140. IGNITUM ELOQUIUM. Septuag. πεπυρωμένον. Hebr. צרופה *tſerupha*, probatum, examinatum igne. rad. צרף, *incendere*, purificare, examinare. Fateor Septuaginta non legiſſe *ſerupha*, *ignitum*, ut habet Vulgatus: (quia regula huius octonarii habet tſade צ.) Explicatur tamen hioc, eloquium Dei non ſolum ignitum eſſe, ſed quod explicant Hebræus & Septuaginta, igne etiam probatum: & hoc quoque loco idem ſignificat in Vulgato codice *ignitum*. Quid enim prohibet vocari aliquo modo ignita, quæ ignem ſuſtinuerunt: licet etiam alio ſenſu ignitum vocetur quod ignem continet: ita placuit interpreti.

V. 150. APPROPINQUAVERUNT PERSEQUENTES ME INIQUITATI. Apud Septuaginta, προσήγγισαν οἱ καταδιώκοντές με ἀνομίᾳ. Ambiguum eſt τὸ ἀνομίᾳ, an iniquitate, vel iniquitati. In Hebr. legendum eſt, רדפי *rodephai*, *perſequentes me*; rad. רדף non vero ut nunc eſt רודפי *rodephe*, in regimine, perſecutores, ſcilicet iniquitatis; ſine affixo.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. א BEati etiam ſunt in hac vita, & erunt in altera, qui ſervantes Dei præcepta, devitant veras illas conſcientiæ maculas, quæ ſunt mortalia peccata. Quanta vero bona proveniant cuſtodientibus has Dei leges, & quanto affectu ad hoc ferri debeat homo, declarat Pſalmiſta tum ſuo exemplo, tum enumeratione provenientium inde boonorum; & primo hoc octonario laudat legem a fine, & auctore eius. Multis autem nominibus deſignat legem: nec verſus eſt, in quo non ſit aliqua ex his vocibus, via, lex, teſtimonium (quia teſtatur Dei voluntatem) iuſtificatio (nam iuſtus eam ſervando iuſtificatur adhuc) maodatum, iudicium, iuſtitia, eloquium, ſermo, bonum, verum, veritas: iubet vero *nimis cuſtodiri*; hoc eſt, diligenter.

V. 9. ב *In quo corrigit*, &c. In hoc ſecundo octonario laudat Dei legem ab utilitate eius, ac præſertim commendat eam adoleſcentibus, ut dum viam vitæ ingrediuntur, aſſueſcant ferre iugum Domini. Et ut hoc perſuadeat, proponit hoc ſuo exemplo faciendum; ſuumque amorem erga legem declarat.

V. 17. ג Hic, ubi tertium ponit Propheta octonarium, reſcenſet aliqua impedimenta ſervandi legem, & petit, ut amoveantur. Primum obſtaculum eſt, defectus gratiæ, qua ſcilicet vivit anima. Hanc ſibi retribui petit. Petit porro lumen intellectus, contra tenebras mentis. Petit quoque affectum & appetitum rectum; & non mundanum. Denique quia maledicti ſunt, qui declinant a mandatis tuis, aufer, inquit, a me hoc maledictionis opprobrium.

V. 25. ד *Adhæſit*, &c. In hoc quarto octonario duo præſtat Pſalmiſta: confitetur ſuam infirmitatem, & conatum ſuum oſtendit, quo elegit viam veritatis, ut ex hac confeſſione humili impetret auxilium; quia, inquit, adeſt hic tuus concurſus, & favor, quo dilatas corda in caritate; tunc diligenter ſervavi vias tuas.

V. 33. ה *Legem pone*, &c. Hinc uſque ad verſum 41. eſt repetita petitio luminis, boni deſiderii, gratiæ, & ut removeantur impedimenta: ſic enim firmabitur mihi aditus, iter & exitus, ut ſequar ex imperio huius legis vias tuas.

V. 41. ו *Et veniat*, &c. In hoc ſexto octonario verſus omnes incipiunt per, & quæ vox hoc loco eſt ad ornatum more Hebraico, & fit, quia verſus huius octonarii incipere debent a *Vau*, ut præfatus ſum. Petit vero orans continuo miſericordiam & gratiam, ut ſervet legem: ſic enim explicat effectum huius gratiæ.

V. 49. ז *Memor eſto*, &c. Quæ hoc octonario dicuntur, ſpectant ad retributionem iuſtorum, & obſervantium legem Dei. Et ſicut eſt delectatio ſervantibus hanc legem; ita magnopore, inquit, indolui, videns tranſgreſſores legis. Defectio, ardorem animi deſignat, & velut deliquium, quod inſequitur aliquando.

V. 57.

Digitized by Google

V. 57. ח *Portio mea*, &c. Exhibet hic promptum animum ad legem ſervandam: hanc ſibi eligit portionem; & ſic manet unitus cætus iuſtorum.

V. 65. ט *Bonitatem*, &c. Tria quidem in hoc octonario petuntur, bonitas, diſciplina, & ſcientia: ſed a variis varie explicantur. Recte per bonitatem puto intelligi gratiam, & caritatem: per diſciplinam, intelligo patientiam, cum corripimur a Deo, vexatque tribulatio; ſcientia, lumen eſt rerum agendarum. Et recte iam ſubdit, priuſquam humiliarer, per tribulationem mihi immiſſam, ego deliqui ex ignorantia, quod deeſſent mihi illa tria. Propterea hæc perpendens cœpi cuſtodire eloquium tuum, doctus iter melius.

V. 73. י *Manus tuæ*, &c. Petit in hoc octonario gratiam, & dona ſæpius petita; & cur dona hæc petat, ingeminat rationes varias.

V. 81. כ *Defecit*. Qui totus eſt in cuſtodia legis, præſertim diuturna occupatus; fieri vix poteſt, ut non experiatur pugnam, & multa adverſantia. Pſalmiſta hinc pulſus deſiderio legis, illinc videns certamen; petit in hoc octonario auxilium a Deo, conſcius ſuæ infirmitatis; & ſtatim initio deſiderium explicat his verbis: *Deficit in ſalutare tuum anima mea*: quod eſt, præ deſiderio, & expectatione quaſi languere; & ſubdit, *velut uter*, cum viget frigus, conſtitutus in medio pruinæ: ſic extenuatur, qui amore languet.

V. 89. ל *In æternum Domine*, &c. Docet firmas plane eſſe divinas promiſſiones, & hoc vel maxime incitare ad ſervandam legem divinam; immo verſu ultimo huius octonarii ſic concludit (ut interpretatur Theodoretus) vidi conſummari, & finiri omnia humana: at legem tuam in promiſſionibus eſſe latam, certam & manentem.

V. 97. מ *Quomodo dilexi*, &c. In hoc octonario nihil eſt novi: regreditur ad laudem divinæ legis, atque hoc præſtat allatis ab utilitate & delectatione argumentis.

V. 105. נ *Lucerna*, &c. Promovet cœptum legis enconomium ob magnam naſcentem inde utilitatem, addita ad hoc promiſſione ſervandi legem, quamvis, inquit, dum ſervo legem, anima mea ſit in manibus, hoc eſt, in periculo ſim vitæ.

V. 113. ס *Iniquos*, &c. Profitetur hic Pſalmiſta ſe odiſſe prævaricatores legis, & ſe penitus ab eis diſſentire.

V. 121. ע *Feci iudicium*, &c. Duo petuntur in his octo verſibus; ut liberetur a calumniatoribus, dum currit viam mandatorum Dei; & præterea petit a Deo auxilium. Addit porro tempus eſſe faciendi, & puniendi tranſgreſſores, quia diſſipant legem tuam Domine.

V. 129. פ *Mirabilia teſtimonia*, &c. Repetita laus eſt divinæ legis; & quia mirabilia ſunt mandata tua, aperui os meum, & attraxi ſpiritum (metaphora eſt) ſcientiæ,& pietatis, ut illa intelligam, & ſervem.

V. 137. צ *Iuſtus es Domine*, &c. Laudatur hic lex Dei ab æquitate, & iuſtitia. Zelum porro ſuum egregie Pſaltes demonſtrat.

V. 145. ק *Clamavi*, &c. Quod in hoc octonario maxime elucet, eſt ingens Prophetæ deſiderium erga mandata Dei, idque clamore, & matutinis precibus teſtatur.

V. 150. *Iniquitati* apud Auguſtinum: utraque verſio bona eſt.

V. 153. ר *Vide humilitatem*, &c. Oratio eſt ad removenda impedimenta ſervandæ legis, & frequens petitio miſericordiæ.

V. 161. ש *Principes perſecuti ſunt*, &c. Oſtendit quanta ſit lætitia in cuſtodienda lege Dei, & quid recte fecerit in hac parte, ut alios exemplo provocaret ad legis cuſtodiam.

V. 169. ת *Appropinquet*, &c. Habetur in hoc ultimo octonario velut epilogus Pſalmi, & petitio ſalutis æternæ pro cuſtodientibus hanc legem.

BOSSUET.

Verſ. 1. & 2. BEATI... Cum beati omnes eſſe velimus, ſumma vitæ humanæ eſt intelligere quo fine beata fiat. Inde ergo incipit Pſalmus: altero item verſu ingeminat & inculcat: BEATI QUI SCRUTANTUR... *qui cuſtodiunt*, Hier. IN TOTO CORDE: non otioſe & ſomnolenter, ſed ſtrenue vigilanterque. Comm. Hier.

V. 3. NON ENIM QUI OPERANTUR INIQUITATEM... quaſi diceret: Sunt qui vano quodam affectu magna de Deo eiuſ-

Digitized by Google

que lege cogitantes, ſatis putant ſe eſſe pios, cum interim in gravia peccata prolabantur: ſed illi falſi ſunt, quos coarguit Apoſtolus, quod cum in lege requieſcant & glorientur, per prævaricationem legis Deum inhonorent: Rom. II. 17. & ſeqq.

V. 4. *&* 5. TU MANDASTI... UTINAM DIRIGANTUR... His oſtendit obſervantiam legis & ſumme eſſe neceſſariam & æque difficilem: immo nec poteſtatis humanæ, niſi Deus adiuvet: unde ad vota convertitur. Vide verſ. 20.

V. 6. TUNC NON CONFUNDAR...IN OMNIBUS... non aliqua; ſed omnia obſervanda ſunt; cum, teſte Iacobo, *Qui in uno offendit, factus ſit omnium reus*: Iac. II. 10. 11.

V. 7. IN DIRECTIONE CORDIS: recto corde.

V.8. NON ME DERELINQUA USQUEQUAQUE, ſemper: & ſi ad tempus relinquimur, non tamen uſquequaque ut pereamus. Comm. Hier.

V. 10. NE REPELLAS ME: *ne errare facias*, &c. Hier. ne errare me ſinas, in Scripturis uſitatiſſimum.

V. 13. PRONUNTIAVI: *narravi*, Idem.

V. 15. EXERCEBOR: *meditabor*, Idem.

V. 16. MEDITABOR: *delectabor*, Idem.

V. 18. REVELA OCULOS MEOS: aperi, diſpelle umbras, tolle velamentum quo ſpirituales oculi conteguntur. CONSIDERABO MIRABILIA: ut penitus introſpiciam, non litteram tantum ac velut corticem legis; ſed arcana ſpiritualia: puta in ſabbatis requiem ſempiternam, ſimplicitatem in azymis, in victimis obedientiam, & ubique Chriſtum. *Revela* autem, *& conſiderabo*; ſicut infra verſ. 34. *Da mihi intellectum*, &c. his omnibus docet Dei gratiam eſſe neceſſariam, primum ad intelligendam legem; ut ad diligendam ſequentia demonſtrabunt: unde verſ. 35. *Deduce me in ſemitam mandatorum*... & 36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua*.

V. 19. Incola, *advena*, Hier. peregrinus, ut Iacob & ceteri Patriarchæ, Gen. XLVII. 9. Hebr. XI. 14. INCOLA EGO SUM IN TERRA: terram univerſam habeo pro exilio. NON ABSCONDAS A ME MANDATA TUA: nemo enim niſi peregrinus & ad æterna ſuſpirans cognitione mandatorum Dei eſt dignus: Hil.

V.20. CONCUPIVIT... Quidam ſimpliciter, vehementiſſime deſideravi; quale eſt illud: *Concupierunt concupiſcentiam*: Pſal. CV. 14. ut & illud; vita vives; morte morieris: & Poeta:

> —*Hunc ſine me furere ante furorem*.

Quin ipſe Dominus, *Deſiderio deſideravi*: Luc. XXII. 15. verum aliud eſt deſiderio deſideravi, quod eſt perſecte & plene deſiderantis ac volentis; aliud, concupivi deſiderare, quod eſt optantis quidem, ſed nondum plene volentis; melius ergo: æger animus ac languidus concupiſcit deſiderare cibum, dum concupiſcit non habere faſtidium: Aug. Ambroſius vero, concupiſcimus deſiderare; quod non ſit poteſtatis noſtræ deſiderium, ſed gratiæ Dei.

V 22. AUFER A ME OPPROBRIUM... QUIA TESTIMONIA TUA EXQUISIVI. *Cuſtodivi*, Hier. non ſe poteſtate, non divitiis, nec principum gratia commendari petit: ſed quæ vera laus eſt, executione mandatorum Dei, a quibus colendis nec deſtitit cum omnibus eius pietas probro haberetur, ut ſequens indicat.

V. 23. SEDERUNT PRINCIPES... non illi properanter ac velut in tranſcurſu, maledictis me inceſſabant; ſed deſtinato animo, in familiaribus quibuſcumque colloquiis, atque etiam in conſeſſu publico Pſalm. XLIX. 20.

V. 24. MEDITATIO MEA EST, voluntas mea. CONSILIUM MEUM, conſiliarii mei: *quaſi viri amiciſſimi mei*, Hier. cum aliquid agendum, legem conſulo; eam ubique adhibeo conſiliariam ac vere amicam quæ nuſquam fallat, nuſquam aduletur. IUSTIFICATIONES TUAE: deeſt, Heb.

V. 25. ADHAESIT PAVIMENTO, *pulveri*, Hier. ut Pſal. XLIII. 25. *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter*.

V. 26. VIAS MEAS ENUNTIAVI: peccata confeſſus ſum. DOCE ME IUSTIFICATIONES TUAS: ſic & verſ. 27. & toto Pſal. paſſim doceri petit: non ſono & ſyllabis; iam enim eo modo doctus; ſed infuſo intus ſpiritu ſanctæ dilectionis, quem qui habent vere ſunt docti a Deo: Ioan. VI. 45.

V. 28. DORMITAVIT... *diſtillavit*, Hier. diſluit præ mærore. Hoc tædium Caſſian. Inſtit. X. 4. interpretatur de acediæ ſpiritu, quo æger animus faſtidio rerum ſpiritua-

ritualium in otium ac deſidiam ſolvitur; tum inquietus & vagus ad ſenſum ſolatia defluit; qui ſpiritus ubi primum obrepit, tunc petendum a Domino ut fluxam confirmet fidem & verbo divino inducat illud gaudium, quod præcipit Apoſtolus, Phil. IV. 4.

V. 29. VIAM INIQUITATIS...*mendacii*, Hier. DE LEGE TUA MISERERE ... doce me miſericorditer viam tuam.

V. 30. NON SUM OBLITUS: *proponebam*, Hier. ſupp. mihi.

V. 32. CUCURRI: *curram*, Idem. CUM DILATASTI COR MEUM: infuſo ſpiritu ſanctæ dilectionis ac delectationis.

V. 33. LEGEM PONE: *oſtendes*, Hier. doce. EXQUIRAM...*cuſtodiam eam per veſtigia*, Idem; id eſt, ac calcem, ad finem uſque infra 112.

V. 35. DEDUC ME IN SEMITAM MANDATORUM...iam ergo executio legis a a Dei eſt gratia: ſed ne quis voluntatem exequendæ legis ſibi a ſe eſſe putet, eo quod dixerit; QUIA IPSAM VOLUI, ſubdit:

V. 36. INCLINA COR MEUM IN TESTIMONIA TUA; hoc eſt, tu quo duce volui, deduc me ut perficiam. ET NON IN AVARITIAM. Et hoc tuum eſt, ne a veris ſempiterniſque, ad vana & caduca bona declinemus

V. 37 VANITATEM: res vanas, inutiles.

V. 38. STATUE; *ſuſcita*, Hier. ſuſcita promiſſa tua de me: dilata iam diu fac ut impleantur tandem; ſicut ſcriptum eſt: *Suſcitans verbum ſervi ſui,& conſilium nuntiorum ſuorum complens*; Iſa. XLIV. 26. IN TIMORE TUO; *in timorem tuum*, Hier. ad reverentiam tui ingenerandam animis.

V. 39. AMPUTA, *averte*, Hier. QUOD SUSPICATUS SUM: *quod reveritus ſum*, Hier. quod timui: tolle ſuſpicionem infidelitatis erga Regem aut patriam, quam David vehementiſſime refugiebat, I. Reg. XXIV. 10. IUCUNDA, bona: mihi ſcilicet. Iudiciis tuis delectatus, ab his ſceleribus abhorreo.

V. 43. IN IUDICIIS TUIS SUPERSPERAVI: ſperavi: ſuper iudicia tua; hæc mihi ſpei fulcimenta.

V. 46. REGUM: Saul; Achis Regis Geth; Regis Moab, &c.

V. 48. LEVAVI MANUS MEAS: ex vehementi deſiderio manus admovi ad opus. EXERCEBAR...meditabar: ſupra 15.

V. 50. HAEC; hoc; hæc res: verbum tuum ſcilicet mihi ſolatio fuit: infra LII. ſic verſ. 56.

V. 51. INIQUE AGEBANT... *deridebant me nimis*, Hier.

V. 53. DEFECTIO, *horror*, Hier. PRO PECCATORIBUS, *ab impiis*, Idem. Cum video delinquentes tuaque iudicia contemnentes cohorreſco totus, tantam hominibus ineſſe amentiam, ſtuporem tantum!

V. 54. CANTABILES, *carmina*, Hier cantica: ſuave canendi argumentum.

V. 56. HAEC FACTA... hoc: notus Hebraiſmus ac ſæpe memorandus.

V. 57. LEGEM TUAM, *verbum*, Hier.

V. 60. PARATUS SUM... *Feſtinavi & non neglexi*, Idem.

V. 61. FUNES PECCATORUM ... *impiorum*, Idem. Funes autem ſunt eorum malevola & doloſa conſilia, quibus viri boni ac ſimplices capiuntur.

V. 62. IUSTIFICATIONIS......*iuſtitiæ*, Hier.

V. 65. BONITATEM .... *Benefeciſti*, Idem.

V. 66. BONITATEM .... *bonum ſenſum*, Hebr.

V. 68. BONUS ES TU: ET IN BONITATE TUA........ *bonus es tu, & beneficus*, Hier.

V. 69. MULTIPLICATA EST ...... *ſuperbi dolos conſuerunt adverſum me*, Hebr. EGO AUTEM...... SCRUTABOR..... *ſervabam*, Hier.

V. 70. COAGULATUM EST......*Incraſſatum eſt velut adeps cor eorum*, Idem.

V. 73. PLASMAVERUNT; *firmaverunt*,

V. 75. IN VERITATE TUA HUMILIASTI ME: iuſte afflixiſti.

V. 76. FIAT MISERICORDIA...... *Sit obſecro*, &c. Hier.

V. 77. MEDITATIO, *delectatio*, Idem. ut iam ſæpe; eodem ſenſu: cum quæ diligimus & quibus delectantur, eadem etiam cogitemus.

V. 78. INIQUITATEM FECERUNT..... *contriverunt me*, Idem.

V. 79. CONVERTANTUR: *Revertantur ad me*, Idem.

V. 81. DEFECIT IN SALUTARE TUUM

anima mea. Amor impatiens, ſi diutius potiundi deſideria differantur, ipſa deficit expectatione dum ſperat. Et quidquid eſt deſiderabile, ſi non contingat deſideranti, deficit in illud; & quaſi ipſam deponit animam qui deſiderat. Id ergo deficere eſt, ſad id unumquemque totis ſtudiis migrare, quod diligit. Illud cogitat, illi adhæret, illud perſonat quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectione transfunditur: Amb. *In ſalutare tuum......* Idem Ambroſius: Sanctus ac timens Deum neſcit aliud deſiderare niſi ſalutare Dei, quod eſt Chriſtus Ieſus: illum concupiſcit, illum deſiderat: in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fovet, illi ſe aperit & effundit; & hoc ſolum veretur, ne illum poſſit amittere.

V. 82. Defecerunt oculi mei. Ambroſius: Nonne quando aliquem deſideramus & ſperamus adfore, eo dirigimus oculos unde ſperamus eſſe venturum: ſic teneræ uxor ætatis, de ſpecula litorali, indeſeſſa expectatione coniugis præſtolatur adventum; ut quamcumque navim viderit, illic putet coniugem navigare, metuatque ne videndi gratia dilecti, alius antevertat; nec ipſa poſſit prima dicere: Video te mi marite. Vide reliqua apud Ambroſium, eiuſdem plane ſpiritus: nec tamen potui temperare, quin hæc exſcriberem. Sic affectus eſt, quiſquis cum Paulo diſſolvi cupit & eſſe cum Chriſto: Phil. 1. 23. ſic denique qui ſemel guſtato bono Dei verbo, ut idem Paulus ait, ſibi poſtea relictus, deficit tædio ſui, ac reddi ſibi poſtulat prægustatam ſuaviſſimi amoris dulcedinem. *Oculi mei.....* dicentes..... Quiſquis amat Deum legemque ac veritatem eius, non tantum verbis, ſed etiam toto corpore ac maxime oculis in altum ſublatis ac præ attentione deficientibus, loquitur.

V. 83. In pruina, *in fumario*, Hebr. in camino: factus ſum exſuccus & macilentus. Iustificationes tuas non sum oblitus. Tametſi languidus ac mærens atque a te deſertus ad tempus, tamen tui non obliviſcor; quæ vera eſt caritas etiam deſerenti ac velut fugienti inhærere: exemplo Chriſti derelicti ac dicentis: *Deus, Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti?* Pſal. xxi. 2.

V. 84. Quot sunt dies...... quo uſque diſfers auxilium tuum? En vita mea elabitur; an mortem meam expectas, ut me liberes.

V. 85. Narraverunt...... fabulationes..... Ad ingenium ſuum multa commenti ſunt; nec tamen omnia ſibi iucunda fingentes, æquare potuerunt bona, quæ tua lex revera præſtat: at Hebr. a quo non abludit Hier. *Foderunt mihi foveas; quod non ſecundum legem tuam.* Fabulationes vero, ſive meditationes, ut alibi ſæpe Vulgata vertit, & foveæ, in Hebr. non niſi levi puncto diſtant.

V. 87. Paulominus consummaverunt me....... *conſumpſerunt*, Idem: parum abſuit quin me conſumerent.

V. 89. In aeternum Domine....... legi qua nos Deus dirigit, interſerit eas leges quibus univerſum orbem continet; ut Pſal. xviii. quemadmodum enim cælum ac terra æterna & incommutabili lege tenentur; ita & longe magis fideles oportet obtemperare legi quam Deus tradidit.

V. 90. Veritas, *veracitas*, Hebr. fides, & ita fere.

V. 91. Ordinatione tua........ *iudicio tuo ſtant uſque hodie*, Hier. cælum & terra, de quibus ſupra 89. 90.

V. 92. Nisi quod lex tua meditatio...... *delectatio mea eſt*, Hier. Tunc forte periissem in humilitate mea. *In preſſura mea*, Idem tot: inter calamitates, me & conſtantia & vita ipſa deficeret.

V. 96. Omnis consummationis...... omnis ſtructuræ vidi finem: amplum mandatum tuum nimis. Symm. apud Theodor. id eſt, quæ facta ſunt, omnia finem habent: at mandatum tuum amplum & immortale: Theodor.

V. 97. Quomodo dilexi; *quam dilexi*, Hier.

V. 98. Super inimicos....... prudentem..... doctiorem, prudentiorem: non aſtutia & dolis, ſed mandato tuo in quo omnis ſapientia eſt. In aeternum mihi est: pars hæc mea in æternum.

V. 100. Super senes. Hinc credibile eſt, hæc iuvenem cecinisse. Vide infra 141.

V. 102. Legem posuisti: *illuminaſti me*, Hier. docuiſti.

V. 104. Intellexi: *doctus factus ſum*, Hebr. *V.* 106.

V. 106. Statui; *perſeverabo*, Hier. firmiter præſtabo: ſtabo iurantentis.

V. 108. Voluntaria, voluntarias oblationes, vota.

V. 109. Anima mea in manibus.... maris periculo quotidie obiicior, Hebraiſmus; quaſi vita cuivis ad rapiendum expoſita; idque ultro, ut videtur: quemadmodum Ionathas de ipſo Davide loquitur ad Saulem: *Poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum*: I. Reg. XIX. 5. Et legem tuam..... nec ſic tamen a lege tua ullo metu deterreri me ſino.

V. 111. Hereditate tua..... *hereditas mea, teſtimonia tua*, Hier. ut ſupra 98.

V. 112. Propter retributionem. Hebr. *uſque in finem*: licet iam dixerit in ſæculum, quod eſt vehementer affirmantis: poteſt etiam verti ut Hier. & ut Vulg. *propter retributionem*: propter te ipſum, qui es merces noſtra magna nimis Geneſ. XV. 1. Sic Paulus de Moyſe: *Aſpiciebat enim in remunerationem*: Hebr. XI. 26. quæ vel maxima eſt ipſe Deus; a quo Moyſes mercedis omnis loco petebat, ut faciem ſuam oſtenderet: Exod. XXXIII. 13. vide etiam Pſal. XV. 5. LXXII. 26.

V. 113. Iniquos, *tumultuoſos*, Hier. turbulentos homines odi commena hominum perditorum.

V. 114. Adiutor et susceptor..... *protectio mea & ſcutum meum*, Hier.

V. 115. Declinate a me maligni.... Optat ſecerni a malorum conſortio, ut quietus ac totus legi Dei vacet.

V. 116. Suscipe, *confirma*, Hier.

V. 117. Adiuva me, et salvus ero: certum enim & efficaciſſimum eſt auxilium tuum.

V. 118. Iniusta, *mendax*, Idem: ita fere.

V. 119. Praevaricantes...... *quaſi ſcoriam*, Idem; pro nihilo: Symm. quia ſupra dixerat: ſpreviſti eos Domine: ego quoque pro nihilo habeo. Theodor.

V. 120. Confige: *horruit a timore tuo caro mea*: Hebr.

V. 122. Suscipe servum: *ſponde pro ſervo tuo in bonum*, Hier. tu amicus unus; fidei meæ ſponſor eſto adverſus hominum calumnias. Non calumnientur: *ne calumnientur*, Hier.

V. 126. Tempus faciendi...... tempus ut promiſſa præſtes. Dissipaverunt...... *prævaricati ſunt*, Hier.

V. 127. Topazion, *paz*, Hebr. alii gemmam exponunt, ut Pſal. XVIII. 11. alii aurum puriſſimum vel obryzum.

V. 130. Declaratio..... *oſtium*..... *lucidum*, Hier. improbi ambulant per vias tenebroſas Prov. II. 13. ducti ſcilicet erroribus & cupiditatibus: at vias tuas ineunti ſtatim lux adeſt. Intellectum dat parvulis: vide Pſalm. XVIII. 8. 9. &c. ubi multa huic ſimilia, quæ eumdem Davidem auctorem indicare videntur.

V. 131. Attraxi spiritum; *reſpiravi*, Hier. ſuſpirabam eorum deſiderio.

V. 136. Quia non custodierunt...... homines, ſive inimici mei: infra 139. 158. vide caritatem Davidis adverſum inimicos: contabeſcit ac totus in lacrymas liquitur, peccata eorum dolens.

V. 138. Testimonia...... voluiſti teſtimonia tua ipſam eſſe iuſtitiam: at Hier. *Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua*: hanc ſtricte obſervari iuſſiſti.

V. 140. Ignitum, *probatum*. Hier. quaſi per ignem. Sic Pſal. XI. 7. *argentum igne examinatum* puriſſimum.

V. 141. Adolescentulus...... *parvulus*, Hier. Contemptus: in familia quoque mea pro nihilo habitus: eum ipſe etiam Iſai parens meus iuſſus a Samuele ut repræſentaret liberos, ne me quidem commemoratu dignum putabat aut accenſebat ſuis: *Adhuc*, inquit, *relictus eſt parvulus & paſcit oves*: I. Reg. XVI. 11. Iustificationes tuas non sum oblitus. *Sed præcepta tua non ſum oblitus*: Hier. quaſi diceret: Sum equidem ætate & conditione deſpicabilis: at hinc tantum commendatus, quod leges tuas curem.

V. 147. Praeveni: *præveni diluculum*, Hebr. In maturitate: ἐν ἀωρίᾳ, *nocte intempeſta*, LXX. *in tenebris*, Hier.

V. 148. Praevenerunt...... ad te diluculo: *prævenerunt vigilias*, Hier. evigilavi ad te ante ipſos vigiles, qui cuſtodias obeunt.

V. 150. 151. A lege autem tua longe facti sunt...... prope es...... Illi quidem a te fugiunt, facti refugæ legis: at tu prope es, o Domine præſens ultor ſcilicet.

V. 160.

*V.*160. PRINCIPIUM VERBORUM TUORUM VERITAS: IN AETERNUM ...... a veritate orſus, ſtabilia omnia ac vera exequeris a Deo creatore unde eſt initium, ad Deum protectorem, pactis initis cum Abraham, deinde ad legem; ac denique ad Chriſtum ducimur.

V. 161. PRINCIPES..... A VERBIS TUIS.... non illos, ſed legem tuam timebam.

V. 163. INIQUITATEM ...... *mendacium*, Hier.

V. 166. EXPECTABAM SALUTARE: expectabam a te ſalutem. DILEXI, *feci*, Idem.

V. 169. DA MIHI INTELLECTUM, *doce me*, Hebr.

V. 176. ERRAVI SICUT OVIS ..... *Omnes nos quaſi oves erravimus*: Iſa. LIII. 6. ſed nos bonus ille paſtor humeris reportavit. Luc. XV. 5.

DE CANTICIS GRADUUM.

SEquentes Pſalmi quindecim videntur ad eumdem finem pertinere. Nempe in ſecundi templi dedicatione laudes Domini populum redimentis concinunt: non quod omnes eo tempore ſint ſcripti, quamquam de pleriſque veriſimile, de nonnullis certum videtur; ſed quod alio tempore facti, huic ſolemnitati aptati ſint. Theodor. hic in titulis. Chryſ. in hos Pſal. paſſim. In gradibus templi cantati dicuntur, ut vel ex eo ſitu populus moneretur, eas omnes laudes Deo tribui ob templum reſtitutum. Quindecim porro fuiſſe gradus in templo traditur, ex Ezech. XL. 22. 26. 31. 37. 49.

Spirituali ſenſu cantica graduum ſunt cantica Aſcenſionis noſtræ in Deum per caſtum ſanctumque amorem; quo veluti per gradus creſcimus atque exurgimus, ac in Deum promovemur, ut Aug. paſſim in hos Pſalmos. Sunt ergo, ut idem ait, hæc cantica amantium & quodam ſancto deſiderio flagrantium: in Pſal. CXXVI.

PSAL-

P S A L M U S CXIX. C O N S O L A T O R I U S.

In captivitate calumniis oppreſſi ad patriam ſuſpirant.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

AD Dominum in tribulatione mea clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam a labio mendacii, a lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum.

Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata eſt: habitavi cum tabernaculis Cedar.

Multum peregrina eſt anima mea, cum odientibus pacem.

Ego pacifica loquebar, & illi bellantia.

VERSIO VULGATA.

Canticum graduum.

1. AD Dominum cum tribularer clamavi: & exaudivit me.

2. Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa.

3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis.

5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habi-
tantibus Cedar: 6. multum incola fuit
anima mea.

7. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Canticum graduum vocatur, vel quia canebatur ad modum cantionis, cuius erat initium מעלות, vel quod poſt aſcenſum, id eſt reditum a captivitate, vel quia per quindecim gradus a Levitis canebantur.

V. 3. QUID DETUR TIBI, &c. Hebr. *Quid dabitur tibi*, aut *quid accidet tibi* (o tu qui maledicis) *propter linguam doloſam*; id eſt quem fructum maledicendo conſequere.

V. 4. SAGITTAE POTENTIS, id eſt emiſſæ a viro forti (ſubaudi, eſt lingua tua aut apponentur tibi, convertetur in te maledicentia tua) cum carbonibus iuniperorum (ſimilis eſt) qui ardere dicuntur vehementiſſime. Aut ſagittæ factæ cum carbonibus iuniperorum. Sept. *τοῖς ἄνθραξι τοῖς ἐρημικοῖς* quia רתם verbum Hebraicum ſignificat *ſternere*, *ſolo æquare*.

V. 5. HEI MIHI QUIA INCOLATUS MEUS PROLONGATUS eſt, &c. Hebr. *Hei mihi, quia peregrinus ſum Moeſech, & habito in tabernaculis Cedar*. Moeſech fuit Iaphet filius, Cedar Iſmaelis, unde Arabes. Itaque ſenſus eſt: Non habito inter Iſraelitas, ſed inter Iſmaelitas, & Arabes gentes Barbaras.

V. 6. MULTUM INCOLA FUIT ANIMA MEA. Hebr. *Nimium peregrinata eſt ſibi anima mea*; id eſt, diu exul eſt a patria ſua, requie & naturali lætitia.

SA.

Digitized by Google

SA.

De Dei exauditione in tribulatione.

Verſ. 1. **G**Raduum. Chald. quod dictum eſt ſuper gradibus; quaſi dicat: Quod a Levitis in Feſtis decantabatur ſuper templi gradibus quindecim: tot enim fuiſſe dicuntur. Alii putant dictos ſic, quod contineant in Deum aſcenſiones, & velut gradus quoſdam mentis.

V. 2. Iniquis. Hieron. & Chald. *mendatii.*

V. 3. Ad linguam dolosam; quaſi dicat: Quid poteſt eſſe peius doloſis? vel quid, o doloſe, ex lingua fructus capis; Hieron. & Chald. *a lingua doloſa*; quaſi dicat: Quid poteſt exſpectari a doloſis: ſcilicet, niſi quod ſequitur? vel, quod proxime dixi?

V. 4. Sagittae; pro, velut ſagittæ, ſcilicet ſunt. Potentis, id eſt a potente emiſſæ. Cum carbonibus; quaſi dicat, ignitæ. Desolatoriis, id eſt vaſtantibus. Hieron. *iuniperorum*. Chald. *geniſtarum*.

V. 5. Incolatus. Hieron. *peregrinatio*. Cedar. Regio eſt Arabiæ; ſcilicet, ibi David exulabat.

V. 6. Incola, ſcilicet in ea regione.

V. 7. Loquebar, ſcilicet pacifice. Gratis, id eſt ſine cauſa.

ESTII.

Verſ. 3. & 4. **Q**uid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguan dolosam? Auguſt. exponit hoc modo: Quid dari poſſit, aut apponi, quo te munias adverſus linguam doloſam? quaſi dicat: Lingua doloſa eſt malum immedicabile, & inevitabile, & ſicut dicit Iacobus Apoſtolus, cap. III. *Linguam hominum nullus domare poteſt*. Huic ſatis convenit, quod ſequitur: Sagittae potentis acutae cum carbonibus dosolatoriis, ut intelligatur linguam etiam eſſe aliquid tale: videlicet, ſicut ſagittæ acutæ ab homine potente & robuſto emiſſæ vitari non poſſunt, & ſicut carbones incendio omnia vaſtant, ita mala lingua omnia penetret, omnia vaſtet, & vitari non poſſit.

Poteſt & hic eſſe ſenſus: *Quid detur aut quid apponatur tibi?* id eſt, quod gravius malum dari aut apponi poſſet homini, quam lingua doloſa? Ita enim ſubinde loquitur Scriptura: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*. Ex Hebræo offertur & alius ſenſus: ita enim legitur ad verbum: *Quid detur tibi, & quid apponatur tibi lingua doloſa?* Ubi ſi, *lingua doloſa*, eſt nominativus, ſermo eſt ad impium doloſe loquentem; ac ſi dicat: O impie, quid dabit tibi aut apponet tibi lingua doloſa; id eſt, quem fructum expectas ex calumniis & dolis, quibus me impetis? Si eſt vocativus, ſubaudiendum aliquid erit, hoc aut ſimili ſenſu. O lingua doloſa, quid det tibi Deus, aut apponat? id eſt, quo ſupplicio te iuſte & pro merito tuo puniat?

V. 6. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis. Dicit Apoſtolus Rom. XII. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Quod ergo hic dicitur: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*, intelligendum, quantum ex parte Davidis erat. Alioqui conſtat Davidem bella cum multis geſſiſſe, ſed ſcilicet, quorum ipſi hoſtes ſibi erant auctores. Heb. alia eſt diſtinctio, ſed ſenſus fere eodem recidit, ſic enim habet: *Multum peregrina fuit anima mea cum odientibus pacem*. Deinde ſequitur: *Ego pacem, & cum loquebar, ipſi ad bellum*; ut ſenſus ſit iſte: Ego ſtudebam paci, & loquor cum illis pacifice, ſed illi ſtatim inſurgebant ad movendum mihi bellum.

MARIANAE.

Verſ. 1. **C**Anticum graduum. Quindecim Pſalmi ſequuntur *graduum* dicti in titulis omnibus, ſive quod in totidem gradibus canebantur, quibus in templum aſcendebatur, ſinguli in ſingulis gradibus. Rabbi Sahadias ab elevatione vocis dictos ait, quaſi voce contenta cani ſolitos. Quidam ab aſcenſu e captivitate dictos putant, quod de ea liberatione, & in gratiarum actionem cane-

Digitized by Google

canerentur; quod probabilius puto. Vox Hebr. *mahaleth* poſita in titulo & *gradus* & *aſcenſiones* ſignificat. Pſalmi hi pleni affectibus ſunt. CUM TRIBULARER. Vox Heb. צרתה *zarathah* ſignificat *afflictionem vehementem*. Ergo cum valde afflictus eſſem, clamavi.

V. 2. A LABIIS INIQUIS. Hebr. *a labio mendacii*; id eſt, calumnia, convitio libera me.

V. 3. QUID DETUR TIBI; id eſt, quem fructum capies ex iis fraudibus, o calumniator? AD LINGUAM DOLOSAM? id eſt, *a lingua doloſa*: ſic Hieronymus; nempe, *ob linguam doloſam*. Hebr. verti etiam poſſunt in vocativo, o lingua doloſa. Apoſtrophe ad linguam ipſam, Quid id tibi proderit?

V. 4. SAGITTAE POTENTIS ACUTAE: robuſti, magna vi contortæ: ſic cruciatus vocat, qui manent linguam doloſam. CUM CARBONIBUS DESOLATORIIS, id eſt vehementer accenſis. Hebr. *cum carbonibus rethamim*, id eſt *ex arbuſto factis*. Græce, ἐρημικοῖς; id eſt, *qui ſiunt in eremo*, ex iis ſcilicet arbuſtis. Hieronymus, *cum carbonibus iuniperorum*, qui valide concipiunt ignem, & eum magis conſervant. Ego dicerem, *geniſtarum*, propter vocem *rethamim*, unde Hiſpanis *retama*: ſic D. Kimhi lingua Italica *geniſtam* vocari ait, & *carbones* ex ea eſſe vehementer calidos; ſcilicet, ex radice geniſtæ.

V. 5. HEU MIHI, QUIA INCOLATUS MEUS. Hebr. *hei mihi*, *peregrinatus ſum*. PROLONGATUS EST. Hebr. *in protractione*; id eſt, exilio diuturno vivo. Plerique vertunt (in) *Meſech*, id eſt, *Cappadocia*. CUM HABITANTIBUS. Hebr. *cum tentoriis Cedar*. Hi erant Nomades, qui in tentoriis vivebant. Significat ergo ſe inter gentes feras diu toleraſſe exilium.

V. 6. MULTUM INCOLA FUIT ANIMA MEA. Hebr. *multum*; id eſt, diu *habitavit anima mea*. Quod Hebr. iungunt cum equentibus.

V. 7. CUM IIS QUI ODERUNT PACEM, cum iis habitavi feris hominibus. ERAM PACIFICUS. Hebr. *ego pax*, id eſt vir pacis. CUM LOQUEBAR ILLIS. Hebr. *& cum loquebar*, ſcilicet pacem. IMPUGNABANT ME GRATIS, id eſt ſine cauſa. Hebr. *ipſi ad bellum*: ſcilicet, loquebantur bellum. Vox *gratis* eſt addita a Septuaginta.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Heb. *Canticum* המעלות *hammaghaloth*: hæc inſcriptio præfigitur huic, & quatuordecim Pſalmis ſequentibus, in quibus voci *maghaloth* ſemper præponitur He, notificativum, niſi Pſalmo ſequenti, CXX. ubi præfigitur Lamed cum Patah, loco He, quod fere idem eſt. Porro *maghaloth*, ſignificat, *Aſcenſus*, *aſcenſiones*, *gradus*, *excellentias*, *excelſitates*, *dignitates*. Iam varie titulum hunc explanant: I. *Canticum graduum*, quod variis & diſtinctis gradibus tonorum & modulorum decantarentur hi Pſalmi. II. *Canticum Aſcenſionum*, quod elatiſſima & intentiſſima voce canerentur. III. *Canticum maghaloth*, quod canerentur ad numeros, & modulos vulgaris cuiuſdam carminis, quod *maghaloth* diceretur, vel cuius initium eſſet, *maghaloth*. IV. *Canticum Aſcenſionum*, quod prophetice ſcripti eſſent a Davide pro Aſcenſionibus ſeu reverſionibus ab exiliis populi Dei, ac præſertim Babylonico: ac ſane eorum materia ſatis cum hoc inſtituto congruit. V. *Canticum excellentiarum*, ſeu *dignitatum*, id eſt *Canticum excellentiſſimum*. Sic hæc vox capitur I. Paralipomen. XVII. 17. Sed ego non ſatis capio quid ceteris excellentius ii Pſalmi contineant, ut hoc ſingulari elogio deberent ornari. Alias interpretationes minus probabiles apud Explanatores reperies. Fortaſſe dicti ſunt, *Canticum graduum*, vel *ſuggeſtorum*, quod in ſuggeſtis Levitarum canerentur. Vide Nehemiæ IX. 4. ſed ſunt omnia incerta. AD DOMINUM CUM TRIBULARER, CLAMAVI. Obſervant, narrare hoc Pſalmo Davidem, quomodo conflictans cum graviſſimis difficultatibus in exilio ſuo Deum inclamaverit, & fuerit exauditus; ex quo apparet Pſalmum hunc a Davide iam evecto ad regnum conſcriptum eſſe.

V. 2. A LABIIS INIQUIS. Hebr. *A labio falſitatis*, ſeu *falſo*, *mendace*; id eſt, a ſermonibus improborum, Davidem apud Regem Saulem traducentium, ut ipſe cum Saule expoſtulat, I. Samuel. XXIV. 10. & XXVI. 19.

V. 3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Hebr. *Quid dabit tibi & quid adiiciet tibi lingua doloſa?* Volunt eſſe apoſtrophem ad ſycophantam; id eſt, quid proderit tibi? quem fructum, quodve emolumentum tibi refert lingua tua fraudulenta? quaſi dicat: Tu nocere potes, nihil tamen lucri ad te redit. Alii apoſtrophen eſſe malunt ad pium, notantque verbum יסף *iaſaph*, in Hiphil, ut hic ponitur, quando conſtruitur cum dativo, ut hic, in malum accipi, pro *adiicere*, ſeu *inferre malum*, ſeu *damnum*: unde exponunt: *Quid addet tibi* mali *lingua doloſa?* & reſpondeat ſequente verſu: quare quidam reddunt: *Quantum putas nocet tibi*, o pie, *lingua fraudulenta? Profecto quantum ullæ ſagittæ*, &c.

V. 4. Sagittae potentis acutae, cum carbonibus desolatoriis. Varie ex Hebr. convertunt: I. Eſt ſcilicet lingua doloſa velut *ſagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum*; id eſt, velut ſagittæ emiſſæ a viro potente validiſſimis lacertis: & ut carbones iuniperorum vehementiſſime perurentes, & diutiſſime. II. *Profecto* nocet *quantum ullæ ſagittæ, quas iaculatur fortiſſimus quiſque vir arcu, eaſque acutas, quarum acies inter volandum tantum concipiet ardoris, quantum habere ſolent carbones iuniperorum*. III. *Pariter ſagittis acutis, quas vir fortis intorquet, & carbonibus iuniperorum ſimilis eſt*. IV. *Verba ſimilia ſagittis robuſtis, acutis, comparanda prunis iuniperorum*; id eſt, verba maxime lætalia, & præſentiſſimam mortem afferentia, adeoque obvium quidquid eſt, conflagrantia: comparanda prunis iuniperorum, quæ dicuntur eſſe ardentiſſimæ & vivaciſſimæ. Sed quid ſi ad ſimilitudinem doli accommodes? quaſi dicat: Odora ſunt in ſpeciem verba tua, prout eſt odora iuniperus: ſed non eo minus urunt, quin potius eo magis fallunt imprudentem. Cum carbonibus iuniperorum. S. Hieronymus Epiſt. cxxviii. ad Fabiolam, Manſione 15. *Ferunt autem lignum hoc ignem multo tempore conſervare, ita ut ſi prunæ ex eius cinere fuerint opertæ, uſque ad annum perveniant*. Eadem habet S. Iſidorus Lib. XVII. Originum cap. vii. Irriſit iſtud Scaliger Exercitatione 328. in Cardanum.

V. 5. Heu mihi; quia incolatus meus. Hebr. *Heu mihi, quia peregrinatus ſum*. Expoſtulatio de ingrata habitatione quod extra regionem promiſſam habitare cogeretur, hoc verſu: & de intolerantia eorum, ad quos ſe recipiebat, ſive in Chenahanæa, ſive in regionibus exteris; duobus ſequentibus. Alii reddunt: *Heu mihi, quod verſor, converſor, commoror*. Prolongatus est. Heb. משך *meſech*, plerique pro appellativo capiunt. *Heu mihi, quia peregrinor, peregrinatione protractionis*: ſeu *tam diu*, id eſt tam longo & continente exilio: vel *peregrinor tractim, prorogatim*. Alii pro proprio: *Hei mihi quod verſor in*, vel *inter Meſchech*; id eſt, apud Cappadoces, Ponticos, vel Moſchovitas: vide in Geneſ. x. 2. non quod Davidem revera umquam peregrinatus fuerit apud Cappadoces, aut Moſchovitas; ſed quod eam appellationem Metonymice transfert ad ſuum populum, vel ad eum, apud quem tum exul agebat, qui ob feritatem & inhumanitatem, ipſi, & Eccleſiæ Dei, non minus infeſtus eſſet quam illi ſeptemtrionales Scythæ; quaſi dicat: Inter hoc hominum genus ita verſor, ac ſi inter Moſchovitas, Scythaſque verſarer, immo vagarer incertis ſedibus. Vide hunc locum accurate a nobis expoſitum Lib. VI. de Antichriſto, cap. xxi. ſic mox de Kedarenis. Habitavi cum habitantibus Cedar. Heb. *Scenitavi cum tentoriis Kedar*. Quidam: *Habito cum tentoriis Kedar*: hypallage, pro, *tamquam Scenitæ Kedareni*; id eſt, indeſinenter vagari & errare cogor, ut incolæ Arabiæ Deſertæ & Petreæ faciunt. Sic autem accipere propoſitionem placuit, cum quia nuſquam legitur David in tantis, tam frequentibus, & vaiis errationibus, ad regiones illas Kedarenorum profugiſſe; tum quia ſic accipitur aliis locis, ut Iob xxxi. 31. Pſal. cxlii. 7. & alibi. Porro Kedareni dicti ſunt Arabes Scenitæ, a Kedar Iſmahelis filio, cuius ſit mentio Geneſ. xxv. 13. Vide notas in eum locum. Alii exponunt, Cum hominibus populi mei verſari cogor, ac ſi cum Kedarenis barbaris ac feris hominibus, alienis a populo Dei, immanibus ac truculentis latronibus, & incurſoribus habitarem: ſic in me ſunt feri & inhumani. Sic translative ſumuntur hic Kedareni, ut paulo ante Moſchovitæ.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. MULTUM INCOLA FUIT ANIMA MEA. CUM HIS QUI ODERUNT PACEM. Diverſimode ex Hebr. reddunt: I. *Multa habitatio fuit ipſi animæ meæ, cum oſore pacis;* id eſt, multæ ac variæ peregrinationes fuerunt mihi apud hoſtes Eccleſiæ, & pacis, ut apud Philiſthæos, Moabitas, Keilanos, Ziphæos. II. Hei mihi, quod *tamdiu habitet ſibi anima mea cum odio habente pacem.* III. *Longa videtur animæ meæ mora, qua invitus detineor inter eos, qui pacis ſunt oſores.* IV. *Faſtidio ad animam meam habitatio inter pacis oſores.* V. *Diu anima mea degit cum odientibus pacem.* VI. *Plurimum habitaſſe videtur ſibi anima mea apud oſorem pacis*, id eſt homines infenſos mihi: enallage numeri. Aliqui, רבת *rabbath*, quod Noſter dixit, *multum*; nomen proprium inſignis urbis Hammonitarum, ſacris litteris celebratæ accipiunt: de qua vide Notas in Deuteronom. III. II. in qua ſe peregrinatum dicit David, ut ſuperiore verſu, apud Moſchoviras, & Kedarenos.

V. 7. ERAM PACIFICUS; CUM LOQUEBAR ILLIS, IMPUGNABANT ME GRATIS. Nos Heb. ex verbo dedimus (*Ego pax & quia loquar: ii ceſſioni.*) Alii varie: I. *Ego fui pax*: iungunt ſuperioribus, *cum oſore pacis, ego fui pax*; id eſt, potui Saulem hoſtem meum interficere, & nolui, ſed ei peperci: *& quando loquar* obſequio, *ipſi bello* ſe accingent; id eſt, cum Sauli benevole loquerer, ipſe magis in me accendebatur. Vide I. Samuel. XVIII. II. *Ego vir pacis: & cum loquor, ipſi commoventur ad bellum.* III. *Ego enim cum pacem meditor, iſti bellum adornant.* IV. *Mihi nihil magis cordi erat quam pax; ad quam ſi hortabar eos, non ſolum non amplectebantur eam, ſed bellum potius inferre conabantur.* V. *Ego vir pacis ſum, & cum loquor de pace, ipſi ad bellum incitantur.* VI. *Nam ſtudeo paci; ſed cum loquor, ipſi ad bellum parati ſunt.* VII. *Ego pacem diligo: at cum loquor, ipſi ad bellum conclamant.* Hebræa ipſa maiorem vim habent: *Ego pax*; quaſi dicat: Ne dum totus pacificus eram, ſed eram ipſa pax. Vel *Ego pacis ſum*; id eſt, nihil meditor, nihil ſpiro, nihil tracto, niſi pacem; totus ſum pacis, totus in hoc ſum, ut pacem colam: *& cum loquor* quæ pacis ſunt, vel de pace, *ipſi bella*, intenti ſunt, vel ad bellum ſpirant.

MENOCHII.

Verſ. I. CANTICUM GRADUUM. In Græco eſt, ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν. Aquila, & Symmachus verterunt, ᾠδὴ εἰς τὰς ἀναβάσεις *canticum ad aſcenſiones*, Theodotio, ᾆσμα τῶν ἀναβάσεων, *canticum aſcenſionum*, in Hebr. eſt שיר המעלות *ſcir hamahaloth, canticum graduum.* Hæc de vocibus. Rem alii aliter explicant. Aliqui putant ita appellari hos quindecim Pſalmos, qui ſequuntur, quod a Levitis canerentur cum ab atrio mulierum ad atrium virorum aſcenderent, quæ atria cum eſſent in monte, fiebat ut illarum atrium quindecim gradibus eſſet humilius. Alii canticum graduum dictum putant, quaſi aſcenſionum, quod clara voce dicerentur, & per ſingulos, quaſi gradus una vox attolleretur. Vide quæ notavimus II. Par. XXVIII. 19. Alii putant ἀνάβασιν, *Aſcenſionem*, de reditu ex captivitate intelligendam, hoſque Pſalmos compoſitos eſſe ut eo tempore canerentur. Alii ita inſcriptos putant, quod hi potiſſimum canerentur ab iis, qui ter in anno ex omnibus Iudææ partibus aſcendebant ad templum. Vide dicta initio ſuperioris Pſal. CXVIII. Alii quod de edito aliquo loco canerentur in templo, tamquam in ambone, & aſcenſu ſuggeſti, de quo dicitur II. Eſdræ IX. 4. *Surrexerunt autem ſuper gradum Levitarum Ioſue*, &c. Alii tandem quod canerentur in aſcenſione quindecim templi graduum. Fuiſſe autem quindecim gradus templi diſcimus ex cap. XL. Ezechielis, ubi prius ſeptem gradus in portis ſingulis numerantur, tum octo, qui ſimul iuncti, quindecim efficiunt.

V. 2. A LABIIS INIQUIS: in Hebr. eſt, *mendacibus*, a labiis mendacia iniuſte & in perniciem innocentis impingentibus.

V. 3. QUID DETUR TIBI, &c. in Hebræo eſt: *Quid dabitur tibi, & quid addet tibi lingua doloſa;* quem fructum, quod emolumentum capies ex lingua doloſa? Vel ſenſus eſt, quid mali dari, aut addi poſſit ſupra linguam doloſam?

V. 4. SAGITTAE POTENTIS, &c. Reſpondet præcedenti interrogationi; ſententia eſt: Duriſſimæ plagæ, graviſſimæ pœnæ, & incendia pernicioſiſſima tibi dabuntur, & apponentur. Has porro pœnas

per metaphoram ſagittas vocat a potenti Dei brachio emiſſas: ſic Pſal. XLIV. 6. dicitur, *Sagittæ tuæ acutæ*, &c. Vel ſenſus eſt, linguam doloſam ſimilem eſſe ſagittis eminus etiam, & graviter ſerientibus. CUM CARBONIBUS DESOLATORIIS. IN Hebræo eſt, *cum carbonibus iuniperorum*, ut vertit S. Hieronym. hoc enim ſignificat vox רתמים *retbamim*, ſed Septuaginta explicaverunt metaphoram; carbones enim iunipetorum ſunt admodum ſolidi, ideoque apti ad incendendum, vaſtandum & deſolandum; ſententia ergo eſt: vel linguam doloſam manere graves pœnas, & incendia ex carbonibus vehementer urentibus, & omnia populantibus, & abſumentibus, vel talem eſſe linguam doloſam, ut cum huiuſmodi carbonibus, qui acriter urunt, & etiam tingunt, conferri poſſit. DESOLATORIIS. Septuaginta Græce dixerunt ἐρημικοῖς quod etiam vertere poſſis, ex eremo; id eſt, qui conficiuntur ex arboribus creſcentibus in deſertis, & eremis, qui ob denſitatem partium, incendium acriter concipiunt.

V. 5. INCOLATUS MEUS, peregrinatio, exilium. Videtur eſſe ſermo de captivitate fidelium, & exilio ſub infidelibus. Alii de hac vita mortali, in qua dum agimus, peregrinamur a Domino. PROLONGATUS EST: diuturnum factum eſt exilium meum. CUM HABITANTIBUS CEDAR: cum Cedarenis, ſive Saracenis. Nam Cedareni ſunt Arabiæ populus, a Cedar uno ex filiis Iſmael, quos poſterior ætas Saracenos appellavit. Habitavi cum barbaris captivus, vel exul. Quia vero Cedar nigredinem, obſcuritatem, & tenebras ſonat, ſenſus ſublimior eſſe poteſt: Hei mihi, qui habito eum hominibus verſantibus in tenebris errorum, peccatorum, miſeriarum, &c. MULTUM INCOLA FUIT ANIMA MEA; ſcilicet, cum habitantibus Cedar.

V. 6. IMPUGNABANT ME GRATIS: mihi ſine cauſa adverſabantur: cum illos non provocaſſem, nec ulla in re violaſſem.

TIRINI.

NOtandum XV. ſequentes Pſalmos inſcribi, CANTICA GRADUUM, vel *aſcenſionum*, ut vertit Aquila, Symmachus & Theodotion, eo quod a Levitis in feſtis canerentur in XV. gradibus templi, ut vult Chaldæus: vel ſaltem in templi dedicatione per Salomonem, ut vult Salianus *a*, vel quod elatiore voce canerentur, ut ait R. Sahadias: vel potius, quia ſunt precationes & conſolationes eorum qui ex captivitate vel exilio reduces aſcendebant in Iudæam & templum, inquit Theodotetus, Euthymius & Mariana. Tropologice, ſunt gradus quibus aſcenditur ad perfectionem & ad Deum, inquit S. Auguſtinus: quos hic XV. enumerat Genebtardus. Anagogice, aſcenſus & ſuſpiria ab hoc exilio ad patriam cæleſtem, S. Hietonymus & Euthymius.

V. 3. QUID DETUR TIBI, o maledice? quaſi dicat: Quem fructum, quod emolumentum capies ex *lingua tua* fallaci? ſane non aliud quam *acutas ſagittas potentis*; id eſt acres pœnas & ultiones Dei: & *carbones deſolatorios*, ſeu omnia tua deſolantes, id eſt incendia tibi pernicioſiſſima, maxime in inferno. Notatur, inquit Theodoretus, in *ſagittis* celeritas pœnæ, in *carbonibus* ſeu prunis acerbitas. Septuaginta legunt, carbonibus ἐρημικοῖς, id eſt arborum eremi ſeu deſerti: & maxime *iuniperi*, ut vertit Hieronymus, & radicum *geniſtæ*, ut Chaldæus. Iſti enim carbones ob denſitatem materiæ, incendium acriter concipiunt, fortius urunt, & diutius fovent, inquit Plinius & Theophraſtus.

V. 5. INCOLATUS, id eſt exilium meum, PROLONGATUS inter *Cedarenos*, id eſt Arabes, ſic dictos a CEDAR filio *Iſmaelis*, Gen. XXV. 13. Allegorice, Eccleſia Chriſti iam a mille annis premitur a Mahomete Arabe; Anagogice, ex longis ærumnis huius vitæ ſuſpiramus ad patriam cæleſtem, inquit S. Hieronymus, Auguſtinus, Euthymius.

(a) S liam ad annum 11. Salomonis in Annal.

GORDONI.

Titulus, Canticum graduum. Hic titulus eſt communis Pſalmis quidecim, qui ſequuntur: & vocantur graduales. Sunt vero Cantica aſcenſionum *ἀναβαθμῶν*. Heb. המעלות *bammabbaloth*. Scripti putantur, ut canerentur ab aſcendentibus per quindecim gradus Templi Salomonis, aut in reditu a captivitate, ut alii volunt: & quicquid de hoc ſit, ſunt Pſalmi proprii animæ aſcendentis per affectum ad Deum, ex hac mortali peregrinatione.

Verſ. 1. AD Dominum. Argumentum huius Pſalmi habet clamorem populi, vel Davidis ad Deum, ut liberetur a vexatione exilii, perſecutionis, aut alia ſimili calamitate.

V. 3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam. Petiit verſ. 2. liberari a lingua doloſa, quia tale, inquit, malum eſt, ut fere nihil ei poſſit addi. Septuaginta, *τί δοθείη σοι, καὶ τί προστεθείη σοι, πρὸς γλῶσσαν δολίαν*. Ita paſſive rem proponunt hi duo codices: Immo & Hebraicum verbum נתן *natan*, *dedit*, poteſt etiam paſſive accipi, ut legas יֻתַּן *iuttan*, & non יִתֵּן *itten*.

V. 4. Sagittae. Dat rationem in metaphora, cur lingua doloſa ſit tam ingens malum, quod eſt hic explicatum in comparatione illa cum carbonibus deſolatoriis. Hieronymus vertit cum carbonibus iuniperorum; Pagninus, geniſtarum; Septuaginta, *ἄνθραξι τοῖς ἐρημικοῖς*. Itaque Septuaginta tantum hac varietate explicarunt metaphoram. Heb. רתמים, *geniſtarum retamin*.

V. 5. Cum habitantibus Cedar. Hoc eſt, in hac mortali peregrinatione, cum efferatis hominibus, & barbaris, velut non habitantibus in civitatibus, ſed inſtar Nomadum in tentoriis nigris, & ruſticis. Heb. קדר *Cedar*, ſignificat, tenebras, & nigredinem. Vide Cantic. cap. 1. Et quidni palatia Regum mundi huius dicentur tabernacula Cedar?

BOSSUET.

Verſ. 2. A Labiis iniquis, *mendacibus*, Hier. A lingua dolosa: calumniis enim & dolis circumventi nullam habebant requiem.

V. 3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Quid ſolatii tibi relinquitur ad linguam doloſam comprimendam? aut quæ requies tibi datur a lingua doloſa tibi inſidiante? *Ad linguam doloſam*. *Lingua doloſa*, Heb. forte, vocativo caſu: ſenſuſque ſit: O lingua doloſa, quid tibi proficit calumniari & nocere?

V. 4. Sagittae potentis acutae: verba linguæ doloſæ ſimilia ſagittis: Pſ. lxiii. 4. *Potentis*, illius ſcilicet qui potens eſt in iniquitate: Pſ. li. 3. Cum carbonibus desolatoriis. *Iuniperorum*, Heb. quod ſint ardentiſſimi. Hier. ad Fabiol.

V. 5. Incolatus meus prolongatus est. Heb. *Meſchech*, quod pro nomine loci accipiunt: Moſchi ad Iberiam, Cedar ſunt Arabes. Itaque Meſchech & Cedar duo termini fuerint Imperii Babylonici, per quod diſperſus populus eſſet. Hei mihi, inquit, quod procul a patria & loco ſancto, in extremis gentium finibus exul ago: quod longe luctuoſius in gemiſcere nos oportet, tam procul a cæleſti patria extorres.

V. 6. Multum incola: diu peregrina fuit anima mea... a patria, a ſacris, a piorum excluſa cœtu.

V. 7. Cum his qui oderunt pacem.. ſic autem ex Heb. diſtinguit Hier. *Multum peregrinata eſt anima mea*, cum his qui oderunt pacem. Cetera deinde ſic: Eram pacificus cum loquebar illis: at ipſi impugnabant me gratis. Heb. *Ego pax & cum loquebar: at ipſi ad bellum*: quod elegantur Hier. *Ego pacifica*, &c.

PSAL-

PSALMUS CXX. CONSOLATORIUS.

Deus populo ſuo etiam exuli & captivo certus liberator. Nota primo populum omni ope humana deſtitutum; tum verſ. 4. & 8. Dei auxilio reſtitutum.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, factore cæli & terræ:

Non det in commotionem pedem tuum: nec dormitet qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.

Dominus cuſtodit te: Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Per diem ſol non percutiet te, neque luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam.

Dominus cuſtodiat exitum tuum & introitum tuum: amodo & uſque in æternum.

VERSIO VULGATA.

Canticum graduum.

1. LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

2. Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum & terram.

3. Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui cuſtodit te.

4. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.

5. * Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.

6. Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem.

7. Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.

8. * Dominus coſtodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua*. Non mutes verbum præſens *cuſtodit* in futurum *cuſtodiet*.

V. 8. *Dominus cuſtodiat introitum tuum*. Præſens *cuſtodiat* ſervandum hic eſt, nec ſupponendum futurum indicativi *cuſtodiet*.

NOTATIO.

Verſ. 5. D*Ominus cuſtodit te.* Sic cum DD. Auguſtino, & Haymone plerique codices. At Ruræmundenſis Epiſcopi Pſalterium cum S. Hilario futuro tempore, *cuſtodiet* habet: atque hoc modo Chaldæa paraphraſis ינטר, & Græci plerique codices, conſentientibus Chryſoſtomo, atque Euthymio Græcis Enarratoribus φυλάξει legunt.

Digitized by Google

gunt. Græce vero Regii operis, & Nebienſis Pſalterii editiones φυλάξοι, quod eſt *cuſtodiat* ſcribunt. Ad ſimilem modum Pariſienſis anni 59. editio φυλάξαι. Hebraice יהוה ſhomrekha שׁמרך eſt, id eſt *Dominus cuſtodiens te*, vel formaliter accepto Benoni; *Dominus cuſtos tuus*; id quod apte convenit ei quod ſequitur: *Dominus umbra*, ſeu *protectio tua*.

Verſu ſeptimo eiuſdem vocis eadem eſt varietas. Nam quod plerique codices præſenti tempore cum D. Haymone legunt: *Dominus cuſtodit te ab omni malo*: Hunnæi manuſcriptum P. notatum, & Pariſienſium Biblia anno 59. excuſa futuro *cuſtodiet* ſcribunt. Eſt autem hoc loco tam Hebraicis libris quam Chaldæis & Græcis plerîſque futurum, adſtipulantibus non tantum Hilario, atque Euthymio, verum etiam Auguſtino; atque hoc belle congruit ei quod præceſſit: *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*.

Sequitur ſeptimo verſu, *Cuſtodiet animam tuam Dominus*: & ſubiungitur octavo, *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*. (a) Quibus locis iterum cuſtodiendi vox diverſimode ſcribitur. Priori R. D. Lindani Pſalterium *cuſtodiet* habet: poſteriori apud Hilarium ſimiliter *cuſtodiet* (b) legitur. Græcis plerîſque, & Chaldaicis in libris, Euthymio ſuffragante, ut præcedentibus locis, ita & his futurum ſcribitur. (c) Eſt & Hebraicis codicibus futurum יִשְׁמֹר; ſed quod tam optantis quam prædicentis ſenſu, tam *cuſtodiat*, quam *cuſtodiet* reddi poſſit. Græcæ editiones Complutenſis & Nebienſis φυλάξοι habent, Pariſienſis φυλάξαι non ſolum primo, ſed & ſecundo, & ſequentibus duobus locis, quibus conformiter Goticum manuſcriptum, univerſis his quatuor locis, *cuſtodiat* refert. Sed videtur Latinis noſtræ editionis codicibus, nec ſemper *cuſtodiet*, nec ſemper *cuſtodiat* ſcribendum: immo vero hinc ortam inter eos varietatem, quod alio atque alio modo cuſtodiendi vocabulum Interpres verterit. Primo loco bene quadrat *cuſtodit*: ſecundo & tertio non male convenit *cuſtodiet*; quarto ſcribendum videtur *cuſtodiat*. Quod prædixerat, precatur, & optat, ne, non velle, ad quod a Spiritu actus fuerit, putaretur. Hunc legendi his locis modum Franciſci Titelmanni elucidatio ſecuta videtur.

(a) Haymonis hæc aperte lectio eſt.
(b) φυλάξοι ינטר

(c) Duobus his locis, & Chryſoſtomi textus futurum legit, nec commentarius diſſentit.

COMMENTARIA

MALDONATI

Verſ. 3. NON DET IN COMMOTIONEM PEDEM TUUM. Heb. *Non dabit in commotionem pedes tuos*; id eſt, non permittet Deus commoveri pedes meos (loquitur enim de ſeipſo per ſecundam perſonam) hoc eſt, non ſinet me de ſtatu meo dimoveri. Significat peculiarem providentiam, quam Deus habet iuſtorum.

V. 5. SUPER MANUM DEXTERAM TUAM. Hebr. *ad manum dexteram tuam*, ſcilicet aſſiſtens, ut Pſalm. XV. 8. *Quoniam a dextris eſt mihi ne commovear*. Et Pſalm. LXXII. 23. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me*.

V. 6. PER DIEM SOL NON URET TE. Hebr. *Non feriet te*.

V. 7. DOMINUS CUSTODIT TE AB OMNI MALO. Hebr. *Cuſtodiet*. Similiter quæ ſequuntur per futurum ſunt vertenda.

SA.

De Dei auxilio.

Verſ. 1. IN MONTES, id eſt cælos.

V. 3. DET. Chald. *dabit*; quaſi dicat, Non permittet labi.

V. 4. DORMITABIT; quaſi dicat, Dormitantis more negliget. NEQUE DORMIET: poſtponitur more Hebræo, quod Latino præponeretur; quidam tamen dicunt idem ſignificari, eſſeque repetitionem, more Scripturæ.

V. 5. SUPER MANUM, &c. quaſi dicat, Ad dexteram tibi aſſiſtens: ſic alibi, *A dextris eſt mihi, ne commovear*.

V. 6. URET. Hieron. & Chald. *percutiet*. NEQUE LUNA, ſcilicet nocebit.

V. 8. CUSTODIAT. Chald. *cuſtodiet*.

IN-

INTROITUM TUUM ET EXITUM, id eſt converſationem, ſeu omnes vitæ actiones. Vide Deut. XXVIII. II. Reg. XVII. III. Reg. XI.

ESTII.

Verſ. 6. PER DIEM SOL NON URET TE, NEQUE LUNA PER NOCTEM. In poſteriori membro, vel ſubintelligendum eſt, ſcilicet per contrarium: Neque luna erit quoque moleſta nocturno frigore, ſicut ſimiles phraſes ſunt Iacobi I. & I. Tim. IV. Vel, *urere*, generale vocabulum accipiendum eſt, ſignificans quamcumque gravem & acerbam ſenſus moleſtiam, ſive a calore inferatur, ſive a frigore. Nam & frigus vehemens aliquando urere dicitur. Ita Geneſis XXXI. Iacob ait: *Nocte & die, æſtu urebar & gelu*. Similis phraſis eſt in ſerm. B. Auguſtini de Martyribus, vel quiſquis auctor eſt, cum dicit, primos illos martyrum flores hyeme exortos quamdam perſecutionis pruinam decoxiſſe. Et apud Ovidium Lib. III. Triſt. eleg. II. dum dicit:

Plurima ſed pelago, terraque pericula paſſum,
Uſtus ab aſſiduo frigore Pontus habet:

IV. & rurſum elegia

Me tenet aſtricto terra peruſta gelu.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. LEVAVI OCULOS MEOS IN MONTES; id eſt, in cælum, aut in montes ubi erat Ieruſalem. UNDE VENIET. Quidam ſic vertunt. Hebr. *ex non veniet auxilium*. Per *non* intelliguut Deum, qui per negationem melius quam per affirmationem intelligitur. Acute, an vere?

V. 3. NON DET, aut *dabit*: non ſinet vacillare pedem tuum qui cuſtodit te. Se alloquitur.

V. 5. DOMINUS PROTECTIO TUA. Hebr. *umbra tua Dominus*. SUPER MANUM; pro, ad manum: tibi præſto erit: te proteget inſtar umbraculi.

V. 6. NON URET TE. Hebr. *non percutiet te*, ſcilicet radiis ſol; id eſt, omni tempore te proteget, ab hoſtibus apertis & occultis (id *nox* eſt) eripiet.

V. 7. DOMINUS CUSTODIT TE: aut *cuſtodiet*, aut *cuſtodiat*. Verti locus trifariam poteſt.

V. 8. DOMINUS CUSTODIAT INTROITUM TUUM ET EXITUM TUUM; id eſt, euntem & redeuntem in itinere ſervet. Aut intelligit per *introitum* & *exitum* mores, converſationem, rationem agendi; ut I. Reg. XXIX. 6. Hoc melius quam prior expoſitio.

MALVENDAE.

Verſ. 1. LEVAVI OCULOS MEOS IN MONTES. Quidam: *Attollerem oculos meos ad iſtos montes*; id eſt, fruſtra huc illuc circumſpectarem ad conſequendam opem; nam rationem habet Chenahanææ, quæ montoſa eſt, ut annotatum eſt in Exod. XV. 17. Non tam recte alii: *Ad montes*, vel *ſuper montes* conſtitutus, *veluti ſtans in monte*. Notant, eſſe diſceptationem animi conflictantis cum multis calamitatibus, hoc verſ. I. UNDE VENIET AUXILIUM MIHI. Quidam: *Unde veniret auxilium meum*; quaſi dicat: Quocumque me convertero, nulla ex parte niſi a Deo ſalutem conſecuturus ſum, verſu ſequente.

V. 2. AUXILIUM MEUM A DOMINO, &c. Exponunt: *Auxilium meum ſit a Iehova*, ut ſit oratio ſuperantis certamen animi, qua David ſe committit Deo propter naturam, opera, & officium eius ex gratuita promiſſione in Chriſto.

V. 3. NON DET IN COMMOTIONEM PEDEM TUUM, &c. Alii: I. *Non ſinet pedem tuum vacillare, neque dormiſcet cuſtos tuus*. II. *Ne permittat dimotioni*, vel *dimoveri pedem tuum, ne dormittet cuſtos tuus*. Explicatio auxilii divini, quod David per apoſtrophen ad ſe, vel ad quemvis pium precatione accommodat. *Dimoveri pedem tuum*, id eſt titubare, labi, vel corruere te: Synecdoche: *ne dormitet*; id eſt, ne tantillum ceſſet ab auxilio tuo: humanitus dictum, ut ſequentia. *Cuſtos tuus*, Deus, ex promiſſione, ad quam tranſitur verſu ſequente.

V. 4. ECCE NON DORMITABIT, NEQUE DORMIET, &c. Promiſſionis Dei explicatio, qua docetur primum præſentiſſima il-

illius efficacitas, his duobus verſibus: deinde, conſtantiſſima, reliquis.

V. 5. SUPER MANUM DEXTERAM TUAM: ut Pſalm. xv. 8.

V. 8. DOMINUS CUSTODIAT INTROITUM TUUM, ET EXITUM TUUM, &c. Quidam: *Domino curante, proſpera erit profectio quæcumque tua, & reditus tuus in patriam, a prima hora uſque ad finem vitæ.* Alii: *Dominus cuſtodiat te quæcumque agentem, ab hoc tempore uſque in æternum*; id eſt, faciet Dominus, ut omnia tua negotia ſemper feliciter cedant. Nonnulli: *Iehova ſervabit procedere tuum, & venire tuum*: ſeu *proceſſum tuum & reditum tuum*; id eſt, omnia tua negotia, & occupationes, domi, foriſque. Vide hanc locutionem II. Paralipom. I. 10. & Numer. XXVII. 17.

MENOCHII.

Verſ. I. IN MONTES: in cælum, vel in locum ubi ſitum erat tabernaculum in monre Sion.

V. 3. NON DET IN COMMOTIONEM PEDEM TUUM. In Hebræo eſt, *Non dabit ad mutandum pedem tuum.* Non permittet te in adverſis vacillare, aut ad caſum inclinare. NEQUE DORMIET QUI CUSTODIT TE: metaphora ducta a diligentibus excubitoribus. Dominus qui te, & populum ſuum Iſrael cuſtodit, vigili cura tuebitur ſuos, & ingruentia mala avertet.

V. 4. NON DORMITABIT: non modo non dormiet, ſed ne dormitabit quidem. Dormitanr qui ſomno nondum ſunt correpti: ſed in illum iam feruntur.

V. 5. PROTECTIO TUA, &c. In Hebræo eſt, *Dominus umbra tua ſuper manum dexteram tuam*; quaſi dicat: Dominus te cuſtodiet non ſolum ne cadas, ſed etiam ne fatigeris in via æſtu ſolis per diem, aut lunæ lumine per noctem.

V. 6. NEQUE LUNA PER NOCTEM: uret te; id eſt, cruciabit, vexabit, lædet, ſic Geneſis XXXI. 40. *Æſtu urebar, & gelu.* Vide ibi dicta.

V. 7. ANIMAM TUAM: viram tuam.

V. 8. INTROITUM TUUM, ET EXITUM TUUM: cuſtodiat te Dominus domi, & foris, in negotiis domeſticis, & externis.

Vide III. Regum III. 7. & II. Paralip. I. 10.

TIRINI.

Verſ. I. IN MONTES; quaſi dicat: Ego exul per montes undique circumſpicio, num alicunde auxilium mihi adveniat; ſed fruſtra: ita Vatablus & Ianſenius; Anagogice, in cælum, ad Angelos, Arnobius.

V. 3. NON DET, Chaldæus, *non dabit*; id eſt, non permittet re labi, neque inſtar *dormientis* negliget te. Nam Zach. III. 9. dicitur Deus habere *ſeptem oculos*; & Ezech. I. 18. *Cherub* totus *ante & retro plenus* eſſe *oculis*, & Ierem. I. II. vocatur *virga vigilans*.

V. 5. PROTECTIO TUA. Hebraice, *umbra tibi*, ſeu loco umbraculi, ut vult Chaldæus, quod ad dextram tuam poſitum obumbiat totum corpus tuum, & tuetur contra æſtum *ſolis*, & vexationem *lunæ*, id eſt contra nocturnas & diurnas moleſtias & miſerias: tropologice, in proſperis & in adverſis, inquit S. Hieronymus.

V. 8. INTROITUM ET EXITUM TUUM. Hebraiſmus; pro, omnia negotia tua. Simile Deuteronomii XXVIII. 19. & III. Regum III. 7. Anagogice, *introitus* eſt vita, *exitus* mors, inquit ſanctus Hieronymus.

GORDONI.

Titulus, CANTICUM GRADUUM, ut ſupra, Pſalmus conſolatur peregrinum aſcendentem in Ieruſalem. Accipe hinc ſpiritualem ſenſum. Omnia plana ſunt.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. I. uſq. ad 6. L*Evavi oculos*, &c. Sicut peregrini aſcendentes Ieroſolymam attollunt oculos in montem Sion; ita vere & pie peregrinantes in hac vita a Domino, attollunt oculos in patriam, & cæleſtem Ieruſalem: & (quod hoc reliquo Pſalmo continetur) petunt auxilium a Domino. Et certa ſpe Pſalmiſta expectans promiſſum auxilium, profitetur & affirmat Deum non dormitare; ſed providentiam habere ſpecialem

ſuorum; nempe per manum ſuam dexteram, & faventem.

V. 6. & ſeq. *Per diem*, a ſolis æſtu; a Luna per noctem cuſtodiet. Spirituali etiam ſenſu, cuſtodiet ab æſtu vitiorum, & a deficiente Luna, ne deſeramus unquam lumen ſemel acceptum a Deo: inconſtantia non nocebit. En denique perfectam protectionem in principio, in progreſſu, in fine, ac demum uſque ad vitam æternam.

BOSSUET.

Verſ. 1. IN MONTES: illos æternos, ſcilicet cælos: Pſ. CXXII. 1.

V. 6. NON URET, *percutiet*, Hier. neque æſtus diei, neque frigus noctis, tibi per viam nocebit.

V. 7. ANIMAM TUAM DOMINUS: deeſt, Dominus: repetitum ex ſeq.

V. 8. EXITUM TUUM; e terra captivitatis. INTROITUM TUUM, in patriam.

PSALMUS CXXI. LAETITIAE ET AMORIS IN SANCTAM CIVITATEM.

David Ieruſalem ac Sionem ædificans & arcam eo inducens: II. *Reg.* V. *6. 7. 9.* VI. 15. 16. I. *Paral.* XI. 7. 8. *Populus e captivitate redux, templum ac civitatem ædificans: exules Chriſtiani ad patriam ſuſpirantes. Porro hic Pſalmus & alii quidam ex his quindecim in Hebr. Davidi tribuuntur, quod inditio eſt, non omnes Davidis eſſe.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum David.

LAEtatus ſum eo quod dixerit mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri, in portis tuis Ieruſalem.

Ieruſalem quæ ædificatur, ut civitas, cuius participatio eius ſimul.

Quia ibi aſcenderunt tribus tribus Domini teſtimonium Iſrael: ad confitendum nomini Domini.

Quia ibi ſederunt ſedes in iudicio: ſedes domui David.

Rogate pacem Ieruſalem: ſit bene his qui diligunt te.

Sit pax in muris tuis: abundantia in domibus tuis.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

LAEtatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus:

2. Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis Ieruſalem.

3. Ieruſalem, quæ ædificatur ut civitas: cuius participatio eius in idipſum.

4. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini teſtimonium Iſrael: ad confitendum nomini Domini.

5. Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum David:

6. Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem: & abundantia diligentibus te.

7. Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Pro-

Propter fratres meos & amicos meos: loquar pacem tibi.

Propter domum Domini Dei noſtri, quæram bona tibi.

8. Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te:

9. Propter domum Domini Dei noſtri, quæſivi bona tibi.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. LAETATUS SUM IN HIS. Heb. *cum dicentibus mihi*; ſicut & Septuag. verterunt ἐπὶ τοῖς εἰρηκόσι.

V. 2. STANTES ERANT PEDES NOSTRI. Hebr. præteritum pro futuro; *Stantes erunt pedes noſtri*.

V. 3. IERUSALEM QUAE AEDIFICATUR UT CIVITAS. Heb. *Ieruſalem*, inquit, *quæ ædificata es ut urbs, quæ ſimul eſt conferta atque congregata*; id eſt, non diſſipata, non ſeditionis diſſoluta. Significat autem allegorice futuram congregationem, & pacem Eccleſiæ, nam & nomen Ieruſalem nomen eſt pacis.

V. 4. TRIBUS DOMINI TESTIMONIUM ISRAEL. Hebr. *Ornamentum & gloria Iſraelis*. Tribus vocat ornamentum Iſraelis: ſenſus enim videtur eſſe melior quam ſi vertamus *teſtimonium*.

V. 5. SEDES SUPER DOMUM DAVID. Hebr. *Sedes domus David*, id eſt ſolium regni quod pertinebat ad domum Davidis.

V. 6. ROGATE QUAE AD PACEM SUNT IERUSALEM. Hebr. *Rogate*, id eſt precamini pacem Ieruſalem, & ut pacifice agant qui diligunt te, id eſt illam: loquitur enim de tertia perſona per ſecundam.

V. 7. FIAT PAX IN VIRTUTE TUA. Heb. *Sit pax in munitionibus tuis*, id eſt in muris, in mœniis, in arcibus tuis, & *proſperitas in palatiis tuis*: poetice dictum eſt per ſynecdochen.

V. 8. LOQUEBAR PACEM DE TE. Heb. *Loquar*.

V. 9. QUAESIVI BONA. Hebr. *Quæram*.

SA.

De ſtudio Sanctorum in adeundo templum Dei.

Verſ. 1. QUAE DICTA, &c. quaſi dicat: Cum audirem dicentes. DOMUM, id eſt templum. IBIMUS; pro, eamus.

V. 2. STANTES ERANT; pro, ſtabunt; vel quaſi dicat: Cum veniſſemus ſtabant. ATRIIS. Hieron. & Chald. *portis*.

V. 3. AEDIFICATUR; pro, eſt ædificata. UT CIVITAS, &c. quaſi dicat: Ut civitas concors, cuius ſcilicet cives ſunt unanimes. EIUS: abundat, more Hebræo. IN IDIPSUM. Hieron. *ſimul*.

V. 4. TESTIMONIUM; pro, iuxta teſtimonium, id eſt Dei præceptum, ſcilicet factum Iſraeli: vel, ut teſtimonium reddat de Deo ipſe Iſrael; ſcilicet, eum laudando, ut ſtatim dicitur. ISRAEL: dativus eſt, ſed forte pro genitivo: ſic enim dicitur, *Pſalmus David*, pro, Davidis.

V. 5. SEDERUNT, id eſt conſtitutæ ſunt. IN IUDICIO. Chald. *ad iudicium*. SUPER DOMUM, id eſt in familia.

V. 6. ROGATE QUAE AD PACEM. Hieron. *rogate pacem*. Chald. *rogate pro pace*. IERUSALEM. Græce eſt accuſativus; quaſi dicat, Salutate Ieruſalem. Hebræis enim *rogare pacem*, ſeu *pro pace*, ſeu *de pace*, eſt *ſalutare*, ſcilicet dicendo, *Eſtne pax*? id eſt, Ut vales? ABUNDANTIA, ſcilicet ſit. Hieron. *bene ſit*; ſcilicet, id eſt optandum & precandum ei.

V. 7. FIAT Hieron. & Chald. *ſit*. VIRTUTE, id eſt exercitu, vel munitione. Hieron. *muris*. Chald. *exercitu*. TURRIBUS. Hieron. *domibus*. Chald. *prætoriis*.

V. 8. PROXIMOS. Hieron. *amicos*. Chald. *ſocios*. LOQUEBAR PACEM DE TE; id eſt, tibi pacem precabar. Hieron. *loquar pacem tibi*.

V. 9. QUAESIVI. Hieron. & Chald. *quæram*.

ESTII.

Verſ. 3. IERUSALEM, QUAE AEDIFICATUR UT CIVITAS, CUIUS PARTICIPATIO EIUS IN IDIPSUM. Heb. ſic: *Ieruſalem ædificata ut civitas, quæ iuncta eſt ſibi ſimul.* Et interpretantur hoc quidam de ædificiis pulchro ordine inter ſe coniunctis. Alii vero, & ni fallor, rectius de unanimitate, & concordia civium, quæ ſolet eſſe civitatum laus maxima.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Heb. additur *Davidis*. E captivitate populus optat reſtitui. LAETATUS SUM IN HIS, QUAE DICTA SUNT MIHI. Hebr. *lætatus ſum in dicentibus*; id eſt, cum dicunt mihi: ſcilicet, ex hac captivitate liberi ibimus in templum Domini. Ea ſpe me ſuſtento.

V. 2. STANTES, ſcilicet ante captivitatem: aut, præ cupiditate videmur nobis iam ſtare. IN ATRIIS. Hebr. *in portis tuis Ieruſalem*.

V. 3. AEDIFICATUR. Hebr. *ædificata eſt*, ſtabilita & ordinata. UT CIVITAS: CUIUS PARTICIPATIO EIUS. Hebr. *ut civitas, quæ ſociata eſt ſibi*. IN IDIPSUM, Heb. *ſimul*; id eſt, in qua magna eſt concordia, idem omnes cives ſentiunt & loquuntur.

V. 4. ILLUC ENIM ASCENDERUNT: ſcilicet, eo omnes tribus aſcendunt ſtatis in Lege temporibus, quæ magna dignitas eſt, eſſe gentis caput. TESTIMONIUM ISRAEL; pro, *iuxta teſtimonium Domini teſtificantis Iſraeli*: ſic Chald. id eſt præcipientis: nam ex Dei præcepto aſcendebant. AD CONFITENDUM, ut laudarent nomen Domini.

V. 5. SEDES IN IUDICIO. Hebr. *ſedes iudicii*; id eſt, tribunalia erant ibi adiudicandum. Quæ erat nova cauſa, cur populus eo conflueret. SUPER DOMUM DAVID. Hebr. *Sedes domus David*, ubi regnum, ibi iuriſdictio.

V. 6. ROGATE QUAE AD PACEM. Heb. *petite*, ſcilicet a Deo pacem, id eſt felicitatem. ET ABUNDANTIA, ſoſpitas, quies ſit civibus eius.

V. 7. FIAT PAX IN VIRTUTE TUA. חיל *hail*, & *murum* & *exercitum* ſignificat. Sic Hieronymus dixit, *Fiat in muris tuis pax*; id eſt, inter cives ſit concordia. Chald. *ſit pax in exercitu tuo*; id eſt, non ſit opus arma movere. Septuag. pro *exercitu*, ut ſolent, *virtutem* poſuerunt. ἐν δυνάμει σου. IN TURRIBUS TUIS. Heb. *in palatiis*; ſcilicet ſit abundantia, id eſt annonæ copia.

V. 8. PROPTER FRATRES MEOS. Verba Davidis. LOQUEBAR; pro, loquar, aut locutus ſum: tibi felicia & fauſta cuncta ſum precatus, ſcilicet ſuperioribus verbis.

V. 9. PROPTER DOMUM. Id etiam feci, quod in te ſit templum Domini, ſum bona & fauſta precatus.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Hebr. additur *Canticum Hamaghaloth* ipſi *David*, vel ipſius *Davidis*. Vide Pſal. III. 1. Sic infra Pſal. CXXIII. 1. Notant, canticum iſtud eſſe gratulatorium, quo David arca Dei recepta in civitatem ſuam, & Eccleſia conſtituta, gratulatur ſibi & Eccleſiæ toti de hac benedictione Dei. Alii, ad tempora reductionis ex exilio Babylonico referunt. LAETATUS SUM IN HIS, QUAE DICTA SUNT MIHI, &c. Alii ex Hebr. I. *Lætor cum dicentibus mihi: Eamus ad domum Iehovæ*; quaſi dicat: Lætor inter eos, qui dicere mihi ſolent, & hortari, ut ab ædibus meis regiis ad tabernaculum fœderis me conferam, precationis, aut gratiarum actionis cauſa. II. *Gaudebam ex animo, cum dicerent mihi: In domum Domini ibimus*. III. *His ego gaudeo, qui mihi dicunt: Eamus domum Domini*. IV. *Lætor de dicentibus mihi*, ſeu *de eo, quod dicitur mihi: Domum Iehovæ adeamus*. Propoſitio lætitiæ qua utitur David, duas habet cauſas; una eſt, ſtudium quod ſuo tempore in ipſis fidelibus animadvertit, hoc verſu: altera, effectus ſtudii, cultus Dei aſſiduus, verſu ſequente.

V. 2. STANTES ERANT PEDES NOSTRI IN ATRIIS TUIS, IERUSALEM. Aliqui: *Quod conſiſtentes ſunt*, vel *conſiſtunt*: qua locutione notatur in agendo frequentatio, ut Geneſ. IV. 17. quaſi dicat: Summo

ſtu-

ſtudio & contentione verſantur; *intra portas tuas*, ſeu *veſtras*, *o Ieruſchalaima*.

V. 3. IERUSALEM, QUAE AEDIFICATUR UT CIVITAS. Obſervant, eſſe exornationem ſuperiorum cauſarum ad lætitiæ amplificationem, a laudibus civitatis, hoc verſu: Eccleſiæ, verſu ſequente; & regni cum ſpiritualis, tum terreni, verſu quinto. Ex Hebr. reddunt: I. *Ieruſalem, quæ condita es, quomodo urbs quælibet nobiliſſima*. II. *Ieruſchalaima conſtructiſſima*, ſeu *optime conſtructa, plane civitas*; id eſt, Ieruſa'aim, cuius ædificatio eſt abſolutiſſima: ut oſtenditur II. Samuel. v. 9. & I. Paralipom. xi. 8. CUIUS PARTICIPATIO EIUS IN IDIPSUM. Ex Hebr. alii: I. *Quæ coniuncta eſt ſibi ipſi ſimul*. II. *Quod coniuncta ipſi* domui Dei *ſimul*; id eſt, quæ continet intra ſe templum Dei. III. *Quæ adunata eſt ſibi ipſi pariter*; id eſt, cuius cives unanimiter vivunt. IV. *In qua conſociantur, conveniunt*, homines *ſimul*. V. *Cuius cives in unum coeunt*. VI. *Ad quam ſtatis anni temporibus confluebat populus omnis, & recipiebatur commodiſſime*. VII. *Cui coagmentatum eſt pariter*, vel *quæ plane coagmentata eſt inter ſe pariter*; id eſt, non ut antea hac ſtructura oppidorum, religione, & adminiſtratione differens, (nam tria fuerunt oppida; religio vero, & adminiſtratio duplex, populi Dei, & Iebuſæorum) ſed omnibus modis coagmentata, iunctis oppidis, hoc verſu, religione animorum, ſequente; & ſingulari adminiſtratione, verſ. 5.

V. 4. ILLUC ENIM ASCENDERUNT, &c. Multifariam alii ex Hebr. I. *In quam aſcendunt tribus Domini, cœtus Iſraelis, ad profitendum laudem nomini Domini*. II. *Eo enim proficiſci ſolent tribus, tribus inquam Domini, & tota turba Iſraelitici populi, ut laudent nomen Domini*. III. *Ad quam aſcendunt tribus, nempe tribus Dei, ex obteſtatione, qua Iſraelitæ obſtricti ſunt*. Exodi XXIII. 17. *ut confiteatur nomini Domini*. IV. *Quo aſcendunt tribus, tribus Iah*; id eſt, tribus populi Dei: *ad teſtimonium Iſraelitarum*, id eſt ad Arcam teſtimonii: quæ ſimpliciter *Teſtimonium* dicitur, Exod. XVI. 34. & cap. XXV. 21. 22. & 30. V. *Quia illuc aſcenderunt tribus, tribus Iah; quod eſt teſtimonium Iſraeli*. Scilicet, quod ſint populus Dei: *ad celebrandum nomen Iehovæ*.

V. 5. QUIA ILLIC SEDERUNT SEDES IN IUDICIO, &c. Alii: I. *Quia illic collocatæ, conſtitutæ, ſunt ſedes ad iudicium, ſedes domus Davidis*; id eſt, ubi ſolia, regalia Davidis conſtituta ſunt, in quibus omnia ex ſumma æquitate inſtituuntur, ac iudicantur. II. *Iſthic enim conſiſtit iudicii ſolium, ſolium domus Davidis*. III. *Quo tempore ibi collocabantur ſedes ad exercenda iudicia, & ſolium familiæ David*, ut hæc videantur dicta in aſcenſu ab exilio Chaldaico. IV. *Quia ibi conſident throni iuris*; id eſt, iuridica omnis adminiſtratio, cum Eccleſiaſtica, tum civilis, prout mandaverat Deus, Deuteronom. XVII. 8. & ſequentibus: *throni domus Davidis*; id eſt, regni Davidis, cuius complementum Chriſtus.

V. 6. ROGATE QUAE AD PACEM SUNT IERUSALEM, &c. Notant eſſe hic alteram partem Pſalmi, qua primum omnes cohortatur David ad conferenda vota, hoc, & ſequente verſu: deinde nominatim ipſe idem officium pollicetur Eccleſiæ & Deo, verſ. 8. & 9. Diverſimode Hebr. convertunt: I. *Petierunt* ſedes *pacem Ieruſa'aim*; id eſt, tribunalia regalia exquiſierunt pacem Ieroſolymitanis. II. *Precamini felicitatem ipſi Ieruſalaim*. III. *Precemini ſalutem Ieroſolymis*. IV. *Optate, expetite, pacem Ieruſchalaimorum*; id eſt, privatam, publicam, intus, & foris; ut ſequentes locutiones extendunt. *Pacem*, id eſt ſalutem, incolumitatem, proſperitatem. Sic verſu ſequente, & 8. ET ABUNDANTIA DILIGENTIBUS TE. Varie alii ex Heb. I. *Felices ſunt, qui diligunt te*. II. *Ideo quieſcent amatores tui*. III. *Sit pax his, qui diligunt te*. IV. *Ac bene ſit his, qui amant te*. V. *Feliciter eveniant omnia illis: qui bene volunt, & amant eam*. VI. *Dicentes, tranquilli ſint amantes tui*. VII. *Vacabunt, quieti, & ſecuri erunt, amatores tui*.

V. 7. FIAT PAX IN VIRTUTE TUA: Vox חילך *chelech*, omnia iſta complectitur: *Sit pax in ſtrenuitate, robore, potentia, virtute; exercitu, copiis militaribus, præmunitione, propugnaculo, antemurali tuo*. Quidam: *Nemo infeſtet valla tua*. Hebræi aiunt eſſe foſſam, ſeu aggerem, qua cinguntur urbes. ET ABUNDANTIA. שלוה *ſchaluah*, omnia iſta continent: *Pax, quies, ſalus, tranquillitas, felicitas, abundantia; opulentia, proſperitas, in palatiis tuis*,

tuis, vel *in mœniis tuis*. Nos *ſecuritatem* reddere ſolemus.

V. 8. LOQUEBAR PACEM DE TE; id eſt, optabo tibi omnia proſpera. Quidam: *Loquar nunc quod tuam felicitatem concernat.* Alii: *Precabor nunc pacem tibi*. Nonnulli: *Eloquor nunc, pax ſit in te*.

V. 9. QUAESIVI BONA TIBI. Hebr. *Quæram bonum tibi*. Alii: *Procurabo bonum tibi*. Nonnulli: *Modis omnibus prodeſſe cuperem tibi*.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN HIS QUAE DICTA SUNT MIHI: cum invitarer, & excitarer ad aſcendendum in Ieruſalem. IN DOMUM DOMINI IBIMUS: ſimilis adhortatio habetur Iſa. II. *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob*.

V. 2. STANTES ERANT PEDES NOSTRI, &c. ſubſtitimus, IN ATRIIS TUIS, vel ut eſt in Hebræo, *in portis tuis*, vel ſpectaculo pulchritudinis portarum, atque murorum delectati; vel frequentia populi partim ingredientis, partim exeuntis impediti.

V. 3. QUAE AEDIFICATUR UT CIVITAS, &c. cum dictum ſit, *in atriis tuis Ieruſalem*, videtur dicendum, *quæ ædificaris*; ſed eſt enallage perſonæ; ſenſus verſiculi eſt. Ieruſalem ædificatam eſſe, & quotidie magis ædificari, ut ſit civitas cuius participatio eſt in idipſum; id eſt, cuius bona ſimul, & communiter participantur ab omnibus, quia ſcilicet eſt civitas pacata, & in qua cives vitam ſocialem, & amicabilem vivunt. PARTICIPATIO EIUS. Vox *eius*, redundat ex phraſi Hebraica.

V. 4. TRIBUS TRIBUS DOMINI. Omnes tribus Iſraelis, ſic Geneſ. XIV. 10. ubi habemus, *Vallis ſilveſtris habebat puteos multos bituminis*, in Hebræo eſt, *Puteos, puteos*. TESTIMONIUM ISRAEL: in locum, ſive domum teſtimonii Iſraelitici populi; id eſt, ad ædem ſanctuarii, & tabernaculum. AD CONFITENDUM, &c. ad laudandum nomen Domini.

V. 5. ILLIC: in Ieruſalem. SEDERUNT SEDES IN IUDICIO: ſiti, & conſtituti ſunt throni, & tribunalia iudicialia regiæ poteſtatis. SEDES SUPER DOMUM DAVID. In Hebr. eſt, *throni domus David*, ſedes regni, quæ fundata erat ſuper Davidis familiam, ex qua Reges Iuda longa ſerie prodierunt. In Eccleſia, quæ per Ieruſalem ſignificatur, fundatus eſt thronus Chriſti, qui eſt e ſemine David.

V. 6. ROGATE QUAE AD PACEM SUNT IERUSALEM, precamini ut Ieruſalem contingant proſpera omnia, & quæ ad pacem illius faciunt. ET ABUNDANTIA, &c. felicitas, & rerum copia ſint huius urbis civibus.

V. 7. FIAT PAX IN VIRTUTE TUA, in Hebræo eſt: *Sit pax in antemurali tuo*, ut etiam habet Aquila, qui vertit *ἐν προτειχίσματί σου* & Symmachus qui habet *ἐν περιβόλῳ σου in murorum ambitu*; ſenſus ergo eſt, Longe abſint bella, & in ipſis propugnaculis, quæ ſunt robur, & virtus urbis, pax inſideat, ibique ſtationem habeat. ET ABUNDANTIA: bene cum pace mentio ſit abundantiæ, hæc enim fere illam ſequitur. IN TURRIBUS TUIS. Hebr. *in palatiis tuis*, Græce eſt, *ἐν ταῖς πυργοβάρεσί σου*: ſunt autem *πυργοβάρεις* turres munitæ, aut regia palatia, in quibus Regiæ gazæ conduntur.

V. 8. PROPTER FRATRES MEOS, &c. tibi o Ieruſalem pacem optavi, propter eos, qui in te habitant fratres meos, & proximos meos, qui eiuſdem mecum ſunt religionis, & fidei.

V. 9. PROPTER DOMUM DEI NOSTRI, &c. Optavi tibi bona contingere; propterea quod in te ſit templum Domini, & arca fœderis.

TIRINI.

Verſ. 1. DICTA SUNT MIHI, per Prophetas & Doctores Eccleſiæ.

V. 2. STANTES ERANT, olim ante exilium: ita Genebrardus. Allegorice, Atria cæli Eccleſia militans in terris, inquit Ianſenius.

V. 3. UT ſeu, *ſicut*. CIVITAS nempe concors & unanimis. CUIUS PARTICIPATIO EIUS; id eſt, qui eius participes ſunt, nempe cives, IN IDIPSUM; id eſt, ſimul in unum conſpirant omnes. Chaldæus vertit, *Quæ coniuncta eſt ſibi pariter*.

V. 4. TESTIMONIUM ISRAEL; pro, iuxta teſtimonium; id eſt, legem Dei ſeu præ-

præceptum datum Iſraeli, nempe ut ſinguli ter in anno aſcendant Ieroſolymam, Exodi XXIII. 17. Theodoretus & Ianſenius.

V. 5. QUIA ILLIC SEDERUNT; id eſt, ad ſedendum conſtitutæ ſunt, SEDES IN IUDICIO, Chaldæus, *ad iudicium;* quaſi dicat: Tertia hæc ratio eſt, cur adeo lætatus ſim in aſcenſu Ieroſolymam, quia Deus ibi familiæ Davidicæ conſtituit ſtabilem & perpetuum thronum regium & iudicialem. Theodoretus. Anagogice, Chriſto & Apoſtolis decretæ ſedes in die iudicii ad diiudicandas 12. tribus Iſrael.

V. 6. ROGATE QUAE AD PACEM; id eſt, adprecamini omnem felicitatem *Ieroſolymæ*, *& ut diligentibus eam* obveniat *abundantia* omnium bonorum.

V. 7. FIAT PAX; id eſt, ſit proſperitas & ſalus, de qua iam dixi, IN VIRTUTE; id eſt, in robore; Chaldæus, *in exercitu*, ſeu numeroſo populo tuo; Symmachus & Hieronymus, *in muris tuis*, id eſt inter cives tuos. ET IN TURRIBUS, id eſt palatiis, ſeu incolis palatiorum tuorum; quaſi dicat: Omnes a primo ad ultimum floreant, proſperentur & diteſcant.

V. 8. & 9. PROPTER FRATRES MEOS, tum carnales, tum ſpirituales, qui in te habitant, LOQUEBAR; id eſt, ſoleo loqui, PACEM DE TE; id eſt, proſpera quæque tibi optare. Item. PROPTER DOMUM DOMINI, quæ in te eſt: ita S. Hieronymus & alii.

GORDONI.

Titulus, CANTICUM GRADUUM. Pſalmus gradualis tertius eſt, in quo deſcribitur pulchritudo civitatis Ieruſalem, ad quam feſtinat vel populus a captivitate, ad litteram; vel David ipſe; vel denique myſtice vir ſanctus ad Ieruſalem cæleſtem: & ſic facile ibit Lector per utrumque ſenſum, ac præſertim per ſpiritualem, quem hic potiſſimum intendit Spiritus Sanctus.

Verſ. 3. IERUSALEM, QUAE AEDIFICATUR. Deſcriptio civitatis laudatoria, ab atriis, a forma, *& participatione in idipſum*; hoc eſt, habitatæ ſimul, & communiter ab omnibus. Ita explicat Hieronymus τὸ *in idipſum*. Nec aliam vim habet vox Hebraica יחדו *iachdau*, rad. יחד *unire*. Septuaginta ἐπὶ τὸ αὐτό Reliquum huius Pſalmi de bonis Ieruſalem, ita explicatur in ſenſu ſpirituali, paſſim, ut inde alter etiam ſenſus ſatis apparere poſſit.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. uſq. ad 4. L*Ætatus ſum*, &c. Loquitur populus, vel vir ſpiritualis, iuxta iam datum Pſalmi argumentum. Lætatur vero de aſcenſu in domum Domini, vel a captivitate (quam edixit futuram Ieremias cap. XXV. & XXIX.) vel ab hac mortalium peregrinatione in cælum. Hæc vero revelata & promiſſa ſunt. Illud quidem Ieremiæ cap. XXV. & XXIX. hoc vero Matth. IV. & Ioan. cap. XIV. Ceterum, *Stantes erant pedes noſtri, in Ieruſalem* ante captivitatem, inquit, populus; & ideo nunc in reditu lætamur; vel in altero ſenſu, lætantur in aſcenſu viri pii, meditantes cælum, quia a multo tempore erant ibi ſtantes pedes & affectus noſtri. Bellarminus hoc explicat de paradiſo terreſtri, ubi ſtabant olim pedes noſtri in primo parente.

V. 4. *Illuc enim aſcenderunt*, &c. Senſus prior hic facilis eſt. Altero vero ſenſu aſcenderunt, atque etiam nunc aſcendunt animæ in cælum, tum meditando, tum etiam reipſa poſt Chriſtum, *ad confitendum nomini Domini*, & ut ædificentur muri Ieruſalem.

V. 5. *Quia illic*, &c. Facile hæc laus Ieruſalem intelligitur de regno & ſede David; ſed certe etiam optime hæc conveniunt Chriſto, eiuſque ſedi in iudicio, & Apoſtolis Chriſto aſſeſſuris ad iudicandum, Iſa. IX. & Luc. I. ac alibi.

V. 6. & 7. *Rogate*. Vos peregrini, inquit, Propheta, petite a Deo, quæ requiruntur ad obtinendam illam Ieruſalem, quæ viſio pacis dicta eſt; & dicite, fiat pax, & abundantia ibi, adimpleto numero civium.

V. 8. & 9. *Propter*, &c. Poſtquam fauſta precatus eſt Pſalmiſta civitati Dei, & incolis eius, concludit id feciſſe ex caritate erga proximos, & propter domum Dei, quæ eſt Eccleſia. Ideo, inquit, loquebar, & prædicabam pacem, & *quæſivi bona tibi*, civi-

civitati, vel domui: ac demum ut omnes ſe exhiberent cives dignos, qui donarentur hac civitate.

BOSSUET.

Verſ. 1. IN HIS, QUAE DICTA SUNT... cum diceretur mihi. IN DOMUM DOMINI. Nihil vetat domum Domini dici locum arcæ, ante templum ædificatum. Vide I. Reg. I. 19. III. 15. II. Reg. XII. 20. I. Par. VI. 31. *In domum Domini ibimus*: vox euntium, ſeque mutuo adhortantium ad videndum locum ſanctum.

V. 2. ATRIIS, *portis*, Heb. forte ἀυλαῖς pro πύλαις.

V. 3. QUAE AEDIFICATUR... *ædificata*, Heb. LXX. CUIUS PARTICIPATIO EIUS... quæ in unum ſibi coniuncta eſt. Heb. Ieruſalem ante a Iebuſæis habitata, more antiquarum urbium domibus hinc inde ita ſparſis, ut ipſis mixti Iſraelitæ habitarent: nunc in urbis formam per David & Ioab redacta eſt: II. Reg. V. 6. &c. I. Par. XI. 7. 8.

V. 4. ILLUC ENIM ASCENDERUNT... tribus omnes aſcenderunt ad arcam in Sione collocatam. TESTIMONIUM... Quæ congregatio tribuum aſcendentium in Ieroſolymam Philiſthæi ereptam, teſtimonium eſt, factas Iſraeli de Chanaanitide acquirenda promiſſiones, eſſe completas.

V. 5. SEDERUNT SEDES IN IUDICIO: conſeſſus Iudicum ibi poſiti tamquam in urbe regia. SEDES SUPER DOMUM DAVID: *ſedes domui David*, Hier. Ieroſolymis ſcilicet in urbe regia & ſede domus regnatricis.

V. 6. ABUNDANTIA DILIGENTIBUS TE: *ſit bene his, qui diligunt te*, Idem.

V. 7. FIAT PAX: *ſit pax in muris tuis*, Hier. IN TURRIBUS: *domibus, palatiis*, Heb. hæc eſt enim ſumma votorum, ut in urbe ſecuritas, in privatis domibus copia ſit rerum omnium.

V. 8. PROPTER FRATRES MEOS... Iſraelitas & maxime eos qui prognati ſunt e Iudaica tribu, quibus urbs attributa eſt. En propter quæ Ieruſalem commendetur: quod in ea domus Domini; quod urbs regia & iudiciorum ſedes; quod iam eam ſoli Iſraelitæ incolerent, maxime tribus Iuda.

PSAL-

PSALMUS CXXII. DEPRECATORIUS.

Populus in captivitate Deum invocat. Davidi tribuit Syr. ut Hier. at non Hebr.

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
Canticum graduum David.	1. Canticum graduum.
AD te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.	AD te levavi oculos meos: qui habitas in cælis.
Ecce ſicut oculi ſervorum ad manum dominorum ſuorum:	2. Ecce ſicut oculi ſervorum, in manibus dominorum ſuorum.
Sicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ: ſic oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſeratur noſtri.	Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.	3. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.
Multum repleta eſt anima noſtra opprobrio abundantium, & deſpectione ſuperborum.	4. Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. QUIA MULTUM REPLETA EST ANIMA NOSTRA &c. Hebr. *Nimium repleta eſt anima noſtra irriſione opulentorum, & contemptu ſuperborum.*

S A.

titio auxilii a Deo.

Verſ. 2. IN MANIBUS; pro, ad manus, ſcilicet reſpiciunt, cum indigent aliquo. Hieron. *ad manum.*

V. 4. OPPROBRIUM .... ET DESPECTIO; ſcilicet facti ſumus. Hieron. & Chald. *opprobrio, & deſpectione*; ut ſit repetitio. ABUNDANTIBUS. Chald. *opulentorum.*

ESTII

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. In captivitate poſiti liberationem orant.

V. 2. ECCE SICUT OCULI SERVORUM, IN MANIBUS DOMINORUM SUORUM, ab iis victum in fame, opem in labore expectantes. Ergo ut ſervi heros reſpiciunt. ſic

ſic nos Dominum. Donec misereatur nostri, id eſt ſemper. *Donec* non negat futurum tempus. *Donec peperit filium ſuum*, Matth. I. 25.

V. 3. Repleti sumus despectione. Hebr. *ſatiati ignominia*.

V. 4. Repleta est anima nostra, ſcilicet malis. Opprobrium abundantibus, id eſt divitibus. Hieron. *Repleta eſt anima opprobrio abundantium, & deſpectione ſuperborum*. Si noſtram litteram ſequimur, oportet ſupplere, *ſumur opprobrium abundantibus*. Hebr. utroque modo verti poſſunt. Apollin. ſupplere videtur, *ſit*, *opprobrium abundantibus*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Qui habitas in caelis. הַיּוֹשְׁבִי *baioſchebi*, participium, vel nomen participiale, *habitans*, vel *habitator in cæ is*. Plerique: *Habitator cælorum*, vel *habitatorem cælorum*. Iod paragogicum indicat hic eſſe proprium epitheton Dei. Quidam: *O tu, qui ſedes in cælis*; id eſt, o tu Deus omnipotens: periphraſis.

V. 2. In manibus dominorum suorum. Hebr. *Ad manum dominorum ſuorum*, ſpectant; id eſt, opem & auxilium, non dubitantes de fide, adiumento, & defenſione illorum. Sic ſtatim, *ad manum heræ ſuæ*. Donec misereatur nostri. Quidam: *Donec gratiam fecerit nobis*, id eſt indeſinenter, atque importune, ut Lucæ xviii. 1. & ſequentibus.

V. 3. Quia multum repleti sumus despectione. Alii: I. *Quia valde ſaturati ſumus contemptu*, vel *ignominia*. II. *Quoniam ſaturi ſumus multo contemptu*. III. *Mirifice enim, & ad nauſeam uſque repleti ſumus contumelia*. IV. *Qua ſatis eſt*, malorum, *ſaturi ſumus contemptu*.

V. 4. Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis. Sit, vel obveniat. Alii ex Hebr. I. *Multum ſatiata eſt ſibi anima noſtra ſubſannatione*, ſeu *ſannis tranquillorum*, ſeu *opulentorum*, vel *inſolentium*, *contemptu ſuperborum*. II. *Multum ſatiata eſt ſibi anima noſtra ſubſannatione abundantium, peccatorum, deſpectione ſuperborum*. III. *Multo iam tempore anima noſtra ſatiata eſt irriſione opulentorum, contemptu ſuperborum*, qui ſcilicet dicunt nos ſruſtrari ſpe, & a te derelictos eſſe. IV. *Multum ſatiata eſt anima noſtra opprobrio delitioſorum, deſpectione ſuperborum*. V. *Plus ſatis ſatura eſt anima noſtra ludibrio faſtuoſorum, & ſuperborum vilipenſione*. VI. *Vehementer, & ad ſaturitatem uſque plena eſt, & concoquere intra ſe cogitur anima noſtra inſultationem locupletum, & contumeliam hominum violenter ſuperborum*. Plerique, qui verba ipſa, & accentus Hebraici regimen non admittunt, illud ſubaudiunt, ut paſſim fieri ſolet. VII. *Multum ſaturata eſt anima noſtra ſubſannatione, ſubſannatione, inquam, opulentorum*, ſeu *proſpere agentium, deſpectione, inquam, ſuperborum*. Alii ſecuti Noſtrum ſine regimine. VIII. *Multa ſatietas eſt ipſi animæ noſtræ: illuſio ſumus quietorum, deſpectio ſumus ſuperbis*. IX. *Plurimum ſatura eſt ſibi*: ſic ſupra Pſal. cxix. 6. vel, *ſaturata eſt, anima noſtra: iſta ſanna tranquillis ipſis, iſte contemptus* obveniat ſuperbis. Exponunt; Id eſt, iſta ſanna & contempus de quo ſuperiore verſu, obveniat tranquillis & ſuperbis; id eſt, qui præſenti ſuæ tranquillitati confidentes, ea abutuntur, & ludificantur nos ſuperbe, in calamitatibus noſtris. Imprecatio in hoſtes Eccleſiæ, ut Pſalm. lxxviii. 6. De notione vocis שַׁאֲנַנִּים *ſchaanannim*, quam hic *abundantes* Noſter reddidit, vide Notas in Iob xii. verſ. 5.

MENOCHII.

Verſ. 1. Qui habitas in caelis: periphraſis Dei; ſic Pſal. ii. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos*.

V. 2. Sicut oculi servorum, &c. Sicut oculi ſervorum, & ancillarum manus domini reſpiciunt, & obſervant, a quibus largitiones, dona, & victum expectant; ita nos tuæ miſericordiæ manum beneficam reſpicimus, a qua bona omnia nobis provenire ſentimus, & profitemur.

V. 3. Multum repleti sumus despectione; quia plus nimio ſatiati ſu-

mus

mus contemptu: ſic Threnorum III. 30. dicitur, *Saturabitur opprobriis*.

℣. 4. Multum repleta est anima nostra: contemptu, deſpectione, opprobriis. Opprobrium abundantibus: opprobrium enim facti ſumus locupletibus, & potentibus, qui præ felicitate ſuperbiunt.

TIRINI.

Verſ. 2. In manibus: ſupple, verſantur; id eſt, ad manus continuo reſpiciunt, ſcilicet ut earum liberalitatem & opem experiantur; ita nos, &c.

℣. 4. Repleta est: ſcilicet *deſpectione*, & præceſſit, & contemptu: facti opprobrium abundantibus; id eſt, divitibus ſuperbis: Symmachus, Hieronymus & Chaldæus vertunt, *Repleta eſt anima noſtra opprobrio abundantium & deſpectione ſuperborum*.

GORDONI.

Titulus, Canticum graduum; de quo ſupra. Pro argumento Pſalmus hic orationem ſubminiſtrat, ſive aſcendenti olim in Ieruſalem; ſive quod aptius eſt, peregrinanti hic inter mortales, & ob varias miſerias ſuſpiranti ad cæleſtem Ieruſalem. His nihil addi neceſſe eſt.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. & ſeq. Ad *te levavi*, &c. Optimum peregrini huius conſilium eſt hoc, ut quocumque vexatus malo, tendens recta ad Deum, agnoſcat ſuam miſeriam, infirmitatem & afflictionem, quam patiuntur boni ab impiis: adeo ſunt boni, *opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis*. Ita hunc locum recte interpretatur Auguſtinus, & accedit Hieronymus.

BOSSUET.

Verſ. 2. Sicut oculi servorum in manibus... attenti ad dominorum munus, ut vel ad leviſſimum indicium pareant: ita nos a Dei nutu ſuſpenſi. Donec misereatur ... nullum enim terminum attentioni noſtræ ponimus: ſupplices erimus, donec miſereatur.

℣. 4. Opprobrium abundantibus; &c. *opprobrio abundantium*, &c. Hier. quia divites & ſuperbi ad omnem contumeliam prompti.

PSALMUS CXXIII. EUCHARISTICUS.

David cum ſuis a periculis erutus: populus captivitate liberatus: Eccleſia pace conſtituta. Cum Davide Saulem fugiente erant ſexcenti viri I. *Reg.* XXV. 13. *pro quibus agit gratias. Davidi tribuitur:* *Hier. Hebr.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum David.

NIſi Dominus fuiſſet in nobis: dicat nunc Iſrael.

Niſi Dominus fuiſſet in nobis: cum exurgerent ſuper nos homines.

Forſitan vivos abſorbuiſſent nos: cum iraſceretur furor eorum ſuper nos.

Forſitan aquæ circumdediſſent nos: torrens tranſiſſet ſuper animam noſtram.

Forſitan tranſiſſent ſuper animam noſtram aquæ ſuperbiæ:

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.

Anima noſtra quaſi avis erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Auxilium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

NIſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael: 2. niſi quia Dominus erat in nobis,

Cum exurgerent homines in nos, 3. forte vivos deglutiſſent nos:

Cum iraſceretur furor eorum in nos, 4. forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

5. Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

6. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

7. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

8. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. FORTE VIVOS DEGLUTISSENT NOS. Heb. *Tunc vivos devoraſſent nos*.

V. 4. FORSITAN AQUA ABSORBUISSET NOS. Hebr. *Tunc aqua abſorbuiſſet nos*.

V. 5. TORRENTEM PERTRANSIVIT ANIMA NOSTRA. Heb. *Torrens pertranſiſſet anima noſtra*, id eſt oppreſſiſſet.

SA.

Gratulatio ob liberationem ab hoſtibus.

Verſ. 1. NISI QUIA, id eſt ſi non. ERAT. Hieron. *fuiſſet*. IN NOBIS, ſcilicet adiuvans nos.

V. 3. FORTE. Chald. *tunc*.

V. 4. FORSITAN. Chald. *tunc*. ABSORBUISSET, id eſt obruiſſet.

V. 5. PERTRANSIVIT. Hieron. *tranſiſſet*; quaſi dicat: Incidiſſet in mala graviſſima: id enim ſignificatur nomine aquæ & torrentis. INTOLERABILEM; quaſi dicat „Impertranſibilem.

V. 6. CAPTIONEM. Hieron. *prædam*. Chald. *cibum*.

V. 8. NOMINE DOMINI, id eſt Domino; ſcilicet ſitum eſt.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Sic Græce. Latini codices quidam addunt, *ipſi David*. Hebr. *Canticum graduum Davidis*. Se a malis liberatum populus prædicat:

V. 2. NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS. Hebr. *nobis*, ſcilicet opitulator.

V. 3. FORTE VIVOS. Hebr. *Tunc vivos deglutiſſent nos hoſtes*.

V. 4. FORSITAN, tunc. AQUA ABSORBUISSET NOS. Hebr. *aquæ inundaſſent nos*. *Aquas* vocat afflictiones.

V. 5. TORRENTEM PERTRANSIVIT. Heb. *torrens tranſiit ſuper animam noſtram*, id eſt ſuper nos. FORSITAN, tunc. PERTRANSISSET ANIMA NOSTRA. Heb. *tranſiſſet*; pro, tranſiiſſent ſuper animam noſtram. AQUAM INTOLERABILEM. Hebr. *aquæ ſuperbæ*, id eſt tumidæ, rapidæ.

V. 6. IN CAPTIONEM. Hebr. *prædam*. DENTIBUS EORUM; ſcilicet inimicorum non dedit nos.

V. 7. ANIMA NOSTRA; id eſt, vita erepta eſt e laqueo ut paſſer.

V. 8. ADIUTORIUM, auxilium. IN NOMINE DOMINI, id eſt in Domino. Ipſe nos eruit, aut eruet, ab inſidiis & malis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS. Heb. *Niſi Iehveh quod fuit nobis*. Traiectio pro. *Niſi quod Iehveh adfuit nobis*. Alii: I. *Niſi quod Iehova fuit nobiſcum*. II. *Niſi Iehova adfuiſſet nobis*. III. *Niſi Iehova qui præſto nobis eſt, iuviſſet*. IV. *Niſi Dominus a nobis ſtetiſſet*. V. *Niſi Domini beneficio, qui adfuit nobis, ſervati eſſemus*: ſic verſu ſequente. DICAT NUNC ISRAEL, id eſt populus Dei, ut Galat. VI. 16.

V. 3. VIVOS DEGLUTISSENT NOS. Hoc & duobus ſequentibus verſibus ſunt hyperbolæ allegoricæ elegantes.

V. 4. TORRENTEM PERTRANSIVIT ANIMA NOSTRA. Hebr. *Torrens tranſivit ſuper animam noſtram*. Quidam: *Torrens ſuperaviſſet nos*. Alii: *Torrens caput noſtrum ſuperaſſet*. Nonnulli: *Torrens obruiſſet, ſuſtuliſſet, nos*: ſic verſu ſequente.

V. 5. PERTRANSISSET ANIMA NOSTRA AQUAM INTOLERABILEM. Hebr. *Tranſivit ſuper animam noſtram aquæ ſuperbæ*, vel *ſuperbiarum*. Verbum ſingulare cum ſuppoſito plurali. Quidam ſubaudiunt: *Tunc ſuperaviſſet nos torrens aquæ ſuperbiſſimæ*, vel *aquarum ſuperbarum*. Alii diſtributive ad maiorem ſenſum: *Unaquæque ex ſuperbis aquis obruiſſet nos*. *Aquæ ſu-*

per-

perbæ dicuntur, tumidæ, validæ, multæ, magno impetu fluentes, ac inundantes, profundiſſimæ, altiſſimæ, quæ ſuperari non poſſunt.

V. 8. ADIUTORIUM NOSTRUM IN NOMINE DOMINI, &c. Sic Pſal. CXX. 2.

MENOCHII.

Verſ. 1. NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS, &c. Ita ſentiat, & profiteatur populus Iſraeliticus, quod ſi Deus nobis non adfuiſſet, cum homines nomini noſtro infeſti ſurrexerunt, ut perderent nos.

V. 3. VIVOS DEGLUTISSENT NOS: perdidiſſent nos procul dubio: particula enim ἄρα *utique*, vel *certe* ſignificat. Devorandi metaphora utitur non ſemel Scriptura cum grave nocumentum ab adverſario illatum ſignificare vult: ſic Prov. 1. 12. legimus: *Deglutiamus eum ſicut infernus viventem*.

V. 4. FORSITAN AQUA ABSORBUISSET NOS: copia, & magnitudo malorum, & perſecutionum. Alludit ad ſubmerſos in mari AEgyptios.

V. 5. TORRENTEM: maximum periculum, quod hic torrentis, ut ſuperiori verſiculo, aquæ nomine ſignificatur. PERTRANSISSET ANIMA NOSTRA AQUAM INTOLERABILEM. Niſi Deus iuviſſet nos, in aquas adeo profundas incidiſſemus, ex quibus evadere, aut enatare nullo modo licuiſſet. *Aquam intolerabilem*: in Græco eſt, ὕδωρ ἀνυπόστατον aquam fundo carentem, quæ non tolerat humanum veſtigium, quod nullibi figi poteſt. Simile eſt illud, *Veni in altitudinem maris, & non eſt ſubſtantia:* Pſal. LXVIII. 3. Vide ibi dicta.

V. 6. IN CAPTIONEM, prædam.

V. 7. SICUT PASSER, ſicut avicula: nam vox Hebraica צפור *tſippor*, non tam paſſerem, quam aviculam quamlibet ſignificat. DE LAQUEO VENANTIUM: ex hoſtium machinis, artibus, inſidiis, quibus conſtricti tenebamur.

V. 8. ADIUTORIUM, &c. nobis auxilium eſt in nomine Domini cæli terræque opificis, & ideo certum, & firmum. Illique ſoli ſalutem noſtram acceptam referimus.

TIRINI.

Verſ. 3. FORTE, & *forſitan*. Chaldæus, *tunc*. Neque enim eſt dubitantis, ſed aſſeverantis.

V. 4. AQUA; id eſt, inſtar aquæ & torrentis. ABSORBUISSET NOS furor hoſtium: ut olim mare rubrum AEgyptios.

V. 5. TORRENTEM; id eſt, ingentem impetum hoſtilium tentationum & afflictionum. FORSITAN; pro, utique, certo, niſi Deus iuviſſet nos, coacti fuiſſemus pertranſire AQUAM INTOLERABILEM; id eſt, impertranſibilem; quaſi dicat: Obruti fuiſſemus mole, pondere & copia malorum. Symachus, Aquila, Theodotion & S. Hyeronimus verrunt, *aquas ſuperbas*, ſeu *arrogantes*; id eſt, altiſſimas, profundiſſimas; quas S. Auguſtinus Tropologice accommodat peccatis.

GORDONI.

Titulus, CANTICUM GRADUUM. Argumentum ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν. Argumentum habet exultationem, & actionem gratiarum eorum qui a gravi periculo, & furore hominum liberati ſunt. Senſus ſive ad litteram, ſive myſticus apparet ex argumento Pſalmi præcedentis. In Hebræo additur in titulo לדוד *ledavid*.

Verſ. 1. & 2. NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS. Hieronymus, *Niſi Dominus fuiſſet in nobis*. In ſignum magnæ exultationis, ſenſus imperfectus eſt, & ſuſpenſus, uſque ad 2. & 3. verſiculos. Sed cur apponitur particula *forte*, etiam repetita? Septuaginta habent ἄρα, *utique*, Heb. אזי *azai*, *tunc*. Ceterum non eſt recedendum a Vulgata editione; & præſertim cum Hieronymus hoc loco vertat, *forte*. Immo eodem modo legunt Hilarius, Auguſtinus, & Chryſoſtomus; nec in hoc eſt ullum incommodum: nam illud *forte*, etiam in rigore vocis acceptum, poteſt deſignare libertatem arbitrii in perſequentibus, a quibus pendebat hic affectus malus. Sed nec accipiendo ſenſum myſticum aliquid in vincenda hac gravi tentatione aſſeritur pro Pelagianis, contra neceſſitatem gra-

gratiæ; quaſi diceretur, potuiſſe nos reſiſtere his inimicis, ſine auxilio gratiæ. Non, inquam, hoc denotatur, ſed fieri potuiſſe, ut inimici mitius agerent; ne vivos nos deglutirent, ut erant liberi.

*V.*4.&5.Torrentem pertransivit,&c. Aquam intolerabilem. Septuag. reddunt *ἀνυπόστατον*, nempe ex profunditate, ſine ſubſiſtentia fundi. Sed quæ verior lectio; *torrentem pertranſivit anima*, ut habent Septuaginta: an, *torrens pertranſivit animam*, ut eſt in Hebræo, quod probat Hieronymus? Non mala eſt conjectura Bellarmini, in exemplari Hebræo, quo uſi ſunt Septuaginta, non fuiſſe vocem על *hhal*, *ſuper*: & hoc ſi ita eſt, clarum relinquitur. textum Hebraicum recipere utramque lectionem, cum conſtet apud Hebræos, non differre nominativum ab accuſativo. Porro potuerunt Septuaginta in ſua translatione, non ad verba, ſed ad ſenſum attendiſſe.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. *& ſeq.* Quæ hic habeant difficultatem, mox dicam. Ad ſenſum paraphraſticum id ſolum ſpectat; docet eum, qui ut præfatus ſum, agit gratias Deo, primum agnoſcere & confiteri coram Deo periculum grave, in quo verſabatur, & neceſſarium fuiſſe auxilium gratiæ, ut liberaretur. Ac proinde verſu 6. incipit benedicere Deo, in gratiarum actionem; concludens totam in tentationibus his victoriam eſſe a Deo.

BOSSUET.

Verſ. 3. Vivos deglutissent nos: in pauculos homines toto irruente Saulis exercitu.

V. 5. Torrentem ... *Torrens tranſiſſet*, &c. Hier. totus in nos devolutus eſſet: torrens autem calamitates: pertransisset: *tranſiſſet ſuper animam noſtram*, Idem. Aquam intolerabilem: tranſiſſent... aquæ ſuperbiæ, id eſt tumidæ. LXX. *ἀνυπόστατον*, ubi non eſt conſiſtendi locus: magnæ noſtræ fuere calamitates; at ſi abfuiſſet Deus, longe graviores ac penitus inevitabiles.

V. 6. In captionem dentibus, *prædam*, Hier.

V. 7. Laqueus contritus est. Saul & inimici Davidis fracti. Sic victa Babylon, & captivi Hebræi tamquam aves e cavea avolarunt. Hunc Pſalmum pia & erudita Eccleſia Pariſienſis merito in martyrum ſolemnitate cantat.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXXIV. CONSOLATORIUS.

Tutus quem Deus tuetur. Convenit Iudæis reducibus cum a Sanaballat Samaritano & aliis vexarentur. Eſd. IV. &c. Nehem. IV. &c.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

QUi confidunt in Domino: quaſi mons Sion, immobilis, in æternum habitabilis.

Ieruſalem montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui: amodo & uſque in æternum.

Quia non requieſcet virga impietatis ſuper ſortem iuſtorum, ut non mittant iuſti in iniquitatem manus ſuas.

Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Qui autem declinant ad pravitates ſuas, deducet eos Dominus cum his qui operantur iniquitatem: pax ſuper Iſrael.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

QUi confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat 2. in Ieruſalem.

Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: ut non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

4. Benefac Domine bonis, & rectis corde.

5. * Declinantes autem in obligationes, † adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſrael.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. *Declinantes autem in obligationes*. Ut non eſt mutandus numerus pluralis in ſingularem *obligationem*; ita pro *obligationes* non eſt ſcribendum *obliquationes*, poſitum pro obliquitates, quod quidam ſubiiciunt.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 5. *Adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*. Quidam ſcribunt *abducet*, ex Græco ἀπάξει.

NOTATIO.

Verſ. 5. DEclinantes autem in obligationes. In nonnullis exemplaribus vetuſtioribus Titelmannus ait, Repertum eſt haberi pro *obligationes*, *obliquationes*; nos noſtris in manuſcriptis nequaquam id reperire potuimus: tantum in Bibliis a Pariſienſibus emendatis atque excuſis ad hunc invenimus modum: *Declinantes autem in obliquationes*. Sed iis in Bibliis, quæ cum emendationum ſuarum comprobatione ediderunt, nullum, cuius hæc lectio eſſet, exemplar ſignatum vidimus. Nec antiquus noſter Epanorthotes aliquorum codicum,

qui

qui *obliquationes* legant, meminit; dumtaxat multitudinis numero *obligationes* legendum eſſe, non *obligationem* monet. Fuit itaque noſtra hæc opinio non ex codicibus, ſed quorumdam coniectura *obligationes* cum *obliquationes* mutatum eſſe. Græce τοὺς δὲ ἐκκλίνοντας εἰς τὰς στραγγαλιάς. Στραγγαλιὰ Auguſtini verſio *ſtrangulationem* transfert, nam στραγγαλίζειν *ſuffocare*, & *ſtrangulare* ſignificat. Græca onomaſtica *obligationem* exponunt, & στραγγαλίδας nodos, nexuſque intricatos; eumdem ad modum Hieronymus explicat in 58. Iſaiæ caput, enarrans illud verſioni ſeptuagintaduorum λῦε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων. Auctor eius verſionis, quæ in Græco Pariſienſium Pſalterio ex S. Victoris codice emendato, exſtat, *obliquationem* tranſtulit. Similiter is, qui Græcis Bibliis, Baſileæ anno 1550. impreſſis, Latinam addidit interpretationem: στραγγαλιώδης enim obliquum, & *tortuoſum* denotat. Eumdem ad modum Euthymii Interpres *tortuoſitatem* reddidit, ipſum ſecutus Euthymium, qui εἰς τὰς στραγγαλιὰς *in perverſa* atque *obliqua* interpretatur. Hac autem potius ratione transferendum hoc loco videtur primum quod declinandi vocabulo aptius *obliquatio* ſeu *obliquitas* vel *tortuoſitas* congruat (*a*): tum quod rectis corde in obliquitatem declinantes a Prophera oppoſiti videantur: denique quod Hebraica vox עקלקלותם non *ſtrangulationes* neque *obligationes*; ſed *obliquitates*, *tortuoſitates*, & *perverſitates* denotet. Itaque Latinis noſtris codicibus pro *obligationes*, *obliquationes* ſcribendum eſſe, nonnulli haud ſanis decti argumentis exiſtimaverunt (*b*). Verum cum legant conſtanter *Obligationes* & Latina manuſcripta, quæ quidem nos vidimus, omnia, & Latini tractatores primæ, mediæ, poſtremæque ætatis; videtur ad eum modum Interpres ex Græco tranſtuliſſe. Neque hoc longe ab Hebræo recedit. Nam pravitates, perverſitateſque, quibus fere modis Hebræam hoc loco vocem interpretantur, obligationum nomine merito deſignentur, quod in deplorandam ſervitutem auctores ſuos redigant, neque facile exſolvendo debito obnoxios reddant.

(a) Aquila *ſimultates* explanavit; *obliquitates* Symmachus, & Theodotion *perverſa*; auctor eſt Theodoritus.

(b) Arnobius, Hilarius, Hieronymus cum in proprio loci commentario tum manifeſtius in Iſaiæ LVIII. cap. Proſper Caſſiodorus, Haymo, Remigius, &c.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. NON COMMOVEBITUR. Heb. *In æternum manebit*.

V. 2. QUI HABITAT IN IERUSALEM. Id eſt, ſicut Ieroſolymam circumdant, ac muniunt montes: ſic Dominus circumdat, & munit populum ſuum.

V. 3. QUIA NON RELINQUET DOMINUS. Hebr. *Non requieſcet virga iniquitatis ſuper ſortem iuſtorum*; id eſt, non diu permittentur iniqui in iuſtos dominari, Virga regnum ſignificat, ut Pſal. XLIV. 7. *Virga directionis virga regni tui*.

V. 5. DECLINANTES AUTEM IN OBLIGATIONES. Hebr. *In perverſitates ſuas*.

SA.

De confidentia in Deo.

Verſ. 1. NON; pro, qui non; quaſi dicat, Qui eſt immobilis. HABITAT; pro, ſitus eſt.

V. 2. EIUS, ſcilicet Ieruſalem. ET DOMINUS; pro, ſic Dominus.

V. 3. RELINQUET, id eſt permittet; ſcilicet dominari. VIRGAM, id eſt ſceptrum. SORTEM, id eſt hereditatem, EXTENDANT; ſcilicet, Tyrannorum exemplo, vel metu.

V. 5. OBLIGATIONES, id eſt vincula, ſcilicet peccatorum. Hieron. *pravitates*. Chald. *obliquationes*. ADDUCET, ſcilicet in locum eis debitum. Hieron. *deducet*: Chald. *deducet in gehennam*; quaſi dicat: Condemnabit eos, qui deſerunt viam iuſtitiæ, ſimul cum illis, qui ſemper iniqua operati. PAX, ſcilicet ſit. Vide Gal. VI.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

MARIANAE.

Verſ. I. CANTICUM GRADUUM. Pios divino præſidio eſſe tutos. QUI CONFIDUNT IN DOMINO, SICUT MONS SION: ſcilicet, erunt tutiſſimi, ut arx illa tuta erat ab iniuria. NON COMMOVEBITUR IN AETERNUM. QUI HABITAT. Hebr. *non movebitur, in æternum manebit:* ſcilicet, mons Sion, aut qui habitat in ea urbe.

V. 2. IN IERUSALEM. Hebr. *Ieruſalem*, & iungitur cum verſu ſequenti: *Ieruſalem montes in circuitu*. MONTES IN CIRCUITU EIUS. Ratio cur mons Sion ſit tutus, quoniam regio circum impedita eſt montibus. Et ſane Ieruſalem & ipſa in monte eſt ſita, & montibus ambitur. ET DOMINUS IN CIRCUITU. Accedit divinum præſidium, quod omni tempore præſto eſt.

V. 3. QUIA NON RELINQUET DOMINUS VIRGAM PECCATORUM. Hebr. *virgam iniquitatis*, id eſt ſceptrum, imperium pravorum. UT NON EXTENDANT IUSTI. Hebr. *mittant*. Exempla Principum imitari, genus obſequii eſt. Ergo ut iuſti non imitentur Principes malos, non permittet Deus ut dominentur eis

V. 5. DECLINANTES AUTEM IN OBLIGATIONES. Hieronymus, *ad pravitates*. Pſalt. Gotthic. *in pravitatibus*. Quidam, *tortuoſitatibus*. Id proprie ſignificat vox ϛραγγαλιὰ, qua Sept. uſi ſunt. Ergo pravos ADDUCET; id eſt, puniet eos, ſicut punit iniquos. PAX SUPER ISRAEL, id eſt felicitas ſit. Precatio eſt, qua Pſalmus clauditur.

MALVENDAE.

Verſ. I. QUI CONFIDUNT IN DOMINO, &c. Locus de firmitate Eccleſiæ, quæ fundata eſſe dicitur, & circummunita virtute Dei ſempiterna; hoc & ſequente verſu. SICUT MONS SION, NON COMMOVEBITUR IN AETERNUM QUI HABITAT. Hebr. *Sicut mons Tziionis non dimovebitur; in æternum ſedebit*. Alii: I. *Sunt ut mons Tziionis, qui non commovetur, ſed in ſæculum permanet*. II. *Sicut mons Tziionis immobilis, in æternum habitabilis*. III. *Sicut mons Tziionis non mutabit, ſed in æternum permanebit*; nimirum, quiſque ex confidentibus: ſic præcedente participio plurali *Confidentes* adiunguntur verba ſingularia *non nutabit, ſedebit*, diſtributive: ſic Pſal. CXXIII. 5. id enim maiorem emphaſim habet pro more Hebraico. IV. *Similes ſunt monti Tziionis*, qui *non dimovetur* loco, *ſed in ſæculum* ſeu *in perpetuum permanet*; id eſt, ædificati ſunt ſuper petram, quam nullæ procellæ, ac ne inferorum quidem portæ ſuperabunt, Matth. VII. 24 & cap XVI. 18.

V 2. IERUSALEM, MONTES IN CIRCUITU EIUS, ET DOMINUS, &c. Alii ex Heb. I. *Ieruſalaim* ſic fundata eſt, quod *montes in circuitu ipſi, & Iehova in circuitu populo ſuo ex nunc & uſque æternum*. II. *Quemadmodum montes circum Ieruſalem ſunt; ita Iehova eſt circum populum ſuum, nunc & in æternum*; hoc eſt, ut Ieruſalem optime munita eſt, & cincta montibus; ita Dominus munit & tuetur populum ſuum. III. *Ut Ieruſchalaima montes circumſtant; ita Iehova circumſtat populum ſuum, ex hoc tempore uſque in ſæculum*; id eſt, circumquaque protegit; ut Pſal. V. 13. Pſal. XXXIII. 8. & Pſal. XC. 4 Paraphraſtice: *Ieruſalem montes quidem habet in circuitu, verum illi non hoc poſſunt in defenſionem civitatis, quod Dominus, qui adeſt populo ſuo a prima hora uſque in perpetuum*.

V. 3. QUIA NON RELINQUET DOMINUS VIRGAM PECCATORUM SUPER SORTEM IUSTORUM. Alii ex Hebr. explanant: I. *Quia non requieſcet virga impietatis ſuper ſortem iuſtorum*; id eſt, neque permittet Deus pios tyrannide impiorum opprimi: virga, pro ſceptro. II. *Ne impiorum ſceptrum immineat ſorti iuſtorum*. III. *Quare non ſinet ſedem figere eum, qui ſceptro impietatis tyrannidem exercet in ea loca, quæ veluti divina ſorte obvenerunt iuſtis*. IV. *Non enim permanebit impietatis pertica in ſorte iuſtorum*. V. *Nam non quieſcit virga improbitatis ſuper ſortem iuſtorum*. Occupatio ad obiectionem; atqui videmus Eccleſiam malis perſæpe expoſitam, ſi

quando

Digitized by Google

quando videtur Deo Eccleſiam ſuam per improbos exercere: Eſt quidem expoſita, inquit Pſaltes, ſed tamquam ad momentum, ita ut ipſis calamitatibus fundamentum & defenſio piorum efficiatur illuſtrior: *non quieſcit*, id eſt non permanet: ſed paulo, momento, transfertur, & liberantur boni, I. Corinth. x. 13. Hoc autem e contrario ſibi arrogantes improbos, & refellentem Deum inducit Iſaias xxviii. 15. & ſequentibus. *Virga improbitatis*; id eſt, improborum, hypocritarumque, a quibus & propter quos Eccleſia Dei fere exercetur, & quorum meminit Pſaltes, ſupra verſ. 5. *Super ſortem iuſtorum*, id eſt Eccleſiam, & hereditatem piorum. UT NON EXTENDANT IUSTI AD INIQUITATEM MANUS SUAS. Exponunt ex Hebr. I. *Ne mittant iuſti ad iniquitatem manus ſuas*; id eſt, ne admoveant manus iniquitari, ne fiant iniqui, neve ſectentur tyrannorum iniquitates: ob hanc rem iuſtir Dominus perdere eos, qui terram ſanctam inhabitabant, ne Iudæi ſectarentur eorum ſtudia; quaſi dicat: Ne forte ſub imperio tyrannico legibus & iudiciis extinctis, & religione conculcata, vel deſperatione, vel illecebra etiam ipſi iuſti ad ſcelera impellantur, exemplo, vel proſperitate tyrannorum incitati. II. *Quominus admoveant manus ſuas ſceleribus iuſti*. III. *Ne & iuſti ipſi extendant ad perpetranda ſcelera manus ſuas*. IV. *Ut non extendant iuſti ad ullam iniquitatem manus ſuas*; id eſt, ut poſſint ſufferre pietate & ſanctimonia integra prout loquitur Paulus I. Corinth. x. 13.

V. 5. DECLINANTES AUTEM IN OBLIGATIONES, ADDUCET DOMINUS CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM. Alii ex Heb. I. *Et declinantes obliquitatibus ſuis*, vel *in obliquitates ſuas*, id eſt a recto, ad diſtortos & perverſos mores: *deducet eos Iehova*; id eſt, abducet eos de terra, quam dedit patribus eorum, ut ſæpe eis ſuit comminatus, *cum operantibus iniquitatem*, id eſt ut merentur improbi. II. *Qui autem declinant ad pravitates ſuas, deducet eos Iehova cum his, qui operantur iniquitatem*; id eſt, ponet inter improbos, & in numero reorum. III. *Et declinantes in perverſitates ſuas, ambulare faciet eos Iehova cum operantibus iniquitatem*. IV. *Qui autem ad malitiam ſuam avertuntur, ducit Dominus inter ſceleratos*. V. *Illos vero, qui aliis præcipitia parant, ire ipſos per præceps coge, Domine, quemadmodum homines ſceleratos æquum eſt*. VI. *Eos autem, qui deflectunt ad ſuas pravitates, abducat Dominus damnatos cum facinoroſis*, id eſt male perdat. VII. *Qui autem inclinant animos ſuos ad itinera tortuoſa ſua, faciat ut abeant illi*, vel *amandet eos, Iehova cum his, qui dant operam iniquitati*; id eſt, Hypocritas in Eccleſia verſantes, eiectos ex Eccleſia male perdat, ut Matth. xxi. 41. Lucæ xii. 46. quaſi dicat, Eccleſiam ſuam ſanctificet, & purget ab omni malo, quo genere imprecationis uſus eſt ſupra Pſal. cxxii. 4. PAX SUPER ISRAEL, ſit; id eſt, tranquillitas, incolumitas, proſperitas, ſalus; hoc eſt, ut bene ſit Eccleſiæ bonorum, ſublatis improbis.

MENOCHII.

Verſ. 1. SICUT MONS SION, &c. Firmus, immotuſque erit, ut mons Sion, qui ſuo loco dimoveri non poteſt.

V. 2. QUI HABITAT IN IERUSALEM; id eſt, & qui habitat in Ieruſalem, non commovebitur in æternum. MONTES IN CIRCUITU EIUS, &c. Sicut urbs Ieruſalem ab hoſtium incurſu tuta eſt, quod corona montium cingatur; ita Dominus ſcuto protectionis ſuæ populum fidelem circumcingit. EX HOC NUNC, ET USQUE IN SAECULUM; quaſi dicat: Et hæc tutela non eſt ad tempus, ſed perpetua, & æterna.

V. 3. NON RELINQUET, &c. Non permittet Dominus pios, & fideles populos ſuos, qui ſors & hereditas illius ſunt, diu vexari flagello impiorum. UT NON EXTENDANT, &c. Ne ſi iuſti diuturno tempore ſe malis conflictari animadverterint, a pietate deſciſcant, quaſi Deus parum curet ſuos, & impiis melius ſit.

V. 5. DECLINANTES AUTEM IN OBLIGATIONES, &c. In Græco eſt, εἰς τὰς στραγγαλιάς, Aquila vertit διαπλοκάς, Symmachus, σκολιότητας, Theodotio διεστραμμένα, quæ omnes verſiones aliquid obliquum, & contortum ſignificant, ut etiam interpretatio noſtra Latina, nam obligationes & nodi funiculorum, & reſtium aliquid conſtringentium, obliqui

 ſunt,

ſunt, & in ſe redeuntes. Senſus ergo eſt, qui ſtrophas nectunt, laqueos, & tortas, & implicatas fraudes, hos punet Dominus. ADDUCET DOMINUS, &c. Eodem loco habebit, ac operantes palam iniquitatem. PAX SUPER ISRAEL: ſuper Iſraelem autem qui fidem & pietatem Iacob imitatur, pax, & bonorum omnium copia requieſcet.

TIRINI.

Verſ. 1. SICUT MONS SION: ſupple, ſtabiles erunt & immobiles. QUI HABITAT; id eſt, civis & incola inhabitans.

V. 3. NON RELINQUET, ſcilicet diu, VIRGAM, id eſt ſceptrum & imperium tyrannorum: ita Theodoretus, Vatablus Ianſenius, Genebrardus. Vel, ut alii, *virgam*; id eſt, plagas & flagella, ut erant Nabuchodonoſor, Attila & ſimiles tyranni. Idque, NE EXTENDANT IUSTI, &c. id eſt, ne forte etiam iuſti fiant impii exemplo & proſperitate impiorum allecti, vel impatientia victi.

V. 5. IN OBLIGATIONES. Hebraice, *obliquationes*, vel tortuoſitates; Chaldæus, *obliquitates*; Hieronymus, *pravitates*; Græce *στραγγαλιάς*, id eſt implicationes, ſeu laqueos; quaſi dicat: Hypocritas, qui occultis laqueis, & tortuoſis viis innocentes obligant & irretiunt, ſuaſque perverſitates tegunt, ADDUCET DEUS CUM OPERANTIBUS palam INIQUITATEM; id eſt, æque ac perinde puniet, ac ſi eſſent aperte & palam impii: ita S. Hieronymus & Ianſenius.

GORDONI I.

Titulus, CANTICUM GRADUUM, המעלות *mahhaloth*, ut ſupra. Pro argumento hic Pſalmus dat conſilium collocandi ſpem totam in Deo: & convenit ſecundum utrumque ſenſum peregrinantibus; hoc eſt, ſive Iudæis redeuntibus in patriam, ſive piis hominibus reſpicientibus cælum.

Verſ. 1. & 2. NON COMMOVEBITUR IN AETERNUM. Hoc ad ſenſum litteralem intellige, dummodo non recedat ab illa confidentia. Immo etiam in ſenſu myſtico idem ſupplendum: Deus enim non deſerit, niſi deſeratur: ſed qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Rabini hic novam fecerunt interpretationem; ſed retinenda eſt, quam dant Septuaginta, ὁ κατοικῶν Ἱερουσαλήμ. Quod eſt hic verſ. 2. EX HOC NUNC, ET USQUE IN SAECULUM; Hieronymus, *modo, & uſque in æternum*. Græce eſt, ἀπὸ τοῦ νῦν Heb. מעתה *mehhattah*.

BOSSUET.

Verſ. 1. 2. NON COMMOVEBITUR ... vide Hier. ſenſuſque eſt: Quiſquis in Deum fidit, eum inſtar montis Sion excelſi & immobilis, & inſtar Ieruſalem urbis æternæ (niſi a Deo defeciſſet) ita fore immotum. Senſus ſecundi verſus: *Sicut Ieruſalem montibus, ita populus a Deo protegitur.*

V. 3. NON RELINQUET DOMINUS VIRGAM PECCATORUM: impiorum, ſancti populi hoſtium, Samaritanorum & aliorum. SUPER SORTEM: ſuper terram ſanctam. *Dominus*, deeſt etiam in LXX. Alex. edit. UT NON EXTENDANT IUSTI ... ne tandem iuſti calamitatibus fracti a lege deſciſcant: at Hier. *Non requieſcet virga impietatis*, &c. Iuſti non deſinunt caſtigari per impios, ne ſuperbiant.

V. 5. IN OBLIGATIONES ... in coarctationes, in pravitates ſuas. Hier. in tortuoſas vias, quibus ſe malo ſuo implicant.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS CXXV. CONSOLATORIUS.

Populus inſperato e captivitate liberatus, Deum ſervatorem canit, ſuaſque calamitates in lætitiam verſas. Pſalmus manifeſte poſt reditum e captivitate factus.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

CUm converteret Dominus captivitatem Sion: facti ſumus quaſi ſomniantes.

Tunc implebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra laude.

Tunc dicent in gentibus: magnificavit Dominus facere cum iſtis.

Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus ſicut lætantes.

Converte Domine captivitatem noſtram: ſicut rivus in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

Qui ambulans ibat & flebat, portans ad ſeminandum ſementem: veniens veniet in exultatione, portans manipulos ſuos.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati:

2. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

3. Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

4. Converte Domine captivitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro.

5. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

6. Euntes ibant & flebant, † mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

B R U G E N S I S

Lectionum Varietas.

V. 6. *Mittentes ſemina ſua.* Alii pro *mittentes* dicunt *portantes*, quamquam ſenſu parum diverſo.

Notatio.

Verſ. 6. E*Untes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.* Quod plerique hodie codices legunt, *Mittentes ſemina ſua*: ſcribunt antiqui Epanorthotæ, & Brugenſis ex noſtris, cum emendatis a Pariſienſibus Bibliis, *Portantes ſemina ſua.* Priori lectioni Græca antigrapha volunt βάλλοντες τὰ σπέρματα αὐτῶν: alteri Hebraica ſuffragantur נשא משך חזרע quod eſt: *Portans caniſtrum ſeminis*, ut quidam; vel, *Portans pretioſum ſemen*, ut alii interpretantur. Eadem eſt vox, quæ proximo verſu quo Græci habent αἴροντες τὰ δράγματα αὐτῶν; Latini: *Portantes manipulos ſuos.* Itaque pulchre ſibi reſpondent ſententiæ partes: Triſtes portabant ſemina, læti manipulos portabunt. Doctor Hentenius ex *portantes*, *mittentes* caſtigavit, tamquam ea ſit editionis noſtræ lectio. Porro aliud Epanorthotes iudica-

dicavit: „ Noſtra, inquit, translatio non „ habet *mittentes*, ſed habet *portantes* iuxta „ Hieronymum & Hebræum, qui habent „ *portantes*, & reſpondet ei quod infra di- „ citur, *portantes manipulos ſuos*. “ Antiquitate, & integritate præſtantiſſima monaſteriorum Lobienſis, & Tornacenſis manuſcripta, & Iacobi editio unanimiter Gallico Pſalterio *portantes*, Romano *mittentes* attribuunt; annotatque Iacobus: „ *Mitten-* „ *tes ſemina ſua* ex translatione Romana id „ mutuamus. Nam translatio noſtra habet: „ *Portantes ſemina ſua*, paulo vicinius ad „ Hebraicam, &c. “ Eſt quidem & noſtra editio, quam Gallicum Pſalterium vocant, ex Græco deducta (nam Græco convenit, uti diximus, quod in Romana eſt editione *mittentes*) ſed ex Hebræo multis mutata eſt locis. Ceterum parum ſenſu diſcriminis eſt, ſive *portantes* ſit, ſive *mittentes*; immo vero hoc illius explicatio eſt. Nam portaſſe intelliguntur ſemina, quæ in terram aut mittebant, aut miſſuri iam iam erant. Conati hoc loco videntur LXXII. ſenes non tam verba reddere, quam ſenſum. Hinc enim etiam ſingularis numeri verba in pluralia commutarunt (nam de pluribus intelligendum eſt, quod de uno pronuntiatur) eſt מֶשֶׁךְ, quod alii *caniſtrum*, alii *pretioſum* vertunt, interpretando prætermiſerunt. Niſi forte non מֶשֶׁךְ ſed מֹשֵׁךְ aut ad alium ſimilem modum legerint, ita ut eſſet: נֹשֵׂא מֹשֵׁךְ הַזָּרַע *Portans trahens ſemen*, id quod expoſuerint: *Mittens* ſeu *mittentes ſemina ſua*; quo fere modo Latinus Interpres, Amos nono capite מֹשֵׁךְ הַזָּרַע expoſuit *mittentem ſemen*.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 1. FACTI SUMUS SICUT CONSOLATI. Hebr. *ſicut ſomniantes*, id eſt, non poteramus præ lætitia credere vera eſſe quæ videbamus: ſicut Petrus cum per Angelum a carcere educeretur, exiſtimabat ſe viſum videre, Act. XII. 9.

V. 2. TUNC REPLETUM EST GAUDIO OS NOSTRUM. Hebr. *Riſu os noſtrum, & lingua noſtra cantu. Tunc dicebant inter gentes, Magna fecit Dominus erga iſtos.*

V. 4. SICUT TORRENS IN AUSTRO. Hebr. *Sicut torrentes in Auſtro*; id eſt, cum Auſtro vento, aut flante Auſtro vento, ſcilicet, nimboſo. Rogant qui iam a ſervitute liberati erant, Deum, ut ceteros quoque qui in ſervitute remanſerant, in patriam reducat, tanta multitudine atque concurſu, ut ſimiles eſſe videantur torrentibus, qui flante Auſtro e montibus defluunt. Hebræi interpretantur, Converte captivitatem noſtram ſicut ſoles in auſtrali plaga, quæ deſerta eſt & arida, torrentes aquarum educere.

V. 6. EUNTES IBANT ET FLEBANT. Heb. *Eundo ibit* (quilibet eorum) *portans pretioſum ſemen*.

SA.

De liberatione per Chriſtum.

Verſ. 1. IN CONVERTENDO. Hieron. *cum converteret*. CONSOLATI; quaſi dicat: Ita ſumus lætati, ut qui valde conſolantur. Hieron. *ſomniantes*; quaſi dicat: Tantum erat gaudium, ut putaremus ſomnium eſſe, ſcilicet vix credentes nos liberatos. Chald. *evigilantes e ſomniis*.

V. 2. GAUDIO. Hieron. & Chald. *riſu*. EXULTATIONE. Hieron. *laude*.

V. 3. MAGNIFICAVIT DOMINUS FACERE; pro, magnifice fecit.

V. 4. TORRENS: ſcilicet, impletur aquis, & velut exhilaratur ſiccitate liberatus. AUSTRO, ideſt deſerto ad Auſtrum; vel quaſi dicat, Flante Auſtro.

V. 5. QUI SEMINANT, &c. quaſi dicat ex tribulationibus noſtris velut ſemine colligentur fructus lætitiæ, & ſuavium præmiorum.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

MA-

Digitized by Google

MARIANAE.

Verſ. I. CANTICUM GRADUUM. Orat ut populus liberetur a captivitate. IN CONVERTENDO; ideſt, cum converter, reducet. FACTI SUMUS, vel erimus. SICUT CONSOLATI. παρακεκλημένοι aut *ſicut ſomniantes*, ut eſt Hebr. Vix id credemus, ſomnii inſtar videbitur ea liberatio. Porro ſomniantes læta non conſolantur, ſed quaſi. Id Septuag. voluerunt ſignificare. Et quidem, ut ait Chryſoſt. quidam Græci codices habebant, ἐνυπνιαζόμενοι, *ſomniantes.* Cum præter ſpem læta nuntiantur, videmur ſomniare.

V. 2. TUNC REPLETUM EST. Hebr. *implebitur*. GAUDIO, riſu. EXULTATIONE, iubilo, cantu, clamore os noſtrum.

V. 3. MAGNIFICAVIT.... FACERE, id eſt magna fecit. Verbum *dicent*, quod præcedit, oſtendit alia verba per futurum eſſe vertenda: neque loqui de liberatione iam facta, ſed futura. Aut certe futura pro præteritis ſumantur ob certitudinem.

V. 4. SICUT TORRENS IN AUSTRO; id eſt, in terra auſtrali, & arida. Tam grata erit ea liberatio, quam ſolet eſſe gratus torrens in iis regionibus.

V. 5. QUI SEMINANT. Nova comparatio; quaſi dicat, Similes erimus ſeminanti: qui ſeminat cum labore & triſtitia, ſed metit fruges cum lætitia: ſic nos poſt captivitatis moleſtias, libertate lætabimur.

V. 6. EUNTES IBANT ET FLEBANT, MITTENTES SEMINA SUA. Heb. *Flebat portans pretium ſeminis*: ſic Hebræus explicat vocem משך *meſech*, id eſt *pretium*, tum hic, tum Iob XXVIII. 18. Alii, *vas ſeminarium*. CUM EXULTATIONE. Hebr. *cum cantu*, id eſt celeuſmate, portabunt manipulos.

MALVENDAE.

Verſ. I. IN CONVERTENDO DOMINUS CAPTIVITATEM SION. Quidam reddunt: *Cum reduceret Iehova multitudinem captivorum Tziionis*. Alii: *Cum revocaret Dominus ab exilio nos, qui captivi ex Tziione abducti fueramus*. Nonnulli: *Cum Dominus reſtituet poſt liminio ipſam Tziionem*. Recte notant, hoc Canticum compoſitum eſſe ab aliquo Propheta temporibus Cyri, promulgato eius edicto de reverſione Iudæorum: vel a David prophetice, de ea reverſione. CAPTIVITATEM TZIIONIS; id eſt, Eccleſiæ Iudæorum: Synecdoche. Quidam שיבה *ſchibah*, non a שבה *ſchabah*, deducunt, id eſt *abductionem*, *captivitatem*, ſed a שוב *ſchub*, id eſt *reverſionem*, hoc eſt, reverſos ad Tziionem. *Cum reduceret Iehova reductionem Tziionis*, ſenſus eodem tendit. FACTI SUMUS SICUT CONSOLATI. Varie ex Heb. reddunt: I. *Fuimus ſicut convaleſcentes*; id eſt, ut ii qui ex aliqua ægritudine convaleſcunt. II. *Sani*, *integri*, *valentes*, *quieti*, *reſtituti ſumus*. Vide de notione verbi חלם *chalam*, in Iob XXXIX. 7. III Plerique reddunt: *Eramus velut qui ſomniant*; id eſt, videbamur ſomniare; tanta fuit liberationis admirabilitas, & lætitia, ut vix dum nobis perſuaſimus, donec vidimus gentes prædicare magnificam liberationem noſtram, & nobis miniſtrare, Hezræ I. & II.

V. 2. IMPLETUM EST GAUDIO. Hebr. *Riſu, os noſtrum*; id eſt, confirmati, & exhilarati ſumus, ut exponit verſ. 3. Synecdoche. TUNC DICENT INTER GENTES: vel *tunc dixerunt*; pro, *dictum eſt inter gentes*. Sic enim tertiæ perſonæ ſumi ſolent impersonaliter more linguæ: vide in Iob VII. 3. id eſt, ipſæ gentes agnoverunt & prædicaverunt. MAGNIFICAVIT DOMINUS FACERE CUM EIS. Hebr. *Magnificavit Iehova efficiendo cum iſtis*; id eſt, *magnifica Iehova effecit opera erga iſtos*. Alii: I. *Dominus res magnas cum illis fecit*. II. *Supra modum magna ſunt & ſtupenda quæ fecit Dominus in gratiam bonorum*. III. *Dominus res maximas cum iſtis egit*. Sic verſu ſequente.

V. 4. CONVERTE DOMINE CAPTIVITATEM NOSTRAM, SICUT TORRENS IN AUTRO. Varie ex Hebr. exponunt: I. *Redire fac Iehova captivitatem noſtram ſicut torrentes in Auſtro*; id eſt, ſi ut reducere ſoles torrentes in auſtrali plaga arida, ſicca, deſerta; vel & id erit nobis tam gratum, quam eſſe ſolent torrentes in regione meridionali quæ ſicca & ſiticuloſa eſſe ſolet propter ſolis æſtum. II. *Vertiſti Domine captivitatem noſtram, non ſecus quam cum Auſtro flante torrentes*

exſican-

exſicantur; vel *ſeda*, *quieſcere fac Iehova captivitatem noſtram ſicut inundationes aquarum in meridie*, vel *in ſiccitate*. III. *Perge*, *Domine*, *reveca nos e captivitate cum eo gaudio & fructu, quo terra ſitiens excipit fluentes per eam rivulos aqua plenos*. IV. *Reduc Domine noſtram captivitatem ut torrentes Auſtro ſiccos*. V. *Reduc*, *Iehova*, *multitudinem captivorum noſtrorum*, *tamquam validiſſimas aquas reducens in regionem ſiccam*. Petitio, ut Deus cœptam liberationem perficiat: quæ duabus allegoriis elegantibus ſcribitur, *tamquam validiſſimas*, &c. comparatio, qua propheta gratiam Dei liberantis, cum fluentis; populum vero cum terra ſiticuloſa comparat, & gratia Dei irrigari petit, quam nemo poſſit avertere. אפיקים *aphakim*, *fluxus*, *rivi*, *fluvii*, *torrentes*, *impetus*. Vide in II. Samuel. XXII. 16. & in Iob VI. 15.

V. 5. QUI SEMINANT IN LACRYMIS, &c. Quidam: *Qui ſeminarunt cum lacrymis, cum cantu metant*. Notant, hoc, & ſequente verſu eſſe alteram allegoriam, qua populus in captivitatem abductus egentibus agricolis, & ſemen ad alimoniam ſuam neceſſarium terræ committentibus comparatur: rediens vero lætis meſſoribus ex copioſa meſſe. Alii metaphoram eſſe volunt, ab his, qui in caritate annonæ cum mærore ſeminant: at ſi uber ſit proventus, cum gaudio metunt; unde reddunt: *Qui cum lacrymis ſeminaverant*, *cum gaudio meſſuerunt*. Nonnulli allegoriam ſumptam volunt ab illis qui in ſterili ſolo ſeminaverant, qui præter ſpem felices fruges reportant. *In quam* terram, *qui ante irrigationem ieceraut ſemen deſperantes propemodum*, *& cum fletu*: *illi metent*, *quæ provenerunt* de improviſo, cum gaudio ſummo. Buchananus:

Qui male fecundæ commiſit ſemina terræ
Et corde triſtis multa volvit anxio;
Si venit uberior ſeges imbribus aucta benignis,
Exſultat hilarì cor mærentis gaudio.

V. 6. EUNTES IBANT, ET FLEBANT, &c. Hunc nos verſum ex Heb. verbatim repoſuimus (*Ambulare ambulabit*, *& lacrymabitur levans tractum ſeminis*: *venire veniet in acclamatione levans manipulos ſuos*) Alii multis modis: I. *Eundo ibit & flendo*, *portans longe ſemen*: *veniendo veniet in laude*, *portans faſciculos ſuos*, Allegoriam ita elucidant: Populus ivit in captivitatem flens, ac portans ſemen divini verbi in longinquas regiones: redibit autem cum laude Dei, portans faſciculos argenteorum & aureorum vaſorum, Hezræ 1. II. *Eundo ibit*, *& flendo*, *qui portat pretium ſeminis*, ſeu *pretioſum ſemen*; id eſt, ſemen magno pretio emptum in gravitate annonæ, ob quod triſtis ibit ad ſeminandum: *& veniendo veniet cum iubilo reportans manipulos ſuos*, uberes, copioſos, quam ſperaverat; idem dicit quod præcedente verſu. III. *Qui ocyus abibat*, *& flens captum ſemen proiiciebat*; *iam feſtinus redit*, *ac lætus manipulos ſuos reportat*. IV. *Hi enim ſolliciti ibant*, *& flentes portabant in ſterilem illum agrum ſemen pretioſum iacturi*: *verum redeuntes gaudio pleni referent manipulos expectatione ſua longe plures*. V. *Qui portat vas ſeminarium*, ſeu *caniſtrum ſeminis*, *pergeſſlendo*: *ſed portans manipulos ſuos ſubinde redibit cum iubilo*. VI. *Eundo ibit*, *& flendo tollet tractum ſeminis*; id eſt, ſemen tractim proiiciendum in terram: ſolent enim agricolæ velut manu trahere, & tractim proiicere ſementem: ut Hamos IX. 13. *Veniendo veniet cum ovatione portans faſciculos ſuos*. VII. *Qui portans acquiſitionem ſeminis*, ſeu *ſemen acquiſitum*; id eſt, aliunde comparatum prece, vel pretio: ſic notatur egentiſſimus agricola, & cum populo captivo comparatur: *Indeſinenter ibat flendo*; *is omnino redeat cum cantu*, *reportans manipulos ſuos*.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN CONVERTENDO. Quando convertit, quando revocavit, & reduxit Dominus captivitatem, valde ſumus conſolati. SICUT CONSOLATI. In Hebræo eſt, הלמים *cohlemim*, quæ vox, *ſomniantes* ſignificat. Adeo conſolati ſumus, & lætati noſtra tribulatione, ut nobis ipſis non crederemus, ſed rem quæ agebatur, quaſi ſomnium putaremus, adeo præter ſpem acciderat. TUNC DICENT INTER GENTES: cum ſcilicet hæc fama reditus noſtri late vulgata ad aures longe diſtantium populorum pervenerit. MAGNIFICAVIT DOMINUS FACERE CUM EIS. Plane admiranda ſunt quæ Dominus in populi Iſraelitici gratiam patravit.

V. 3.

℣. 3. Magnificavit Dominus, &c. Sane magnis nos beneficiis affecit Dominus.

℣. 4. Converte captivitatem noſtram: reduc captivitatem noſtram in patriam. Sicut torrens in Auſtro: ut ſimul plurimi magna velocitate revertamur in patriæ ſinum, quemadmodum aquæ torrentium Auſtro flante, & nives ſolvente, per alveum citiſſime decurrunt, & ad mare properant.

V. 5. Qui seminant in lacrymis, &c. metaphora ab agricolis ducta, ſicut qui ſeminant cum labore, & dolore, quia ſemen proiicere, & quodammodo perdere videntur, poſtea gaudent in meſſe; ita malis captivitatis vexati, largam eius conſolationis, & lætitiæ, quam nunc metunt, ſementem fecerunt.

V. 6. Manipulos, faſciculos collectarum frugum.

TIRINI.

Verſ. 1. IN *a* convertendo; Hieronymus, *cum converteret*; Chaldæus, *quando convertet*, facti sumus sicut consolati; id eſt, ſic lætati ſumus, ut ſolent qui inſperatis bonis vel novis nuntiis valde conſolantur ſeu recreantur: Hieronymus & Chaldæus vertunt, *ſicut ſomniantes*, & *e ſomniis evigilantes*; quaſi dicat: Tam inſperatus nobis accidit reditus e carcere.

V. 4. Converte captivitatem noſtram, reliquam; id eſt, reliquos ex gente noſtra captivos adhuc in Chaldæa, reduc in patriam, & una nobiſcum exhilara: sicut torrens flante Auſtro terram convertit & exhilarat, nempe copia aquarum, quas Auſter calore ſuo ſolvens glaciem, & liquans nivem, procreare & inducere ſolet. Unde Chaldæus habet: *Converte captivos noſtros, ſicut convertitur terra quando irrumpunt in eam exitus*, ſeu flueuta *aquarum tempore ſiccitatis*: ita Theodoretus. Tropologice, S. Hieronymus & Auguſtinus, flante Spiritu ſancto ſolvuntur peccata & gelu cordis per compunctionem & lacrymas.

V. 6. Semina sua; quaſi dicat: Proles & opes ſuas quaſi perdunt in Babylonia; ſed Deo providente referent multiplicato fœnore lætiſſimos inde manipulos novarum opum & gaudiorum. Anagogice, qui ſeminant hic bona opera, & maxime verbum Dei, metent in futuro manipulos meritorum, & animarum quas convertunt, inquit ſanctus Auguſtinus & Hieronymus.

(a) In Prol. de Idiot. Heb. n. 12.

GORDONI.

Titulus conſuetus, Canticum graduum. Argumentum iuxta litteralem ſenſum aperte eſt de reditu Iudæorum in patriam, ſoluta captivitate ſub Cyro. Habet autem typice figuram de liberatione a peccato, ſub Chriſto.

Verſ. 1. *& 4.* IN convertendo Dominus: Inſignem declarar populi conſolationem, laxata captivitate, Sicut consolati; Sepruaginta, *παρακεκλημένοι*. Hieronymus, *ſicut ſomniantes*, Heb. כחלמים *checholemim*; præ admiratione iuſperati boni, velut ſomnium putatum eſt decretum Cyri, de populi permiſſo reditu in parriam. Hic verſ. 4. Auſter eſt ventus, Septuaginra, *νότος*. Hebr. נגב *negeb*, quod ex Septuaginta etiam ventum Auſtri ſignat, & non tantum meridiem.

V. 5. Qui seminant in lacrymis. Exhortatio eſt ad redeuntes, exemplo ſeminantis, ut libenter ſuſcipiant itineris laborem, expectantes meſſem multam in exultatione, quod apertius perſequitur Pſalmiſta verſu 6.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. & ſeq. QUod attinet ad ſuccinctam Pſal. huius Paraphraſim, tota res eſt; tum oſtendendo conſolationem redeuntis in patriam, & orat, ut ſicut reditum a Deo eſſe agnoſcunt gentes, ita celeriter fiat, ſicut torrens, flante auſtro, & diſſolutis nivibus: tum (quod eſt verſ. 6.) hortando captivos, ut ſtrenue agant; laborem aſcendendi libenter ſuſcipiant; & quæ retro ſunt apud Babylonios, non avertant aſcendendi deſiderium; quia labori huic non deerunt manipuli, & præmia.

BOSSUET.

Verſ. 1. SICUT CONSOLATI : *convaleſcentes*, Ch. *ſomniantes*, Hier. quod e tantis malis repente eruti, vix ipſi libertati ſuæ crederent. Sic Petrus inopinato liberatus, exiſtimabat ſe viſum videre: Act. XII. 9.

V. 2. GAUDIO, *riſu*: EXULTATIONE, *laude*, Hier.

V. 3. MAGNIFICAVIT . . . . magna fecit nobis Deus. Hebraiſmus.

V. 4. SICUT TORRENS....... *ſicut torrentem in meridie*, Hebr. tanta copia, tanta rapiditate; tam iucunde, quam cum aqua locis aridis abundat.

V. 6. EUNTES........ *qui ambulans*, &c. *veniens veniet*, &c. Hier. Sic captivi, qui ubertim flebant dum adducebantur, nunc redeunt fructu diuturnæ patientiæ ac fidei læti.

PSALMUS CXXVI. EUCHARISTICUS ET CONSOLATORIUS.

Salomon, ædificata domo Dei & ſua, Deum adiutorem agnoſcit. Idem facit populus, ſoluta captivitate, templo & urbe reſtitutis. Eccleſia Chriſtiana, victis perſecutoribus aut vitiis triumphatis, canit Dei gratiam qua vicit mundum.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum Salomoni.

NIſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus coſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Fruſtra eſt vobis de mane conſurgere: poſtquam ſederitis, qui manducatis panem dolorum*: ſic dabit diligentibus ſe ſomnum.

Ecce hereditas Domini, filii: merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii iuventutis.

Beatus vir qui implevit pharetram ſuam ex ipſis; non confundentur, cum loquentur inimicis ſuis in porta.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum Salomonis.

NIſi Dominus ædificaverit domum; in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

2. † Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum:
3. ecce hereditas Domini, filii: merces, fructus ventris.

4. Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

5. Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: † non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.

BRU-

Digitized by Google

BRUGENSIS

Lectionum Varietas.

V. 2. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis*. Multi antiqui libri pro imperativo *ſurgite*, repetunt infinitivum *ſurgere*, qua de re Notationes noſtræ in Biblia.

V. 5. *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta*. Epanorthotes annotat: " Item G. Hebræus, & Hieronymus & " antiqui, & Græcus, Non confundentur, cum loquentur. Non eſt ibi in ſingulari.

Notatio.

Verſ. 2. FRequentior hoc loco Latinorum codicum ſcriptura eſt: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis*, quam Græci plerique codices cum Apollinaris Pſalterio probant. *εἰς μάτην ὑμῖν ἐστὶ τὸ ὀρθρίζειν ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι*, & multi veterum Patrum explicant, Hilarius, Hieronymus (*a*), Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus, Gregorius, Haymo, Remigius, Bruno; quamquam ſimplex illa, quam Hieronymi commentarius addit, huius loci intelligentia, *ſurgite* non agnoſcat. Sunt quidam editionis noſtræ codices, qui pro *ſurgite*, *ſurgere* repetant: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis*; ex noſtris Brugenſis, Lobienſis, Stapulenſis; ex Lugdunenſium quidam; & antiqui Epanorthotæ, cuius hunc in locum hæc notatio eſt: " Antiqui iuxta Hebræum: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere ſurgere poſtquam ſederitis*. Hieronymus: *Fruſtra vobis eſt de mane ſurgere poſtquam ſederitis*. " Secundum hoc non videtur huic ſenſui " convenire littera, quæ habet, *ſurgite*, " quam habet Græcus minus correctus. Nam " correctores habent ſecundo loco *ſurgere*. " Unde dicit gloſſa Theodorii: Non imperativo, ſed infinitivo eſt ibi *ſurgere*: " hactenus Corrector, qui quod dicit, Correctiores Græcorum codices habere ſecundo loco *ſurgere*: (ſic enim videntur legenda, intelligendaque eius verba) nos a vero non alienum eſſe obſervaviſſe videmur: nam Græcum Vaticanæ Bibliothecæ codicem *ἐγείρεσθαι* non *ἐγείρεσθε* legere comperimus. Euthymium etiam Græcum Enarratorem ad eumdem modum *ἐγείρεσθαι* legiſſe, cum ex Interpretis in margine annotatione, tum ex ipſis auctoris commentariis animadvertimus. Denique & Theodoritum, Euthymio longe antiquiorem notaſſe invenimus: " *Surgere*, non *ſurgite* legendum eſt, " ut infinitus ſit modus, & non imperandi. " Inſuper quod habet Corrector, Hebræo conſonam eſſe hanc antiquorum codicum lectionem, verum id nobis eſſe videtur. Non eſt enim Hebraice קוּמוּ, quod eſt *ſurgite*, ſed שָׁוְא לָכֶם מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת id quod vertunt Neoterici Interpretes: *Vanum vobis eſt maturantibus*, ſeu *diluculo prævenientibus ſurgere, tardantibus ſedere*; quia & Chryſoſtomus atteſtatur alium tranſtuliſſe *tardantibus ad ſedendum*, alium *differentibus ſedere*. 72. paulo aliter diſtinxerunt. Priorem ſententiæ iſtius partem, hanc intellexerunt שָׁוְא לָכֶם מַשְׁכִּימֵי *vanum eſt vobis maturantibus*, quam per infinitivum explicuerunt *εἰς μάτην ὑμῖν ἐστι τὸ ὀρθρίζειν*. In *vanum vobis eſt maturare*, ſeu ut circumlocutus Interpres tranſtulit *ante lucem ſurgere*. Neque enim eſt Latinis vox una, quæ Græcæ *ὀρθρίζω*, aut Hebraicæ הִשְׁכִּים perfecte reſpondeat, niſi velis forte *manicare* dicere, id quod Lucæ XXI. in Latinis pleriſque codicibus legitur. Pro altera ſententiæ parte acceperunt LXX. quod ſequitur קוּם מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת: verum non מְאַחֲרֵי quod eſt tertiæ coniugationis participium, ſed מֵאַחֲרֵי legerunt quod eſt *a poſt* ſive *poſt*; itaque ad verbum converterunt *ἐγείρεσθαι μετὰ τὸ καθῆσθαι*, *Surgere poſt ſedere*, nec convertiſſe potuerunt *ἐγείρεσθε ſurgite*: eſt enim קוּם infinitivus, non imperativus numeri pluralis. Ecce igitur ex Hebræo *ſurgere*, pro *ſurgite*, id quod comprobat D. Hieronymi ad Marcellam explicatio, quæ huiuſmodi eſt: " Prophetice populus arguitur ad templum diluculo fruſtra ſurgere, " & poſt quietem ad ſanctuarium feſtinare, cum idola Dei honore venerentur. " Notant autem poſterius *ſurgere* Lobienſis codex, Tornacenſis, & Herbipolenſis obelo, tamquam quod Hebraice non legatur; id quod occaſionem accepiſſe exiſtimo ex D. Hieronymi translatione, qua ſurgendi vocabulum non repetitur: *Fruſtra vobis eſt de mane* (*b*) *ſurgere poſtquam ſederitis*: hinc Iacobus annotavit. " *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis*; hoc " *ſurgite* ex translatione Romana mutuatum

„ eſt, quod etiam habeatur Græce . At „ Gallica habet: *Vanum eſt vobis ante lucem* „ *ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis*. Sed & „ illud *ſurgite* & ſecundo loco *ſurgere*, ſu- „ perfluum ex Hebræo videtur, unde ha- „ betur: *Fruſtra vobis eſt de mane ſurgere* „ *poſtquam ſederitis*. “ Hucuſque ille. Innuxit Hieronymus קום cum מַשְׁכִּימֵי ut noſtri; legit מְאַחֲרֵי ut LXXII. Interpretes, totumque unam intellexit ſententiam. Illud autem מַשְׁכִּימֵי קוּם, quod ad verbum veritas, *de mane ſurgentibus ſurgere*, eodem ſenſu tranſtulit *de mane ſurgere*, omiſſo *ſurgentibus* pro Latinæ linguæ decoro. Quamobrem non videtur ex Hebræo ſuperfluum eſſe, aut obelo confodiendum *ſurgere*, multoque minus poſterius, quam prius: poſterius enim expreſſe, prius implicite legitur tum Græce, tum Hebraice. Brugenſi manuſcripto nulla eſt obeli ſigna. Verumenimvero potuit Hieronymus vocem מַשְׁכִּימֵי ut nomen non ut participium accepiſſe: מַשְׁכִּים enim nomen deſignat *mane* vel *matutinum*. In Hoſeæ prophetia quod ſemel atque iterum legitur כַּטַּל מַשְׁכִּים הֹלֵךְ. Hieronymus ipſe ſexto capite, *Quaſi ros mane pertranſiens*; decimo tertio, *Sicut ros matutinus præteriens* interpretatus eſt. Facile igitur quod hoc loco eſt, מַשְׁכִּימֵי קוּם potuit convertiſſe, *De mane ſurgere*, vel *conſurgere*, nec aliud quidquam intellexiſſe comprehenſum; hoc autem modo Hebraicis dictionibus acceptis, prius inde *ſurgere* non habetur; verum aliter videntur intellexiſſe 72. viri, a quibus duo verba tranſlata ſunt ὀρθρίζειν, quod exponat מַשְׁכִּימֵי ἐγείρεσθαι quod reſpondeat קוּם. Huius autem lectionis, quæ duobus infiniti modi verbis utitur: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis*, ſenſus commodus eſt: fruſtra bene mane ſurgitis, fruſtra interdiu, modica refocillatione contenti, ad accelerãnda negotia veſtra reditis, ſubaudi, niſi Dominus veſtris conatibus adſpiret, veſtra ſtudia ſecundet.

(a) In Pſalmorum commentariis, Lib. VIII. Moralium cap. III.
(b) conſurgere 6. MS.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Heb. *Canticum graduum Salomonis*.

V. 2. VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGERE. Hebr. *Fruſtra mane ſurgitis, & ſero ſedetis, & comeditis panem dolorum*; id eſt, nihil vobis prodeſt primo mane ſurgere, & uſque ad multam noctem non ſedere & a labore requieſcere, & vitam ſumma cum moleſtia animique ſolicitudine tolerare, quia *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Rom. IX. 16.

V. 3. CUM DEDERIT DILECTIS SUIS SOMNUM. Hebr. *Sic dabit dilecto ſuo ſomnum*; id eſt, ſicut vobis vigiliæ ac labores veſtri nihil proſunt, ita ii quos Deus diligit, vel dormiendo felices fiunt, filiique illis nihil cogitantibus naſcuntur, qui pro maxima hereditate a Domino conceſſa computandi ſunt, & pro magna laborum mercede. Solet enim Scriptura multitudinem filiorum in parte felicitatis ponere, ut Pſalmo ſequenti, 3. *Filii tui ſicut novellæ olivarum*, & Iob XXIX. 5.

V. 4. ITA FILII EXCUSSORUM. Hebr. *filii iuventutum*, id eſt iuvenes; vel, qui in iuventute naſcuntur: ſunt enim in ſenectute quaſi ſagittæ, id eſt arma patris.

V. 5. BEATUS VIR, QUI IMPLEVIT DESIDERIUM SUUM EX IPSIS. Hebr. *Pharetram ſuam*, id eſt domum ſuam: habebit enim qui in iudicio, quod in porta civitatis exercebatur, pro ipſo reſpondeant; itaque non timebit ab hoſtibus ſuis.

S A.

De Dei auxilio.

Verſ. 1. AEDIFICAVERIT DOMUM; id eſt, prolem dederit, ſeu rem domeſticam auxerit. Vide Exod. I. II. Reg. VII. I. Par. XVII. AEDIFICANT; id eſt, conantur prolem habere, ſeu opes acquirere.

V. 2.

V. 2. Vanum, ſcilicet Deo non iuvante. Surgite, ſcilicet Deo freti; vel quaſi dicat: Surgite ſane ad laborem, quo victum quæritis, nihil ſine Deo efficietis. Sederitis; id eſt, quieveritis, ſeu ceſſaveritis; quaſi dicat, Redite ad laborem. Doloris, id eſt labore partum. Somnum, id eſt quietem, ſeu mortem.

V. 3. Hereditas, ſcilicet electis dabitur. Filii, ſcilicet ſunt, quibus danda; vel quaſi dicat: Dat Deus ſuis quieſcentibus filios. Merces. Chald. *præmium bonorum operum*. Fructus: genitivus eſt Græc. quaſi dicat: Filii ipſi ſunt velut merces piis a Deo data; vel, electi ſunt velut merces Chriſti; ipſe enim eſt fructus virginei ventris.

V. 4. Excussorum; pro, excuſſi, id eſt expediti, ſcilicet validi. Hieron. *iuventutis*, id eſt iuvenes (vide Neh. IV.), ſcilicet magno adiumento ſunt patri ut ſagittæ potenti.

V. 5. Implevit, &c. quaſi dicat: Qui filiis abundat, quos optaverat. Loquetur, ſcilicet contendens. Porta, id eſt iudicio: in portis enim urbium iudicia fiebant.

ESTII

Verſ. 4. Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum. Illud, *excuſſorum*, eſt participium paſſivum præteriti temporis, ut patet ex Græco. Hieronym. vertit, *Filii iuventutis*. Vide etiam de *excuſſis* apud eumdem Hieronym. in Epiſtola ad Marcellam, ubi & alia quædam huius Pſalmi diſcutit.

V. 5. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Græce pluraliter: *Non confundentur, cum locuti fuerint inimicis ſuis in porta*. Et ſic ſermo eſſet de filiis eius, quem dicit beatum. Vel etiam ipſe pater ſecundum noſtram lectionem non confundetur; maxime ſi reliquerit liberos probos, qui audeant & ipſi inimicis ſuis reſpondere, iuxta illud Eccl. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis ſuis agnoſcetur vir*.

MARIANAE.

Verſ. 1. Canticum graduum Salomonis. Ex hoc titulo Origenes III. Periarch. cap. 1. putat hæc Cantica graduum eſſe Salomonis. Verum eadem ratione e titulo Pſalmi CXXIII. colligas eſſe Davidis. Ergo *Salomonis* explicant alii, id eſt in gratiam Salomonis; aut certe hic Pſalmus Salomonem auctorem habuit. Dei ope bona provenire air. Aedificaverit domum. De felicitate domus & copiis poteſt intelligi, tum de filiorum procreatione, ut Exod. 1. 21. *Aedificavit illis domos*; id eſt, ſobolem conceſſit.

V. 2. Ante lucem surgere. Hebr. *Fruſtra vobis eſt, maturantibus mane ſurgere*. Surgite postquam sederitis; id eſt, poſt quietem ſumptam ite ad laborem. Hebr. *tardantibus ſedere*, id eſt ſero capientibus quietem. Qui manducatis panem doloris, id eſt magno labore partum. Hebr. *manducantibus panem doloris*: ſcilicet, hæc omnia ſunt vana, mane ſurgere, ſero quieſcere, panem laboris comedere; niſi Dei gratia adſit, parum proficietis. Cum dederit dilectis suis somnum; id eſt, contraria ratione, cum tranquillitate dat Deus amicis bona. Hebr. *ſic dabit diligenti ipſum ſomnum*; id eſt, ut alii in vanum laborant, ſic piis dormientibus bona provenient.

V. 3. Ecce hereditas Domini, id eſt a Deo data. Filii. Id eſt ædificare domum, quod Dei nutu fit. Porro propter acentum *Athna*, in voce *filii* ſunt duo puncta. Merces, fructus ventris: ſcilicet, a Deo dantur filii, & ob parentum merita.

V. 4. In manu potentis, ſcilicet robuſti; id eſt, ſagittæ magna vi excuſſæ. Ita filii excussorum; id eſt, piorum qui laboribus vexantur. Magnum illis in filiis præſidium, quos Deus conceſſit. Heb. *ita filii iuventutum*; id eſt, a iuvenibus geniti ſunt ut ſagittæ, ii ſunt validiores. Simul indicat, quo tempore filii procreari debeant.

V. 5. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis. Hebr. *pharetram ſuam*, id eſt domum: & perſtat in

in metaphora ſagittarum. Ergo beatus qui multos filios habet. NON CONFUNDETUR, id eſt pudefiet; ſcilicet ipſe pater filiorum ope tutus. Hebr. in plurali, *non pudefient, cum loquentur*; id eſt, diſceptabunt inimicis: ipſi filii fraterna freti ope, & pater cum ipſis. IN PORTA, in foro, publice. Forum erat ad urbis portam. Ibi erunt victores.

MALVENDAE.

Verſ. 1. SALOMONIS. Hebr. in dativo: *Ipſi Salomoni*, id eſt *in, ad, Salomonem*, vel *de Salomone*, aut *pro Salomone*. Notant, videri Davidem Canticum hoc paulo ante mortem ſuam pro Schelomone ſcripſiſſe, ut perpetuum hoc haberet documentum fidei in tota adminiſtratione ſua. Continet itaque documenta duo, unum de privata & publica rerum adminiſtratione, duobus primis verſibus: alterum de ſingulari generis propagatione, tribus reliquis: quæ omnia David a Dei benedictione expectanda docet. Quamobrem reddunt, *pro Schelomone*, ut Pſal. LXXI. 1. NISI DOMINUS AEDIFICAVERIT, vel ædificet, DOMUM; id eſt, benedictione verbi ſui adſit ædificantibus *ædificationem domus*; ex conſuetudine linguæ notant complecti omnia, quæ pertinent ad tuendam, & amplificandam rem privatam; id eſt, Niſi Dominus & liberos, & familiam, & honores, & divitias largiatur, inaniter laborant qui rebus his comparandis ſtudent; ut mox *civitatem*, id eſt Rempublicam.

V. 2. VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGERE, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. explanant: I. *Fruſtra eſt vobis, o antelucantes ſurgere, retardantes ſedere, comedentes panem dolorum: quia ſic dabit amico ſuo ſomnum*. II. *Fruſtra vobis eſt mane conſurgere, detentio ſeſſione, manducantes panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum*. III. *Fruſtra vobis eſt maturantibus ſurgere, tardantibus ſedere, edentibus panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum*: vel, *ut fruſtra vobis eſt mane ſurgentibus, ſurgere, & differentibus ſeſſionem, ſedere; comedentibus panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum*. Comparatio per contraria; quaſi dicat: Ut fruſtra laboratis, qui bene mane ſurgitis, & ſero admodum ſomno vos committitis, & comeditis panem partum cum maxima animi anxietate, quia numquam eritis voti compotes: ſic contra dabit dilecto cuique ſuo ſomnum Dominus, id eſt omnimodam ſine labore tranquillitatem. Vel *dabit in ſomno dilecti ſui*, aut *per ſomnum*, hoc eſt, citra laborem. Ac ſi dicat, ut fruſtra laboratis qui maturrime ſurgitis, &c. ſic citra laborem dilecti a Deo aſſequentur, quæ vos ſine labore aſſequi non poteſtis. IV. *Fruſtra eſt, quod mane ſurgitis, & ſero quietem capitis, edentes cibum doloribus partum: cum Deus interim caris hominibus ſomnum concedat*. V. *Vanum eſt vobis ſummo mane ſurgere* ad labores, & parum quieſcere, ac ſero redire ad quietem, *& parto laboribus maximis pane veſci*, niſi Dominus vos iuvet, aut dederit incrementum: *ſic dabit dilectis ſuis ſomnum*; id eſt ſecuram omnium, & cunctis bonis affluentem quietem. VI. *Fruſtraneum eſt, ſi poſtquam quieveritis, quam maturrime ſurgatis; ſi dolorum panem ederitis; niſi ille amatis ſuis ſomnum concedat*. VII. *Nihil ſuccedet vobis, etiam ſi ſummo mane ſurrexeritis, & ſurſum ac deorſum curſitantes ſedere recuſaveritis; non aliter ſudantes, quam qui ſummis laboribus victum parant: quod enim vos veſtro ſtudio fruſtra perficere conamini, id Dominus dabit illi, quem diligit, ſine negotio*. VIII. *Vanum eſt vobis diluculo prævenientibus ſurgere, retardantibus ſedere, comedentibus panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum*. IX. *Vanum vobis mane ſurgendo; tarde ſedendo*, vel *moram facientibus ſedendo: comedentes panem dolorum*; id eſt, dolore partum: *ſic dabit dilecto ſuo in ſomno*. X. *Fruſtra* ſunt, *vobis diluculantes ſurgere*, ſeu *qui ſummo diluculo ſurgant, tardantes ſedere*, ſeu *qui tarde ſedeant; qui veſcantur cibo dolorum: ita dat dilecto ſuo ſomnum*. Exponunt: Qui ſummo diluculo ſurgant, &c. id eſt, operarii vel cuſtodes laborioſiſſimi, qui nullo pacto ſuæ quieti aut cibo indulgeant, ſed omnes nervos diligentiſſime contendant, & indeſinenter, ad perficiendum munus ſuum, *qui veſcantur cibo dolorum*; id eſt, qui ne cibum quidem capiant tranquille, animo a labore, ſollicitudine, & metu vacuo, *ita dat*, &c. antapodoſis breviſſima, ac propterea obſcurior, ſenſus eſt: De-

us

us ædificat, & cuſtodit tutiſſime, quemadmodum dictum eſt, quietemque liberam ab omnibus impedimentis concedit ei, quem diligit, & qui de dilectione eius confirmatus ſe committit ei. PANEM DOLORUM; id eſt, cibum moleſtiarum; hoc eſt, plenum ærumnarum, & maximis moleſtiis ac laboribus comparatum. DILECTO SUO; id eſt, cuique ex dilectis ſuis. ידיד *iedid*, notant eſſe paronomaſiam ad alterum Schelomonis nomen ידידיה *iedidiah*, II. Samuel. XII. 25. vel potius dimidium alterius nominis, quod hic Pſalmus *pro Selomone* ſit ſcriptus, ſupra verſ. 1. ut ſingulariter vaticinetur hic David, ſummam Selomonis quietem & felicitatem, quæ ei a Deo obventura erat.

V. 3. ECCE HEREDITAS DOMINI, &c. Alii reddunt: I. *Ecce poſſeſſio Iehovæ ſunt filii: merces eſt fructus ventris.* Alterum membrum Pſalmi, ut ſupra verſ. 1. annotatum eſt, *poſſeſſio Iehovæ*; id eſt, data a Iehova, ut ſtatim appellatur *merces*: ſic Geneſ. XV. 1. II. *Ecce hereditas, quam Dominus dat, filii ſunt: & præmium præcipuum eſt ipſe fructus ventris.* III. *En iſti ſunt ſors, filii, peculium, & nati Domini*; id eſt, iſti dilecti a Deo ſunt eius ſors, peculium, nati, filii. Alienus ſenſus: proprius enim eſt: quod a Deo tamquam hereditario iure accipimus, ſunt liberi: & quod ab eo pro mercede, ſeu dono recipimus, eſt ipſe fructus ventris, hoc eſt, fecunditas mulierum, ac ſoboles.

V. 4. SICUT SAGITTAE IN MANU POTENTIS, &c. Alii. I. *Ut ſagittæ in manu potentis, ita filii iuventutum*; id eſt, qui naſcuntur homini in ſua iuventute, qui robuſtiores & vegetiores eſſe ſolent; quaſi dicat: Ut ſagittæ auxilio ſunt forti, ſic illi erunt patri ſeni, ut eum iuvent. II. *Velut iacula in manu, ſic adoleſcentes filii.* III. *Quanta eſt vis in ſagittis, quas iaculatur arcu vir quamtumvis fortis, tanta eſt in filiis adoleſcentibus.* IV. *Liberi in iuventute obtingentes, ſimiles ſunt ſagittis manu validi viri miſſis* V. *Ut ſagittæ ad manum robuſti, ita ſunt filii pueritiæ*, hoc eſt, *pueri*: periphraſis; id eſt, pueri bene inſtituti ſunt optimum patris familias inſtrumentum; ut ſagittæ terſæ ſunt apta inſtrumenta militi. Verum ſenſus aptior eſt: ut miles valentiſſimus ſagittis inſtruitur & iaculis; ſic præcipuum robur patris ac familiæ ſunt filii iuvenes.

V. 5. DESIDERIUM SUUM. Heb. *Repoſitorium, armamentarium ſuum, pharetram ſuam.* Hebræi domum ſuam, ſeu familiam intelligunt. Perſtat in eleganti allegoria ſuperioris verſus; id eſt, quibus filiis ſe bene inſtruxerit. NON CONFUNDETUR CUM LOQUETUR INIMICIS SUIS IN PORTA; id eſt, ſeptus ac circumdatus robore filiorum, cum cauſam in iudicio cum adverſariis diſceptabit, non cadet, ſed victor diſcedet. Olim iudicia in portis urbium exercebantur, ut ſæpius nobis eſt annotatum. Hebr. pluraliter: *Non pudefient, cum alloquentur inimicos ſuos in porta*; ut vel ſit enallage numeri, id eſt quotquot habent filios valentes: vel de filiis bene inſtitutis intelligat, qui ea innocentia & integritate erunt, ut in iudicio, & in publica frequentia populi intrepide cum adverſariis, ſine rubore cauſam ſuam agant. Quidam exponunt, *non erubeſcent*; id eſt, non cedent inimicis, ſed ſuperabunt ipſos, & poſſidebunt portam inimicorum ſuorum, ut promittitur Geneſ. XXIII. 17. *ſed periment inimicos in porta ipſorum*, ut hoc verbum, inquiunt, ita interpretaremur, poſtulat ratio allegoriæ, conſtructio, & ſimile exemplum II. Chronicor. XXII. verſ. 10. ſed nihil neceſſe: cum *alloquendi* ſignificatio recte congruat: nec tamen hunc ſenſum reſpuerim, cum verbum in notione peſtis accipi queat. Vide notas in eum locum Paralipomenon.

MENOCHII.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM SALOMONIS. Pſalmus eſt Davidis, ſed ſcribitur in perſona Salomonis, qui prior ædificavit templum Domini; & ſane convenienter, nam continet Pſalmus hic adhortationem, ſive documenta, quibus inſtruantur ii, qui a reditu captivitatis, templum, & civitatem reædificare inſtituerunt. NISI DOMINUS AEDIFICAVERIT, &c. Admonet, nihil proficere homines, etiamſi urbem, aut templum moliri inſtituant, niſi Deus illis adſit primarius ædificator.

V. 2. VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGE.

SURGERE. Inanis eſt omnis veſtra ſolicitudo, & cura, & ſolers vigilantia. SURGITE POSTQUAM SEDERITIS: ne nimium ſolciti ſitis, ſed tum demum ſurgite, & opera veſtra repetite; cum corpora, quantum opus habent, curaveritis. QUI MANDUCATIS PANEM DOLORIS. O vos qui panem labore, dolore, & ſolicitudine quæſitum comeditis: qui ſcilicet cum ærumnis conflictamini. CUM DEDERIT DILECTIS SUIS SOMNUM, &c. Videtur reſpicere, & quaſi repetere oraculum David editum, quod habemus II. Reg. VII. 11. *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicitque tibi Dominus quod domum faciat tibi*; ſententia autem eſſe videtur, Cum Deus dilectis ſuis otium conceſſerit, & quieta tempora quaſi ſomnum.

V. 3. ECCE HEREDITAS DOMINI FILII: non ſolum ædificare domum, aut urbem cuſtodire poterunt, verumetiam multo plura eius dilecti conſequentur, multorum enim filiorum patres evadent. Ecce aderunt filii, qui hereditas Domini ſint, ſors, & peculium eius, & ab ipſo dilecti, & beneficiis ornati. MERCES FRUCTUS VENTRIS. Merces pietatis, & donum a Deo profectum, erunt filii, qui fructus ſunt ventris. In Græco vox *fructus*, eſt genitivi caſus, ὁ μισθὸς τῦ καρπῦ τῆς γαστρὸς; ſenſus eſt idem, *Merces Domini eſt de fructu ventris*.

V. 4. SICUT SAGITTAE, &c. Sententia eſt, Filiorum multitudine malis vexatorum domus firmantur, ſunt filii quaſi ſagittæ in parentum manibus, qui eos huc, aut illuc, ut familiæ poſtulant neceſſitates, deſtinant. EXCUSSORUM, eorum qui malis concuſſi, & quaſſati ſunt. Græca quædam lectio conſentanee interpretationi allatæ habet, τῶν πεδητῶν, *compeditorum*.

V. 5. QUI IMPLEVIT DESIDERIUM SUUM EX IPSIS: qui bonos filios, & ad votum ſuum nactus fuerit. In Hebr. pro *deſiderium ſuum*, eſt, *pharetram ſuam*, id eſt domum, pergit enim in allegoria ſagittarum. NON CONFUNDETUR, &c. non pudefiet, cum contigerit illum filiis comitatum contendere cum adverſariis ſuis in porta, ubi iudicia exercentur, & frequens populus confluit.

TIRINI.

Verſ. 1. NISI DOMINUS AEDIFICAVERIT DOMUM, ſeu materialem, ſeu politicam; quaſi dicat: Niſi Deus dederit proles, familiam amplam, opes & dignitates, &c. fruſtra laboras. Simile habes Exodi 1. 21. & II. Reg. VII. 11.

V. 2. VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGERE, ad opus & labores: ſupple, Deo non iuvante, vel labores non proſperante. SURGITE POSTQUAM SEDERITIS. Eſt ironia, quaſi dicat: Eſto in multam noctem laboretis, & tunc poſt brevem ſomnum, quem non iacentes, ſed *ſedentes*, obiter captatis, iterum ante lucem ſurgatis ad opus, & ſic *manducetis* PANEM DOLORIS, id eſt, cibum multo dolore partum; parum tamen vel nihil proficietis, ni Deus faverit.

V. 3. CUM interim DEDERIT DILECTIS SUIS; id eſt, amicis quibus favet, ſecurum SOMNUM. Eſt antitheſis verſus præcedentis, ut patet ex Hebræo; quaſi dicat: Impii continuato labore dies & noctes ſe fatigant, & fruſtra, Deo manum ſuam ſubtrahente. Sed pii, quibus adeſt & favet Deus, licet ſomno ſuaviſſime indulgeant, ipſis tamen quaſi dormientibus affatim omnia bona obveniunt, nominatim FILII multi & proles, quaſi HEREDITAS ipſis a Deo conceſſa; & FRUCTUS VENTRIS; id eſt, fœcunditas prolium & pecorum datur ipſis tamquam MERCES iuſtitiæ ipſorum. Id veriſſimum fuit in veteri teſtamento, iuxta divinum promiſſum Lev. XXVI. & Deut. XXVIII. ita fere Chaldæus & Theodoretus.

V. 4. SICUT SAGITTAE IN MANU POTENTIS, ſeu fortis ſagittarii, magna vi contortæ, ſupple, præſidio ſunt ipſi, & terrori hoſtibus, ITA ſunt FILII EXCUSSORUM, id eſt iuvenum. Iuvenes enim vocantur Hebraice הנעורים *hanneurim*, id eſt *excuſſi*, quia expediti ſunt ab omni impedimento, ad prælium, ad omne opus prompti. Unde Aquila, Symmachus & Hieronymus vertunt, *filii iuventutis*; quaſi dicat: Deus amicis ſuis in flore iuventutis dabit validas & robuſtas proles, quæ parentibus ſuis ſint aliquando pro ſagittis; id eſt, armis & præſidio, quo poſſint etiam e longinquo contra hoſtes defendi;

Gene-

Genebrardus per *excuſſos* intelligit parentes concuſſos & quaſſatos ab hoſte; quaſi dicat: Filios tamen illorum fortes fore & felices, & præſidio parentibus.

V. 5. IMPLEVIT DESIDERIUM. Hebræus & Hieronymus, *pharetram*, Chaldæus, *ſcholam*; id eſt, domum ſuam (prout deſiderat) plenam habet eiuſmodi ſagittis, id eſt filiis multis, probis, fortibus: hi enim parenti ſuo præſidio erunt, dum LOQUETUR; id eſt, contendet, cum INIMICIS SUIS IN PORTA; id eſt, in iudicio, quod loco publico fiebat in porta urbis.

GORDONI.

Titulus: CANTICUM GRADUUM SALOMONIS. AEdificatio domus interdum in Scripturis accipitur pro propagatione prolis, & fœcunditate. Unde etiam בן *ben, filius* a voce בנה *banab*, quod eſt ædificare, derivatur: hoc tamen de prole non pertinet ad argumentum huius Pſalmi; ſed per domum, vel intelligitur templum Salomonis, de quo hic David prophetice loquitur: & ideo in titulo fit mentio Salomonis, ſi tamen idem eſt auctor & Pſalmi, & tituli: vel certe argumentum Pſalmi, eſt velut admonitio ad populum redeuntem a captivitate, & prophetica exhortatio, exemplo Salomonis, ad domum, & templum, ſub Zorobabele, rite promovendum, de quo poſteriores Prophetæ ſatis. Eſt hæc poſterior ſententia admodum probabilis, & quam dant Græci Patres, Chryſoſtomus, Euthymius & Theodoretus. Utcumque ſit, tribui poteſt Pſalmus introducto hic Salomoni; vel ut ædificaturo templum primum; vel per ſuum exemplum monſtranti viam ad ſecundum: nec proinde ſine cauſa fit mentio illius in titulo. Myſticus ſenſus de Chriſto eſt, qui domum ædificatam, ſeu Eccleſiam cuſtodit, ſine quo vana eſt noſtra cuſtodia. Ceterum in pleriſque codicibus deeſt in titulo nomen Salomonis. Sed nec ipſe eſt auctor Pſalmi apud eos, qui volunt omnes a Davide ſcriptos eſſe Pſalmos.

Verſ. 1. NISI DOMINUS AEDIFICAVERIT, &c. Iuxta poſteriorem, quam dedi opinionem, de ſecundo templo, admonetur populus, oportere, ut Deus adſit operi, de quo vide Eſdræ 1. alioqui inutilis conatus, & præſertim cum de domo Dei ædificanda agatur. Septuaginta, ἐὰν μὴ κύριος οἰκοδομήσῃ. Myſticum ſenſum proſequitur Paraphraſis. Hebr. בוניו בו *bonaubo*, *ædificantes eius in ea*, participium eſt cum affixo, Græce *οἰκοδομοῦντες*.

V. 2. VANUM EST, &c. Populus poſt reditum, dum domum parat, erat in anguſtiis, & ideo omnes inſtabant operi ante lucem: ſed vanum hoc eſt, inquit, niſi adſit Deus: ſi tamen in Deo fiduciam habetis, ſurgite audacter ad opus. Septuagint. ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι, *Surgite poſtquam ſederitis*. Quæſtio hic eſt; an debeat admitti vox imperans, *ſurgite*: nam quidam ſic ſolum legunt: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, poſtquam ſederitis*: & in Hebræo eſt; *fruſtra eſt vobis manicantibus* (diluculo maturantibus) *ſurgere, tardantibus ſedere*, משכימי קום *maſchime kum*, *manicantibus ſurgere*, ubi eſt in Hiphil participium Hebræum in regimine, a radice שכם *manicare*: & mox ſequitur verbum קום *kum*, *ſurgere*, ubi non eſt verbum imperans. Contra vero Græce, εἰς μάτην ὑμῖν ἐστὶ τὸ ὀρθρίζειν, ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι ubi eſt verbum, quod ſignificat, ſurgere, idque in imperativo modo (quamvis aliqui legant infinitivum, ἐγείρεσθαι, ſicut in Hebræo, *kum*, eſt infinitivum) In Hebræo autem vox imperativa non videtur eſſe. Quid ergo? Certe recte conſentit Græci textus pars prior Hebræo, ſi ſic Græcum interpreteris: Vanum eſt vobis manicantibus ſurgere. Sed cur in Vulgato additur τὸ *ſurgite*, per imperativum; Theodoretus ait non eſſe apponendum imperativum hoc ἐγείρεσθε, quod in Hebræo eſſet קומו *kumu*. Verum dici hic poteſt, τὸ ὀρθρίζειν, *involvere* infinitivum, ἐγείρεσθαι, & vocem קום poſſe accipi, ut ait Lorinus, vel ut imperativum ſingulare, vel infinitivum. Et hinc nata videtur varia lectio apud Septuaginta. Ego ad ſenſum imperantis verſum interpretatus ſum (ut eſt in Vulgato & Græco) retinendo Græcum, ἐγείρεσθε, propter ambiguitatem vocis קום *kum* quæ plurima ſignificans ſenſum facit incertum.

V. 3. CUM DEDERIT DILECTIS SUIS ſo-

SOMNUM, &c. Promiſſio prophetica eſt, fore, ut Deus poſt hos labores det quietem, velut ſomnum; & in hac quiete, hereditas Domini abundabit ſobole; vel iuxta textum Græcum, filiorum multitudo erit hereditas Domini: vel hereditas ſunt filii multi, qui ſunt merces fructus ventris; μισθὸς τῦ καρπεῦ τῆς γαςρός. Ceterum in Vulgato, illud, *dilectis ſuis*, Septuaginta etiam habent. τοῖς ἀγαπητοῖς αὐτῦ: ac proinde videntur legiſſe in Heb. לידידיו *ledidau*, *dilectis ſuis*, non autem לדידו *ledido*, *dilecto ſuo*: דוד *dod*, *dilectus*.

V. 4. SICUT SAGITTAE, &c. Hactenus de multiplicandis filiis in hereditate Domini; horum nunc filiorum explicat potentiam: Quales, inquit, ſunt ſagittæ in manu potentis, tales ſunt hi filii. Vocat autem filios excuſſorum. Apud Septuaginta, ἐκτετιναγμένων, *excuſſorum*, ſeu ventilatorum, exagitatorum, aut concuſſorum. Hebr. נערים *nebbarim*. Hieronymus vertit, *iuventutis*, ſcilicet, filios. Sed vox *nebbarim* utroque modo verti poteſt. Tales erant Iudæi poſt reditum a captivitate: erant, inquam, filii excuſſorum; hoc eſt, vexatorum in captivitate. Sed longe aptius hoc myſtice convenit filiis Eccleſiæ, qui licet diris perſecutoribus excuſſi, tamen virtute, gratia, & miraculis evaſerunt potentiſſimi,

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & ſeq. NOn eget Pſalmus alia paraphraſi, præter ea quæ hic ſubiicio ad ſingulos verſus. Univerſe hic habes de ædificanda domo Domini, & cuſtodienda civitate. Additur exhortatio ad ædificandum. Hanc exhortationem excipit conſolatio, & ſpes multorum filiorum. Quæ omnia commode vel ad domum, & templum ſecundum, vel ad Eccleſiam Chriſti relata commodum habent ſenſum. Immo & epiphonema illud verſu ultimo: beatus enim prædicatur, qui reſtituta civitate, videbit ſe filiis abundare, & opibus. Sed longe beatior Chriſtus, qui profligatis adverſariis, habet pro deſiderio ſuo abundantem filiis Eccleſiam; & non confundetur, ſed confundet adverſarios ſuos, cum loquetur illis in extremo iudicio.

BOSSUET.

Verſ. 2. SURGITE: deeſt Hier. quem vide; ſenſus eſt: Vos qui panem veſtrum in dolore comeditis; hoc eſt, vos quotquot eſtis gravibus ærumnis preſſi; fruſtra vos vigiliis curiſque conſumitis: etiamſi tranquilli ſederitis; tamen adiuvabit Deus qui ſuis ſomnum, ſeu quietem præſtat.

V. 3. HEREDITAS DOMINI: quam præſtat Dominus; ſive, hereditas a Domino, FILII, υἱοί nominativo plurali: dat Deus liberos, optimam parentum poſſeſſionem. MERCES, FRUCTUS VENTRIS: idem quod liberi; ſenſus eſt: Deus dilectis ſuis dat filios, ut mercedem & hereditatem: Pſal. ſeq. 111. 6.

V. 4. SICUT SAGITTAE..... ITA FILII EXCUSSORUM: *filii iuventutis*, Hier. in iuventute geniti filii, robuſti ſunt; armorum & ſagittarum loco, hoc eſt uſui ac tutelæ parentibus.

V. 5. IMPLEVIT DESIDERIUM...... *implevit pharetram*, Hier. his ſagittis, ſcilicet filiis validis. IN PORTA: in iudicio: calumnias & vim non metuet.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXXVII. MORALIS.

Deus in ſuos beneficentiſſimus: ideo populus captivus ac tenuis, poſt reditum ſicut ante multiplicabitur.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

BEatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in viis eius.

Laborem manuum tuarum comedes: beatus tu, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis fructifera in penetralibus domus tuæ:

Filii tui ſicut germina olivarum, in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur vir: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius:

2. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

3. Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.

4. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

5. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

6. Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. QUIA MANDUCABIS. Hebr. utitur ſecunda perſona pro tertia per apoſtrophen.

SA.

De Dei timore & cultu.

Verſ. 2. LABORES, id eſt parta labore. QUIA. Hieron. & Chald. *cum*. ERIT. Chald. *erit in mundo venturo*.

V. 3. ABUNDANS, Hieron. & Chald. *fructifera*. LATERIBUS, id eſt intra latera, ſeu parietes. Hieron. *penetralibus*. NOVELLAE, id eſt plantulæ. Hieron. *germina*.

V. 5. SION, ſcilicet cæleſti.

V. 6. PACEM; pro, & pacem.

ESTII.

Verſ. 2. LABORES MANUUM TUARUM QUIA MANDUCABIS, BEATUS ES, ET BENE TIBI ERIT. Quæritur; quomodo hoc verum ſit, cum ad maledictionem humani generis pertineat illud Gen. III. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo?* Reſpondeo: Ad maledictionem

 per-

Digitized by Google

pertinet, non quod veſcatur vel manducet panem ſuum, ſed quod illo veſcatur in ſudore & labore. Sed hoc loco ſignificatur, quod eſt nihilominus Domini benedictio, ſi largus eſt proventus ſementis, ſi hoſtis non tollat, ſed ipſe qui ſeminat fruatur, ſicut & illud, de quo ſubiungitur, ſi uxorem habeat ſecundam, & iucundos liberos. Hoc enim ſignificant illa verba: *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui ſicut novellæ olivarum*, &c. *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum*.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Pios eſſe in hac vita felices. IN VIIS EIUS; id eſt, lege qui ambulant, ii ſunt beati.

V. 2. LABORES MANUUM TUARUM, id eſt parta tuo labore. Hebr. *laborem manuum tuarum*. Porro Græce καρπῶν σου. Sic in Regia Vulgata poſuerunt *labores fructuum tuorum*. Verum καρπὸς non *fructum* ſignificat tantum, ſed *manum* a iunctura ad extremos digitos, quominus verum fuit, uſitatam lectionem mutare. QUIA MANDUCABIS. Conſtructio inverſa; pro, quia labores manducabis; id eſt, copiis afflues, non opus habebis alienis bonis & miſericordia. Ea eſt beatitudinis pars. Hieron. *cum comederis, beatus tu*: ſic Chald. Sane כי *chi* Hebraicum ita verti poteſt, & ſenſus planior redditur: *Cum labores tuos comederis, beatus eris, & bene tibi erit*.

V. 3. UXOR TUA SICUT VITIS ABUNDANS. Hebr. *fructifera, & magna*. IN LATERIBUS, in penetralibus. Limine ſe continet, non eſt vaga ut meretrix. FILII TUI SICUT NOVELLAE OLIVARUM. Hebr. *germina*, aut *plantationes*. Quod ad numerum & pulchritudinem filiorum refertur, & eſt tertia beatitudinis pars. IN CIRCUITU MENSAE TUAE: aut miniſtrantes, aut una accumbentes.

V. 5. EX SION: ubi templum erat, & ubi Deus habitabat, benedicat tibi. ET VIDEAS BONA IERUSALEM; id eſt, eam urbem reſtitutam, ſive poſt captivitatem, ſive per Chriſtum.

V. 6. ET VIDEAS FILIOS FILIORUM TUORUM, id eſt diu vivas. PACEM, *felicitatem* videas: ſic Hieronymus. Ego verto, *pax ſuper Iſrael*; ſcilicet ſit, propter finem Pſalm. CXXIV. ubi eadem ſunt verba: ſitque precatio, qua Pſalmus claudatur.

MALVENDAE.

Verſ. 2. LABORES MANUUM TUARUM QUIA MANDUCABIS. Quidam: *Labore enim manuum tuarum veſceris*, id eſt frueris: Synecdoche. Alii: *Sic enim, quæ labore manuum tuarum paraveris, frueris*. Nonnulli: *Proſperabitur labor manuum tuarum quiſquis es talis, & cibum ſuppeditabit, quem comedas*. BEATUS ES. Hebr. maiore emphaſi, *beatitudines tuæ*. Sunt, hoc eſt, omnes beatitudines tibi obvenient, eris omnibus modis beatus, beatiſſimus.

V. 3. UXOR TUA SICUT VITIS ABUNDANS, IN LATERIBUS DOMUS TUAE. Alii: I. *Uxor tua ſimilis eſt fœcundæ viti, quæ lateri domus tuæ adhæret*. II. *Uxor tua ſimilis erit viti fructiferæ, quæ ſeſe propagabit per omnia latera domus*. III. *Uxor tua ut vitis fructifera ad latera domus tuæ*; id eſt, ut pergulana vitis quæ ad maceriam appoſita fit fructuoſior, ita fecundabitur uxor benedictione Dei. FILII TUI SICUT NOVELLAE OLIVARUM, &c. Quidam: *Filii tui, ut plantæ olearum, circumſtabunt menſam tuam*; id eſt, numeroſi, virides, & ſemper frondentes augeſcent, ac ſua elegantia magnam tibi oblectationem efferent circumfuſi menſæ tuæ.

V. 4. ECCE SIC BENEDICETUR HOMO, QUI TIMET DOMINUM. Hebr. *Ecce quia ſic benedicetur vir timens Iehveh*. Quidam: *Ecce cum ita benedicatur vir timens Iehovæ*, ut ſententia cadat in ſequentem verſum. Alii: *Sic benedictionibus cumulabitur*.

V. 5. BENEDICAT TIBI DOMINUS EX SION. Exponunt; id eſt, Dominus, qui habitat in Tziione. Vel, ex Tziione; id eſt, ab Eccleſia, in qua habitat, benedictione perfundens Eccleſiam, & te ipſum in Eccleſia, ut ſtatim. ET VIDEAS BONA IERUSALEM. Hebr. *Et vide*, ſeu *reſpice in bono Ieruſalaimorum*. Alii: *Fruere igitur bono Ieruſchalaimorum*: Synecdoche. Quidam: *Ut felicem videas Ieroſolymam*. Nonnulli: *Videbis enim, & particeps fies* ſe-

Digitized by Google

felicitatis promiſſæ ipſi Ieruſalem. Aliqui: *Ut ſpectes ſoſpitatem Ieruſalem*; id eſt, & frueris felicitate Ieruſalem, qua hodie eam florere vides. Imperativum pro futuro.

V. 6. Et videas filios filiorum tuorum. Hebr. *Et vide filios ad filios*, quod bifariam accipi poteſt, *filios ad filios*, id eſt filios ſupra filios, plures filios; vel filios filiorum. Quidam reddunt: *Et reſpice natos filiis tuis*; id eſt, ſingularem Dei benedictionem percipe erga familiam tuam, vita longæva, & fecunda prole. Alii: *Videbis præterea & voluptatem capies ex filiorum tuorum filiis*. Pacem super Israel: ut conſtruatur cum verbo, *videas*; id eſt, tranquillitatem, incolumitatem, ſalvum ſtatum, proſperitatem, in Eccleſia Catholica. Quidam per ſe diſtinguunt, *Pax eſt*, vel *ſit*, *ſuper Iſraelem*, ut ſit concluſio epiphonematica de proſperitate perventura ad univerſum corpus Eccleſiæ, & ſingula membra ipſius. Alii ad filios & nepotes reſtringunt: *quod tranquille & ſumma cum pace verſari conſpicies eos inter Iſraeliticos contribules ſuos*.

MENOCHII.

Verſ. 2. Labores manuum tuarum. &c. Frueris bonis labore manuum tuarum partis, tibi ſufficiens, nec ab aliis cogeris mendicare, aut eblandiri. Bene tibi erit, proſpere, & feliciter ages.

V. 3. Abundans, in Hebr. eſt, *fructificans*, uxor tua fecunda erit, & faciet te multæ, & egregiæ prolis parentem. In lateribus domus: in penetralibus, ſic Iovæ 1. 5. ubi dicitur, *Deſcendit ad interiora navis*, in Hebræo eſt, *in latus navis*. Sicut novellae olivarum: tamquam ſurculi, & nova germina olivarum, quæ ſuo tempore fructum pollicentur. In circuitu mensae tuae: vel aſſidentes menſæ, vel miniſtrantes, & patris familias nutum expectantes.

V. 5. Ex Sion, unde omnis ſalus, ex Sione ubi tabernaculum erat, vel ex cæleſti Sion, cuius terreſtris erat figura. Videas bona Ierusalem, &c. & ad privatam felicitatem adiiciat etiam publicam, ut ſcilicet cum iucunditate videas proſperitatem Ieruſalem, & illius particeps ſis. Vel certe ad cæleſtem Ieruſalem, & ad illius bona admittaris.

V. 6. Et videas filios filiorum, &c. diutiſſime vivas, & nepotes ex filiis tuis ſuſcipias, & Ieruſalem pacatam, & proſpere agentem cernas. In cæleſti patria filios ſpirituales quos genuimus in Chriſto videbimus, & ex his in alios propagatam fidem, religionem, & virtutem, unde gaudium beatis accedet.

TIRINI.

Verſ. 2. Labores manuum tuarum quia manducabis; id eſt, quæcumque ſeu labore manuum, ſeu iuſto mercatu, ſeu alia induſtria tibi comparaſis, non rapiet fur, non tempeſtas, non fiſcus, ſed tu ipſe pacifice pro tuo nutu frueris, & in tuos tuorumque uſus convertes.

V. 3. Sicut novellae; id eſt nova germina vel plantulæ, olivarum, pulchræ, ductiles, delectabiles, ſemper virentes, optimæ ſpei quod in oleas pingues excreſcent; ita ſanctus Hieronymus. Et, ut alii, *ſicut frutices olivarum*, non inſerentur alieno trunco, neque extra nativum locum tranſplantabuntur (neque enim fert iſtud olea) id eſt, non erunt, neque habebuntur ſpurii, ſed germani & genuini referent parentes ſuos lineamentis, vita, moribus, religione. Allegorice, Eccleſia Chriſti abundabit ſemper filiis genuinis, floridis & pacificis; pacis enim ſymbolum eſt oliva: ita ſanctus Auguſtinus.

GORDONI.

Titulus eſt, Canticum graduum. Habet pro argumento cohortationem ad pietatem, propoſito inſigni præmio. Et ad utrumque teſtamentum; veteremque ac novam Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia, referri poteſt.

Verſ. 1. & 2. Beati omnes, &c. Optima inſtructio peregrinis, & ad patriam tendentibus, eſt ambulare in timore, & mandatis Dei: hi manuum labores manducabunt; hoc eſt, vivent ex iuſtis ſuis laboribus, & bonis inde

inde natis fruentur. Sed nec pauperes timentes Deum privantur bonis operum ſuorum: nam II. Cor. VII. ſuperabundant gaudio in omni adverſitate: nec Deus deſerit iuſtum, niſi deſeratur, nec derelinquit, ut Pſalmo alio dictum eſt. In Hebræo eſt כפיך *chapecha*, *volarum*, ſeu manuum tuarum. At Septuaginta habent, *τοῖς πόνοις τῶν καρπῶν σου*: ſed non diſcrepat ab Hebræo: nam *καρπὸς* tam fructus quam manuum volas ſignificat.

V. 3. UXOR TUA SICUT VITIS, &c. Incepit verſu 2. enumerare felicitates, quæ obveniunt homini timenti Deum: nunc pergit, eorum etiam attingens felicitatem, qui uxores habent, & liberos: Nec difficile erit, ſpiritualem etiam ſenſum hic reperire, & præſertim in paſtoribus animarum, qui abundant ſpiritualibus filiis, ſi timeant Deum, ut oportet, in cura animarum.

BOSSUET.

Verſ. 3. IN LATERIBUS, *in penetralibus*, Hieron. SICUT NOVELLAE OLIVARUM....... ſicut propagines circum undique ſuccreſcentes; ſic familia iuſtorum, læto liberorum proventu.

PSALMUS CXXVIII. CONSOLATIONIS.

Dum a Sanaballat aliiſque templi ac ſanctæ civitatis ædificatio prohibetur; Iſraelitæ reduces hoc Pſalmo ſe ſolantur, atque hoſtium omnium conatus adverſus Synagogam irritos fuiſſe canunt: ſic Eccleſia iam inde ab initio vexata, ſed ſemper victrix: **Chr.**

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

SAEpe expugnaverunt me ab adoleſcentia mea: dicat nunc Iſrael.

Sæpe expugnaverunt me ab adoleſcentia mea: ſed non potuerunt mihi.

Supra cervicem meam arabant arantes: prolongaverunt ſulcum ſuum.

Dominus iuſtus concidet laqueos impiorum.

Confundantur & revertantur retrorſum, omnes qui oderunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod ſtatim ut viruerit, areſcet.

De quo non implebit manum ſuam meſſor, & ſinum ſuum manipulos faciens.

De quo non dixerunt tranſeuntes, benedictio Domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine Domini.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

SAEpe expugnaverunt me a iuventute mea, dicat nunc Iſrael.

2. Sæpe expugnaverunt me a iuventute mea: etenim non potuerunt mihi.

3. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem ſuam.

4. * Dominus iuſtus concidit cervices peccatorum: 5. confundantur & convertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion.

6. Fiant ſicut fœnum tectorum: quod priuſquam evellatur, exaruit.

7. * De quo non implevit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit.

8. Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine Domini.

BRU-

Digitized by Google

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Dominus iuſtus concidit cervices peccatorum*. Correctores ſcripſerunt præteritum *concidit*, pro futuro *concidet*.

V. 7. *De quo non implevit manum ſuam qui metit*. Idem obſervarunt hoc loco, dum *implevit* ſurrogarunt pro *implebit*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. ETENIM NON POTUERUNT MIHI. Hebr. *Verumtamen non vicerunt me*.

V. 3. SUPRA DORSUM MEUM FABRICAVERUNT. Hebr. *Supra dorſum meum araverunt aratores, produxerunt ſulcum ſuum*; id eſt, tantum laboris impoſuerunt humeris meis, quantum bobus arantibus imponi ſolet, aut etiam plus. Nam boves finito ſulco ſolent pauliſper requieſcere, me autem non permiſerunt reſpirare; ſed produxerunt ſulcum ſuum in longum, ut numquam finiretur.

V. 4. CONCIDET CERVICES. Hebr. *funes*; id eſt, infringet eorum conſilia, & amovebit inſidias.

V. 7. SINUM SUUM. Hebr. *brachium ſuum*.

V. 8. ET NON DIXERUNT. Hebr. *Et ne dicant qui prætererint*, id eſt viatores, aut & non dicent; id eſt, non ſolent dicere qui prætereunt. Non enim laudant viatores felicitatem eorum, qui cum non habeant prata ac ſegetes, tectorum herbam demetunt.

SA.

De Dei auxilio contra hoſtes.

Verſ. 1. EXPUGNAVERUNT; pro oppugnaverunt. DICAT, id eſt dicere poteſt.

V. 2. ETENIM, Hieron. & Chald. *ſed non*. MIHI, ſcilicet nocere, ſeu prævalere.

V. 3. DORSUM. Chald. *corpus*. FABRICAVERUNT, ſcilicet moleſtias. PROLONGAVERUNT, id eſt continuarunt.

V. 6. EXARUIT; quaſi dicat: Antequam veniat mors naturalis, immatura abripiantur.

V. 8. NON DIXERUNT; ſcilicet, ut ſolet meſſoribus. BENEDICTIO, ſcilicet ſit; quaſi dicat: Proſperet vos Dominus. BENEDIXIMUS. Chald. *benedicimus*.

ESTII.

Verſ. 3. SUPRA DORSUM MEUM FABRICAVERUNT PECCATORES, PROLONGAVERUNT INIQUITATEM SUAM. Pro eo, *fabricaverunt peccatores*, Heb. eſt, *araverunt aratores*. Vide Ianſen. Quod autem nos habemus, *prolongaverunt iniquitatem ſuam*, Auguſt. legit & exponit, *longe fecerunt iniuſtitiam ſuam*. Sed rectius Græcam vocem reddidiſſe videtur noſter Interpres. Nec etiam ſatis proprie dicitur: *Longe fecerunt iniquitatem ſuam peccatores*, cum de iis Pſal. CXVIII. ſcriptum ſit: *Appropinquaverunt iniquitati peccatores, a lege autem tua longe facti ſunt*. Sed ſecundum noſtram verſionem, *prolongaverunt iniquitatem ſuam*; id eſt, longam fecerunt & longo tempore eam continuarunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Contra Iſraelis hoſtes malum precatur. SAEPE, aut multum. EXPUGNAVERUNT. Hebr. *afflixerunt*. A IUVENTUTE, a primis temporibus peccatores.

V. 2. MIHI, contra me non prævaluerunt.

V. 3. FABRICAVERUNT PECCATORES; id eſt, impoſuerunt dorſo meo onera. Heb. *araverunt aratores*; id eſt, tyranni me oppreſſerunt & exhauſerunt, ut aratores ter-

terram. Iniquitatem suam. Hebr. *ſulcum ſuum*, id eſt exactiones. Septuag. relicta metaphora, quod ſignificabat ipſa, id poſuerunt.

V. 4. Concidit cervices peccatorum. Hebr. *funes peccatorum*; ſcilicet, quibus ligatur iugum; id eſt, me ab ea oppreſſione liberavit. Qui oderunt Sion, id eſt; filios Sion oderunt, qui oderunt, ii pudefiant.

V. 6. Fiant sicut foenum tectorum, quod in tectis naſcitur, quod continuo areſcit: ſic hi immatura morte pereant.

V. 7. Non implevit manum suam qui metit: quia ad meſſem non pervenit, ac proinde nec ſinum implet, qui ligat manipulos, quia ad manipulos non pertingit id fœnum.

V. 8. Et non dixerunt, ut ſolent dicere meſſoribus prætereuntes. Benediximus, pro benedicimus, id eſt benè precamur. In nomine Domini; id eſt, Domini virtute & ope, dicentes ſcilicet, Sit meſſis copioſa.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Dicat nunc Israel. Exponunt; Id eſt, Eccleſia agnoſcat ſemper, & prædicet ſalutem ſuam, & ruinam adverſariorum, nimirum dum tempus præſens durat.

V. 2. A iuventute mea; id eſt, ab orbe condito cum cœpit Eccleſia eſſe, quæ allegorice cum homine uno comparatur hic, & cum arvo infra verſ. 3.

V. 3. Supra dorsum meum fabricaverunt, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. convertunt: I. *Supra dorſum meum araverunt arantes, prolongaverunt ſulcum ſuum*; id eſt, tamquam iumento mihi iugo & aratro impoſito, abuſi ſunt ad arandum, & longos ſulcos ducendum. II. *Supra dorſum meum araverunt aratores*; id eſt, *pro ſua libidine, & ſulcos ſuos duxerunt*. III. *Dorſo meo tantum oneris impoſuerunt, ut ligna in eo apparuerint, qualia aratorès agris imprimere ſolent; & veluti ſulcos longos induxerint*. IV. *Supra dorſum meum aratores, in longum protraxerunt arationem ſuam*; vel, *oppreſſionem, aut afflictionem ſuam*, ſeu, *ſulcum ſuum*: ſenſum eſſe volunt, verberibus & plagis hoſtes ita dorſum meum exararunt, ut vibices & cicatrices, ac longos ſulcos ſcapulis meis impreſſerint, ac reliquerint. Buchananus:

Terga ſævis exaravit verberum vibicibus,
Terga longis ſecta ſulcis, hoſtis ad faſtidium;

quaſi dicat: Tergum meum, ut viliſſimi mancipii verberibus conciderunt. Plautus in Aſinaria:

Inductoreſque acerrimos, gnaros noſtri tergi,
Qui ſæpe ante in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt.

V. *Super tergum meum araverunt aratores*; id eſt, hoſtes, quibus Deus tamquam adminiſtris utitur ad ſarriendum, arandum, & colendum Eccleſiam ſuam: *produxerunt quamque ſtrigarum ſuarum*; id eſt, nullam partem agri Dei intactam reliquerunt, quin ſummo labore effoderent. Duplex hic eſt lectio Hebraica, מענות *maghanoth*, forma plurali: & מענית *maghanith*, ſingulari: plerique, *ſulcum*, *liram*, ſeu *ſtrigam* interpretantur: quid autem ſit *ſtriga*, docebit Feſtus, & recentiores Interpolatores Calepini. Alii, *arationem*. Ego non dubito idem eſſe quod מענה *maghanah*, *iugerum*: vide Notas in I. Samuel. xiv. 14. conſentiunt, nomen dictum ab impreſſione, ſeu oppreſſione aratri, ſeu ſubactione terræ.

V. 4. Concidit cervices peccatorum. Hebr. *Præſecuit denſum funem improborum*. Alii: *Truncavit denſos funes improborum*, quibus aratrum trahebant in dorſo Eccleſiæ: ut perſtet; id eſt, quamvis valida & firma conſilia, conatus, opera illorum, idque nullo negotio diſſecat, cum opus eſt, ad ferendam iuſtitiam ſuam. Alii, *iugum aratri* intelligunt; alii *funes*, ſeu *flagella* quibus tergum Eccleſiæ cædebant. Nonnulli reddunt: *Exſcindit colligationes improborum*, diruendo ſcilicet eorum confœderationes & ligas.

V. 6. Quod priusquam evellatur, exaruit. Verbum prius שלף *ſchalaph*, varie hic reddunt. I. *Quæ antequam exiit, aruit*: hyperbole; quaſi dicat: Citiſſime, quamprimum naſcitur, fere ante ortum ſuum, exareſcit. II. *Quæ antequam egrediatur, educta ſit, erumpat, areſcit*. III. *Quod antequam falx ſtringatur, exaruit*.

IV.

Digitized by Google

IV. *Quæ priuſquam in eam magnitudinem excreverit ut demeti poſſit, exaruit*. V. *Quod antequam exeratur falx, exaruit*; id eſt, ſtatim exareſcit non expectato tempore feniſecii: allegoria feni ſive graminis. VI. *Quæ antequam educta, evaginata eſt, aruit*. Ubi alluſionem eſſe volunt ad herbam gladiolum, quæ etiam gladii ſimilitudinem refert, quod e terra, ut gladius e vagina, educatur & emergat. Gladiolum herbam, Caſtellani, *Eſpadaſia* vocant, quod in modum ſpathæ, ſeu enſis ſit. Valentini, *Roga* eſt gladiolus paluſtris, & ſilveſtris, qui in tectis naſci poteſt.

V. 7. IMPLEVIT MANUM SUAM QUI METIT: altera allegoria a ſegetibus, hoc verſu; quaſi dicat: Improbi ſunt quaſi ſegetes caſſæ & evanidæ, quæ nihil frugis continent: nec ulla dignæ benedictione ſunt, verſu ſequente. ET SINUM SUUM. Voci חצן *chetzen*, hæc omnia ſubiiciunt, *ſinum*, *gremium*, *brachium*, *lacertum*, *axillam*, *alam*, *oram*, *ulnam*: vide in Nehemiæ v. 13. QUI MANIPULOS COLLIGIT. Heb. *Manipulans*, *manipulos faciens*, *manipulator*, *faſciculator*.

MENOCHII.

Verſ. 1. EXPUGNAVERUNT, oppugnaverunt. A IUVENTUTE MEA, ab initio: nam ab Eccleſiæ principio ſemper iuſtis adverſantur iniuſti, & illis infeſti ſunt. DICAT NUNC ISRAEL: merito dicere poteſt Iſrael & Eccleſia, ſe ab initio oppugnatam ab infidelibus.

V. 2. NON POTUERUNT MIHI: non potuerunt mihi prævalere.

V. 3. SUPRA DORSUM MEUM FABRICAVERUNT PECCATORES: impoſuerunt dorſo meo iniquas plagas. In Hebræo eſt, *Araverunt arantes*, nihil meam vicem miſerati, dorſum meum quaſi aratro proſciderunt, & laceraverunt. PROLONGAVERUNT INIQUITATEM SUAM. In Hebræo eſt eiuſdem metaphoræ arandi continuatio: *In longum protraxerunt ſulcum ſuum*. In longum tempus extenderunt iniquas ſuas oppugnationes.

V. 4. CONCIDIT CERVICES, &c. hoſtium potentiam comminuit ut nos liberet.

V. 5. CONFUNDANTUR, excidant ſua ſpe, pudefiant, & ſuó conatu ſe abdicant.

V. 6. SICUT FENUM TECTORUM, in tectis naſcens, quod propter loci ariditatem, priuſquam ad iuſtam magnitudinem perveniat, aut fructum ferat, ardore ſolis exareſcit. EVELLATUR, colligatur.

V. 7. DE QUO NON IMPLEVIT, &c. quod adeo exile eſt, & humile, & inutile, ut nec poſſit manus colligentis implere, nec ullus exiſtimet operæ pretium ſe facturum, ſi illud colligere adoriatur ex eo manipulos facere.

V. 8. ET NON DIXERUNT QUI PRÆTERIBANT, &c. Eſt alluſio ad viatores; qui prætereundo impertiri ſolent ſalutem, & benedictionem meſſoribus vel agris, eiſque bene precari: ſic Booz in agrum veniens meſſoribus dixit, *Dominus vobiſcum*; Ruth II. Hunc morem in feno tectorum ſervari negat, cum nemo illud ſecet, aut colligat. BENEDIXIMUS VOBIS IN NOMINE DOMINI: vel eſt repetitio eiuſdem benedictionis; quaſi dicat: Nemo dicet, vobis benediximus in nomine Domini; vel priora illa verba dicere ſolebant prætereuntes, cum ad meſſores accederent, poſteriora, cum ab illis recederent.

TIRINI.

Verſ. 1. SÆPE EXPUGNAVERUNT; id eſt, expugnare conati ſunt. Nam verba Hebræa ſæpiſſime tantum ſignificant conatum, vel actum inchoatum. A IUVENTUTE MEA; id eſt, a tempore priorum Patriarcharum, Abrahæ, Moyſis, &c.

V. 3. SUPRA DORSUM, Hieronymus *cervicem*; Chaldæus, ſuper *corpus*, MEUM FABRICAVERUNT PECCATORES; id eſt, hoſtes mei quaſi fabri, dorſum meum continuis malleorum ictibus quam diutiſſime contuderunt. Hebraice, Chaldaice, Aquila, Theodotion, & ſanctus Hieronymus, *Araverunt aratores, & in longum protraxerunt arationem*, vel *ſulcum ſuum*. Allegorice, convenit Chriſto flagellato & Martyribus.

V. 8. ET NON DIXERUNT, more uſitato; quaſi dicat: De iſto feno viatores tranſeuntes per prata, non dixerunt meſſoribus vel dominis, Deus benedixit vobis & meſſi veſtræ. Nempe nulla erat,

Digitized by Google

vel admodum tenuis meſſis, cui vel cuius ratione bene precari operæ pretium non ſit. Ita conatus tyrannorum & aliorum hoſtium Eccleſiæ vel nullos, vel infelices eventus ſuarum machinationum habere ſolent.

GORDONI.

Titulus, Canticum graduum. Gradus hic decimus eſt, pro argumento proponens patientiam in adverſis, ſub commemoratione malorum, quæ populus paſſus eſt in captivitate Babylonica: ſic iuſtus conſolatur ſeipſum in ſimilibus malis, ob ſpem ſimilis favoris divini.

Verſ. 1. SAEpe expugnaverunt, &c. Septuaginta, πλειονάκις ἐπολέμησαν με. Latinus codex habet, expugnaverunt, pro oppugnaverunt: nam ex verſu 2. hoſtes non prævaluerunt: & ſtat hæc explicatio, tum ex voce Græca, tum ex Hebraica צרר *tſarar*, quod eſt, coarctare, anguſtiare: unde nomen AEgyptiorum derivatum putatur, מצרים *mitſraim*, ac ſi vocentur, vexantes, anguſtiantes.

V. 3. Supra dorsum meum fabricaverunt, &c. Figurato ſermone repetit quod verſu 1. dixit. Hieronymus, *Super cervicem meam araverunt arantes*. Alii ſenſum ſic explicant: Supra dorſum meum artem fabrilem exercuerunt. Græce ἐτέκταινον: τεκταίνειν eſt *fabricare*. In Hebræo eſt participium plurale חרשים *chareſchim*, *arantes*, & verbum, חרשו *choreſchu*, *araverunt*. Immo etiam fabricaverunt, quem ſignificatum poſteriorem recte damus huic verbo, auctoribus Septuaginta viris interpretibus. Et ita in ſenſu & voce conſentiunt codices. Quod vero ſequitur: Prolongaverunt iniquitatem suam; Hieronymus vertit, *ſulcum ſuum*; tamen Septuag. habent, τὴν ἀνομίαν αὐτῶν, *iniquitatem*. At cur non ſulcum, ut habet vox Hebraica מענה *mahhanah*, *ſulcus*, vel iugerum; ubi plurale eſt מענות *mahhanoth*: radix ענה multa ſignificat. In textu hic Hebraico eſt למעבותם *lemahhavotham*. Incertum an ita legerint Septuaginta. Sed quicquid de hac lectione ſit, certe ſi vocem, quæ ſulcum ſignificaret, legerunt; tamen vertendo τὴν ἀνομίαν, voluerunt explicare metaphoram in voce; *ſulcus*, per iniquitatem; & ſic verſio Septuaginta non diſcordat ab Hebræo, ſed explicat metaphoram de ſulco.

V. 4. Dominus iustus, &c. Tandem Propheta ſolatur hac promiſſione populum. Ceterum, quod eſt hic, *cervices*, in Hebræo eſt, *laqueos*. Sed probabile eſt Septuaginta non legiſſe עבות *hhabbot*, *funes*, vel laqueos, ſed potius גבת *gabbot*, *cervices*, vel dorſum; in ſingulari גב *gab*:

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. VErſatur hic Propheta, ut præfatus ſum, in peregrino inſtruendo, ut patienter ferat adverſa, ſive aſcendendo in Sion terreſtrem, ſive cæleſtem. Et certe hac commemoratione malorum uti poteſt Eccleſia, ut facit Pſalmiſta per tres priores verſus. Fruitur etiam ſpe, & conſolatione, de quibus a verſu tertio uſque ad finem. Erit brevis perſequentium felicitas. Atque ita his imprecatur prophetice, ut ſint ſicut fenum tectorum, quod viliſſimum eſt, & quod non implet manum: nam meti, & colligi non ſolet; nec dici ſolet a prætereuntibus, *benedictio vobis*, ut tamen ſolet colligentibus res utiles.

BOSSUET.

Verſ. 1. A Iuventute: iam inde ab AEgyptiaca ſervitute, quæ populi adoleſcentia dicitur: Ierem. II. 2. Eccleſia iam inde ab initio in Abel, in Enoch, in Noe, in Abraham, in Lot, in AEgyptiaca ſervitute, in Moyſe ac Prophetis graves perpeſſa inimicos: dicit illa quidem ſæpe a iuventute ſe fuiſſe oppugnatam: nihilo tamen ſecius perveniſſe ad ſenectutem, ac ne in ſenectute quidem opprimi poſſe. Victus enim qui ſæviebat, vicit qui ſufferebat: Aug. Dicat nunc Israel: nunc, Samaritanis vexantibus.

V. 2. Non potuerunt: non prævaluerunt.

V. 3. Supra dorsum... me premebant intolerabili ac diuturno iugo: at Hier. *Supra cervicem meam arabant*: me ad arandum impoſito iugo abutebantur. Iniquitatem suam: *ſulcum ſuum*; Idem:

diu-

Digitized by Google

diutiſſime me ad arandum coegerunt.

V. 4. CERVICES, *laqueos*, Hier.

V. 6. FENUM TECTORUM: in tectis Orientalium planis ſolebant levia & inutilia gramina exoriri.

V. 8. BENEDICTIO DOMINI SUPER VOS: ſolita apprecatio ad meſſores, poſt meſſium proventum uberem.

PSALMUS CXXIX. DEPRECATORIUS.

Populus malis merſus peccata confitetur, ac Deum propitiatorem exorat.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

DE profundis clamavi ad te Domine.

Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes ad vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervabis Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Quia tecum eſt propitiatio: cum terribilis ſis.

Suſtinui Dominum, ſuſtinuit anima mea: & verbum eius expectavi.

Anima mea ad Dominum: a vigilia matutina uſque ad vigiliam matutinam.

Expectet Iſrael Dominum: quia apud Dominum miſericordia: & multa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

DE profundis clamavi, ad te Domine: 2. Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

3. Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

4. Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: 5. ſperavit anima mea in Domino.

6. A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſrael in Domino.

7. Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

8. Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.

COMMENTARIA

MALDONATI

Verſ. 4. ET PROPTER LEGEM TUAM. Heb. *Propterea timeberis*; id eſt, reverebuntur homines.

V. 6. A CUSTODIA MATUTINA. Heb. *Expectavit anima mea Dominum, magis quam cuſtodes mane, qui mane cuſtodiunt*: vel, magis quam cuſtodes mane, quam cuſtodes mane, ut repetitio amplificationem habeat.

SA.

Oratio afflicti.

Verſ. 1. DE PROFUNDIS; quaſi dicat, Ex profunda calamitate. CLAMAVI; pro, clamo.

R r 2 *V.* 3.

V. 3. Observaveris; ſcilicet ut punias. Sustinebit, id eſt ferre poterit. Chald. *ſubſiſtet*.

V. 4. Quia; pro, certe. Apud te. Hieron. *tecum*. Propitiatio. Chald. *indulgentia*. Legem tuam, ſcilicet dignam obſervatu; vel quaſi dicat, morem, quo ſoles parcere. Græce *nomen tuum*. Hieron. *cum ſis terribilis*. Sustinuit, id eſt expectavit. Verbo, id eſt promiſſione.

V. 6. Custodia. Hieron. *vigilia*. Ad noctem; quaſi dicat, Semper.

V. 7. Redemptio, id eſt liberatio, ſeu ſalvatio.

V. 8. Israel, id eſt quiſque ex Iſrael.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. Canticum graduum. Veniam delictorum ardenter orat. De profundis. Hebr. *de profunditatibus*, ſcilicet rerum adverſarum.

V. 3. Domine quis sustinebit? Heb. *quis ſubſiſtet*? ſcilicet coram te, ſi iniquitates obſerves?

V. 4. Et propter legem tuam; id eſt, propter veniam, quam in lege promittis. Heb. *Sane tecum propitiatio eſt, ut timearis*. Pagnin. *Siquidem apud te eſt remiſſio, ideo timeberis*. Quia niſi ſpes veniæ eſſet, nemo converteretur, ut timeret Deum: ſic Aven Ezra. Sustinui. Heb. *expectavi Domine*; ſcilicet te, aut opem tuam. Et ipſum *ſuſtinere* Latine *expectare* ſignificat. Sustinuit anima mea in verbo eius. Heb. *Expectavit anima mea, & in verbum tuum ſperavi*; ſcilicet, quæ tuo verbo promiſiſti.

V. 5. In Domino. Hebraice non eſt.

V. 6. A custodia matutina; id eſt, tota die, ſemper ſperet. Heb. *Anima mea Dominum* (expectat) *præ cuſtodibus mane* (expectantibus) ſcilicet ii avidi lucem expectant, ut quieſcere poſſint; ego amplius Dominum. Speret Israel in Domino. Heb. hoc cum proximo iungitur verſu.

V. 7. Quia apud Dominum misericordia: ſcilicet, *ſperet Iſrael in Domino*, ex ſuperiori verſu.

MALVENDAE.

Verſ. 1. De profundis clamavi ad te Domine. Quidam: *Ex profunditatibus inclamavi te, Iehova, dicens*; id eſt ex profundiſſimis & immanibus periculis: metaphora ab aquis, ut Pſal. lxviii. 2. & 3. quaſi dicat: Ex profunditatibus aquarum, hoc eſt, rerum adverſarum. Alii: *Cum tantum non obrutus eſſem profundiſſimis malorum undis; tum auxilium imploravi, Domine*.

V. 3. Si iniquitates observaveris Domine, &c. Varie alii ex Hebr. I. *Commiſſa enim ſi imputes Domine, Domine quis non cadet?* II. *Si ſcelerum, quæ admiſimus, perpetuo memor eſſe volueris, & veluti repoſita ſervare apud te; Domine, ſubſiſtere quis poterit?* III. *Si iniquitates obſervaveris, Iah, Domine quis poſſit conſiſtere?* AEtiologia petitionis; quaſi dicat: Benefac nobis, non propter nos, qui propter ſcelera noſtra ſubſiſtere non poſſumus, hoc verſu; ſed propter gloriam tuam, verſu ſequente, Buchananus:

Si vindex tetricus facta nefarie
Pœnis cuncta velis plectere, quis ſibi
Tam confidit, acerbum
Ut non horreat exitum?

V. 4. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam. Alii ex Heb. I. *Quia tecum eſt venia, ut timearis*. II. *Verum apud te clementia eſt, & propterea timeris*. III. *Certe apud te eſt clementia, qua uteris, ut colaris*; ſubaudi: alioqui homines te non timerent, aut colerent. IV. Iungunt præcedentibus: *Profecto aliqui ante te conſiſtent, nam penes te eſt clementia, ut timearis*. V. *Sed placabilis es: ut te revereamur*. VI. Traiiciunt, *Si iniquitates obſervabis Domine, Domine quis ſtabit? propterea timeberis: Quia tecum eſt venia, ſperavi Dominum*. VII. *Quare hoc potius ſequere quod genuinum eſt tibi, ut remittas miſericorditer peccata noſtra, & clementer erigas lapſos: ſicque ad ſinceram venerationem tui invites*. VIII. *Nam apud te eſt condonatio*; id eſt, habeto rationem gloriæ tuæ, quæ verſatur cum in fide & veritate promiſſionum tuarum, tum in cultu eius: quæ duo plane interciderent, ſi iniquitates noſtras obſervaret Deus, & nos iudicio ſuo perderet: ut reve-

reverenter colaris; id eſt, ut condonatione tua conſerventur qui te colunt: noe matica paralepſis, ut verſu ſequente. IX. *Quia apud te propitiatio eſt, propterea timeris*; id eſt, propterea quod homines norunt clementiam, & infinitam miſericordiam tuam; idcirco reverentur & colunt ſanctiſſimum numen tuum: quod ſi in peccatis condonandis inexorabilis eſſes, nemo profecto te ex animo veneraretur: ſed omnes fere tamquam tyrannum aliquem horrerent. Timor Dei, pietas, reverentia, veneratio, cultus erga Deum, paſſim in ſacris litteris. Buchananus:

At tu non furiis triſtis es aſperis:
Sed largus veniæ, & munificus parens;
Ut te iure colamus.

V. 5. SUSTINUI TE DOMINE. SUSTINUIT ANIMA MEA IN VERBO EIUS: SPERAVIT ANIMA MEA IN DOMINO. Aliqui Hebræa reddunt: *Spes mea Dominus, quo fidit anima mea: & verbo eius fidem habeo*. Alii: *Ideo expectavi Domine, expectavit anima mea*; id eſt, *expectavi Domine opem tuam, idque ex animo*, non ficte, neque ſimulate: *& in verbo tuo ſpem habeo*. Quidam: *Expectavi ſedulo Dominum, expectavit & anima mea: & quia promiſerat ſe adfuturum, numquam dubitavi, quin eſſet ſtaturus promiſſo*. Nonnulli, *expectavi Iebovam*; id eſt, expectationem meam conſecutus ſum: paralepſis. Deſcribit præſentem animi ſui conſtitutionem a præcedentibus experimentis; quaſi dicat: Experientia mea effecit mihi ſpem, quæ numquam pudefaciet me; Romanor. v. 4. *Expectavit anima mea: etiam in verbo eius expectationem babeo*: nimirum, ut ante habui, & beneficia inde conſecutus ſum. Congeries tot verborum eiuſdem ſignificatus, magnam & certiſſimam expectationem ſignificat.

V. 6. ANIMA MEA IN DOMINO A CUSTODIA MATUTINA USQUE AD NOCTEM. Noſtra translatio hunc verſum verbatim ex Hebræo reddidit (*Anima mea* ADONAI *de obſervantibus mane, obſervantibus mane*) Alii diverſimode: I. *Anima mea Domino*, vel *ad Dominum* expectavit *ſupra expectantes ad mane, expectantes ad mane*; hoc eſt, magis quam illi, qui ſummo deſiderio expectant matutinum: geminatio enim ardentem expectationem deſignat. II. *Anima mea* expectat *Dominum, magis quam cuſtodes ipſum mane, magis, inquam quam cuſtodes ipſum mane*; id eſt, ardentius quam excubitores tempus matutinum, vel quam illi vigiles diem: quo ſcilicet obita cuſtodia, illis dormire liceat: noctu enim illis dormire non licet. III. *Anima mea expectat Dominum ab agentibus vigilias matutinas, uſque ad agentes vigilias matutinas*, id eſt tota die ac nocte. IV. *Anima mea Domino intenta eſt ab excubiis matutinis, uſque ad excubias matutinas*. V. *Anima mea ardentius expectat adventum Domini, quam vigiles nocturni tempus matutinum: vigiles, inquam, qui ſomno gravati matutinum expectant tempus, quo dormire liceat ipſis*. VI. *Animus meus erga Dominum* ſtudioſior eſt, *quam excubiarum erga matutinum*; id eſt, magis deſidero frui Deo quam ulli excubitores matutino tempore, utcumque vigiliis defeſſi: excubantium ad matutinum uſque; id eſt, perpetuarum excubiarum, quibus nemo ſucceſſerit, ſed quæ per totam noctem vigilaverint. Buchananus:

Non ſic præcipiti nocte vigil diem
Obſervat roſeum, nou roſeum vigil
Phœbi ſic avet ortum,
Ut flagrat mens mea Deum.

V. 7. SPERET ISRAEL IN DOMINO. Heb. *Anxie, ſolicite expecter, præſtoletur Iſrael ad Iebveb*: vel *expectationem babeat Iſrael in Iebova*. Informatio & documentum fidei in Deum, quo Pſaltes informat Eccleſiam ab exemplo ſuo, hoc verſu: & promiſſio confidentibus, verſ. ſequente. ET COPIOSA APUD EUM REDEMPTIO, eſt. Exponunt: Id eſt, frequenter & abunde redimit, & liberat ab adverſis. Alii: I. *Et multa eſt apud eum libertas*. II. *Et ſuapte natura ad ſuccurrendum propenſiſſimus eſt*, III. *Et plurimum apud eum redemptionis*, proficiſcentis ex benignitate eius, de qua in præcedente membro.

V. 8. ISRAEL AB OMNIBUS INIQUITATIBUS EIUS. Qui expectationem ſuam habuerit in Iehova.

MENOCHII.

Verſ. I. DE PROFUNDIS: de profunditatibus calamitatum, & exiliorum, & malorum, quibus merſus ſum.

V. 2.

V. 2. Intendentes, attentæ.

V. 3. Si iniquitates obſervaveris. Si mea, aut hominum peccata accurate inveſtigaveris, & excuſſeris, vel ob oculos poſueris. Quis ſuſtinebit? quis iuſtitiæ tuæ ſeveritatem ferre poterit?

V. 4. Quia apud te propitiatio est, &c. quaſi dicat: Verum ſat ſcio non ita iniquitates noſtras obſervaveris, quoniam tecum eſt propitiatio, & pronus es ad indulgendum. Et propter legem tuam, quam dilexi, & quæ pœnitentibus veniam pollicetur. Sustinui te Domine. Confidi in te, propter deſperationem non defeci, ſed bona ſpe erectus auxilium tuum expectavi. Sustinuit, &c. longanimiter, & patienter expectavi promiſſam pœnitentibus gratiam. *Verbum* enim accipitur hoc loco pro promiſſo.

V. 6. A custodia matutina uſque ad noctem. A ſummo mane uſque ad veſperam, id eſt ſemper. Alibi dictam ſolitos veteres in quatuor cuſtodias, ſeu vigilias noctem partiri, ſingulis cuſtodiis ternas horas tribuendo. Dicuntur autem cuſtodiæ ſive vigiliæ, quia cuſtodes, ſive vigiles civitatis, & caſtrorum excubitores, tribus horis vigilando, civitatem ſive caſtra cuſtodiebant.

V. 7. Quia apud Dominum misericordia. Idem eſt quod ſupra dixit, quia apud te eſt propitiatio. Quia facilis eſt Dominus, miſericors, & large nobis benefaciens, & a malis fortiter eripiens.

V. 8. Redimet: liberabit, eripiet, purgabit a peccatis, per Chriſtum Salvatorem, & Redemptorem noſtrum.

TIRINI.

Verſ. 1. De profundis. Hebraice, *de profunditatibus*; Symmachus, *de profundiſſimis*, puta carcere, exilio, calamitate, miſeria & voragine peccatorum.

V. 4. Propter legem tuam, qua pœnitentibus indulgentiam promittis.

V. 6. A custodia, Hieronymus, *a vigilia* matutina, uſque ad noctem, vigiliam veſpertinam, id eſt excubiis matutinis, ſeu primo mane, uſque in altam *noctem*, id eſt tota die, omni hora.

V. 7. Copiosa; Hieronymus, *multa*; apud eum; Chaldæus, *cum illo*; redemptio, id eſt liberatio, ſalvatio. Allegorice Hieronymus, Redemit nos Chriſtus non auro, ſed ſanguine ſuo: non paucos homines, ſed univerſum mundum: non ad paucos annos, ſed pro tota æternitate: nec ad exiguum emolumentum, ſed ad immenſum gloriæ pondus.

GORDONI.

Titulus, ut ſupra, Canticum graduum. Hic Pſalmus eſt unus ex pœnitentialibus, & ſimul deplorat exilii huius miſeriam: habet etiam prædictionem redemptionis futuræ; unde pro defunctis ſolet recitari.

Verſ. 4. Quia apud te propitiatio est, &c. Hactenus pœnitens agnovit peccata ſua, nunc profitetur in Deo miſericordiam, ut ſic tandem concludat (quod ſupremum eſt in pœnitente) in ſe deſiderium eſſe melioris vitæ, ſuſtinendo & expectando opem Dei deinceps. Sed eſt codicum varietas aliqua: Vulgatus habet, *propter legem tuam* (ſcilicet, qua ſtatuiſti miſereri) Septuaginta, *propter nomen tuum*, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου. Heb. *ut timearis*, & ex Hieronymo, *cum terribilis ſis*. Nunc eſt in Hebræo תורא *thivare*, *timeberis*: radix ירא *timuit*. Verum probabile omnino eſt mutata eſſe puncta, & pro *thivare* Septuaginta legiſſe תורה *thorah*, *legem*: finales quoque litteræ א & ה, ſunt permutabiles. Denique in Græco eſt varia lectio, & aliqui codices habent, νόμου, quam poſteriorem lectionem habent Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, & alii.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. *& ſeq.* In hoc Pſalmo ſimul pœnitentiali & graduali, recte oſtenduntur gradus per quos aſcendere debet vere pœnitens; qui ſunt, agnoſcere miſeriam ſuam; agnoſcere apud Deum eſſe propitiationem; ſperatam veniam impetrare; cum propoſito melioris vitæ ad Deum, perſiſtere in confeſſione laudis, & iuſtitia; expectando cumulum & finem redemptionis. Clamat autem pœnitens de profundis, ſcilicet miſeriis, in hac valle mortalium, & de profundo cordis. Hic obſer-

Digitized by Google

obſervanda eſt illa petitio verſ. 3. quaſi ſyllogiſtica; ſi obſerves iniquitates ſine miſericordia, damnabuntur omnes: atqui hoc repugnat bonitati tuæ; ergo apud te eſt propitiatio; & miſericordia: unde Pſalmiſta; Suſtine, inquit, ſpera, & reperies apud Dominum miſericordiam.

BOSSUET.

Verſ. 4. **Q**UIA APUD TE PROPITIATIO EST, ET PROPTER LEGEM TUAM.... ita Symm. & Theodor. Hier. ad Sun. at ibid. Hier. timorem in Hebræo reperiri notat; & hic quoque ſic vertit: *Cum terribilis ſis:* præclaro ſenſu; quaſi diceret: Terribilis licet, tamen parcis. Heb. vero *propterea timeris*; hoc eſt, eo quod ſis clemens, verentur pii homines ne tibi tam bono, tam benefico diſpliceant. SUSTINUI TE... vide Hier.

V. 6. A CUSTODIA MATUTINA... *A vigilia matutina, uſque ad vigiliam matutinam.* Hier. *Ab uno mane in aliud: præ excubitoribus matutinis*, Heb. quod bis repetitur; hoc eſt, ſemper & præ omnibus excubitoribus ad te vigilabo.

Google

PSALMUS CXXX. MORALIS.

David in ſua maieſtate coram Deo ſe deiicit: cuius exemplo populus liberatus, eiuſque duces ac pontifices, rebus proſperis non inflantur. Vide Pſal. c.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum David.

DOmine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: & non ambulavi in magnis, & in mirabilibus ſuper me.

Si non propoſui, & ſilere feci animam meam, ſicut ablactatus ad matrem ſuam: ita ablactata ad me anima mea.

Expecta Iſrael Dominum: amodo & uſque in æternum.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum David.

DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.

2. Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltavi animam meam:

* Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.

3. Speret Iſrael in Domino, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 2. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Quidam libri pro maſculino *ablactatus* ſcribunt neutrum *ablactatum*; pro quo vitioſe nonnulli ſupponunt *ablatus*, ſeu *ablatum*. Complures libri omittunt verbum ſubſtantivum *eſt*. Deniqne alii legunt quarto caſu *matrem ſuam*, *animam meam*, pro ſextu, *matre ſua*, *anima mea*.

NOTATIO.

Verſ. 2. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua.* Qnod plerique codices maſculino genere habent *Sicut ablactatus*; id nonnulli neutro ſcribunt: *Sicut ablactatum*, Hunnæi duo, D, P, & qui Lovanii excuſus, eſt Proſperi textus; atque ad hunc modum Græce eſt: *ὡς τὸ ἀπογεγαλακτισμένον*. Ex Hebræo כגמול utrumque translatum reperi: Iobienſe exemplar, Tornacenſe, & Stapulenſe, *ablactatum* Gallico; *ablactatus* Romano Pſalterio adſcribunt. D. Hilarius legit: *Sicut ablactato*, iungitque cum eo quod in altera ſententiæ parte habet, *ita retribues*. Male Atrebatenſis Collegii manuſcripta legnnt, unum *ablatum*, alterum *ablatus*; & qnidem hoc habet Auguſtini lectio, at ſubnectit *a lacte*.

Quod ſequitur, ſubſtantivum verbum *eſt*, a multis manuſcriptis tollitur, viginti noſtris; neque Hebraice legitur, aut Græce additur. Hieronymi lectio addit relativo antecedente: *Sicut qui ablactatus eſt*; ſimiliter Auguſtini: *Quemadmodum qui ablatus eſt a lacte*. Quod ſi vero abſque relativo addatur, commode referri poteſt ad id quod ſequitur *ſuper matre ſua*, vel ut habent alii multi libri *ſuper matrem ſuam*.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Heb. *Davidi*. NEQUE IN MIRABILIBUS SUPER ME. Heb. *præ me*. Poteſt referri vel ad actiones, ſic: Nihil ſum aggreſſus facere ſupra vires, ut homines ſuperbi facere ſolent; vel ad cognitionem: Altiora me non quæſivi, & fortiora me non ſum ſcrutatus, ut præcipit Eccl. cap. III. 22.

V. 2. SI NON HUMILITER SENTIEBAM. Heb. *Si non ſimilem reddidi, ac ſilere*, id eſt, conquieſcere, *feci animum meum*, (ſubaudi ſubter te) *ſicut ablactatum ſuper matre ſua*, ſicut ablactatus (inquam) anima mea fuit in me. Apoſiopeſis. Subauditur: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat.

SA.

De humilitate.

Verſ. 1. EXALTATUM, ſcilicet ſuperbe OCULI; ſcilicet, in quibus ſolet faſtus apparere. MAGNIS; id eſt, maioribus quam me decerent. ME, id eſt vires meas; quaſi dicat, Excedentibus captum meum.

V. 2. SI, &c. ſcilicet, accidat mihi quod mereor. SICUT ABLACTATUS, &c. quaſi dicat: Accidat mihi quod puero ante tempus ablactato; vel, ſi non me demiſſe gero, & a te omnia expecto ut puer ablactatus a matre, ab ea omnia expectat, reddatur mihi quod mereor ſupplicii.

ESTII.

Verſ. 2. SI NON HUMILITER SENTIEBAM, SED EXALTAVI ANIMAM MEAM: SICUT ABLACTATUS EST SUPER MATRE SUA, ITA RETRIBUTIO IN ANIMA MEA. Duos ſenſus hic refert Ianſenius in Annotat. ad hunc Pſal. Præter quos, poteſt & tertius probabilis adferri huiuſmodi: Domine, ſi non humiliter de me, ac modeſte ſenſi, ſi exaltavi per ſuperbiam animam meam; ſi non fui apud te, ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ſemper ad matrem reſpiciens, & ab ea dependens: veniat pro merito ſuperbiæ meæ retributio in animam meam; id eſt, Deus me puniat, ut meritus ſum. Sic & Pſal. VII. dicitur: *Domine ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*. Similia quoque habentur Iob XXXI.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM DAVID. Modeſtum ſe eſſe ait. NEQUE AMBULAVI IN MAGNIS; id eſt, quæ ſupra captum meum erant non tentavi. IN MIRABILIBUS; id eſt, neque occulta intelligere ſum conatus.

V. 2. SI NON HUMILITER SENTIEBAM. Forma iurandi. Hieronymus, *ſi non propoſui*. Quid? bonum ſcilicet, aut ſervare legem. Heb. *poſui*. SED EXALTAVI. Hebr. *Et ſilere feci animam meam*: ſic Hieronym. id eſt, intra fines modeſtiæ non continui eam. Septuag. pro *domanthi* legere *romanthi*. Litteræ *Res* & *Daleth* ſunt ſimillimæ. SICUT ABLACTATUS EST SUPER MATRE SUA; id eſt, iuxta matrem ſuam infans eſt humilis & tacens: ſic ego. ITA RETRIBUTIO IN ANIMA MEA; id eſt, niſi ita fuerim, graviſſimas pœnas dem. Iuramenti concluſio. Hebr. *Sicut ablactatus iuxta me* (id eſt in me eſt) *anima mea*, id eſt humilis, modeſta. Hieronymus: *Sicut ablactatus ad matrem ſuam, ita ablactata ad me anima mea*: ut videas Hebraica Hieronymi ætate fuiſſe hoc loco ut nunc. Quam lectionem ſi ſequimur, ſupplendum, Male mihi ſit: ſcilicet, niſi ita feci, niſi modeſte me geſſi. Alioqui oratio pendens manet & imperfecta.

MALVENDAE.

Verſ. 1. NON EST EXALTATUM COR MEUM, NEQUE ELATI SUNT OCULI MEI. Quidam reddunt: *Non fuit altus animus meus, neque elati oculi mei*;

id eſt, nihil altum concupivi animo, aut ambivi oculis: nam faſtus & ſuperbia maxime in oculis apparet. NEQUE AMBULAVI IN MAGNIS, NEQUE IN MIRABILIBUS SUPER ME. Aliqui reddunt: I. *Ac non aggreſſus ſum res magnas, aut arduas ſupra quam conveniat mihi*; id eſt, neque animo, neque ſignis, neque facto aſpiravi ad regnum, & Schaulis everſionem, aut aliud quidquam ingens ex me ipſo tentavi: ſed certa fiducia recubui in te, & acquievi voluntati tuæ. II. *Neque oſtentavi res magnas, neque, quæ non conceſſæ fuerant, arrogavi mihi*. III. *Neque ambulavi in magnis, nec in occultis a me*; id eſt, neque tentavi aliquid ſupra vires meas, nec inani curioſitate aggreſſus ſum occultiora ſcire & reconditiora, quam ut a me intelligi poſſent. IV. *Neque verſor in rebus ſupra me magnificis, aut mirificis*. V. *Neque ambivi magna, & quæ miris modis eſſent ſupra me*.

V. 2. SI NON HUMILITER SENTIEBAM, &c. Hunc verſum nos ad verbum ex Hebr. dedimus (*Si non adæquavi, & ſilere faciam animam meam ſicut retributus ſuper matrem ſuam: ſicut retributus ſuper me animam meam*.) Alii multifariam: I. *Si non propoſui & ſilere feci animam meam; ſicut ablactatus a matre ſua, ita ablactetur a me anima mea*; id eſt, ſi non continui animum meum in omni modeſtia, priver omni divinæ conſolationis dulcedine. II. *Si non repoſui, & ſilere feci animam meam tamquam lactentem ſuper matre ſua, tamquam lactentem ſuper me animam meam*. III. *Si non æquavi*; id eſt, æquanimem reddidi, *& ſilere feci animam meam ſicut ablactatum penes matrem ſuam; ſicut ablactatum penes me animam meam*. IV. *Niſi poſui, & ſilere feci animam meam, ſicut ablactatum ſuper matrem ſuam: ſicut ablactatus eſt in me anima mea*. V. *Si non adæquavi, æquiparavi, & compeſcui animam meam: ſicut ablactandus erga matrem ſuam. Sic eſt ablactanda erga me anima mea*. VI. *Si non æſtimavi, & perdomui animam meam; velut ablactatus apud matrem ſuam, & velut ablactatus, inquam, eſt, apud me anima mea*. VII. *Sed pono atque compeſco animum meum, quemadmodum ablactatus erga matrem ſuam: animus meus a lacte abſtracto ſimilis eſt*. VIII. *Si non poſui, & ſilere feci animam meam, ſicut ablactatus ſilere ſolet apud matrem ſuam, hæc faciat mihi Deus: Sicut ablactatus eſt apud me anima mea*. Repetitio, & veluti præcedentium expoſitio. IX. *Si non ſic compoſui animum meum, ne alius ſibi videretur collatus tecum, quam infans ab uberibus matris ſuæ recens depulſus, qui ſolus figere greſſus non poteſt, ſed matris ſuſtentatur manu: ſi non ita ſemper me iudicavi ſine tuo auxilio nihil poſſe, & animam meam eiuſmodi infanti ſimilem; fruſtrer ſpe mea penitus*. X. *Si non depreſſi, & humiliavi animam meam, qualis ablactatus erga matrem ſuam: qualis ablactatus, talis in me anima mea*; quaſi dicat: Niſi modeſtiam, atque animi ſubmiſſionem ſemper colui, atque totus e nutu Dei pependi, ut infans e cura matris: fac Domine graviſſimas arrogantiæ pœnas luam. Aliqui reddunt: *Immo in æqualitate ſua poſui, & continui animam meam, ac ſi eſſet puer ablactatus, apud matrem ſuam*, quem ſcilicet mater a lacte cohibet, &c. XI. *Male ſit mihi*, vel *Deus numquam mihi adſit*, aut *fruſtrer ſpe mea, ſi non comparavi, & ſimilem iudicavi animam meam puero ablactato apud matrem ſuam: eſtque anima mea in me ſimilis puero ablactato*. Conciſum iuramenti imprecatorii genus in Scriptura frequens; quaſi dicat: Male peream, ſi non coercuerim, & ſimilem reddiderim animum meum puero nuper ablactato, omnia expectans a Deo, ut ille a matre, cum ex ſe nihil poſſit. XII. *An non compoſui, & ſedavi animum meum, ſimilis depulſo a lacte apud matrem ſuam? ſimilis depulſo a lacte apud me fuit animus meus*. Ut ſit hortatio Eccleſiæ ad imitationem ſui; id eſt, meo exemplo numquam alat ingentes ſpiritus, ſed a divina voluntate pendeat, verſu ſequente.

V. 3. SPERET ISRAEL IN DOMINO. Vide Pſal. CXXIX. 7.

MENOCHII.

Verſ. 1. NON EST EXALTATUM COR MEUM, non ſuperbivi. Videtur hoc membrum accipiendum de ſuperbia interiori, quæ in animo latet. NEQUE ELATI SUNT OCULI MEI, de ſuperbia operum, & exteriori. NEQUE AMBULAVI IN MAGNIS; ambulare in magnis, eſt

eſt gerere, tentare, aut conari res, quæ vires, & ſtatum excedant. Neque in mirabilibus super me: ambulare in mirabilibus, eſt ſcrutari arcana conſilia Dei, vim ingenii ſuperantia.

V. 2. Si non humiliter sentiebam. Particula *ſi* vim habet iuramenti; ſenſus enim eſt: Si non humiliter ſenſi, ſed ſuperbus ſui, miſere, & infeliciter peream. Sicut ablactatus est super matre sua. Si non humiliter ſentiebam, ſicut infantulus nuper a lacte depulſus, qui a matre omnino dependet, & regitur ab illa, cui ſe plane ſubiicit. Ita retributio in anima mea; ſcilicet, ſit. Ita animam meam ulciſcatur Deus, & me malis mulctet.

V. 3. Ex hoc nunc, &c. ſemper in Domino ſpem ſuam collocet.

TIRINI.

Verſ. 1. In magnis (Aquila & Chaldæus, *in magnificentia*) et mirabilibus super me. Chaldæus, *rebus mirandis præ me*; Symmachus, *tranſcendentibus*; quaſi dicat: Non ſum conatus res quæ meas vires vel ſtatum excederent: neque ſcrutatus ſum arcana Dei conſilia, quam ob cauſam, quem in finem ſic de me vel de aliis decernat.

V. 2. Si non, &c. ſupple, puniar & perdar a Deo. Eſt enim *ſi* Hebræis (a) nota iurantis & execrantis. Sicut ablactatus recens puerulus ſe habet erga matrem ſuam, puta humilis eſt, manſuetus, ſinui matris inhærens, totuſque ab illa pendens, ut rurſum novo lacte vel cibo ab illa paſcatur, ita retributio in anima mea; id eſt, ita *ablactata anima mea*, ut vertunt Symmachus & Hieronymus, pendet a te tuoque ſinu, & omnia ſibi a te tribuenda expectat.

(a) Proleg. de Idiot. Heb. n. 13.

GORDONI.

Titulus, Canticum graduum. Hic Pſalmus gradualis docet gradum veræ humilitatis, qua animi ſubmiſſione & deſcenſu, nihil eſt efficacius ad aſcenſum verſus Deum. Veram dixi humilitatem, & qua homo ſe plane ſubiicit Deo in omnibus.

Verſ. 1. Laudat quidem ſe David in hoc Pſalmo, ſed ita, ut Deum ſolum potius laudet, a quo ſe omnia accepiſſe, & non a ſuis viribus profitetur: & hoc ipſum eſt ſe humiliare. Porro, cum aliquis calumnias patitur (quales ſæpe paſſus eſt David) ſane eas repellere, ſe laudando in hac urgente neceſſitate, eſt iuſtiſſima defenſio. Quidni etiam poteſt hic David ſuam animi modeſtiam proponere, ut aliis ſit exemplo? quam quidem fuiſſe mentem Davidis docet ultimus verſus Pſalmi huius. Et poſſe hominem interdum ſeipſum laudare docuit Plutarchus in opuſculo de hac re: nec caret hoc ipſum exemplis in Ezechia IV. Reg. xx. item in Paulo, II. Cor. xii. 1. Et tamen ſe laudare, cum non ſubeſt iuſta cauſa, omnino turpe eſt. Ceterum titulo huius pſalmi apponitur nomen Davidis; in Hebræo לדוד, non eſt tamen in Græco.

V. 2. Si non humiliter sentiebam, &c. Eſt hic gravis aſſertio: confirmat enim iuramento, ſe a ſuperbia abſtinuiſſe, ut ſic maior fides adhibeatur eius verbis. Ceterum quod eſt hic; Ita retributio in anima mea; Hier. verrit, *ita ablactata ad me anima mea*. Vox Hebraica, mutato puncto, ſignificat ablactatum, vel retributionem, prout legas *gamul*, vel *gemul*. Hieronymus in utroque loco legit, גמול *gamul*, *ablactatus*. Sed Septuaginta, ubi quidem eſt ablactatus, legebant *gamul*; ubi vero eſt, retributio (*ὡς ἀνταποδώσεις*) legebant גמל *gemul*. Itaque *gemul* eſt nomen; at vero *gamul* eſt participium: ubi tamen (ut interdum fit) in textu Heb. גמל *gamul*, ponitur chibuts pro ſciurech. Porro ubi habemus, exaltavi, Hieronymus legit, *ſilere feci*, quia legebat דוממתי *domamthi*, a rad. דום, ſed Septuaginta legerunt רוממתי *romamthi*; *exaltavi*; vide radices דמם & רום *exaltavit*.

Eiusdem Paraphraſis.

Verſ. 1. PRæfatus ſum Davidem hic & ſeq. profiteri humilitatem animi, & modeſtiam, ut doceat alios hanc aſcenſionem in cæleſtem Ieruſalem; & graviter affirmare ita eſſe; ac ſi diceret imprecando ſibi: niſi ita ſit, fiat mihi hæc punitio, ut ſim ſicut puer, cum ablactatur a matre ſua; hoc eſt, in mærore, & triſtitia; privatus nempe omni ſolatio. Demum concludit cum exhortatione ad populum: cum, inquit, debeat homo ſubmiſſe de ſe ſentire, & omne ſuum auxilium expectare a Deo, *ſperet Iſrael in Domino*, idque perpetuo. Et hæc pro paraphraſi.

BOSSUET.

Verſ. 2. SI NON HUMILITER... iurandi formula. SED EXALTAVI ANIMAM MEAM: *& non ſilere feci animam meam*, Hier. Si non eam compeſcui, ne vanis extolleretur cogitationibus. SICUT ABLACTATUS... ſi non ita comparavi animam meam, ut ſimilis eſſet puero ablactato; hoc eſt, tam humilis ſum apud me & coram Deo, quam parvulus ſubditus matri. Sic David II. Reg. VI. 22. *Ante Dominum vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis*, &c.

PSAL.

PSALMUS CXXXI. HISTORICUS ET EUCHARISTICUS.

Salomon Arcam e Sione in templum a ſe extructum transferens, Davidem qui omnia ad templum præparaverat pie collaudat; eique a Deo facta promiſſa confirmari petit. Vide II. *Par.* VI. 41. 42. *ubi verſ.* 1. 8. 9. *huius Pſalmi referuntur: hinc in ſecundi templi dedicatione repetitus videtur: Salomoni tribuitur a Ch. Chr. ad verſ.* 5. *& aliis.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

MEmento Domine David, & omnis afflictionis eius.

Qui iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob.

Si intravero in tabernaculum domus meæ; ſi aſcendero ſuper lectum ſtraminis mei.

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

Donec inveniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audivimus illum in Ephrata: invenimus illum in regione ſaltus.

Intremus in tabernacula eius: adoremus ſcabellum pedum eius.

Surge Domine in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ.

Sacerdotes tui induant iuſtitiam, & ſancti tui laudent.

Propter David ſervum tuum, ne avertas faciem Chriſti tui.

Iuravit Dominus David veritatem, non avertetur ab ea: de fructu ventris qui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filii tui pactum meum,

VERSIO VULGATA

1. Canticum graduum.

MEmento (*a*) Domine David, & omnis manſuetudinis eius.

2. Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob:

3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei:

4. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

5. Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

6. Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis ſilvæ.

7. † Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes eius.

8. (*b*) Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

9. * Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent.

10. Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui.

11. * Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam: (*c*) de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

12. Si cuſtodierint filii tui teſtamen

& te;

& teſtificationem meam quam docuero
eos:
Et filii eorum uſque in æternum,
ſedebunt ſuper thronum tuum.
Quoniam elegit Dominus Sion: de-
ſideravit eam in habitaculum ſibi.
Hæc eſt requies mea in ſempiternum:
hic habitabo, quia deſideravi eam.
Venationem eius benedicens benedi-
cam: pauperes eius ſaturabo pane.

Sacerdotes eius induam ſalutare, &
ſancti eius laude laudabunt.
Ibi oriri faciam cornu David, pa-
ravi lucernam Chriſto meo.
Inimicos eius induam confuſione: ſu-
per ipſum autem florebit diadema eius.

tum meum, & teſtimonia mea hæc
quæ docebo eos:
Et filii eorum uſque in ſæculum,
ſedebunt ſuper ſedem tuam.
13. Quoniam elegit Dominus Sion:
elegit eam in habitationem ſibi.
14. Hæc requies mea in ſæculum
ſæculi: hic habitabo quoniam elegi
eam.
15. Viduam eius benedicens benedi-
cam: pauperes eius ſaturabo panibus.
16. * Sacerdotes eius induam ſaluta-
ri: & ſancti eius exultatione exultabunt.
17. † (*d*) Illuc producam cornu Da-
vid, paravi lucernam Chriſto meo.
18. Inimicos eius induam confuſio-
ne: ſuper ipſum autem efflorebit ſan-
ctificatio mea.

(a) II. Reg. VII. (b.) II. Par. VI. 41. (b) II. Reg. VII. 12. Luc. I. 55. Act. II. 30. (d) Luc. I. 69. Malach. III. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam*. Quartus caſus præferendus eſt ſexto *iuſtitia*.

V. 11. *Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam*. Servandum eſt pronomen femininum *eam*, quod refert *veritatem*, non ſubſtituendum maſculinum *eum*, quod referat *David*.

V. 16. *Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt*. Pronomen tertiæ perſonæ *eius*, quod eſt in poſteriori huius verſiculi membro, multi mutant cum pronomine ſecundæ perſonæ *tui*, ſed male.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 7. *Introibimus in tabernaculum eius*. Alii libri ſcribunt plurale *tabernacula*, Græco & Hebræo conſentanee.

V. 17. *Illuc producam cornu David*. Videtur præferendum adverbium quo ſignetur motus in locum, *illic*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. MEMENTO DOMINE DAVID, ET OMNIS MANSUETUDINIS EIUS. Hebr. *Memento Domine David, & omnis afflictionis eius*, ענותו. Septuag. legerunt ענוותו τῆς πραΰτητος αὐτοῦ.

V. 2. SICUT IURAVIT DOMINO. Hebr. *Qui iuravit Domino, vovit fortiſſimo* (Deo) *Iacob*. Iuravit autem quod ſequitur.

V. 5. TABERNACULUM DEO IACOB. Hebr. *manſiones*, pluralis pro ſingulari.

V. 6. ECCE AUDIVIMUS EAM IN EPHRATA. Hebr. *Eam manſionem in ephrata invenimus eam in campis ſylvoſis*. Hoc plerique referunt ad hiſtoriam quæ eſt II. Reg. XXIV. 20.

V. 7. ADORABIMUS IN LOCO UBI STETERUNT PEDES EIUS. Hebr. *ſcabellum pedum eius*, ita vocat templum.

V. 8.

V. 8. Et arca sanctificationis tuae. Hebr. *fortitudinis tuæ*.

V. 10. Non avertas faciem Christi tui. Hebr. *Uncti tui* (Regis): videtur Salomon loqui de ſe ipſo, qui Pſalmum hunc compoſuerit, quique Deum roget, uti ſibi ob patris memoriam benefaciat.

V. 13. Elegit eam in habitationem sibi. Hebr. *Deſideravit habitaculum ſibi*, id eſt, placuit illi, ibi potius quam alibi habitare.

V. 15. Viduam eius benedicens. Hebr. צידה *eſcam eius*. Septuag. τὴν θήραν.

V. 17. Illuc producam cornu David. Hebr. *Efflorescere faciam cornu David*, id eſt potentiam, regnum. Paravi lucernam, id eſt ſucceſſionem Chriſto meo, ut III. Reg. XI. 36. & XV. 4. & Reg. VIII. 19. & II. Para. XXI. 8. & Iob XVIII. 6. & XXI. 17.

V. 18. Efflorebit sanctificatio mea. Hebr. *Corona eius*; id eſt, gloria, imperium, diadema.

S A.

De Chriſto & Eccleſia ſub figura David & Templi.

Verſ. 1. Mansuetudinis, Hieron. & Chald. *afflictionis*.

V. 2. Sicut. Hieron. & Chald. *qui*.

V. 3. Si introiero, &c. gradatio, more Hebræo, incipiens contra morem Latinorum: dicerent hi prius, Si aſcendero, &c. Simile quid eſt Pſal. 1.

V. 4. Et palpebris, &c. repetitio eſt.

V. 5. Temporibus, id eſt capiti. Locum, ſcilicet ædificando templo. Fuit ei revelatum ubi eſſet conſtruendum: II. Reg. XXIV. Vide I. Par. XXI. & II. Par. III.

V. 6. Eam, ſcilicet manſionem, vel pro, id. In Ephrata, ſcilicet exiſtentes. Campis silvae, id eſt loco ſilvoſo, ſcilicet monte Moria.

V. 7. In loco, &c. ſcilicet ad Propitiatorium, quod velut Dei ſcabellum.

V. 8. Requiem, id eſt locum, ubi velut quieſcas. Sanctificationis tuae, id eſt quam tibi ſanctificaſti. Hieron. *fortitudinis tuæ*. Chald. *in qua lex tua*.

V. 9. Sancti tui, id eſt tibi conſecrati. Chald. *Levitæ tui*. Exultent. Hieron. & Chald. *laudent*.

V. 10. David, id eſt Davidis virtutes, ſeu integritatem, vel promiſſionem ei factam de Chriſto. Chald. *David merita*. Avertas faciem, id eſt differas adventum, vel quaſi dicat: Ne reiiciendo preces facias confuſum faciem avertere. Vide ſimilem phraſim III. Reg. II. Christi, id eſt meam, vel Ieſu, ut dictum eſt.

V. 11. Eam. Sic Hieron. Chald. & Græc. ſcilicet veritatem; quaſi dicat, Non faciet irritam. Ponam. Chald. *Regem ponam*.

V. 12. Testamentum. Hieron. & Chald. *pactum*. Testimonia, id eſt præcepta. Et; pro, etiam, ſcilicet cuſtodierint, vel ſedebunt. Haec: ſubaudi, dicens.

V. 15. Viduam. Græc. & Hieronym. *venationem*, id eſt cibum. Noſter pro θήραν videtur legiſſe χήραν. Eius, ſcilicet Sion, & ſic in ſequentibus.

V. 16. Salutari, id eſt ſalute; quaſi dicat, Servabo. Exultatione exultabunt. Hieron. & Chald. *laude laudabunt*.

V. 17. Illuc producam. Hieron. *ibi oriri faciam*. Cornu, id eſt poteſtatem Regiam. David, id eſt Davidi ſcilicet Chriſtum. Lucernam; id eſt, ſplendorem, ſeu poſteritatem ſplendide regnantem. Vide III. Reg. XI. & 15. II. Par. XXI. Christo, id eſt Regi David, vel Chriſto Ioannem.

V. 18. Sanctificatio mea, id eſt iuſtificatio peccatorum, vel templum. Hieron. *diadema eius*. Chald. *corona eius*.

E S T I I

Verſ. 1. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius. Deſcribit ſtudium ac deſiderium ſuum, quo arcam Domini optavit introducere in locum a ſe præparatum. Repetit deinde promiſſiones ſibi a Deo factas de regni æternitate, & Chriſto venturo. Huc ſpectant illa verba verſu 4. & verſu 5. *Si dedero ſomnum oculis meis*, &c. *Donec inveniam locum Domino*. Pro eo, quod habemus, *& omnis manſuetudinis eius*, nonnulli ex Hebræo vertunt,

&

TUI, id eſt Levitæ. EXULTENT. Hebr. *canant*, ſcilicet hymnos.

V. 10. PROPTER DAVID, id eſt promiſſionem illi factam. NON AVERTAS, non repellas. FACIEM CHRISTI TUI, ne vacuum Salomonem in ſuis precibus abire ſinas.

V. 11. VERITATEM. Gotthie. *In veritate iuravit Dominus Davidi*, id eſt non ficte. ET NON FRUSTRABITUR EAM, non fallet. Gotth. *non fruſtravit eum*. Hebr. *non diſcedet ab ea*, ſcilicet veritate. DE FRUCTU; id eſt, aliquem e filiis aut poſteris ponam in throno tuo.

V. 12. QUAE DOCEBO EOS: aut, docui eos. ET FILII EORUM, ſcilicet qui ſederunt in tua ſede: ſi ea cuſtodierint, dabo illis regnum.

V. 13. QUONIAM ELEGIT DOMINUS SION, in domicilium. ELEGIT. Hebr. *concupivit*.

V. 14. ELEGI EAM. Hebr. *Concupivi eam ſedem, ideo ibi habitabo*. Verba Dei.

V. 15. VIDUAM EIUS; ſcilicet, quæ viduæ ſolent eſſe deſertæ, eas replebo bonis. Græc. & Hebr. *venationem eius benedicam*, id eſt dabo rerum copiam. Pro θήραν aliqui χήραν, id eſt, *viduam* legerunt Græce. S. Hilarius dicit Septuag. ita habere: ſic etiam habent alii codices Græci & Pſalter. Arab. AEthiop. Apollin. Vide Notas ad editionem Latinam Septuag. Romanam: inde noſter Latinus Interpres deſumpſit. In Vulg. Regia *venationem* poſuerunt.

V. 16. SALUTARI induam ſacerdotes. Hebr. *ſalute*: ſic veſtes ſacerdotales vocat. EXULTATIONE; id eſt, Levitæ (quos *ſanctos* vocat) canent hymnos iubilando, iubilabunt ſancti, id eſt Levitæ.

V. 17. ILLUC, in Sion. PRODUCAM. Hebr. *germinare faciam*. CORNU DAVID; id eſt, robur, & imperium eius illic vigebit. PARAVI LUCERNAM CHRISTO MEO. Hæc lucerna Meſſias eſt confeſſione Hebræorum. Scholiaſtes noſter הנר הזה רמיזן לאור המשיח, id eſt. *Hæc lucerna innuit lucem Meſſiæ*. Ergo *Chriſto meo*; id eſt, Davidi ordinavi lucernam, ut ſcilicet ex eo id lumen oriretur.

V. 18. EFFLOREBIT SANCTIFICATIO MEA ſuper ipſum. Hebr. *Corona eius efflorebit & germinabit*; ſcilicet, regnum illud proſperum curſum tenebit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. MEMENTO DOMINE DAVID, &c. Notant, videri Pſalmum hunc conſcriptum a Davide, cum Arca ex domo Hobededomi deducenda eſſet Ieruſchalaima, II. Samuel. VI. & I. Paralipom. XV. Alii, non tam recte, a Salomone compoſitum volunt de ardentiſſimo deſiderio ac voto patris ſui, ædificandi templi, II. Samuel. VII. Heb. *Memor eſto Iehveh Davidi, omne affligi eum*, vel *omnes afflictiones eius*. ענותו *ghunnotho*, plerique infinitum Puhal faciunt, *affligi eum*: alii nomen infinitum plurale, *afflictiones eius*. Alii varie reddunt: I. *Recordare*, vel *retribue*, *Iehova*, *Davidi omnem humilitatem eius*; id eſt, repende Davidi omnem eius deiectionem, quam paſſus eſt a Saule; & ab uxore Michale, cum eum ſprevit deducentem arcam. II. *Rationem habe, Domine, idque in bonum, ipſius Davidis, malorum quæ perpeſſus eſt plurima*. III. *Memento, Domine, in favorem Davidis, omnium afflictionum, quas pertulit*, a Saule. IV. *Memento, Domine, omnium, quibus afflictus fuit David, ut ei bono ſit*. V. *Memor eſto, Iehova, Davidis, cum toto affligi eum*, ſive *cum tota afflictione eius*; hoc eſt, demonſtra te meminiſſe, & reſpicere ad Davidem, ſtudiumque animi eius contentiſſimum approbare, preſtando petitionem eius, ut Geneſ. VIII. 1. *cum tota afflictione eius*; id eſt, anxia animi ſollicitudine, quæ deinceps exponitur uſque ad verſ. 6.

V. 2. SICUT IURAVIT DOMINO. Quidam: *Iuraſſe Iehovæ*. Alii: *Qui* vel *quod iuravit*, vel *ut iuraverit Iehovæ*. Expoſitio afflictionis, vel anxiæ ſollicitudinis, ut verſu ſuperiore dictum eſt; quaſi dicat: Ego ſemper verſor in eadem ſollicitudine, quam habebam, antequam in Huzzam irrumperes, II. Samuel. VI. nimirum ut arca Dei adducatur ad me: & quod prius tibi iureiurando voveram, idem votum adhuc integrum perſtare ſentio; & ſi me iam prius hoc deſiderio afflictum amplius aliquantiſper tua irruptione in Huzzam conturbaſti, atque afflixiſti, II. Samuel. VI. & I. Paralipom. XIII. VOVIT DEO IACOB. Quidam: *Voviſſe ampliſſimo Deo Iahakobi, dicendo*, cuius ſimile

votum benedictione tua comprobaſti, Geneſ. XXVIII 20. Alii: *Tibi potenti Deo Iabakobi*; id eſt, qui potenter eripuiſti Iahakobum a periculis.

V. 3. SI INTROIERO IN TABERNACULUM DOMUS MEAE. Varie alii: I. *Male ſit mihi, ſi tabernaculum domus meæ ſubiero*, lubens. II. *Diſpeream, ſi ingrediar tentorium domus meæ*, quam recens ædificandam curavi in civitate Davidis, ut oſtenditur II. Samuel. V. 9. & I. Chronicor. XV. 1. Nam non fuit adeo arrogans David, ut voto ſuo ſe legem putaret poſſe Deo præſcribere, ut quam primum veniret arbitratu ipſius: neque adeo temerarius, ut ſponderet ſe ſub dio habitaturum, non cubaturum, & noctes inſomnes ducturum, donec apportaretur arca, quod opus fuit multorum dierum: ſed religio fuit illi migrare in novum domicilium ſuum; niſi prius Deus ibidem ſuam ſedem conſtituiſſet, ſimilis poſtea religio fuit, cum de templo ædificando cogitaret, ut teſtantur ipſius non abſimilia ad Nathanem verba II. Samuel. VII. 2. Hebræi tradunt hoc iuramentum, & votum numcupatum fuiſſe a Davide, quando graſſante in populo peſtilentia, divinitus ei oſtenſus eſt locus ædificando templo in area Areunæ Iebuſæi: tunc enim David neque ingreſſus eſt domum ſuam, neque in ſtrata ſua aſcendit, nec ſomnum oculis dedit, quouſque deſignato loco templi, ibidem extructa ara ſacrificaſſet: nam eodem die omnia peracta ſunt: vide II. Samuel. XXIV. & I. Paralipom. XXI. Nec placet quod quidam volunt, eas locutiones eſſe hyperbolicas, ac tantum indicare, Davidem numquam ſive manentem domi, ſive cubantem abiecturum cogitationem & curam exſtruendi templi. SI ASCENDERO IN LECTUM STRATI MEI. Heb. *Si aſcendam ſuper lectum*, vel *ſpondam ſtratorum meorum*. Aliqui: *Si conſcendam ſpondam ſtratorum meorum*, quæ in novo meo domicilio comparata ſunt.

V. 4. SI DEDERO SOMNUM OCULIS MEIS: nimirum in mea nova domo.

V. 5. TABERNACULUM DEO IACOB. Hebr. *Tabernacula potentiſſimo Deo Iabakobi*. Quidam, *Locum tabernaculorum ampliſſimi Dei Iabakobi*. Pluralis numerus indicat amplitudinem tabernaculi, ſeu templi; vel dicas præcipuas eius partes היכל *becbal*, & דביר *debir*.

V. 6. ECCE AUDIVIMUS EAM IN EPHRATHA, &c. Hunc verſum varie alii accipiunt, ut apud explanatores videre licet: nos eum ſenſum ſimpliciorem eſſe iudicavimus: *Ecce audiveramus eam fuiſſe in Ephrathæa regione, inveneramus eam in agris Iebaris*. Exponunt, *eam*, nimirum arcam fœderis, quæ nominatur infra verſ. 8. Relativum ante ſuum antecedens, ut alibi: *in regione Ephrathæa*, id eſt Schilunte in tribu Ephraiimi, Ioſue XVI. 6. ubi aſſervata eſt arca, inde a temporibus Iehoſchuæ, uſque ad obitum Heli ſacerdotis, dum a Phelesthæis capta eſt, I. Samuel. IV. 11. vide in Ioſue XVIII. 1. & I. Samuel. IV. 3. & 4. *in agris Iabaris*, ſive *ſilvæ*, id eſt Kiriath Iebarimorum, hoc eſt, in civitate ſilvarum, quæ in loco plano & ſilvoſo ſita eſt: quamobrem a loco plano & ſilvis dicta eſt, *Kiriath Iebarim*, id eſt urbs ſilvarum: a planitie vero dicitur *Babal*, vel *Babalab*, vel *Kiriath Babal*, atque etiam *Babales Iebudæ*, id eſt plana loca Iehudæ: hic vero *agri*, ſeu *campi ſilvæ*, vide in Ioſue IX. 17. & cap. XV. 9. & 60. & II. Samuel. VI. 2. & I. Paralipom. XIII 6. quo autem tempore arca repoſita fuerit in Kiriath-Iebarim, ſcribitur I. Samuel. VI. 21. & VII. 1. & 2.

V. 7. INTROIBIMUS IN TABERNACULA EIUS. Quidam: *Introibimus in manſiones eius*. Vide ſupra verſ. 5. Alii: *Accedimus ad tabernacula eius*; id eſt, in domum Hobed Edomi, ubi relicta fuerat Arca, cum David iudicio Dei in Huzzam exercito fuiſſet conſternatus, II. Samuel. VI. 10. & I. Paralipomen. XIII. 13. ADORABIMUS IN LOCO, UBI STETERUNT PEDES EIUS. Quidam reddunt: *Incurvamus nos honorem exhibentes ante ſcabellum pedum eius*. Proprie: *Procumbere nos faciemus ſuppedaneo pedum eius*, id eſt arcæ: vide ſupra Pſal. XCVIII. 5. & I. Paralip. XXVIII. 2.

V. 8. SURGE DOMINE IN REQUIEM TUAM. Quidam: *Surge Iebova aditurus requiem tuam*. Hunc verſum, & duos ſequentes vide explanatos II. Paralipom. VI. 41. & 42. nam ſunt eadem fere verba.

V. 9. SACERDOTES TUI INDUANTUR IUSTITIAM. Quidam exponunt; Id eſt, *Veſtibus, quæ iuſtitiam deſignant, veſtibus ſacris*. Alii; id eſt, Adminiſtri ſacrorum,

nem-

Digitized by Google

nempe Sacerdotes & Levitæ, qui ſe ſanctificaverunt rite, amplius ſanctificentur a te: ſic accommodat ad ſingularem hanc profectionem promiſſum illud Dei, de quo infra verſ. 16. Confer cum I. Paralipom. XV. ET SANCTI TUI EXULTENT. Aliqui exponunt: *Et ſancti tui decantent*; id eſt, Levitæ tui decantent carmina in laudem tuam in deportatione Arcæ: vide I. Paralipom. XV. 16. & ſequentibus. Alii: *Et quos benigne accipis, decantent*; id eſt, populus tuus, quos beneficiis proſecutus es: I. Paralipom. XV. 28.

V. 10. PROPTER DAVID SERVUM TUUM. Explanant; Id eſt, propter Chriſtum filium Davidis, qui ſubinde in Prophetis appellatur David, ut Hoſeæ III. 5. proprium nomen loco patronymici. NON AVERTAS FACIEM CHRISTI TUI, ſeu *Uncti tui*; id eſt, meam, qui unctus ſum in Chriſto tuo per Schemuelem ex mandato tuo, I. Samuel. XVI. His autem verbis paratur tranſitus ad ſequentem ætiologiam, qua copioſe explicatur quod modo dictum eſt, *Propter Davidem ſervum tuum*; quaſi dicat: Propter quem iuraſti, &c. quæ in ſequente verſu apponuntur. Alii exponunt: *Propter David ſervum tuum*, id eſt in gratiam Davidis ſervi tui, id eſt mei: *ne avertas faciem Uncti tui*; id eſt, mei, qui ſum unctus in Regem a te. De ſe loquitur in tertia perſona. Quidam reddunt: *Propter Davidem ſervum tuum, ne differas adventum Chriſti tui*. Nonnulli: *Propterea, quod David ſervus tuus ipſe orat, ne avertas faciem a Chriſto tuo*. Hebr. *In tranſitione*, ſeu *in tranſactione, Davidis ſervi tui*; id eſt, quod id tranſegeris cum Davide: vel quod hæc gratia tranſeat ad Davidem: *non reverti facies facies uncti tui*. Vide iſtud expoſitum II. Paralip. VI. 42.

V. 11. IURAVIT DOMINUS DAVID VERITATEM, ET NON FRUSTRABITUR EAM. Alii ex Hebr. I. *Iuravit enim Iehova ipſi David ex fide, quod non mutabit*. II. *Iuramento adſtrinxit ſe Dominus ipſi David, & fidem dedit, quam numquam violabit, dicens: De fructu*, &c. III. *Iuravit Iehova Davidi veritatem, a qua non avertit ſe dicens: De fructu*, &c. Altera pars Cantici, explicatio promiſſionum, uſque ad finem Pſalmi, quibus freta fides ad orandum Deum, ſuperioribus verbis adducta eſt: vide II. Samuel. VII. 12. & I. Reg. VIII. 25. & II. Paralip. VI. 16. *veritatem*, id eſt, promiſſionem firmiſſimam & conſtantiſſimam, ut ſequentia verba exponunt. Sunt autem huius promiſſionis loci quatuor; gentis Davidicæ æternitas in Chriſto, hoc & ſequente verſu; urbis & regionis ſanctificatio, ex præſentia Dei, verſ. 13. 14. & 15. Sacerdotium, verſ. 16. & regnum florentiſſimum, verſ. 17. & 18.

V. 13. ELEGIT DOMINUS SION, &c. Vide Pſal. LXXVII. 68. id eſt, præcipue Eccleſiam. ELEGIT EAM IN HABITATIONEM SIBI. Quidam: *Expetivit eam ſibi ſedem*. Alii: *Expetivit pro habitatione ſua, dicens*. Nonnulli: *Sic amavit eam, ut habitare conſtituerit in ea*. Aliqui: *Concupivit eam ſibi in domicilium*.

V. 15. VIDUAM EIUS BENEDICENS BENEDICAM. צידה *tzedah*, *venationem, eſcam, victum, cibum, commeatum, viaticum eius*. Heb. exponunt; Id eſt, mittam maiorem benedictionem in fructibus ac frugibus eius, quam in aliis terris Iſraelis, ad gloriam domus meæ, quæ eſt in medio eius: & forſitan iccirco vocatur מריה *moriiah*, quia fuit terra רויה *revaiah*, id eſt irrigua. Sed de etymo nominis *moriiah* vide in Geneſ. XXII. 2. Quidam reddunt: *Viatico eius affatim benedicam*; id eſt, rebus neceſſariis ad præſentem vitam, quæ peregrinatio eſt a Domino. Alii, *Annonam eius magna felicitate cumulabo*. ſeu *amplificabo, copioſiſſimam faciam*. Noſter ציד *tzaid*, *viduam* expoſuit, quod vidua inſidiis, & capturæ facile pateat.

V. 16. SACERDOTES EIUS INDUAM SALUTARI. Heb. *Et Sacerdotes eius veſtiam ſalute*. Vide in II. Paralipom. VI. 41. ET SANCTI EIUS EXULTATIONE EXULTABUNT. Alii: I. *Et gratioſi eius laudando laudabunt*. II. *Eiſque benigni homines impenſe iubilabunt*. III. *Et ſancti eius inceſſanter exultabunt*. IV. *Et quos in ea benigne accipio, omnino cantabunt illi*. V. *Et benefici, pii, eius ovando ovabunt*; id eſt, multum, indeſinenterque ovabunt.

V. 17. ILLUC PRODUCAM CORNU DAVID. Alii ex Hebr. I. *Ibi germinare faciam cornu Davidi*. II *Ibi oriri faciam, florere*, id eſt *propagari, cornu ipſi David*. III. *Iſthic progerminabo cornu ipſi David*. IV. *Ibi efficiam ut germinet cornu Davidis*, metaphora ab animantibus, quorum ramoſa

moſa ſunt cornua; quaſi dicat: Late diffundam, & florentiſſimnm reddam regnum Davidis: quod pleniſſime in Chriſto completum ſuit: *cornu* pro robore, & potentia regni: ſic Lucæ I. 69. PARAVI LUCERNAM CHRISTO MEO. Hebr. *Ordinavi*, *inſtruxi*, *diſpoſui*, *aptavi lucernam Uncto meo*; id eſt, uti iam cœpi inſtituere dignitatem & ſplendorem regium; ut II. Samuel. XXI. 17. & I. Regum XI. 36. & XV. 4. *Uncto meo*, Davidi typo, & Chriſto veritati. Quidam alluſum putant ad priſcum morem, quo Regibus ignis ſeu lucerna præferebatur, de quo vide Bulengerum Lib. II. de Imperatore Romano, cap. XXX.

V. 18. INIMICOS EIUS INDUAM CONFUSIONE; id eſt, operiam, obruam pudendo exitio, quod ſaluti opponitur, de qua verſ. 16. SUPER IPSUM AUTEM EFFLOREBIT SANCTIFICATIO MEA. Hebr. *Super ipſum vero florebit diadema*, *coronamentum*, *ipſius*; id eſt, florens permanebit, nec marceſcet umquam: metaphora, ut verſu ſuperiore; quaſi dicat: Perpetuo florentiſſimum, & feliciſſimum erit regnum eius. Quidam reddunt: *In capite autem illius ſulgebit diadema*.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET OMNIS MANSUETUDINIS EIUS: ſanctus Hieronymus vertit, *& omnis afflictionis eius*; ſed Septuaginta vocem Hebræam cum aliis punctis legerunt; hoc eſt, עַנְוֺתוֹ *hanavatho*, *manſuetudinis eius*. Manſuetudo Davidis cum in aliis, tum in eo potiſſimum eluxit, quod Sauli, a quo tam pertinaciter quærebatur ad necem, pepercerit, cum facile illum occidere potuiſſet, & in ſpelunca, & alibi.

V. 2. SICUT IURAVIT DOMINO. Memento etiam quemadmodum David firmiter promiſerit, & iuraverit Domino. VOTUM VOVIT, &c. Voti huius mentio expreſſa non habetur in ſacris litteris, ſed tamen colligi videtur ex Lib. II. Reg. VII. 1. ubi David dicit ad Nathan Prophetam ſe conſtituiſſe ædificare templum Domino.

V. 3. SI INTROIERO, &c. Formula iurandi, ut ſuperiore Pſalmo num. 2. ſententia eſt: Si quievero donec reperero aream tabernaculo Dei Iacob ædificando; peream, hoc, aut illud mihi eveniat, *Hæc mihi faciat Deus*, *& hæc addat*, ut non ſemel loquitur Scriptura.

V. 5. TEMPORIBUS MEIS. τοῖς χρονίφοις capiti meo, cuius pars ſunt tempora. LOCUM DOMINO: aream locando templo. TABERNACULUM DEO IACOB: qui locus, vel in quo loco tabernaculum, & ædes Deo Iacob excitetur.

V. 6. ECCE AUDIVIMUS EAM IN EPHRATA. Ponitur per ſynecdochen Ephrata, pro tribu Beniamin, ad quam Ephrata, quæ ex Gen. XXXV. 19. & XLVIII. 7. eſt eadem cum Bethlehem, pertinebat. Nam pars Ieruſalem, quæ erat ad Septemtrionem, ad Beniamin, quæ vero ad meridiem, ſpectabat ad tribum Iuda. Vide Ioſue XVIII. 28. & ibi dicta: ſenſus ergo eſt: Audivimus; id eſt, cognovimus, vel Deo nobis revelante, vel ex maiorum noſtrorum traditione locum, ſedemque templi futuram in tribu Beniamin. Videtur autem potius a Bethlehem, quam ab alia civitate tribum Beniamin denominaſſe, quia David erat Bethlehemites, & quia vicina admodum Ieroſolymæ erat Bethlehem, duobus tantum milliaribus diſtans. INVENIMUS EAM IN CAMPIS SILVAE, Ieroſolymis in area Areunæ Iebuſæi ſilvoſa, & nemoroſis arboribus conſita II. Regum XXIV. 16. & deinceps.

V. 7. INTROIBIMUS, &c. cum templum ſuerit extructum. IN LOCO UBI STETERUNT PEDES EIUS. In Hebræo eſt, ut vertit Pagninus, *Incurvabimus nos ſcabello pedum eius*. Arca enim eſt quaſi ſcabellum pedum Dei ſedentis ſuper alas Cherubim, ut alibi etiam explicatum eſt. Vide II. Reg. VI. 2.

V. 8. SURGE DOMINE, &c. ſunt verba deſumpta ex oratione Moſis Numeror. X. 35. ſententia eſt: Surge Domine, & nobiſcum veni in eum locum, quem tibi elegiſti, ut in eo præ ceteris requieſceres. ARCA SANCTIFICATIONIS TUAE: quam tibi ſanctificaſti; & in qua ſanctificaris, honoraris.

V. 9. SANCTI TUI INDUANTUR IUSTITIAM: pietatem, ſanctimoniam, vitamque eo gradu, in quo ſunt, plane dignam: ET SANCTI TUI EXULTENT. Videtur intelligendum de Levitis; ut ſenſus ſit, &

Levi-

Digitized by Google

Levitæ ad miniſterium tuum conſecrati, coram te canant ore, & pſallant muſicis inſtrumentis. Vel generatim de fidelibus quibuſcumque: laudent te, tibi iubilent, & exultent fideles, populus ſcilicet, quem tibi ſanctificaſti.

V. 10. PROPTER DAVID SERVUM TUUM, &c. quaſi dicat Salomon, in cuius perſona Pſalmum conſcriptum eſſe diximus. Quamquam ego indignus ſim, quem exaudias; tamen propter David ſervum tuum tibi cariſſimum, ne ſinas in irritum cadere preces meas. NON AVERTAS FACIEM CHRISTI TUI: non confundas, nec pudefacias me, qui tuo beneficio Rex populi tui ſum, ſolemni unctione inauguratus.

V. 11. VERITATEM, verum, & fidele iuramentum, quod omnino effectum dabit. NON FRUSTRABITUR EAM, non fallet fidem datam. DE FRUCTU VENTRIS TUI, &c. filium tuum Salomonem. Habemus hanc promiſſionem II. Reg. VII. 12.

V. 12. FILII TUI, filii, nepotes, & poſteri. TESTAMENTUM MEUM, &c. legem meam, & præcepta, quæ illis tradidi, & tradam. SEDERUNT SUPER SEDEM TUAM, regni tui ſucceſſores erunt.

V. 13. QUONIAM ELEGIT DOMINUS SION, &c. ipſam enim Sion, in qua Regni Davidis regia & ſedes eſt, Dominus præ aliis locis elegit ſibi. ELEGIT EAM IN HABITATIONEM SIBI; elegit eam non ſolum ut in ea eſſet regium ſolium, ſed etiam præcipua religionis ſedes, & arca Dei, ex quo præſidio etiam regni perpetuitas colligi poſſit.

V. 14. HAEC REQUIES MEA IN SAECULUM SAECULI: dixit enim Dominus: Sion eſt locus, in quo morari volo, & ſtabilem, & fixam ſedem habere.

V. 15. VIDUAM EIUS. Antiqua lectio, ut conſtat ex Patribus & præſertim ex Hilario, qui etiam ante Chriſtum ſic lectum fuiſſe affirmat, hoc eſt, *viduam*, in Hebræo eſt צידה *tſedah*, quæ vox, venationem, aut victum ſignificat. In Græco, ut nunc habemus, eſt, χήραν, *viduam*, ſed legendum videtur θήραν, venationem, aut prædam ex venatione, facileque fuit litteram unam pro alia ſcribere, Chi, pro Thita: ſententia eſt eadem, nam utraque lectio ſignificat abundantiam ciborum fore in civitate Dei, adeo ut etiam viduæ, quæ præ aliis penuria victus laborare ſolent, nihil ſint deſideraturæ, ut etiam ceteri pauperes. PANIBUS: cibis ſaturabo: neceſſarium, & opportunum cibum præbebo.

V. 16. INDUAM SALUTARI, ſanctimonia, ſalutari virtute & pietate. ET SANCTI EIUS, &c. explicatum eſt hoc ſupra num. 9.

V. 17. ILLUC: in Græco eſt, ἐκεῖ, *illic*. PRODUCAM CORNU DAVID. David eſt dativi caſus; τῷ Δαβίδ. Prodire faciam ipſi David cornu, robur ſcilicet, regnum, decus, & regiam Chriſti maieſtatem. PARAVI LUCERNAM CHRISTO MEO. Paravi uncto meo Davidi poſteritatem, quæ ſua claritate, & gloria, quaſi lampas late fulgens ipſum etiam Davidis nomen illuſtrabit.

V. 18. INIMICOS EIUS, &c. Davidis inimicos confuſione, pudore, & infamia perfundam. SUPER IPSUM AUTEM, &c. In capite autem illius erit cum ſumma claritate Regia corona, qua eum a me præ aliis conſecratum, & ſanctificatum declarabo. In Hebræo eſt, *ſuper ipſum florebit corona eius*.

TIRINI.

Verſ. 2. PRO SICUT, Hieronymus & Chaldæus habent, *Qui* David, IURAVIT DOMINO. SI INTROIERO; &c. Supple, puniar, ut dixi Pſal. cxxx. 2.

V. 5. LOCUM: nempe, qui Deo placeat, ut in eo templum ædificem. Videtur David hoc votum voviſſe, inquiunt Rabbini & Ianſenius, cum ob numeratum populum populus peſte plecteretur, II. Reg. ult. tunc enim ſollicite quærenti Regi deſignavit Deus ei locum per Gad Prophetam, nempe aream Ornam Iebuſæi.

V. 6. AUDIVIMUS, ſcilicet ex Gad Propheta, EAM manſionem ſelectam a Deo IN EPHRATA: quæ proprie eſt *Bethlehem*; ſed hic accipitur pro tota regione *Ephratæa*; quaſi dicat, *fertili*, quæ extendebatur a Bethlehem Ieroſolymam, uſque per duas leucas *a*, & fere appropriabatur Davidi: nam & Bethlehem in qua natus erat, vocabatur *civitas David*; & Sion, quam Ieroſolymæ extorſit Iebuſæis,

Digitized by Google

ſeis, dicebatur *arx David*. Porro. utitur hic potius nomine *Ephrata*, quam *Ieroſolymæ*, ut alludat ad *Ephraim*, in qua tribu fuerat antea *arca*; quaſi dicat: Relinquat Dominus urbem *Silo*, quæ eſt in tribu *Ephraim*, id eſt in Sion. Allegorice, Chriſtus natus eſt in *Ephrata*, id eſt agro Bethlehemitico: ita S. Hieronymus, Theodoretus & alii. IN CAMPIS SILVAE; id eſt, in loco ſilvoſo, puta in monte *Moria*, *b* qui antequam ibi conderetur templum, erat locus ſilvoſus. Vide quæ dixi II. Reg. ult. & I. Paralip. XXI. Tropologice, in vepribus idololatriæ & vitiorum.

V. 7. INTROIBIMUS iam nunc, cum transferemus arcam e mobili tabernaculo, ad ſtabile tabernaculum, id eſt in templum. UBI STETERUNT PEDES EIUS. Quia in templo erat *arca* & *propitiatorium*; quaſi ſcabellum pedum, & thronus Dei, ut dixi Pſal. XCVIII. 5.

V. 8. SURGE DOMINE e tabernaculo mobili & vago, IN REQUIEM TUAM; id eſt, in templum, ubi fixe & quiete habitabis, TU ET ARCA SANCTIFICATIONIS TUAE; id eſt, tibi ſanctificata & conſecrata, & in qua tu ſanctificaris ſeu coleris, & nos per eam ſanctificas. Allegorice, applicatur Chriſto e terris in cælum demigranti.

V. 9. SACERDOTES TUI, qui in templo tibi deſervient die ac nocte, INDUANTUR IUSTITIAM; id eſt, ſanctitatem omnem quam exigit ſacerdotium: Chaldæus, *induant veſtes iuſtitiæ*. Veſtes enim ſacerdotum, de quibus Exodi XXVIII. ſignificabant iuſtitiam & puritatem, & alias virtutes quibus ornari debebant. ET SANCTI TUI. Chaldæus, *Levitæ* tibi conſecrati, EXULTENT; id eſt, lætas laudes & Pſalmos tibi canant. Hieronymus & Chaldæus.

V. 10. NON AVERTAS; id eſt, ne repellas, ne averſeris, FACIEM CHRISTI TUI; id eſt, meam Salomonis, quem in Regem unxiſti. Allegorice, Meſſiæ.

V. 11. VERITATEM; id eſt, rem veriſſime & certiſſime futuram.

V. 15. VIDUAM (pro viduas & pauperes Sionis) victum reliquaque neceſſaria illis curando, alam. Hebr. enim eſt צידה *theſdah*, id eſt *venationem*, ſeu *victum eius* multiplicabo: ut vertunt Symmachus, Aquila, Hieronymus, Chaldæus: & in Græcis LXX. Regiis etiam eſt θήρα, ſeu *venatio*. Pro quo Noſter legiſſe videtur χήρα, id eſt *vidua*: & ita etiam legunt alii Codices Græci, item Pſalterium Arabum & Æthiopum: & S. Hilarius dicit Septuaginta hebere χήρας, inquit Ioannes Mariana. Sed in eumdem ſenſum redit, nam multiplicando *victum*, benedicit *viduam*, & *pauperem*.

V. 16. INDUAM SALUTARI; id eſt, ſalute, ut eſt in Hebræo; id eſt, ornabo iuſtitia & ſanctitate, quæ eſt vera hominis ſalus. Theodoretus.

V. 17. ILLUC, in Sion, PRODUCAM, Hieronymus & Chaldæus, *oriri faciam* & germinare, CORNU; id eſt, robur, gloriam, decus regium Davidis, nempe per eius poſteros Reges, & maxime per Chriſtum, inquit Hieronymus & Theodoretus, qui Luc. I. 69. vocatur, *cornu ſalutis*. PARAVIT LUCERNAM; id eſt, proſpexi, ut in ſolio regio Davidis ſemper aliquis ex poſteris eius reſideat, qui erit *lucerna Chriſto meo*; id eſt, qui ſuo ſplendore & gloria illuſtrabit nomen & familiam Davidis a me in Regem inuncti: item qui viam aperiet Meſſiæ ex Davide eiuſque poſteris naſcituro, *II. Paral.* XXI. 7. Unde S. Hieronymus & Auguſtinus allegorice, lucernam hanc dicunt fuiſſe Ioannem Baptiſtam, ardentem & lucentem.

V. 18. SANCTIFICATIO, id eſt benedictio, MEA, Hieronymus & Chaldæus, *diadema & corona*, qua Davidem eiuſque poſteros in Reges coronavi, & ſic mihi ſanctificavi & conſecravi; quaſi dicat: Maieſtas, robur, gloria regni Davidici (Allegorice, Chriſti) quotidie magis, magiſque efflorebit.

(a) Geneſ. XXXV. verſ. 19.
(b) Hieronymus in Epithaphio Paulæ.

GORDONI.

Titulus, CANTICUM GRADUUM. Nihil in titulo novum eſt. Auctor huius Pſalmi putatur David ab iis, qui omnes Pſalmos volunt eſſe Davidis; in quo voluit declarare ſuam voluntatem, & votum Salomoni filio, de Templo ædificando, ubi ſimul orat pro felici progreſſione ædificii; & pro regni con-

ſta-

firmatione. Cani etiam facile potuit a populo redeunte a captivitate. Aliis placet hunc Pſalmum compoſitum eſſe a Salomone, quando Templo iam extructo, intulit Arcam in locum ſuum.

Verſ. I. MEMENTO DOMINE DAVID, &c. Vide II. Paralip. VI. qui locus elucidat quid extructo templo actum ſit a Salomone hac in parte. Ceterum habet hic locus in ſenſu litteræ emiſſum a Davide votum de extruendo tabernaculo, ſeu templo. Et ut ſignificaret magnam animi propenſionem ad opus, habetur in hoc Pſalmo verſu 2. amplificatio in verbis, *Si introiero*; &c. quaſi diceret: Non præteribit tempus, quo non agam de executione operis. Et præſtitit quod potuit: nam monitus a Deo per Nathan, ut ædificationem committeret filio, paravit ipſe ingentes opes in hunc finem, ex I. Paralip. cap. XXIX. Dedit etiam templi deſcriptionem, ibidem, cap. XXVIII.

Iam vero in ſenſu myſtico exhibetur templum Chriſti, qui Eccleſiam erexit, ornatam pretioſis lapidibus, Apoc. XXI.

V. 6. ECCE AUDIVIMUS EAM IN EPHRATA. Ratio datur, cur ædificare decrevit templum; quia fuit arca hactenus, inquit, velut in locis montoſis, & deſertis (dignior ergo ei dandus eſt locus) in Ephrata, in terra Ephraim, ſeu in Silo, I. Reg. IV. item in campis, I. Reg. VI. quando demiſſa eſt a Philiſthæis. Hic ſolum adverto non poſſe hoc loco per Ephrata intelligi Bethleem (licet alibi ita accipiatur) nam numquam fuit in Bethleem arca. Hieronymus porro habet, *invenimus eum*: ſed codices omnes, Græcus, Latinus & Hebræus habent *eam*: nec aliter legendum, εὕρομεν αὐτὴν.

V. 7. INTROIBIMUS. Reliquo Pſalmo proponit futurum commodiorem adorandi locum. Invitat Deum, ut quaſi ſurgens adſit: & demum orat pro ſanctitate etiam perſonarum. Vocat arcam ſanctificationis; hoc eſt, in qua ſanctificaris, & honoraris: in Hebræo eſt, *fortitudinis* עזך, *bhuzecha*, Septuaginta, ἁγιάσματος. Senſum ſequi voluerunt. Habent etiam ἀσαλευθησόμεθα, *intremus*.

V. 12. SI CUSTODIERINT; &c. Et hoc verſu 12. & deinceps recenſet promiſſiones Dei factas domui David. *Si*, inquit, *filii cuſtodierint teſtamentum meum*. Septuaginta, διαθήκην. Heb. בריתי: ſane ברית, pactum eſt, vel fœdus: tamen Septuaginta vertunt διαθήκην, *teſtamentum*, & Paulus, Galat. IV. vocat etiam teſtamentum: Hinc non male colligit Bellarminus voce illa Hebraica ſignificari, tum pactum, tum teſtamentum: Immo τὸ ברית ut in Scriptura, & apud Paulum accipitur, eſt vere pactum, quia eſt promiſſio cum conditione operis. Eſt & teſtamentum, cum ſit firmatum morte teſtatoris.

V. 15. VIDUAM EIUS BENEDICAM; &c. Hæc bonorum promiſſio commode ad Eccleſiam refertur. Inſulſa Calvini calumnia eſt, contra Vulgatam editionem, quod Latinus interpres poſuerit pro *victu*, *viduam*: ſemper errat Novator: nam apud Septuaginta eſt *vidua* χήρα; & ſic legunt antiqui Patres, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hilarius, Ambroſius, Proſper, & multi alii. In Hebræo quidem eſt, צידה *tſeda*, ſignificans, victum, vel venationem: tamen eſt magna auctoritas Septuaginta virorum, & merito putantur aliud legiſſe, non vero *tſeda*. Adde, quod teſte etiam Hieronymo, ſit iam uſu recepta lectio hæc Septuaginta; & antiquitati plus dandum eſt, quam calumniis Novatorum.

V. 17. ILLUC PRODUCAM. Hoc eſt *illic*. Et producam cornu, robur ſeu potentiam David. PARAVI LUCERNAM CHRISTO, intellige Meſſiam Davidi ſucceſſorem; & regnabit in æternum: vel paravi Chriſto Meſſiæ, claram lucernam, Ioannem Baptiſtam præcurſorem.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. I. & ſeq. HUius Pſalmi pro periphraſi ſynopſin dedi initio, quantum ad ſenſum litteræ. Senſus vero myſticus commode eſſe poteſt, & a pleriſque datur, de Chriſto (ſub perſona Davidis) deſcendente de domo David ſecundum carnem: nam in Chriſto ſumma fuit manſuetudo, patientia, & votum redimendi genus humanum. Votum autem fuit non introeundi corpore in cæleſte tabernaculum, & per mor-

mortem non dormiendi in ſepulcro, donec inveniret locum, tabernaculum, & Eccleſiam fundatam, & Deo Iacob militantem. Huc etiam referri poſſunt quæ verſu 6. & deinceps magna ex parte ſequuntur. *Ecce*, inquir, *audivimus*, (per Prophetas) Eccleſiam futuram in Ephrata, campis ſilvæ, & gentibus vocandis ad fidem. Sic verſu 7. de adoraroribus Chriſtianis, ubi ſteterunt pedes Domini. Item de reſurrectione verſu 8. ac demum inſequenter de ſanctitate ſacerdotum, de promiſſionibus factis Eccleſiæ, & ſtabilitate eius in æternum. Hæc de ſenſu myſtico. Iam de litteræ difficultate.

BOSSUET.

Verſ. 1. MANSUETUDINIS, miſericordiarum: II. Par. VI. 42. In bonis principibus clementia magis quam bella & victoriæ memorantur: ar Hier. *afflictionis eius*, qua afflictis compatimur: ac præcipue eius, qua David arcam neglectam doluerit; cuius etiam quodammodo miſertus ſit, dicens ad Nathan: *Videſne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium*? II. Reg. VII. 2. David porro quam fuerit manſueto animo, alibi memoravimus: præfat. c. 1. n. 15. 16. vide Pſ. CI. 15.

V. 2. SICUT IURAVIT: *qui iuravit*, Hier. ὡς pro ὅς

V. 3. SI INTROIERO: Davidem loquentem inducit de arca Dei digniorem in locum transferenda.

V. 5. ET REQUIEM TEMPORIBUS MEIS: deeſt Hebr. DONEC INVENIAM LOCUM DOMINO: Sionem, ac poſtea templum ipſum II. Reg. VI. 12. VII. 2.

V. 6. AUDIVIMUS EAM, arcam, IN CAMPIS SILVAE: in agro ſilveſtri: *Sedeiaar*, Heb. id eſt, Cariathiarim. Pudebat Davidem arcæ tamdiu neglectæ. Cum enim eſſet in patria regione Ephratæa adhuc adoleſcens, audiebat narrantes arcam ſub pellibus apud Abinadab in Cariathiarim eſſe inventam, loco parum decoro tantæ maieſtati. Vide I. Reg. VI. 21. VII. 1. 2. II. Reg. VI. 3. 4. VII. 2. I. Par. XIII. 6.

V. 7. ADORABIMUS IN LOCO ... *ſcabellum pedum eius*, Hier. arcam: vide Pſ. XCVIII. 5.

V. 8. SURGE DOMINE: loquitur Salomon, ut patet II. Par. VI. 41. ubi hic verſ. habetur cum duobus ſequentibus. SANCTIFICATIONIS... *fortitudinis*, Hier.

V. 9. IUSTITIAM: ſalutem. Par. ibid. ut infra 16.

V. 10. FACIEM CHRISTI TUI: Salomonis: *in faciem meam*, Chr.

V. 11. NON FRUSTRABITUR ... *non avertetur ab ea*, Hier. non pœnitebit: quæ promiſſa Dei de Salomone poſt Davidem regnaturo, vide II. Reg. VII. 12. &c. DE FRUCTU VENTRIS TUI... Hinc ad finem uſque Pſalmi Deus loquitur.

V. 15. VIDUAM... *venationem*, Hier. & LXX. ex Hebr. hoc eſt victum: annonam, ut vertit Symm. apud Theodor. θήραν LXX. pro quo edit. Alex. χήραν: unde Vulg. *viduam*.

V. 17. ILLUC PRODUCAM CORNU DAVID. In Sione ac Ieruſalem, regnare faciam Davidis poſteros. PARAVI LUCERNAM: Sobolem illuſtrem ac regnanrem. CHRISTO MEO, Davidi.

V. 18. SANCTIFICATIO MEA: Sacroſanctus erit: at Hier. *diadema eius*: regnum ac maieſtas eius.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS CXXXII. EUCHARISTICUS ET CONSOLATORIUS.

David, omnibus ſub imperio ſuo tribubus adunatis: item Iudæi ex diſperſione collecti, canunt quam ſuavis ſit fratrum concordia.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum David.

ECce quam bonum & quam decorum, habitare fratres in unum.

Sicut unguentum optimum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit ſuper oram veſtimentorum eius.

Sicut ros Hermon: qui deſcendit ſuper montana Sion:

Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem; vitam uſque in æternum.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum David.

ECce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in unum:

2. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron,

Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: 3. ſicut ros Hermon: qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Heb. *Davidi.*

V. 2. SICUT UNGUENTUM IN CAPITE. Hebr. *Sicut oleum optimum ſuper caput, quod deſcendit*, &c. Comparat concordiam fratrum unguento ſuaviſſimo, quo Aaron, omneſque Sacerdotes ungebantur; & rori, qui deſcendit in montem Hermon, omneſque montes Sion reddens eos fæcundos: cuius comparationis ſenſus eſt, Concordia parvæ res creſcunt.

V. 3. QUONIAM ILLIC MANDAVIT DOMINUS. Hebr. id eſt in fratres unanimiter viventes.

SA.

De concordia.

Verſ. 1. IN UNUM, id eſt concordes.

Verſ. 2. UNGUENTUM. Hieron. *unguentum optimum*. Chald. *unguentum bonum*, ſcilicet odoriferum. IN CAPITE. Chald. *quod effuſum ſuper caput*. ORAM: ſcilicet, ſuperiorem extremitatem, quæ circa collum.

V. 3. QUI; pro, & qui. ILLIC, ſcilicet ſuper tales fratres.

ESTII

Verſ. 2. SICUT UNGUENTUM IN CAPITE, QUOD DESCENDIT IN BARBAM, BARBAM AARON. Hebr. *Sicut un-*

unguentum bonum, id eſt præſtans. Hieronym. vertit, *optimum*. Meminit autem tantum ſummi ſacerdotis, quia ſolus ſummus ſacerdos præſtanti illo oleo ungebatur in ſua cenſecratione, ut patet Exod. XXIX. & XXX. Senſus igitur eſt: Sicut tale unguentum præſtantiſſimi odoris effuſum ſuaviſſime redolet, ita res eſt longe iucundiſſima, & Deo gratiſſima, fratres concordes eſſe, & habitare in unum. Ceterum quod ſubiungitur: QUOD DESCENDIT IN ORAM VESTIMENTI EIUS, intelligendum non de ora inferiori, ſed ſuperiori, per quam caput inſeritur. Nam Hebr. ſonat: *Quod deſcendit ſuper os veſtimenti eius*. Illud autem foramen, per quod caput inſeri ſolet, os veſtimenti apud Hebr. vocatur. In eam enim partem ex barba, proxime ſcilicet, defluebat unguentum in caput ſummi ſacerdotis effuſum.

V. 3. SICUT ROS HERMON, QUI DESCENDIT IN MONTEM SION. Hermon mons eſt (quemadmodum etiam Auguſt. teſtatur) longe diſſitus a monte Sion, eoque etiam multo humilior, ut ſecundum litteram fieri non poſſet ut ros ex Hermon deſcenderet in Sion, ſed, ſi eo veniret, potius deberet aſcendere cum Sion ſit altior. Quæritur ergo quomodo hoc dicatur? Auguſtinus confugit ad ſenſum myſticum & ſpiritualem: non quidem male, ſed primum fundare oportet ſenſum litteralem, cui ſuperſtruatur allegoria, & videndum, quomodo non abſurde dicatur: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion*. Dicendum igitur in Hebræo ſermone eſſe frequentes ellipſes; id eſt, defectus, ſeu hiatus ſermonis, ut ſæpe ad habendum plenum & commodum ſenſum, aliquid ſit ſubaudiendum. Ita hoc loco ſermo ita ſupplendus eſt: *Sicut ros Hermon*; id eſt, qui deſcendit in montem Hermon, & ſicut ros, *qui deſcendit in montem Sion*; ſic ſcilicet bonum & iucundum eſt habitare fratres in unum. Proinde non ſignificatur unum numero rorem deſcendere in Hermon, ac deinde in montem Sion, ſed comparatio ſumitur ab utroque; et ſenſus eſt: Sicut ros deſcendens in montes illos gratiſſimus eſt, ſimul & ſuaviſſimus, ita concors & unanimis cohabitatio fratrum, res eſt longe iucundiſſima.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM DAVID. Fraternæ caritatis laudes.

V. 2. SICUT UNGUENTUM. Hebr. *ſicut oleum optimum*. Sed hoc erat unguentum, quo Reges & Sacerdotes ungebantur, quod ex balſamo confectum veſtes non maculabat. Plinius Lib. XII. cap. 11. QUOD DESCENDIT IN BARBAM; ſcilicet a capite, cui infunditur. IN ORAM VESTIMENTI EIUS, ſcilicet in collare. Hebræus vocem Hebr. *mido*, pro qua *veſtimentum* poſuere Septuag. ait *veſtem lineam* ſignificare, quod & ipſum adverſus maculas remedium erat, ſive tunica interior eſſet, ſive Ephod.

V. 3. SICUT ROS HERMON. Is erat mons prope Iordanem Libano vicinus, perpetuo rigens nive. Ergo in mons rore fæcundabatur, cui ſimilem caritatem fraternam ait. QUI DESCENDIT. Repete, & ſicut ros qui deſcendit in montem Sion, & illum fæcundat. Alioqui & Hermon ros in montem Sion defluere non poterat propter locorum diſtantiam.

V. 4. QUONIAM ILLIC, aut in fraterna caritate, aut in illis montibus, mandavit Deus. BENEDICTIONEM, id eſt bonorum omnium copiam, felicitatem. ET VITAM USQUE IN SAECULUM, id eſt perpetuam. Hoc in caritatem magis quam in montes convenire videtur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ECCE QUAM BONUM, ET QUAM IUCUNDUM, &c. Notant, Pſaltem hoc cantico celebrare communionem ſanctorum, a bonitate, & amœnitate eius: quæ duo epitheta communionis ſanctorum, per hyſteroſin Hebræis familiarem ſequentibus explicantur. ET QUAM IUCUNDUM. Voci נעים nagbim, hæc omnia ſubſunt: *Et quam iucundum, amœnum, gratum, acceptum, ſuave, delectabile, dulce, pulchrum*. HABITARE FRATRES; id eſt, filios Dei, Eccleſiæ membra, eius doctrinæ, Fidei, ſacramentorum, & vitæ participes in Chriſto. IN UNUM. Hebr. *Etiam una*; id eſt, etiam inter ſe communionem colere, ut Deus cum

çum ipſis colit, præcedente Pſalmo: eſt enim communio ſanctorum duplex, cum Deo, & cum Eccleſia in Chriſto, per unitatem ſpiritus.

V. 2. SICUT UNGUENTUM IN CAPITE, &c. Hebr. *Sicut oleum bonum, ſuper caput*, &c. Quidam: *Eſt, ut unguentum illud optimum ſuperfuſum capiti*, &c. Expoſitio amœnitatis per comparationem, de qua vide Exod. xxx. 2. & ſequentibus; quaſi dicat: Ut amœnum eſt oleo unctionis perfundi Aaronem totum, omniaque veſtimenta eius, & omnibus circumſtantibus odori eſſe; ita amœnum eſt corpus convenientium in nomine Dei, quos Deus certiſſime ſua præſentia ornat, & donis ſpiritus odoratiſſimis; ac ſi dicat: Concordia fidelium, & ſanctorum communio iucundior & ſuavior eſt omni illo ſuaviſſimo & fragrantiſſimo odore, quo Aaron perfuſus fuit, ac eius veſtes ſacræ. IN ORAM VESTIMENTI EIUS. Hebr. *Super os, capitium, oram*, vel *uſque ad oram veſtium eius*, de quibus Exod. XXVIII. Hebræi hic collum tantum veſtium, quo immituntur; alii oram & extremitatem intelligunt: quod eſt melius.

V. 3. SICUT ROS HERMON, &c. Explicatio bonitatis, quæ primum adumbratur duabus comparationibus, poſtea nudis verbis exponitur: ros Hermonis, quo ſcilicet ager Baſanis fertilis redditur: de monte Chermon vide Deuteron. III. 8. QUI DESCENDIT IN MONTEM SIONIS. Plerique ſubaudiunt, *ut ros etiam, qui deſcendit ſuper montes Tziionis*; quaſi dicat: Ut ros iſtorum montium mirifice terram fæcundat, & maximas eis utilitates parat: haud ſecus communio ſanctorum, filiis Dei. QUONIAM ILLIC MANDAVIT DOMINUS BENEDICTIONEM, &c. Quidam: *Nam illic mandat Iehova benedictionem ſuam, vitam uſque in ſæculum*; id eſt, illic, nimirum, ubi fratres una habitant, verſ. 1. mandat Deus omne bonum cum remiſſione peccatorum, & vitam æternam: unde in Apoſtolico ſymbolo coniunguntur: *Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, vitam æternam.*

MENOCHII.

Verſ. 1. HABITARE FRATRES IN UNUM, concordiam inter ſe colere.

V. 2. SICUT UNGUENTUM, &c. Similis eſt huiuſmodi fratrum concordia, oleo ex pluribus rebus odoratis confecto. Alludit ad oleum unctionis, ſive oleum ſanctum cuius mentio Exodi xxx. 23. IN CAPITE, &c. quod capiti infuſum defluit per barbam ſummi ſacerdotis. Vide Lev. VIII. 12. QUOD DESCENDIT IN ORAM VESTIMENTI EIUS. Ora veſtimenti, non eſt inferior pars, quæ pavimentum tangit, ſed veſtis orificium, quod eſt circa collum; hoc eſt, eam aperturam, per quam caput in veſtem inſeritur. Vis ſimilitudinis in eo videtur conſiſtere, quod quemadmodum oleum illud pretioſum ex diverſi generis aromatibus artificioſe compoſitum, ſuavitate odoris ſui eos omnes recreabat, coram quibus ſparſum fuiſſet; ita familia, aut quilibet hominum cœtus, quorum diverſa ſunt ingenia & mores, miram boni exempli ſuaveolentiam exhalat, ſi inter illos caritate nectente bene conveniant, & concorditer vivant.

V. 3. SICUT ROS HERMON, QUI DESCENDIT IN MONTEM SION. Mons Hermon eſt in tribu Iſſachar, & quatuor fere leucis contra mare Galilææ extenditur, ea parte, qua Iordanis ex illo mari egreditur. Quomodo ros montis Hermon, qui longe diſtat a Sion, in hunc montem deſcendat, alii aliter explicant. Videtur Propheta more poetico locutus, quaſi ex monte Hermon celſiore in montem Sion humiliorem magna roris vis effunderetur, quod nimirum Hermon perpetua nive conſperſus, ex qua plurimi vapores exiſtunt, roris materiam ſubminiſtrat. Porro ſimilitudo in hoc ſita eſt; quaſi dicat David: Concordia fratrum rori ſimilis eſt, nam ut ros æſtivis menſibus, hominibus, & agris gratiſſimus eſt, præſertim montanis, qui humorem magis deſiderant, quam campeſtres, & plani, utiliſſimus etiam, & iis fæcundandis aptiſſimus, ita animorum conſenſio, præter voluptatem, multas, in familias, utilitates infert. QUONIAM ILLIC MANDAVIT DOMINUS BENEDICTIONEM, &c. In locum concordiæ de

ſtinat Dominus bonorum omnium abundantiam, felicitatem, copiam & vitam ſempiternam.

TIRINI.

Verſ. 2. SICUT UNGUENTUM, non vulgare aliquod, ſed ſacerdotale, quo Aaron & quivis ſummus ſacerdos conſecrabatur, quod optimum erat & odoratiſſimum, de quo Exodi xxx. & Lev. VIII. *Effuſum* vero in caput eius, deſſuebat quoque IN BARBAM, & IN ORAM, non imam, ſed ſummam VESTIMENTI: & ſic fragrantia ſua mire recreabat tum Aaronem, tum præſentes omnes. Ita concordia fraterna mire oblectat Deum & homines. Allegorice, ſunt chariſmata Spiritus ſancti. Eſt item

V. 3. Concordia fraterna SICUT ROS. Quia primo, eſt e cælo; ſecundo, ſuavis, & non impetuoſa, vel procelloſa, ut imber; tertio, eſt fæcundiſſima. SICUT ROS QUI DESCENDIT IN montem HERMON: item SICUT ROS QUI DESCENDIT IN MONTEM SION. Loquitur enim de alio atque alio rore; ſicut montes iſti ſunt valde a ſe mutuo diſſiti: nam *Sion* eſt in medio Iudææ, *Hermon* in extremo, iuxta Iordanem, vicinus Libano. ILLIC; id eſt, in Sion, inquit Theodoretus, ubi Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendit. Melius ſanctus Auguſtinus, *illic*; id eſt, in quovis concordiæ loco, ſeu ſuper fratres concordes, MANDAVIT; id eſt, promiſit & miſit, DOMINUS BENEDICTIONEM, ET VITAM, longævam: cum e contra diſcordes raro longævi ſint aut felices.

GORDONI.

Titulus, CANTICUM GRADUUM DAVID. Apponitur titulo nomen David, ut in Pſalmo cxxx. & reperitur in Hebræo, ac Latino codice emendato, non tamen in Græco. In hunc finem editus hic Pſalmus videtur ut cantaretur poſt reditum a captivitate, quando reparatis templo, & civitate, populus ſine ſchiſmate fruebatur bono concordiæ. Convenit etiam cuivis cœtui bonorum, & maxime beatis in cælo mentibus.

Verſ. 2. & 3. SICUT UNGUENTUM. Quam ſit gratum & iucundum habitare in unum, explicat ſimilitudine unguenti, & roris: nam ut habetur Exod. xxx. quando conſecrabatur ſummus Sacerdos, ungebatur caput unguento ſuaviſſimi odoris, deſſuente in barbam, & oram veſtimenti, proximam barbæ: non enim infimam veſtimenti oram intelligit, ut recte obſervavit Auguſtinus. Porro montes percipiunt utilitatem ex rore in eos deſcendente. Meminit vero duorum montium. Hermon eſt trans Iordanem; Sion autem citra: & quamvis ſic montes hi ſatis diſtent inter ſe; dicit tamen quodam loquendi modo, rorem montis Hermon deſcendere in montem Sion; quod per myſtologiam explicari poteſt de gratia Chriſti, in Apoſtolos deſcendente; vel alio ſenſu, & ad litteram intelligendo hic duplicem rorem, qui deſcendat in duos hos montes. Itaque opus eſt repetitione hac; & ſicut ros, qui deſcendit in montem Sion, illum quoque fæcundans; quod ſequuntur Mariana & Lorinus.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & ſeq. EX titulo, & his, quæ mox ſubiicio, ſatis habetur ſynopſis, immo & explicatio huius Pſalmi. Initio res proponitur, nempe, quam ſit utile, & honeſtum, immo & iucundum inter ſe ita vivere, ut ſit cor unum in Eccleſia & anima una. Idipſum ſimilitudine unguenti declarat. Ac demum verſu ultimo datur ratio, quia ſic unanimiter habitantibus Deus promiſit beatitudinem & vitam æternam.

BOSSUET.

Verſ. 1. ECCE QUAM BONUM ET QUAM IUCUNDUM. Non enim omne quod iucundum, idem & bonum: iucundus enim luxus, non tamen & bonus: neque quod bonum, idem & iucundum; bona enim tolerantia, non autem iucunda. Sed in fratrum ad Dei laudes amoremque conſpirantium ſocietate, non tantum bonitatis fructus eſt, ſed etiam lætitiæ ſenſus: ex Hil.

V. 2. SICUT UNGUENTUM; adde, *optimum*.

Digitized by Google

mum, Hier. peculiare ac ſuaveolentiſſimum, ad conſecrandos Pontifices divinitus inſtitutum: Exod. xxx. 25. In barbam. Vulgare Hebræis aliiſque Orientalibus ut haberent capillos unguentis delibutos; at unguentum illud ſacerdotale, copioſiſſime effundebatur in caput, & in barbam uſque defluebat. Barbam Aaron: ut oſtenderet agere ſe de illo exquiſitiſſimo unguento, quo Aaron ipſe Dei iuſſu conſecratus. In oram vestimenti eius: ea copia effundebatur, ut ſe latiſſime ſuaviſſimi unguenti fragrantia difunderet. Spirituali ſenſu: Chriſtus Spiritu ſancto unctus, non eum accepit ad menſuram: Ioan. III. 4. ſed tanta ſplenitudine, ut ex ea acciperemus omnes: ibid. 1. 16. bono Chriſti odore per exempla ſanctorum, etiam extra Eccleſiam ubique difuſo.

V. 3. Sicut ros Hermon: qui descendit... non ros Hermon deſcendit in montem Sion: neque enim id fieri poteſt, ut idem ros decurrat in tam diverſos montes. Sic ergo ſupplendum: ſicut ros Hermon; & ſicut ros qui deſcendit in montem Sion; ita fratrum conſenſio; ſenſuſque eſt: Non ſuavius unguentum illud, quo ipſe Aaron Dei iuſſu perſuſus conſecratuſque eſt: non ros iucundior, quo Hermon & Sion duo clariſſimi montes irrigantur; ut ſuavis eſt fratrum concordia. Illic mandavit Dominus benedictionem. Illic, ubi fratres concorditer habitant,

PSAL-

PSALMUS CXXXIII. HORTATORIUS.

Dei laudes ſervis eius perpetuo celebrandæ. Ita concluditur ſolemnitas dedicationis templi. Aiunt eſſe dramaticum carmen. Primis verſibus princeps Levitarum excubias agentium, fratres hortatur, ut vigiliis laudes divinas adiungant. Ultimo verſu fratres admoniti, principi ianitorum fauſta precantur.

VERSIO S. HIERONYMI.

Canticum graduum.

ECce benedicite Domino, omnes ſervi Domini: qui ſtatis in domo Domini in noctibus.

Levate manus veſtras ad ſanctum: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: factor cæli & terræ.

VERSIO VULGATA.

1. Canticum graduum.

ECce nunc benedicite Dominum, omnes ſervi Domini:

Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri,

2. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.

3. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. IN ATRIIS DOMUS DEI NOSTRI. Hebr. *Qui ſtatis in atriis domus Dei noſtri per noctes*; id eſt, qui in templo excubias agitis, quod Levitarum officium erat.

V. 3. BENEDICAT TE DOMINUS EX SION. Hebr. *Tibi*; ſcilicet, quicumque hoc feceris.

S A.

Exhortatio ad Dei laudem.

Verſ. 1. STATIS; ſcilicet Sacerdotes & Levitæ.

V. 2. IN SANCTA, id eſt verſus Sancta ſanctorum.

V. 3. TE; ſcilicet, qui id feceris.

ESTII

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. CANTICUM GRADUUM. Ad Dei laudes hortatur celebrandas. OMNES SERVI DOMINI; id eſt, Levitæ cuſtodiæ & cultui templi dicati, benedicite Domino. IN ATRIIS DOMUS DEI NOSTRI. Hoc Hebr. non eſt, ex proximo Pſalm. ſumptum eſt verſ. 2. Hebr. *Qui ſtatis in domo Domini in noctibus*. Levitæ excubias in templo agebant noctu. Ergo quod ſequitur in Vulgata,

V. 2. IN NOCTIBUS. Hebr. iungitur cum ſupe-

ſuperiori verſu, & claudit illum. EXTOLLITE MANUS VESTRAS IN SANCTA, id eſt in ſanctuarium, in locum ſanctitatis. Alii, *tollite manus veſtras* (cum) *ſanctitate*.

V. 3. Ex SION, id eſt e templo, quod erat in Sion, aut prope; quaſi dicat: Tu benedic, lauda Deum in Sion. Ipſe contra benedicat, aut benedicet tibi (id eſt bonis complebit) ex Sionis templo. Hic deſinunt Pſalmi graduales.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ECCE NUNC BENEDICITE DOMINUM, &c. Exponunt, quaſi dicat: Cum tuum, o Eccleſia, corpus ita ſit adunatum in Chriſto, & tantis benedictionibus cumulatum, ut ſuperiore Pſalmo dictum eſt; agedum, benedicite Iehovæ, cum vos ſacerdotes & Levitæ, hoc verſu; tum populus totus, ſequente verſu. QUI STATIS IN DOMO DOMINI IN NOCTIBUS: ſic enim iungunt Hebr. Exponunt; id eſt, ſingulis noctibus; quaſi dicat, Non tantum interdiu, ſed etiam nocte obſervatis obſervationes eius. Vide Numer. XVIII. 1. & ſequentibus, & I. Paralipomen. IX. 33.

V. 2. EXTOLLITE MANUS VESTRAS; id eſt, orate, & gratias agite. IN SANCTA. Hebr. *ſanctitate*, vel *cum ſanctitate*, id eſt ſancte, & pure: vel puras & ſanctas, ut I. Timoth. II. 8. Alii cum Noſtro: *Verſus ſanctitatem*, ſeu *ad ſanctuarium*, ſeu *ſacrarium*, vel Adytum, ubi erat Arca, & præſentia Dei.

V. 3. BENEDICAT TE DOMINUS EX SION. Hebr. in futuro: varie alii: 1. *&* *ditabit vos Dominus de Tzione*: 2. *optime faciet tibi Dominus ex Tzione*: 3. *donet te felicitate Dominus e Tzione*: 4. *benedicet tibi Jebova e Tziione*; id eſt, perget ornare gratos animos veſtros ſua illa benedictione, de qua ſuperiore Pſalmo, verſu ultimo; ex Tziione, id eſt Eccleſia.

MENOCHII.

Verſ. 1. SERVI DOMINI. Levitæ, unde eorum ſequitur paraphraſis, *Qui ſtatis*, &c. QUI STATIS IN DOMO DOMINI: qui in templo verſamini, rei divinæ, & ſacrificiorum cauſa. IN ATRIIS, &c. qui ſtatis in atriis, hoc etiam ad laicos pertinere poteſt, qui dum res divina fiebat a ſacerdotibus, in atriis, quæ erant circa templum, verſabantur.

V. 2. IN NOCTIBUS, &c. non ſolum interdiu Deum colite, & orate, ſed etiam nocturno tempore cum populus ſe ad quietem compoſuit, precibus inſiſtite. IN SANCTA: verſus eam templi partem, quæ *ſancta* dicitur: verſus arcam, & propitiatorium. Vel, in cælum manus, & mentem attollite.

V. 3. BENEDICAT. Videtur eſſe mimeſis verborum Levitarum; quaſi dicat: O Levitæ, dicite populo, Benedictione, & favore proſequatur te Dominus cæli, terræque conditor, &c. Vel ſunt verba David, bene precantis iis, qui ſuo conſilio paruerunt; quaſi dicat: Si ſic Deo benedixeris o Levita, tibi etiam Deus, de Sion ubi habitat, benedicat.

TIRINI.

Verſ. 1. QUI STATIS IN DOMO DOMINI, id eſt ſacerdotes: & qui IN ATRIIS, id eſt Levitæ, qui in atrio interiori, & laici, qui in exterioribus.

V. 2. IN, pro, etiam in, NOCTIBUS EXTOLLITE MANUS VESTRAS, per preces, hymnos & Pſalmos IN SANCTA; id eſt, verſus Sanctum ſanctorum, ſeu verſus propitiatorium & arcam; Anagogice, ad cælum; Allegorice ad Chriſtum, inquit ſanctus Hieronymus.

V. 3. TE, qui ſic benedicis & laudas Deum, viciſſim benedicet Deus qui habitat in templo Sion.

GORDONI.

Titulus, CANTICUM GRADUUM. Hic Pſalmus inter graduales, poſtremus eſt, & decimus quintus, ſupremum notans gradum aſcendentium ad Deum. Adhortatur, ut aſcenſor vacet inſtanter divinis laudibus. Quantum vero ad ſenſum materialem, ſpectat hic Pſalmus ad eos, qui extructo templo, in eo habitabant: & notantur locus, tempus, & alia orantium adiuncta.

Ex

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. PSalmus hic facilis non eget periphraſi. Quindecim Pſalmi graduales proponunt totidem virtutes, aſcendentibus in ſanctam civitatem proprias; quorum hic ultimus commendat Dei laudem, quæ eſt continuus beatarum mentium Pſalmus, & liberatis a labore itineris; & tales Pſalmiſta hic, verſ. 2. ait ſtare in domo Domini: immo & in atriis: quippe qui præter intimam viſionem in verbo, etiam exteriora, velut in atrio poſita, cognoſcunt per revelationem. *In noctibus*, inquit, *extollite manus* ad eum, vos qui in nocte, & pace æternitatis requieſcitis a laboribus; vel etiam in hac vita, ubi nox apta eſt orationi. Tandem ultimo verſu concludit, petens (mutatione numeri) ut ſicut homines benedicunt Domino, ita viciſſim Deus benedicat illos. Hic ſolum addo, verba illa, *in atriis domus Dei noſtri*, non extare nunc in Hebræo; ſed fuiſſe tempore Septuaginta, eſt verius.

BOSSUET.

Verſ. 1. IN ATRIIS DOMUS DEI NOSTRI: deeſt Hebr. ſumptum ex Pſal. ſequenti verſ. 2.

V. 2. IN NOCTIBUS: iunge præcedenti; ut ſenſus ſit: Vos qui per noctem excubias agitis; EXTOLLITE MANUS VESTRAS ad Deum: quamquam & eo referri poteſt, ut maxime ſtudeant horis ſilentibus & quietis laudare Deum. IN SANCTA: ad ſanctuarium. Huc uſque Pſalmi graduum.

PSALMUS CXXXIV. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Deo benedicit pro beneficiis in populum collatis: tum idola deteſtatur.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

LAudate nomen Domini: laudate ſervi Dominum.

Qui ſtatis in domo Domini: in atriis domus Dei noſtri.

Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus: cantate nomini eius, quoniam decens.

Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus: Iſrael in peculium ſuum.

Quia ego ſcio quod magnus Dominus, & Dominus noſter præ omnibus diis.

Omnia quæ voluit Dominus fecit in cælo, & in terra: in mari & in omnibus abyſſis.

Levans nubes de ſummitatibus terræ, fulgura in pluviam fecit: educens ventos de theſauris ſuis.

Qui percuſſit primitiva AEgypti: ab homine uſque ad pecus.

Emiſit ſigna & portenta in medio tui Ægypte: in Pharao, & in cunctos ſervos ſuos.

Qui percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes.

Sehon Regem Amorrhæorum: & Og Regem Baſan, & omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hereditatem: hereditatem Iſrael populo ſuo.

Domine nomen tuum in æternum:

VERSIO VULGATA.

1. Alleluia.

LAudate nomen Domini, laudate ſervi Dominum.

2. Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.

3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuave.

4. Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus, Iſrael in poſſeſſionem ſibi.

5 Quia ego cognovi quod magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus diis.

6. Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.

7. (*a*) Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de theſauris ſuis: 8. (*b*) qui percuſſit primogenita AEgypti ab homine uſque ad pecus.

9. * Et miſit ſigna & prodigia in medio tui AEgypte: in Pharaonem, & in omnes ſervos eius.

10. (*c*) Qui percuſſit gentes multas: & occidit Reges fortes,

11. (*d*) Schon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan, & omnia regna Chanaan.

12. Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Iſrael populo ſuo.

13. Domine nomen tuum in æternum:

Domine memoriale tuum in generatione & generatione.	Domine memoriale tuum in generationem & generationem.
Quia iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſervos ſuos erit placabilis.	14. Quia iudicabit Dominus populum ſuum: & in ſervis ſuis deprecabitur.
Idola gentium argentum & aurum: opera manuum hominum.	15. (e) Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.
Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.	16. (f) Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
Aures habent, & non audient: ſed nec eſt ſpiritus in ore ipſorum.	17. Aures habent, & non audient: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.
Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.	18. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
Domus Iſrael benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.	19. Domus Iſrael benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.
Domus Levi benedicite Domino: timentes Dominum benedicite Domino.	20. Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.
Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ieruſalem. Halleluia.	21. Benedictus Dominus ex Sion; qui habitat in Ieruſalem.

(a) Ierem. x. 13. (b) Exod. xiv. 29. (c) Ioſ. xii. 1. & 7. (d) Num. xxi. 24. & 33. (e) Sap. cxiii. 4. (f) Sap. xv. 15.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 9. *Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte.* Alii libri pro duabus voculis *& miſit*, unicam habent *emiſit*.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

S A.

Invitatio ad Dei laudem.

Verſ. 2. STATIS, id eſt miniſtratis.
Verſ. 3. NOMINI EIUS, id eſt ei, ſcilicet ad honorem eius. SUAVE, ſcilicet nomen, vel pſallere. Hieron. *decens*: ſcilicet, celebrare, vel pſallere.

V. 4. POSSESSIONEM SIBI. Hieron. *peculium ſuum*. Chald. *dilectum ſuum*.

V. 5. QUIA; pro, certe.

V. 6. ABYSSIS; id eſt, aquis, ſeu locis profundiſſimis. Forte intelligit Infernum, Purgatorium, & Limbum, vel etiam corda humana, quæ magnæ certe abyſſi.

V. 7. EXTREMO, id eſt ſuperficie, vel Oceano. IN PLUVIAM; id eſt, in pluvia, ſeu dum pluit. THESAURIS, id eſt locis occultis.

V. 9. IN PHARAONEM, id eſt contra Pharaonem.

V. 13. MEMORIALE TUUM. Chald. *memoria tui*.

V. 14. DEPRECABITUR. Hieron. *erit placabilis*; quaſi dicat: Cum iudicabit, parcet ſervis ſuis.

V. 19. DOMUS, id eſt familia.

V. 21. EX SION; pro, in Sion, ubi colitur.

ESTII

Verſ. 14. QUIA IUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM. ET IN SERVIS SUIS DEPRECABITUR. Nota verbum, *deprecabitur*, ſumendum eſſe paſſive pro, *exorabitur*, eodem modo, ſicut alibi frequenter oſtendimus paſſive quoque ſumi, *meditari*, *operari*, *recordari*, & ſimilia.

MARIANAE.

Verſ. 1. ALLELUIA. Ad celebrandum invitat Deum: deos gentium vanos eſſe. SERVI DOMINUM. Hebr. *Servi Domini laudate nomen Domini*.

V. 2. QUI STATIS IN DOMO DOMINI. Declarat qui ſint ſervi Domini; ſcilicet Sacerdotes, qui in templo agunt. Levitæ, qui in atriis. Subdit laudandi rationes.

V. 3. QUONIAM SUAVE; aut *iucundum*. Hieronymus, *quoniam decens eſt*, ſcilicet laudare.

V. 4. QUONIAM IACOB ELEGIT, ſcilicet Deus; id eſt, populum, poſteros Iacob prætulit aliis gentibus, ut eum laudarent. IN POSSESSIONEM SIBI. Hebr. *in peculium ſuum*, ſcilicet elegit.

V. 5. QUIA EGO COGNOVI. Idcirco vos invito ad laudandum, quia ſcio eſſe magnum.

V. 6. OMNIA QUAECUMQUE: eſt etiam omnipotens.

V. 7. EDUCENS NUBES. Hebr. *elevans elevationes*; ſcilicet, exhalationes & vapores. Vocat ſic nubes, quoniam elevatis vaporibus ex iis concreſcunt. AB EXTREMO TERRAE, a mari, qui terræ terminus eſt. FULGURA IN PLUVIAM FECIT. Quia poſt fulgura ſequitur pluvia, videntur in eam mutari. Poſſumus etiam vertere, *fulgura ad pluviam fecit*; id eſt, cum pluere vult, prius fulgura emittit. QUI PRODUCIT VENTOS, profert, educit. DE THESAURIS SUIS, id eſt de locis occultis: de cellariis, ubi detineri videbantur.

V. 8. QUI PERCUSSIT, ab aliis operibus prodigioſis, & ſupra naturam laudat Deum.

V. 9. IN MEDIO TUI; id eſt, per totam AEgyptum miſit prodigia. IN PHARAONEM, ET IN OMNES SERVOS EIUS. Sic aulicos Pharaonis vocat, ſed & populum ſubditum iis Regibus more ſervorum.

V. 11. ET OMNIA REGNA CHANAAN; ſcilicet percuſſit, aut *regna* pro Regibus: omnes Reges Chanaan occidit.

V. 13. NOMEN TUUM, fama, & gloria nominis tui in æternum. MEMORIALE TUUM. Hebr. *memoria*, ſcilicet eorum, quæ feciſti. IN GENERATIONEM; id eſt, in omnes generationes perpetua erit.

V. 14 QUIA IUDICABIT. pro, vindicabit. DEPRECABITUR paſſive: exorabilem ſe præbebit ſervis ſuis. Græce, παρακληθήσεται, *conſolabitur*. Sic Hebr. *In quo conſolabitur? in vindicta de hoſtibus ſuorum ſervorum ſumpta*. Hieron. *In ſervis ſuis erit placabilis*: quæ verſio Vulgatæ favet.

V. 15. SIMULACRA GENTIUM; quaſi dicat: Non ſic dii Gentium, ſicut Deus verus. Quatuor proximi verſus ſunt in Pſal. CXIII. 4.

V. 19. BENEDICITE DOMINO, id eſt laudate. Semper hominis ad Deum benedictio, laus eſt: Dei ad hominem, bonorum collatio.

V. 20. QUI TIMETIS, id eſt Dei cultores fideles.

V. 21. EX SION; pro, in Sion: in templo, ubi Deus habitabat, Deus eſt benedictus.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ALLELUIA; id eſt, *Laudate Iah*. Vide de hac voce in Pſal. CIII. 35.

V. 2. QUI STATIS IN DOMO DOMINI; id eſt, Sacerdotes, Levitæ, & populus, quibus ſua atria erant, II. Paralipom. IV. 9.

V. 3. SUAVE: eadem vox quæ ſuperiore Pſalmo, verſ. 1.

V. 4. IN POSSESSIONEM SIBI. Heb. *In peculium ſuum*, vide in Exodi XIX. 5. Quidam reddunt: *Pro proprietate ſua*. Alii: *Ut ſit illi velut ornamentum quoddam, & gemma pretioſa*. Nonnulli: *In theſaurum ſuum*. Nec deſunt qui, *In dilectum ſuum*. Buchananus:

Cen privum patrimonii in ſæcula ſortem.

V. 5. ET DEUS NOSTER. Heb. pluraliter, *Et Domini noſtri*. Quidam id honoris & venerationis cauſa factum putant, ut perſonas in dignitate conſtitutas pluraliter appellare ſolent. Alii, myſterium Trinitatis innui.

V. 7. EDUCENS NUBES AB EXTREMO TERRAE. Hebr. *Aſcendere faciens vapores ab extremitate terræ*; vel *faciens ut aſcendant vapores ab extremitate terræ*; id eſt, ab una extremitate ad aliam. Alii: *Ab infimo terræ ſeu ab infima terræ parte*: nimirum educere vapores, ſeu exhalationes humidas & calidas ex quibus generantur meteora. FULGURA IN PLUVIAM FECIT. Alii: I. *Fulgura cum pluvia facit*. II. *Fulgura vertit in pluviam*. III. *Fulgura cum pluvia miſcet*, quod eſt mirabile, nam proprium aquæ eſt extinguere ignem, cum tamen inter denſiſſimos imbres videamus emicare fulgetra: neque altera res alteram perdat. QUI PRODUCIT VENTOS DE THESAURIS SUIS. Quidam: *Depromit ventum de theſauris*, ſeu *de reconditoriis ſuis*; id eſt, e ſpecubus, & locis abditis, in quibus velut theſauris continet ventos Deus. Sic Iob XXXVIII. 22. Sic Maro I. AEneidos.

—— hic vaſto Rex AEolus antro
Luctantes ventos, &c.

V. 8. QUI PERCUSSIT PRIMOGENITA AEGYPTI. &c. Vide Exod. XII. 29.

V. 9 MISIT SIGNA ET PRODIGIA ſua IN MEDIO TUI, AEGYPTE, &c. Vide Exod. VII VIII IX. X.

V. 10. QUI PERCUSSIT GENTES MULTAS, &c. Vide Ioſue XII. & Deuteron. II.

V. 11. SEHON REGEM AMORRHAEORUM. Vide Numer. XXI. 21. & ſequentibus, & Deuteron. II. 24. & ſequentibus. ET OG REGEM BASAN. Vide Num. XXI. 33. & ſeq. Deuteron. III. 1. & ſequentibus.

V. 13. MEMORIALE TUUM. Heb. *Recordatio, memoria tui*; id eſt, documenta memoriæ tuæ, quæ tradis populo tuo, quibuſque te mirabilem & memorandum præſtas.

V. 14. QUIA IUDICABIT DOMINUS, &c. Hunc verſum diverſimode ex Heb. alii: I. *Quia iudicabit Dominus populum ſuum*; id eſt, vindicavit, liberavit populum ſuum a ſervitute AEgyptiaca: *& ſuper ſervos ſuos pœnitentia ducetur*; id eſt, pœnituit eum, tam dure afflixiſſe populum ſuum. II. *Dominus enim vindicat populum ſuum, & cum ſervis ſuis redit in gratiam*. III. *Suſcipiet Dominus patrocinium cauſæ populi ſui contra adverſarios: erga autem ſervos ſuos clementiſſime gerat ſe*. IV. *Quia iudicabit Iehova populum ſuum, & erga ſervos ſuos placabitur*. V. *Et ſuper ſervis ſuis compatientia, ſeu compaſſiones*

nes

ſione afficietur. VI. *Et de ſervis ſuis ſolatium reportabit*. VII. *Quod ſi iudicat Iehova*; id eſt, ſi iuſto iudicio interdum caſtigat, *populum ſuum*, *mox de ſervis ſuis pœnitet ipſum*; occupatio obiectionis, quæ fieri potuit: Deum non ſemper indulgere Eccleſiæ ſuæ, ſed graviter flagellare: cui obiectioni reſpondetur: Si non ſemper indulget, at non ſemper verberat, ſed ſuorum miſertus ferulam abiicit, & paterne ſuos recipit, quaſi pœniteret ipſum duriter cum illis egiſſe: humanitus dictum, ut Geneſ. VI. 6. Vide hunc verſum plenius expoſitum Deuteron. XXXII. 36.

21. Ex Sion: ubi aſpectabilem præſentiam ſuam conſtituit in Eccleſia.

MENOCHII.

Verſ. 1. SERVI, ſervi Domini, Levitæ.

V. 2. QUI STATIS, &c. Vide dicta ſuperiori Pſalmo, n. 1. ex quo hæc repetuntur.

V. 3. QUONIAM SUAVE: pſallere ſcilicet nomini Domini.

V. 4. IACOB: familiam Iacob, Iſraelitas. ELEGIT, in populum, & hereditatem ſuam peculiarem, quam foveret, & peculiaribus beneficiis proſequeretur.

V. 5. QUIA EGO COGNOVI, &c. Ad hæc vos ego invito, quia ſcio Deum noſtrum omnium Deorum eſſe maximum.

V. 6. IN OMNIBUS ABYSSIS: in omnibus aquarum profunditatibus. Abyſſus enim locus eſt fundo carens.

V. 7. EDUCENS NUBES, &c. ab ultimis terrarum oris vapores ſublevans, & in nubes cogens. FULGURA IN PLUVIAM FECIT: in ſignum proximæ pluviæ, vel qui ignes fulgurum, & fulminum aquis pluviarum miſcet, & ſociat. DE THESAURIS SUIS: de locis abſconditis, & homini ignotis, de locis, & cauſis occultis. De receptaculis, & quaſi de abſcondito receptaculo ſuo, ubi eos recluſos ſervat.

V. 8. PERCUSSIT PRIMOGENITA AEGYPTI, &c. Hiſtoriam habes Exodi XII. 29. AB HOMINE USQUE AD PECUS, tam hominum, quam iumentorum.

V. 9. ET MISIT SIGNA, &c. Edidit, patravit ſigna, & prodigia, plagis in Pharaonem &. in AEgyptum immiſſis. IN MEDIO TUI: per te, o AEgypte, intra te. SERVOS EIUS, ſubditos eius.

V. 10. GENTES MULTAS. Gentes intelligit, & Reges tranſitum per deſerta, & in Chanaan prohibentes. FORTES, potentes.

V. 11. SEHON REGEM AMORRHAEORUM, &c. Hiſtoriam habes Num. XXI. XXIV. & XXXIII.

V. 12. HEREDITATEM: populo ſcilicet Iſraelitico, ut ſtatim ſubiungitur.

V. 13. NOMEN TUUM IN AETERNUM, nomen, & famam inclytæ potentiæ tuæ, nulla oblitetabit oblivio. MEMORIALE TUUM: memoria, recordatio tui. Eſt repetitio præcedentis hemiſtichii.

V. 14. IUDICABIT DOMINUS SERVUM SUUM: ulciſcetur, vindicabit. Italice diceremus, *Farà giuſtizia, o ragione al ſuo popolo*. IN SERVIS SUIS DEPRECABITUR: a ſervis ſuis exorabitur, reconciliabitur, placabitur ſervis ſuis, ſi quando in illum peccaverint.

V. 15. SIMULACRA GENTIUM, &c. Repetuntur hæc ex Pſal. CXIII. 4. & deinceps.

V. 20. DOMUS LEVI, Levitæ. BENEDICITE DOMINO, ſcilicet dicendo quæ ſequuntur.

V. 21. BENEDICTUS DOMINUS EX SION. Dominus qui habitat in Sion, omni laude, & prædicatione dignus eſt.

TIRINI.

Verſ. 1. ALLELUIA. Vide Pſal. CIV. 1. *V.* 4. IN POSSESSIONEM. Hebræum סגלה *ſegulla* cimelium ſignificat ſeu monile, quod Symmachus vertit, *ſelectum quoddam*; Hieronymus, *peculium*.

V. 7. EDUCENS NUBES; Hebraice, *elevans elevationes*, ſeu exhalationes & vapores, AB EXTREMO TERRAE; id eſt, ab ultimis terrarum oris; maxime ex mari & magnis fluminibus, e quibus vi ſolis, vapores & exhalationes ſurſum ſublevantur, & in nubes compinguntur: unde tonitrua & fulmina, IN PLUVIAM & VENTOS, ſupple, deſinentia.

V. 11. OMNIA REGNA CHANAAN, quorum 31 enumerantur Ioſue XII.

V. 13. MEMORIALE TUUM. Pſal. CI 13.

V. 14. IUDICABIT; id eſt, vindicabit ab-

ab iniuria. ET IN SERVIS SUIS DEPRECABITUR. Hebraice, *erit placabilis*, ut vertit Hieronymus, Græce, *conſolationem accipies*: vel *deprecabitur* paſſive; pro, facile ſinet ſe deprecari, ut avertat flagella, quæ etiam piis aliquando immittuntur. Hoc enim pœnitentibus promiſit Deut. XXX. Ubi nota duplex beneficium Dei: unum, quod puniat hic amicorum peccata; cum reprobis ſervet ultionem in diem iudicii, II. Mach. VII. Alterum, quod pœnitentibus mox deprecabilem ſe præbeat, ut etiam dicitur Deut. XXXII. 36.

V. 15. SIMULACRA GENTIUM. Vide Pſal. CXIII. verſu 12.

GORDONI.

Titulus, ALLELUIA. Hic titulus profert Pſalmi argumentum: eſt enim exhortatio ad laudes Dei. De hoc titulo dixi Pſalmo CIV. Et recte vel poſt reditum populi in patriam; vel ſenſu ſpirituali poſt progreſſum bonum in aſcenſu ad Deum, laudatur Deus. Hic vero laudatur Deus, tum pro reditu; tum pro omnibus beneficiis populo exhibitis. Excurrit oratio per ea, quæ continet liber Exodi, de plagis AEgypti, pœna Pharaonis, Regum moribus, & poſſeſſione terræ promiſſæ. Addit verſ. 6. & 7. beneficium creationis.

Verſ. 1. LAUDATE SERVI DOMINUM. עבדי *hhaude*, *ſervi*; eſt quidem in forma regiminis, & tamen (quod aliquoties contingit) hic abſolute accipitur. Subiungit verſ. 3. & 4. tres rationes, ob quas laudandus eſt Deus. *τὸ ſuave*, in Græco (καλὸν) & Latino, neutrum eſt, & refert vel nomen, vel pſallere. At in Heb. נעים *nahhim*, *iucundum*, poteſt ad illa duo, & inſuper ad Dominum referri. Subſequuntur præſtita a Deo beneficia, quæ ſatis explicat Paraphraſtica Synopſis.

V. 14. ET IN SERVIS SUIS DEPRECABITUR. Paſſive accipitur, pro exorabitur, aut exorabilem ſe præbet. Græce *παρακληθήσεται*, *conſolabitur*.

V. 15. SIMULACRA GENTIUM, &c. Hi quatuor inſequentes verſus ſunt in Pſalmo CXIII. & hic repetiti in Romano pſalterio. Certe expediebat ſæpius inculcari, ſimulacra, & Deos gentium eſſe Dæmonia, quod non omnes ſciebant, putantes eſſe veros Deos; qua in re etiam hallucinatur Calvinus, ut ſupra dixi: longe enim abeſt hæc perſuaſio a Chriſtiano cultu imaginum. At non eſt hæc ſola in his novarum opinionum fabris inſcitia.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & ſeq. SYnopſis huius Pſalmi in hoc eſt, ut a natura tota laudetur Deus; præſertim ab his, qui Deo dicati ſtant in atriis eius, & Eccleſia. Ratio datur, quia bonus eſt, & benignus; quia Deus eſt, & hunc titulum ſibi ſpecialem elegit. Denique, quia magnus eſt, & omnipotens. Ad quod explicandum incipit recenſere magnalia Dei: nam ipſe educit & ſublevat nubes a terra, per aſcendentes vapores; & in pluvia facit, ac miſcet fulgura; vel certe per reſolutionem nubium, reſolvit fulgura, & tonitrua in pluviam. Educit, & producit ventos tam cito, ac ſi educerentur de theſauris: Percuſſit primogenita AEgypti, Exod. cap. XII. ſubmerſo etiam Rege. Porro poſt egreſſum percuſſit gentes multas; & eorum Reges, Num. cap. XXI. & terram eorum dedit populo ſuo, Ioſue XII. Hæc argumenta ſunt potentiæ Dei. Ad quæ addit epiphonema verſu 13. ac demum incipit verſu 15. excurrere in antitheſin; compoſita magnitudine Dei, cum inanitate idolorum. Concludit cum exhortatione ad laudandum auctorem tot magnalium. Vide Pſalmum CXIII. unde repetiti ſunt tres huius Pſalmi verſus, ſcilicet 15. 16. & 17.

BOSSUET.

Verſ. 7. VENTOS DE THESAURIS: propter reconditas ventorum cauſas: docet autem quam eos in poteſtate habeat atque ad voluntatem laxet.

V. 8. QUI PERCUSSIT: iunge ſequenti: hic enim incipit propria Iſraeli narrare beneficia.

V. 14. IN SERVIS SUIS DEPRECABITUR: paſſive: *erit placabilis*, Hier. *ſolatium capiet*, Hebr. miſerebitur. Deut. XXXII. 36. *In ſervis ſuis miſerebitur*: quod eſt, in eos effundet miſericordiam ſuam.

PSAL-

PSALMUS CXXXV. LAUDIS ET GRATIARUM ACTIONIS.

Dei in populum miſericordiam celebrat, priſcis beneficiis ordine recenſitis. Eſt autem hic Pſalmus, Davide Rege, coram arca cantari ſolitus: I. Paralip. XVI. 41. *Idem Davidi attributus, & in dedicatione templi ſub Salomone decantatus: ad laudandum Dominum; quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius: II. Paral.* VIII. 6. *Item fundato ſecundo templo: I. Eſd.* III. 10. 11. *& poſt inſignem victoriam: I. Mach.* IV. 14.

VERSIO S. HIERONYMI.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius.

Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui fecit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui fecit cælos in ſapientia: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui firmavit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia eius.

Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternum miſericordia eius.

Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui percuſſit AEgyptum cum primitivis ſuis: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et eduxit Iſrael de medio eorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

VERSIO VULGATA:

1. Alleluia.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius.

2. Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

3. Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

4. Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius.

5. (*a*) Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum miſericordia eius.

6. Qui firmavit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia eius.

7. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia eius.

8. Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternum miſericordia eius.

9. Lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia eius.

10. (*b*) Qui percuſſit AEgyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

11. (*c*) Qui eduxit Iſrael de medio eorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

In

Digitized by Google

In manu valida & brachio extento: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui diviſit Mare rubrum in diviſiones: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et eduxit Iſrael in medio eius: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et convolvit Pharao & exercitum eius in Mari rubro: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui duxit populum ſuum per deſertum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui percuſſit Reges magnos: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et occidit Reges magnificos: quoniam in æternum miſericordia eius.

Seon Regem Amorrhæorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et Og Regem Baſan: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternum miſericordia eius.

Hereditatem Iſrael ſervo ſuo: quoniam in æternum miſericordia eius.

Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri: quoniam in æternum miſericordia eius.

Et redemit nos de hoſtibus noſtris: quoniam in æternum miſericordia eius.

Qui dat panem omni carni: quoniam in æternum miſericordia eius.

Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum miſericordia eius.

12. In manu potenti; & brachio excelſo: quoniam in æternum miſericordia eius.

13. Qui diviſit Mare rubrum in diviſiones: quoniam in æternum miſericordia eius.

14. Et eduxit Iſrael per medium eius: quoniam in æternum miſericordia eius.

15. (*d*) Et excuſſit Pharaonem; & virtutem eius in Mari rubro: quoniam in æternum miſericordia eius.

16. Qui traduxit populum ſuum per deſertum: quoniam in æternum miſericordia eius.

17. Qui percuſſit Reges magnos: quoniam in æternum miſericordia eius.

18. (*e*) Et occidit Reges fortes: quoniam in æternum miſericordia eius.

19. Sehon Regem Amorrhæorum: quoniam in æternnm miſericordia eius.

20. (*f*) Et Og Regem Baſan: quoniam in æternum miſericordia eius.

21. (*g*) Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternum miſericordia eius.

22. Hereditatem Iſrael ſervo ſuo: quoniam in æternum miſericordia eius.

23. Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri: quoniam in æternum miſericordia eius.

24. Et redemit nos ab inimicis noſtris: quoniam in æternum miſericordia eius.

25. Qui dat eſcam omni carni: quoniam in æternum miſericordia eius.

26. Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum miſericordia eius.

Confitemini Domino dominorum: qnoniam in æternum miſericordia eius.

(a) Gen. I. I. (b) Exod. XII. 29. (c) Exod. XIII. 17. (d) Exod. XIV. 28. (e) Num. XXI. 24. (f) Num. XXI. 33. (g) Ioſ. XIII. 7.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 26. CONFITEMINI DOMINO DOMINORUM. Hebr. hic ultimus verſus non eſt, neque Septuaginta verterunt; ſed a Latinis ex ſuperiore Pſalmo aſſutus eſt.

S A.

Invitatio ad Dei laudem.

Verſ. 1. MISERICORDIA; ſcilicet, durat, ſeu exercetur.

V. 5. INTELLECTU. Hieron. *ſapientia*. Chald. *intelligentia*; quaſi dicat, Sapientiſſime.

V. 6. SUPER, id eſt iuxta: Auguſt. Vide Pſal. CXXXVI.

V. 8. IN POTESTATEM. Chald. *ut præeſſet*.

V. 13. DIVISIONES; id eſt partes; quaſi dicat: Separavit hinc inde aquas, ut poſſent Hebræi tranſire. Quidam tamen dicunt, diviſum in partes ſeu vias duodecim, pro numero tribuum, ut commode tranſirent.

V. 15. EXCUSSIT. Hieron. *convolvit*. Chald. *ſubmerſit*. VIRTUTEM. Hieron. & Chald. *exercitum*.

V. 21. HEREDITATEM, ſcilicet poſſidendam.

V. 23. HUMILITATE; id eſt, afflictione, ſeu oppreſſione hoſtium.

V. 24. REDEMIT, id eſt eripuit.

V. 25. CARNI, id eſt animanti.

E S T I I.

Verſ. 1. CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS, &c. Itidemque verſ. 2. & 3. repetitur. Qua phraſi confeſſio laudis ſignificatur, ſicut & alibi in Scripturis ſæpe, præcipue in Pſalmis. Et notandum, eam laudem, quæ confeſſio vocatur, ſoli Deo in Scripturis tribui, cum hominibus ſimplex laus tribuatur, ut Eccl. XLIV. *Laudemus viros glorioſos*, & alibi, ſcilicet quia confiteri Dei & Deo laudes, eſt cum grata animi recordatione fateri & agnoſcere magnitudinem & præſtantiam divinitatis eius, cui a nobis nec dicendo nec cogitando quicquam ſuperaddi poteſt, cum Dei natura comprehendat omnem perfectionem. Hinc ſcilicet cauſa adiungitur: *Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*. Ubi alii vertunt, Quoniam benignitas eius ſempiterna.

V. 5. QUI FECIT CAELOS IN INTELLECTU. Caietanus hæc verba ſic aliquo modo accipi poſſe putat, ut ſignificetur, cælos a Deo factos in intellectu, id eſt intelligentes, & ut Philoſophi quidam docuerunt, animatos ac mente præditos. Sed non advertit phraſim eſſe Hebræam, qua ſignificatum eſt cælos a Deo factos ſumma arte & ſapientia. Quomodo ſcriptum eſt Ieremiæ X. *Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos*. Quo loco, quod Interpres vertit *prudentiam*, idem eſt in Hebræo vocabulum, cum eo quod hic vertit, *intellectum*.

MARIANAE.

Verſ. 1. ALLELUIA. Hac voce Hebr. clauditur ſuperior Pſalmus: eam Septuag. pro titulo huius Pſalmi poſuerunt, quod & alias ſæpe fecerunt. Dei miſericordiam celebrat, multis eius operibus commemoratis CONFITEMINI, laudate. Sicut toto Pſalmo confeſſio pro laude ſumitur.

V. 2. DEO DEORUM. Angeli hic dii vocantur, aut dii gentium.

V. 3. DOMINO DOMINORUM. *Domini* hic vocantur Principes, Reges, Dynaſtæ.

V. 4. MIRABILIA MAGNA SOLUS. Incantatorum miracula præſtigiæ ſunt, ſolus Deus miracula fecit.

V. 5. IN INTELLECTU; id eſt, ſapienter, artificioſe fecit cælos.

V. 6. QUI FIRMAVIT. Hebr. *extendit*. SUPER AQUAS, id eſt iuxta aquas terram.

V. 7. QUI FECIT LUMINARIA MAGNA. Sol & luna ſic vocantur Geneſ. I. 16. ſo-

ſolum ob lumen, ſed quia mole ſuperant alia aſtra. Quæ enim de ſtellarum vaſtitate affirmant Aſtrologi, nugæ ſunt.

V. 8. Solem in potestatem diei. Hebr. *in dominium:* ut ſcilicet illuſtret diem ſol.

V. 9. Lunam et stellas in potestatem noctis. Heb. *in dominia noctis*, quoniam ſtellæ multæ ſunt.

V. 10. Cum primogenitis eorum. Hebr. *in primogenitis*; id eſt, primogenita percuſſit.

V. 12. In manu potenti. Hebr. *forti*. Et brachio excelso. Hebr. *extento*; hæc ſcilicet fecit: ſic Hieronymus.

V. 13. Qui divisit Mare rubrum in divisiones. Eas fuiſſe duodecim ait Midras Thilim, & ſingulas tribus per ſingulas diviſiones tranſiiſſe. Id etiam Epiphanius hæreſi LXIV. quod a Iudæis antiquiſſimis puto accepiſſe, de qua gente ipſe fuit.

V. 14. Et eduxit, traduxit, tranſire fecit Iſrael.

V. 15. Et excussit Pharaonem, id eſt deiecit. Et virtutem eius. Hebr. *exercitum eius*.

V. 17. Qui percussit. Hic verſus, & qui ſequuntur, uſque ad 22. ſunt poſiti in Pſalmo ſuperiori.

V. 22. Israel servo suo; id eſt, populo Iſrael dedit eam hereditatem.

V. 24. Et redemit nos; id eſt, liberavit nos.

V. 25. Qui dat escam. Heb. *panem*; ſed *panis* pro victu ſumitur.

V. 26. Deo caeli. *Cæli* eſt in genitivo. Deum cæli laudate. Confitemini Domino. Verſus hic Hebr. non eſt, neque ponit Hieronymus, ſed eſt repetitio verſus tertii.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS: QUONIAM IN SAECULUM MISERICORDIA EIUS. Hoc Pſalmo continetur exhortatio ad laudes Dei, primum a natura benefica, & ſumma maieſtate eius; tribus primis verſibus: ſecundo ab admirandis operibus, creationis, inde ad verſ. 10. & adminiſtrationis, inde uſque ad verſ. 26. Denique concluſio hortatoria eiuſdem argumenti cum principio Pſalmi. Eſt autem hæc ode antiſtropha, ſive ſingulos verſus eadem clauſula terminans, ut doceatur, cum laudum noſtrarum, tum operum Dei omnium fontem eſſe unicum benignitatem Dei: quod documentum, quia perpetuum eſt, propterea hæc ode quotidie in vetere Eccleſia ab Levitis cantata eſt, ut ſcribitur I. Paralipom. XVI. 41.

V. 2. Deo deorum; id eſt, veriſſimo Deo. Vide Deuteron. X. 17. ſic verſu ſequente, *Domino Dominorum*; hoc eſt, ſupremo omnium Domino.

V. 5. In intellectu. Hebr. *Cum intelligentia*; id eſt, ſapientiſſime, ſumma induſtria, & intelligentiſsime, ſumma induſtria, & ingenio atque prudentia. Sic Proverb. III. 19.

Verſ. 6. Qui firmavit terram super aquas. Heb. *Expandenti, extendenti, diſtendenti, conſolidanti terram, ſuper*, vel *iuxta aquas*. Vide Pſal. XXIII. 2.

V. 8. Solem in potestatem diei: Heb. *Solem ad dominationem in die*. Quidam: *Solem ad dominium obtinendum interdiu*; id eſt, ut ſua luce interdiu velut regnaret, & obtineret, illuſtraretque orbem. Vide Geneſ. I. 16.

V. 9. Lunam et stellas in potestatem noctis. Heb. *Ad dominationes in nocte*. Quidam: *Ad dominia obtinenda in nocte*: ut verſu ſuperiore. Vide Geneſ. I. 16.

V. 10. Qui percussit AEgyptum cum primogenitis eorum. Ut duodicat: & plagis variis affecit AEgyptum: inter quas maior fuit interfectio primogenitorum, Exod. XII. 29. & ſequentibus. Hebr. *Percutiendi AEgyptum in primogenitis eorum*; id eſt, ingenti plaga affecit AEgyptum interficiens eorum primogenita.

V. 13. Qui divisit mare rubrum in divisiones. Alii ex Hebr. *Et ſidit mare arundinoſum ſectionibus*; Nonnulli: *Qui ſecuit mare algoſum in ſegmenta*, ſeu *partes*. Utrimque diſparato mari Exod. XIV. 22. Aliqui: *Incidenti mare rubrum inciſionibus*. Fabuloſum putamus, mare rubrum tunc in duodecim diſſectiones pro numero tribuum diffiſſum fuiſſe: cum aperte reclamet locus Exod. XIV. 21. & 22. vide Notas in eum locum. De *mari Suph*, ſeu Algoſo, vide Notas in Exod. X. 19.

V. 17. Qui percussit Reges magnos, &c. De hoc verſu, & quinque ſequentibus, vide Pſal. præcedentem verſ. 10. 11. & 12.

V. 21.

Digitized by Google

V. 21. Et dedit terram eorum, &c. Quidam : *Iſtorum*, & Chenabanæorum omnium ; ut dictum eſt ſuperiore Pſalmo verſ. 10. & 11. Synecdoche.

V. 22. Israel servo suo. Exponunt; Id eſt, quem in fidem ſuam recepit, ut ſibi ſerviat.

V. 23. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, &c. Heb. *Qui in abiectione noſtra recordatus eſt noſtri*. Aliqui: *Qui cum deiecti iacemus, noſtri memor eſt*. Alii: *Qui quoties premimur, miſericorditer rationem noſtri habet*. Tranſitio ad ordinariam adminiſtrationem Dei beneficentiſsimam, cum erga Eccleſiam, hoc verſu, & ſequente; tum erga creaturas omnes, verſ. 25.

V. 25. Qui dat escam, vel cibum, omni carni; id eſt, & rebus omnibus creatis conſulit: Synecdoche, *omni carni*, id eſt omni animanti.

MENOCHII.

Verſ. 1. Confitemini Domino: laudate Dominum. Bonus, miſericors, beneficus. Quoniam in aeternum, &c. quia in perpetuum duratura eſt miſericordia eius. Eſt verſus intercalaris more Poetico, qui in hoc Pſalmo ad ſingulos verſus repetitur. Porro verſus hic intercalaris cantabatur, & repetebatur a populo, ut fit in noſtris Litaniis, vel a Levitis, & ſacerdotibus.

V. 2. Deo deorum, Divorum, Angelorum, cælitum. Vel Deo; qui eorum Dii appellantur, Deus eſt.

V. 3. Domino dominorum. Deus enim eſt Rex Regum, & Dominus dominantium.

V. 4. Solus: nemo enim mirabilia ut Deus patrare poteſt, quia ſolus eſt omnipotens.

V. 5. In intellectu; intelligenter, & ſapienter.

V. 6. Firmavit: expandit, extendit, exporrexit, hoc enim ſignificat vox Hebraica רוקע *roqab*. Super aquas, terram ſuperiorem aquis conſtituit, dum eam ſupra aquas late, & ample apparere, & eminere voluit.

V. 7. Luminaria magna, ſolem ſcilicet, & lunam.

V. 8. In potestatem diei: ut præeſſet diei non tantum eum efficiendo, verumetiam motu, lumine, influxu, calore, commodum & ſalutarem animantibus, & rebus naturalibus reddendo.

V. 9. In potestatem noctis, ut præſint nocti, illam illuminent, & in hæc etiam inferiora agant, & influant.

V. 10. Percussit AEgyptum, &c. Vide Exodi xii. 29.

V. 11. Eduxit Israel, &c. Vide Exodi xiii. 17.

V. 12. In manu potenti, &c. magna plagarum, & ſignorum vi, miranda potentia, & efficacitate.

V. 13. In divisiones: in duas ſectiones, aquis hinc, & inde ſtantibus, Deo illas continente, ne tranſeuntes obruerent.

V. 14. Per medium eius: per medium maris alveum, donec in oppoſitum litus evaderent.

V. 15. Excussit. Pharaonem e curru excuſſum præcipitavit, & ſubmerſit in mari. Virtutem, exercitum.

V. 16. Traduxit, deduxit. Hebr. *ambulare fecit*.

V. 18. Reges fortes, &c. Vide Pſalmo ſuperiori num. x. & deinceps, ubi hæc explicata ſunt.

V. 23. In humilitate nostra, afflictione, & miſerabili conditione, cum ſcilicet magnis calamitatibus preſſi iaceremus.

V. 24. Redemit, eripuit.

V. 25. Escam, cibum; ea quæ ad victum ſunt neceſſaria, aut opportuna.

V. 29. Deo caeli: qui cælum condidit, & inhabitat.

TIRINI.

Verſ. 1. Misericordia; Chaldæus, *benignitas eius*, ſupple, exercetur & durat *in æternum*. Hoc hemiſtichion intercalare reſpondebatur ab uno choro, vel ab omni populo, Levitis in alio choro canentibus priorem verſiculi partem: fere ut nunc fit in noſtris Litaniis.

V. 2. Deo deorum. Vide Pſalmo xlix. 1.

V. 5. Fecit caelos in intellectu; id eſt, magno intellectu & ſapientia,

ſeu ſapientiſſime: ita S. Theodoretus. Neque enim vult, cælos intellectu prææditos, aut animatos eſſe, & aliquando beandos, ut voluerunt Platonici, & dubitavit aliquando S. Auguſtinus *a*.

V. 6. FIRMAVIT TERRAM SUPER AQUAS; id eſt, ſuperiorem aquis, contra ſitum quem naturaliter exigeret. Vel *ſuper*; id eſt, iuxta *aquas*, ut Pſal. ſeq. verſ. 1.

V. 8. SOLEM IN POTESTATEM; Hebraice, *in dominium*; Chaldæus, *ut præeſſet*, DIEI. Sol enim & facit diem, & ſuo calore, lumine, varioque influxu omnia viventia vegetat per diem: *luna* per noctem.

V. 15. VIRTUTEM; Hebraice, *exercitum* EIUS, ut vertit Hieronymus & Chaldæus & Septuaginta.

(a) Aug. Enchiridii cap. lviii.

GORDONI.

Titulus, ALLELUIA, de quo vide Pſal. CIV. & CV. Hic quidem in Hebræo non eſt in principio Pſalmi, ſed in fine ſuperioris. At Septuaginta initio apponunt. Argumentum idem eſt ac in Pſalmo præcedente, excitans ad laudem miſericordiæ Dei, & proinde ſingulis verſiculis repetitur; *Quoniam in æternum miſericordia eius.*

Verſ. 1. CONFITEMINI DOMINO, &c. Obſervavit Genebrardus in Hebræo (dum invitantur hic homines ad laudandum Deum) poni ordine tria Dei nomina diverſa, denotantia, ut ipſe interpretatur, tres divinas perſonas, & per nomen יהוה *Iehovah*, deſignari primam perſonam; per אלהים *elohim*, ſecundam; אדני, tertiam, quæ vox Dominum ſignificat. Solet tamen Dominus attribui filio communiter. Ceterum in Græco tantum ſunt θεός & κύριος.

V. 4. QUI FACIT MIRABILIA. Hinc incipit narrare opera Dei mirabilia: quibus omnibus ſubiungit miſericordiam: nihil enim facit ex neceſſitate; ſed quicquid procreat, facit ex libertate, & interveniente miſericordia.

V. 10. QUI PERCUSSIT AEGYPTUM, &c. Hactenus a verſu quinto attigit, quæ ad creationem pertinebant, & quæ Deus ſolus operatus eſt: nunc verſu decimo, ad particulares venitur effectus; circa quoſdam tantum: priora ſunt omnibus communia; hæc poſteriora ſunt particularia, & ſpectantia ad gubernationem, quorum pleraque per ſecundas cauſas præſtat Deus.

V. 25. QUI DAT ESCAM OMNI CARNI. Heb. *Qui dat panem omni carni*: לחם *lechem*, omnem cibum ſignificat. Dat vero omni creaturæ viventi, etiam piſcibus, immo & arboribus; ſed præcipue hominibus; Græce πάσῃ σαρκί.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. QUæ hoc Pſalmo cantantur in laudem divinæ miſericordiæ & potentiæ, plana ſunt ex Pſalmo præcedente, & libris Exodi, Numerorum, & Ioſue. Initium eſt de confeſſione laudis per tres priores verſus. Alterum Pſalmi membrum ſumi poteſt a verſu 4. & 5. uſque ad decimum, ubi inicipiens a cælo in intellectu, & ſapientia creato, perſequitur reliqua creationis, vel primæ productionis opera, quæ dedi explicata Gen. 1. Tertium membrum a verſu decimo, uſque ad verſum viceſimum tertium, ubi late explicat ex libro Exodi, & Pſalmo præcedente opera ſpecialis providentiæ erga Iſrael. Atque hinc extrema parte a verſu 23. excurrit generali ſermone in laudem Dei, concludens, ut initio cœpit de confeſſione laudis. Hæc pro Synopſi.

BOSSUET.

Verſ. 5. IN INTELLECTU, *in ſapientia*, Hier.

V. 6. QUI FIRMAVIT TERRAM SUPER AQUAS: ne fluctibus rumperetur: alii apud Chr. Qui conſtipavit terram in aquis: vide Pſ. XXIII. 2.

V. 8. IN POTESTATEM DIEI: *ut præeſſet diei*, Gen. 1. 16.

V. 9. IN POTESTATEM NOCTIS: *ut præeſſet nocti*: ibid.

V. 12. BRACHIO EXCELSO, *extento*, Hier. eodem ſenſu, ut ab alto ſumma vi feriat.

V. 26. CONFITEMINI DOMINO DOMINORUM... deeſt, Hier. Heb. & LXX.

PSAL-

PSALMUS CXXXVI. CONSOLATIONIS.

Populus in captivitate gemens: lugentes in ſæculo Chriſtiani, ſuam utrique Ieruſalem deſiderant. Sine titulo in Hebr. Ieremiæ titulum Theodor. reiicit: hic, ſpiritualiter, intelligendæ duæ civitates: nempe Ieruſalem, cæleſtis patria: Babylon, mundus, captivitatis locus in quo exules degimus. Has civitates faciunt duo amores: Ieruſalem facit amor Dei; Babylonem amor ſæculi. *Aug. in Pſalm.* LXIV. Ex amore ſæculi oriuntur terrenæ delectationes, a quibus pii abhorrent. Canticum enim delectationis ſæculi huius, lingua aliena, lingua barbara eſt, quam in captivitate didicimus. *Aug. hic: neque cantant fideles, niſi in Ieruſalem ubi beati ſunt: hic autem non cantant, ſed gemunt: memores perditæ in Adam innocentiæ pariter ac beatitudinis.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Super flumina Babylonis ibi ſedimus, & flevimus: cum recordaremur Sion.

Super ſalices in medio eius: ſuſpendimus citharas noſtras.

Quoniam ibi interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba carminis, & qui affligebant nos læti: canite nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena?

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, in oblivione ſit dextera mea.

Adhæreat lingua mea gutturi meo, ſi non recordatus fuero tui: ſi non propoſuero Ieruſalem, in principio lætitiæ meæ.

Memento Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem, dicentium: evacuate, evacuate uſque ad fundamentum eius.

VERSIO VULGATA.

* Pſalmus David, Ieremiæ.

1. Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus: cum recordaremur Sion.

2. In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.

3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum:

Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5. Si oblitus fuero tui Ieruſalem, oblivioni detur dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui:

Si non propoſuero Ieruſalem, in principio lætitiæ meæ.

7. Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.

Filia

Digitized by Google

Filia Babylonis vaſtata : beatus qui retribuet tibi viciſſitudinem tuam, quam tu retribuiſti nobis.

Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.

8. Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

9. * Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Pſalmus David Ieremiæ*. Loco dativi *Ieremiæ* non ſcribas *propter Ieremiam*; multoque minus interponas & coniunctionem inter *David* & *Ieremiæ*.

Ibid. *Super flumina Babylonis illic ſedimus*, & *flevimus cum recordaremur Sion*. Non addas pronomen *tui* ante *Sion*.

V. 9. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*. Cave ne relabaris in vetus mendum eorum qui nomini *parvulos* addiderunt pronomen tertiæ perſonæ *ſuos*, pro ſecundæ *tuos*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. SUPER FLUMINA BABYLONIS. Hebr. *iuxta flumina*, ipluralis pro ſingulari; id eſt, iuxta fluvium Euphratem, qui Babylonem interluebat.

V. 2. IN SALICIBUS IN MEDIO EIUS. Hebr. *ad ſalices in medio eius*; id eſt, ſub umbra ſalicum, qui ſunt in medio eius, quem in locum ſolebant Babylonii æſtatis tempore convenire. SUSPENDIMUS ORGANA NOSTRA: inſtrumenta muſica, citharas noſtras ad collum, ut ſolent ſuſpendere qui citharas pulſant.

V. 7. ET QUI ABDUXERUNT NOS. Heb. *Et qui aſcendere nos fecerunt* (ex Ieruſalem) *lætitiam:* vel, *lætitiæ* (verba) Heb. תוללינו. Sept. *ἀπαγαγόντες*, multo melius quam qui multis aliis modis vertunt.

V. 5. OBLIVIONI DETUR DEXTERA MEA. Hebr. modo legitur תשכח *obliviſcatur*; ſubintelligunt aliqui, muneris ſui; ſed meliore ſententia legerunt Septuag. תשכח *ἐπιλησθείη*, *oblivioni detur*.

V. 7. MEMOR ESTO DOMINE FILIORUM AEDOM. Memor eſto filiorum AEdom, Idumæorum. IN DIE IERUSALEM; id eſt, quid fecerint eo tempore, quo Ieruſalem vaſtabatur. Nam hoſtes incitabant dicentes, ut funditus eam everterent, cum tamen fratres noſtri eſſent: nam Iudæi ex Iacob, Idumæi ex AEdom ducebant originem: aut, *Memor eſto filiorum AEdom in die Ieruſalem*; id eſt, cum reduces nos in Ieruſalem, cumque eam reſtaurabis, recordare peccatum Idumæorum, ut eos punias. Accipitur enim aliquando recordatio Dei in bonam, aliquando in malam partem.

V. 8. FILIA BABYLONIS MISERA. Heb. *Filia Babylonis vaſtata*; id eſt, O urbs Babylonis, veniet tempus quo tempore ipſa vaſtabere, ſicut tu vaſtaſti Ieruſalem; idque tanta hoſtium indignatione, ut ſe beatum putet quicumque poterit in te facere, quæ tu feciſti in Ieruſalem, & qui poterit apprehendere filios tuos, & ad petram allidere.

SA.

De captivitate Babylonica.

Verſ. 1. IEREMIAE. Græcæ *per Ieremiam*; quaſi dicat, Per Hieremiam poſtea extenſus, ſcilicet in Threnis. SUPER, id eſt iuxta.

V. 2. IN MEDIO: per medium enim Babylonis fluit Euphrates; vel medium intelligit regionis Babylonicæ. ORGANA, id eſt inſtrumenta muſica. Hieron. & Chald. *citharas*.

V. 3. INTERROGAVERUNT, id eſt petierunt. Chald. *rogaverunt*. VERBA CANTIONUM, id eſt ut cantaremus.

V. 4. ALIENA, id eſt extranea, vel aliena a Dei cultu. *V.* 5.

Digitized by Google

V. 5. Oblivioni detur, ſcilicet per mortem. Chald. *oblivioni tradam*; quaſi dicat, Obliviſcar mei, vel artis pulſandi.

V. 6. Faucibus. Chald. *palato*; quaſi dicat, Loqui non poſſim. Si non proposuero, &c. quaſi dicat: Si de alia re plus lætet, quam de reſtitutione Ieruſalem. Quidam vertunt *præpoſuero*, quod magis verbum Græcum ſignificat, quam, quam lectio noſtra eumdem ſenſum facit.

V. 7. In die, id eſt calamitate; quaſi dicat: Quid fecerint Idumæi cum vaſtaretur, & quid dixerint: ſic Pſal. xxxvi. *quod veniat dies eius*, id eſt calamitas. Qui dicunt. Hieron. *dicentium*; ſcilicet tunc.

V. 8. Filia Babylonis: ſic Pſal. xliv. *Filia Tyri*, ſcilicet civium congregatio. Retributionem. Hieron. *viciſſitudinem*.

V. 9. Tenebit, id eſt apprehenderit. Allidet. Vide Iſa. xiii. Tuos: ſic Græc. Hebr. & Chald.

ESTII.

Verſ. 1. SUper flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. Non videtur hic Pſalmus a Davide conſcriptus, nec Davidis tempore, ſed magis tempore captivitatis Babylonicæ. Hanc enim, ut præſentem ſonat totus Pſalmus. Apud Septuaginta titulum habet: *Pſalmus David per Ieremiam*. Quamquam nec Ieremias videtur auctor: qui numquam ingreſſus eſt Babylonem, aut Chaldæam, niſi forte eum a ſe compoſitum miſerit captivis Babyloniis cantandum, ſicut ſcripſit ſuos Threnos.

V. 5. Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea; quaſi dicat: Obſtupeſcat mihi dextera, ne poſſit pulſare citharam, aut aliud muſicum inſtrumentum. Alii malunt interpretari active: *Obliviſcatur dextera mea*; ſcilicet artis pulſandi citharam. Sed eodem recidit.

V. 7. Memor esto Domine filiorum Edom, in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, usque ad fundamentum in ea. Supplenda eſt ſententia hoc vel ſimili modo: Domine, memento Idumæorum, qualiter ſe geſſerint, *in die Ieruſalem*; id eſt, tunc, quando Ieruſalem ab hoſtibus vaſtabatur, quomodo exultaverint & ad vaſtitatem noſtram manus comploſerint dicentes: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea*; id eſt, evertite Ieruſalem funditus: Memento, inquam, ad eorum iuſtam vindictam & punitionem.

V. 8. & 9. Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. Tuos, ſcilicet ipſorum Babyloniorum. Ita enim legendum eſſe, non, *ſuos*, recte decreverunt Biblia Sixtina. Prædicit enim Propheta Deum ita proſperaturum conatus Medorum & Perſarum contra Babylonios, ut abunde vindicent quæ Babylonii commiſerant in Iudæos. Vide Ianſenii annotat. ubi profert ſimile quid ex Iſaia. Myſtice parvuli iſti intelliguntur primi peccatorum motus ad petram Chriſtum allidendi.

MARIANAE.

PSalmus David, Ieremiae. Hebr. anepigraphus eſt. Ita hic titulus ab aliquo adiectus inter nothos referri debet.

V. 1. Super flumina, iuxta flumina. Babylonis, ſcilicet provinciæ. Cum recordaremur Sion. Græce, *recordaremur nos Sion*: ſicque eſt in Vulgata Regia, qua licentia in ea pleraque alia. Heb. *dum recordaremur Sion*: ſcilicet ob patriæ deſiderium flevimus.

V. 2. In medio eius, id eſt ſalicibus, quæ ſunt in ea regione. Suspendimus, pulſare nolentes. Organa nostra, id eſt muſica inſtrumenta. Heb. *citharas noſtras*. Sed per *citharas* alia etiam inſtrumenta poſſunt intelligi.

V. 3. Quia illic interrogaverunt nos. Hebr. *petierunt*. Verba cantionum. Hebr. *verba cantici*; id eſt, ut aliquod canticum caneremus. Ea vero cauſa luctus, & ſuſpenſionis. Et qui abduxerunt nos. Hieron. *& qui affligebant nos*. Chald. *raptores noſtri dixerunt*. Hymnum cantate nobis. Hebr. *lætitiam*. Sed bene ſumi poteſt *lætitia* pro *hymno*. Accentus tamen Hebr. loco movendi

vendi ſunt. DE CANTICIS SION; id eſt, aliquod ex iis, quæ in Sion canebatis.

V. 4. QUOMODO. Reſponſio populi. CANTABIMUS CANTICUM DOMINI IN TERRA ALIENA? Hebr. *in terra alieni*, ſcilicet dei. Canticum in Dei veri cultum non decet canere, ubi alii coluntur dii.

V. 5. OBLIVIONI DETUR DEXTERA MEA, id eſt in oblivionem veniat. Hieron *in oblivione ſit dextera mea*, id eſt *obliviſcatur*, ut eſt Hebr. ſcilicet, artis muſicæ obliviſcatur dextera, qua pulſare ſoleo. Sic noſtra verſio conſentit cum Heb.

V. 6. SI NON PROPO UERO. Hebr. *aſcendere fecero Ieruſalem*. IN PRINCIPIO. Heb. *ſuper caput lætitiæ meæ*, id eſt, ſi non præpoſuero illam omnibus gaudiis.

V. 7. IN DIE. Hebr. *cum die*; id eſt, cum recordatus fueris diei, quo Ieruſalem eſt everſa, ſimul recordare filiorum Edom, quæ illi fecerunt Babylonios incitantes. EXINANITE. Hebr. *nudate*; ſcilicet evertite uſque ad fundamenta. Verba Idumæorum ad Babylonios. IN EA; pro, eius eruite fundamenta.

V. 8. FILIA BABYLONIS; id eſt Babylon, ab Idumæis ad Babylonios tranſit. MISERA. Hebr. *vaſtata*, pro, vaſtanda. Prædicit futuram eius urbis vaſtationem.

V. 9. ET ALLIDET PARVULOS TUOS. Græce & Hebr. *parvulos tuos*: ſic etiam in Bibliis Rom. AD PETRAM. Sic fit in vaſtatione urbis, ne ſcilicet ſuperſint qui iniurias ulciſcantur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. SUPER FLUMINA BABYLONIS. Quidam: *Iuxta, ad flumina Babyloniæ*, nec urbem tantum ipſam intelligunt, ſed regionem, quam deſcribit ſeorſim Ptolemæus Lib. V. cap. xx. Alii: Id eſt, Monarchiæ Babyloniæ: nam Iehudæi non in ſolam Babyloniam proprie dictam abducti ſunt, ſed diſperſi in regionem Babylonicam, ſeu ditionem; ut ex Ezechiele, Daniele, & Hezra conſtat evidentiſſime. Flumina autem Babylonicæ regionis ſeu ditionis hæc enumerat Ptolemæus, Tigrim, Euphratem, Baſilium, vel Regium Fluvium, quem Naarmalcha, voce Syriaca; id eſt, Fluvium regium appellat Ammianus Lib. XXIV. cap. v. & Baaſarem. ILLIC SEDIMUS. Poſſis reddere: *Ibi manſimus, habitavimus*; nimirum in pagis & oppidis iuxta ea flumina ſitis. Aliqui reddunt: *Ibi ſedentes, etiam atque etiam flevimus*; id eſt, ad vada conſiſtentes, donec traieciſſent omnes.

V. 2. SUSPENDIMUS ORGANA NOSTRA. Heb. *Citharas noſtras*; id eſt, inſtrumenta noſtra muſica abiecimus, & omne canendi ſtudium. Hinc autem notant, videri Pſalmum hunc pios Sacerdotes & Levitas conſcripſiſſe ad inſtitutionem & confirmationem Eccleſiæ in deportatione illa Babylonica.

V. 3. QUIA ILLIC INTERROGAVERUNT NOS, &c. Heb. *Quia ibi poſtulaverunt nos*. Alii: I. *Cum illic peterent a nobis*. II. *Quamvis ibidem peterent a nobis*; id eſt, ne illorum quidem auctoritati paruimus, quorum eramus mancipia, ut vel tantillum diſſimulato luctu; ipſis in ea re gratificaremur, & ſacras conciones profano abuſu contaminaremus. VERBA CANTIONUM. Heb. *verba cantici*, id eſt cantica, cantiones. ET QUI ABDUXERUNT NOS, HYMNUM. Vox תולל *tolal*, quæ hic in plurali ponitur cum affixo תוללינו *tholalenu*, ambiguæ admodum eſt ſignificationis, ac proinde iuvat varias aliorum interpretationes referre. Plurimi a תלה *thalah*, *ſuſpendere*, deducunt. I. Kimchi, & Sanctes: *Et ſuſpenſiones noſtras, ob lætitiam*, vel *& citharis ſuſpenſis noſtris, lætitiam*; id eſt, verba lætitiæ, ſcilicet, poſtulabant; id eſt, & in citharis noſtris; quas ad ſalices ſuſpenderamus, poſtulabant, ut illis depoſitis ex arboribus, lætaremur in eis, ſive ad eas caneremus. II. Munſterus: *Cum ſuſpendiſſemus inſtrumenta lætitiæ*. Alii a verbo quadrato הלל *holel*, *inſanivit*, *indecore*, *ſeu indecenter ſe geſſit*, *dedecoravit*, *dehoneſtavit*. III. Rabbi Selomoh: *Et inſanientes contra nos, lætitiam*, poſtulabant; id eſt, qui inſanos ſeſe exhibebant, & inſanorum more ſeſe gerebant erga nos, noſque ſubſannabant, ac pro ridiculo & oblectamento habebant: vel *ſubſannatores noſtri*, ſeu *ad inſaniam redigentes nos*. Vide in Pſal. ci. 9. IV. Campenſis, & Iſidorus Clarius: *Et inſultantes nobis*, vel *qui inſultabant, manifeſte nobis, lætitiam*; id eſt, *iubebant nos ſigna lætitiæ edere*. V. Felix Pratenſis: *& deridentes nos, lætitiam*, poſtulabant a nobis. Nonnulli a תלל *thalal*, Chaldaico,

pro

pro שלל *ſchalal*, *ſpoliare*, ut hæ duæ litteræ Thau, & Schin, facile Chaldæis & Hebræis permutantur, ut videre eſt in פתר *phathar*, & פשר *phaſchar*. VI. Conradus Pellicanus: *Qui abripuerunt*, vel *rapuerunt*, ſeu *ſpoliaverunt nos*, *lætitiam*, ſeu *lætitia*. VII. S. Hieronymus: *Qui affligebant nos*, *læti*. Plerique a ילל *ialal*, *ululare*, *eiulare*. VIII. Caietanus: *Et ululatus noſtros lætitiam*; id eſt, poſtulaverunt eiulatus noſtros converti in lætitiam. IX. Forſterus: *Et in ululatibus noſtris lætitiam*. X. Marinus: *Et ululatus noſtri lætitiam*, eleganter poſitum eſt, metonymice pro hoſtibus, quod dolorem & ululatum inferant; quaſi dicat: Ii qui eiulatuum noſtrorum & lamentationum cauſa erant. XI. Flaminius: *Et pro ululatibus noſtris*, *lætitiam*, petebant. Complures a תל *thel*, *tumulus*, *cumulus*, *acervus*; unde verbum תלל *thalal*, *elevare*, *in altum attollere*, *inſtar tumuli*, aut *cumuli ſuſpendere*; quaſi dicas, *tumulare*, *cumulare*. XII. Schindlerus: *Elati noſtri*; id eſt, hoſtes noſtri ſuperbi & eminentes, quaſi tumuli, poſtulabant a nobis *lætitiam*. XIII. Leo Iudas: *Et qui velut in acervos nos redegerunt*, ſeu *coacervatores noſtri*, *lætitiam petierunt*, *dicentes*: *canite nobis*, &c. XIV. Avenarius: *Et cumulatores noſtri*; hoc eſt, devaſtatores, qui nos redegerunt velut in acervum deſolatum: vel qui nobis accumularunt moleſtias & afflictiones, a nobis *lætitiam* petierunt. XV. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Et contumulatores noſtri*, ſeu *& qui contumulabant nos*, verba, *lætitiæ*, *dicentes*: *canite*, &c. id eſt, qui nos & gentem noſtram, & habitationes noſtras, urbemque, & templum Dei noſtri in funeſtum & miſerabilem tumulum redegerant, ut Pſal. LXXVIII. 1. Nos ſignificatum *ululandi*, ſeu *eiulandi* ſecuti ſumus.

V. 4. CANTICUM DOMINI; quaſi dicat: Quod ſacrum eſt Deo, non autem profanum ad libidinem inimicorum Dei abutendum. IN TERRA ALIENA? Quidam: *In ſolo alienigenarum?* quaſi dicat: Non eſt huius loci, neque temporis: nam cantica illa ad cultum Iehovæ in Eccleſia ſpectabili pertinentia, fuerunt tantum in terra illa, quam ſibi ſanctificaverat, decantanda. Hebr. *In terra nothi*, *alienigenæ*. Hebræi ſubaudiunt, *Dei*; id eſt, in qua Deos nothos, ſpurios, & alienos colunt.

V. 5. SI OBLITUS FUERO TUI, IERUSALEM, &c. quaſi dicat, Diſpeream ſi fecero; abſit a me tam indignum facinus, ut quaſi oblitus Ieruſalaimorum, cantica lætitiæ canam extra terram Sanctam, ad libidinem hoſtium Dei. OBLIVIONI DETUR DEXTERA MEA. Hebr. *Obliviſcetur dextera mea*, deeſt perſona patiens: plerique ſubaudiunt, obliviſcatur dextera mea, qua citharam pulſare ſoleo, omnis artis muſicæ, vel pulſationis ſuæ, aut officii ſui; quaſi dicat: Poſthac pulſare non poſſim. Alii: *Obliviſcatur ſui dextera mea*; id eſt, fiat abalienata atque emortua, potius quam ut canam. Quidam reddunt: *Quamvis dextera mea mihi prius in oblivionem ventura ſit*, *quam Ieruſalem obliviſcar*. Alii: *Si umquam oblitus fuero tui Ieruſalem*, *& dextera mea officii ſui oblita citharam pulſaverit in gratiam alterius quam unius Dei mei*: *opto ut ſic hæreat lingua mea ne poſſim loqui*, &c.

V. 6. ADHAEREAT LINGUA MEA FAUCIBUS MEIS. Heb. *Palato meo*. Exponunt; Id eſt, potius exareſcat quam ut cantet iſtorum arbitratu: qua in re perinde facerem, ac ſi Tziionis & Ieruſchalaimorum obliviſcerer. SI NON MEMINERO TUI. Quidam: *Si non recorder tui*; id eſt, ſi non perpetuo luctu meam de te recordationem teſtatam faciam. SI NON PROPOSUERO IERUSALEM IN PRINCIPIO LAETITIAE MEAE. Hebr. *Si non aſcendere fecero Ieruſalaim ſuper caput*, vel *ſummum cacumen*, *lætitiæ meæ*. Alii: I. *Niſi præcipuum meum gaudium ponam in recordatione Ieruſalaimorum*. II. *Si non primam fecero Ieruſalem*, *cum gaviſus fuero*. III. *Si non præpoſuero laudes ipſius Ieruſalem ſummo gaudio*, *quod umquam contingere poterit mihi*. IV. *Si non omni lætitiæ prætulero luctum Ieruſalem*; id eſt, ſi non ſemper obverſabitur mihi Ieruſalem, quandocumque lætitiæ occaſio ſe ingeſſerit, ut antequam lætari incipiam, luctum & mærorem mihi excitet recordatio urbis tam horrende devaſtatæ. V. *Si non evehbam Ieruſchalaima ſupra caput lætitiæ meæ*; id eſt, ſi non pluris faciam urbem ſanctam, quam lætitiam ullam, quæ mihi vel maxima offerri poſſit, & recordatione luctuoſa illius, omnem materiam recreationis & exhilarationis ſtudioſe obliterem. Eſt

dulari, cum captivi ſint, & in ærumnis verſentur.

V. 5. SI OBLITUS FUERO TUI IERUSALEM, &c. quaſi dicat: Suſceptum hunc a nobis luctum ob memoriam tui, o Sion, nullo umquam exilii huius tempore deponemus. OBLIVIONI DETUR DEXTERA MEA. Si tui oblitus Ieruſalem, vacare cœpero lætis cantibus, & muſicis inſtrumentis ludere, faxit Deus, ut dextera mea, qua tentavero pulſare fides, protinus obſtupeſcat, inhabilis, atque impotens pulſandi.

V. 6. ADHAEREAT LINGUA MEA FAUCIBUS MEIS, elinguis fiam, ne poſſim canere, vel loqui. SI NON MEMINERO TUI: ſi ſanctæ civitatis oblitus, lætitiæ & cantibus indulſero. SI NON PROPOSUERO, &c. ſi non præpoſuero Ieruſalem ſummæ lætitiæ: ſi non ſtatuero Ieruſalem præcipuum caput: & argumentum eſſe lætitiæ meæ. In Hebr. eſt: *Si non aſcendere fecero Ieruſalem ſuper caput lætitiæ meæ.*

V. 7. MEMOR ESTO, &c. Precatur, aut prædicit exitum Idumæis, qui Babylonios contra ſe incitaverant. FILIORUM EDOM Idumæorum, qui ſic appellati ſunt ab Edom, hoc eſt ab Eſau, qui etiam Edom dictus eſt. IN DIE IERUSALEM. Vel ſenſus eſt: Recordare eorum, ſecundum ea quæ fecerunt adverſus nos in die vaſtationis Ieruſalem, quid eo ſcelere meriti ſint, &c. Vel ſenſus eſt, Memento Idumæorum, qui quo die hoſtiliter vaſtabatur Ieruſalem, clamabant, exinanite, &c. EXINANTE, &c. eam funditus evertite, e fundamentis ipſis eam convellite, & eruite. IN EA, eius.

V. 8. FILIA BABYLONIS: Babylon, vel Babylonii; nam civium, & habitantium multitudo, eam rationem habet ad civitatem, vel gentem, quam filia ad matrem. MISERA. Hebr. *devaſtata*; id eſt, quæ es devaſtanda. BEATUS: bene illi ſit, aut erit. RETRIBUET, &c. qui digna tuis factis tibi rependet. QUAM RETRIBUISTI NOBIS: talia regerens tibi, qualia nobis mala intuliſti.

V. 9. TENEBIT: apprehendet, corripiet. ALLIDET, &c. qui tuos infantulos ſaxis illiſos, pari ſævitia occidet.

TIRINI.

Verſ. 1. SUPER FLUMINA BABYLONIS, id eſt iuxta Tigrin & Euphraten.

V. 2. IN SALICIBUS; id eſt, ad ſalices fluminum, IN MEDIO regionis Babylonicæ, SUSPENDIMUS ORGANA. Hieronymus & Chaldæus, *citharas noſtras*, id eſt omnia inſtrumenta muſica; quaſi dicat: Privavimus nos omni voluptate & gaudio, ob tædium huius exilii.

V. 5. & 6. OBLIVIONI DETUR; Vatablus, *obliviſcatur*, nempe artem pulſandi citharas, & organa; Hebraice, *obſtupeſcat*; ſeu fiat paralytica manus mea. ET ADHAEREAT LINGUA FAUCIBUS] MEIS. Chaldæus, *palato meo*, ita ut non poſſim amplius, pſallere aut loqui. IN PRINCIPIO. Hebraice, principium ſeu caput; quaſi dicat: Si non magis & prius gaudeam de futura inſtauratione Ieroſolymæ, & de ea plus ſatagam, quam de ullis delitiis, aut alia re mundi. Theodoretus.

V. 7. FILIORUM EDOM, ſeu Idumæorum, qui cum eſſent vicini & cognati noſtri (prognati ex Eſau fratre Iſraelis) tamen odio noſtri, IN DIE IERUSALEM, id eſt tempore deſtructionis Ieroſolymæ, *dixerunt* ſuaſeruntque Babyloniis, EXINANITE; Hebraice, *nudate*; Chaldæus, *complanate*; Hieronymus, *evacuate*, in nihilum redigite, omnia ad fundamentum uſque diruite. Theodoretus.

V. 8. FILIA BABYLONIS, id eſt o Babylon *a*, MISERA. Hebraice, *devaſtata*, ſeu devaſtanda propediem a Cyro & Dario.

V. 9. BEATUS, ſupple, ſit ille; quaſi dicat: Bene vertat Deus Cyro, QUI tibi viciſſim rependet vaſtitatem quam Ieroſolymæ intuliſti, & pari modo PARVULOS TUOS ALLIDET AD PETRAM, ut tu noſtros alliſiſti. Quod optat ex appetitu non vindictæ, ſed iuſtitiæ, nempe ut impii parentes puniantur in ſuis prolibus: & ut nulla poſteritas remaneat tam impiæ ſtirpis. Simile habes Iſaiæ XIII. 16. Porro dicitur hic Cyrus futurus beatus non beatitudine ſupernaturali gratiæ aut gloriæ, quaſi ſalvandus; vel veri Dei cultor publicus futurus: (nam

hoc negari videtur Iſaiæ LXV. 4. & 5.) ſed beatitudine temporali, id eſt felix & fortunatus futurus: nam expugnata Babylone factus eſt celeberrimus monarcha, qui monarchiam Chaldæis eripuit & tranſtulit ad Perſas *b*. Ita ſanctus Hieronymus & Theodoretus. Nolim tamen negare, Cyrum, ut & Darium, aliquando Deum verum agnoviſſe, ut dixi in Eſdra, & dicam in Daniele.

(a) Proleg. de Idiotis Hebr. num. XL.
(b) I. Eſdr. 1. & Eſther. verſ. 1.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS DAVID IEREMIAE. Communior ſententia eſt, Pſalmum hunc compoſitum eſſe a Davide, prævidente captivitatem Babylonicam, & populi lamentationem. Quia vero conſonat lamentationibus Ieremiæ, de captivitate illa, ideo in titulo appoſitum eſt nomen Ieremiæ; vel quia illam captivitatem prædixit, & vidit Ieremias. Eſt hic titulus in Græcis & Latinis; ac forte appoſitus a Septuaginta. Proinde non probo, quod ait Theodoretus, confictum eſſe titulum hunc ab aliquo audaculo. Argumentum vero Pſalmi eſt illa prævisa lamentatio captivorum in Babylonia, deſideria populi redeuntis in patriam; & vaticinium de futura pœna Babyloniorum, atque Idumæorum, qui auxilio fuerunt Babyloniis contra Iudæos. De his, inquam, eſt hæc Davidis prædictio, & prophetia. Certe Davidem eſſe huius Pſalmi auctorem, aſſerit Hieronymus Iſaiæ cap. XIII. & Ezech. cap. LXIII. & nullo nituntur fundamento, qui ſuſpicantur Ieremiam, qui hic in titulo nominatur, fuiſſe cantorem tempore Davidis. Quid hic myſtice dicatur, aperit facile conſideratio ſtatus mortalium in his mundi fluminibus & miſeriis ſuſpirantium & clamantium, *Quid mihi in cælo eſt, & a te quid volui ſuper terram?*

Verſ. 1. & 2. SUPER FLUMINA, &c. David prævidens illam populi lamentationem, inducit Levitas hic lugentes ad ripas fluminum Babyloniæ, variis in locis, cum forte ab opere feſſi ſedebant. Myſtice convenit Pſalmus, ut dicebam, Chriſtianis, in hac mortali vita peregrinis a Domino. Suſpenſa quoque interdum manebant, & muta organa lætitiæ, in ſalicibus, in medio eius, ſcilicet Babyloniæ, & palam, ut ſic appareret Babyloniis triſtitia captivorum.

V. 3. ET QUI ABDUXERUNT, &c. In Heb. תוללינו *tholalenu*. Vertunt aliqui, *ſpoliaverunt*, cum Genebrardo; exiſtimantes, tau, dialecto Chaldaica poſitum eſſe pro ש. Alii vertunt, *extulerunt nos* a radice תלל, quod eſt, extollere, elevare: hoc non diſſentit multum a verſione Vulgata, *abduxerunt*: nam extollere, & elevare ſatis deſignat abductionem ab uno loco in alium. Quod Græcus habet *ἀπαγάγοντες*, ſuſpicatur Lorinus Septuaginta legiſſe, מולכנו *molechenu*, a radice ילך *ambulare* per reductionem thematis ad Hiphil, ut ſignificet, fecit ambulare, nempe הוליך *holich*, inde in plurali מוכלינו cum affixo. Superat in hoc interpretatio iſta, quod radicem habeat faventem omnino Vulgatæ editioni, & Septuaginta Interpretibus.

V. 4. IN TERRA ALIENA. Septuag. ἐπὶ γῆς ἀλλοτρίας. Certe in terra alieni populi. Heb. *ſuper humum alienigenæ*. Reſpondent ergo captivi, & docent, cur abſtineant a ſacris, lætiſque hymnis canendis. Vetant ſuſpiria & calamitas.

V. 5. SI OBLITUS FUERO, &c. Locus Deo laudando deſignatus erat Ieruſalem, & ibi ſacris hymnis erat colendus. Ne vero id faciant (omnes iam introducuntur loquentes) in terra hac barbara, obliti ſanctæ civitatis, obſtringunt ſe imprecatione, & iuramento execratorio. In Hebræo eſt, *Si non aſcendere fecero Ieruſalem ſuper capite lætitiæ meæ*: ſenſus idem eſt. Septuag. προαναπήξωμαι τὴν Ἱερουσαλὴμ &c. Oratio hæc eſt per repetitionem exaggerata, quo ſpectat illud προαναπήξωμαι & אעלה את ירושלים *ahhaleh eth Ieruſalaim*, *aſcendere fecero Ieruſalem*, &c.

V. 7. MEMOR ESTO DOMINE, &c. Poſt explicatam populi lamentationem, reliquum Pſalmi eſt de pœna hoſtium, imprecatione, contra Idumæos Babyloniorum in bello Iudaico, ſocios; & in ipſam Babyloniam, verſ. 8. quam in hac

ſua

ſua felicitate miſeram vocat, futuram prævidens cladem. Incitarunt etiam Idumæi (in die Ieruſalem everſæ) Babylonios; *Exinanite*, inquiunt, *eam*, &c. De hac, quam David hic prædicit, clade Babylonica, vide Dan. v. & Iſa. cap. XIII. ubi temperatum non eſt a parvulorum occidione. Ceterum recte nunc in Latina correcta legimus, *parvulos tuos*, verſ. 9. ſic enim eſt Græce τὰ νήπια σου, ſcilicet Babyloniæ. Idemque hic eſt ex affixo Hebraico: & hæc de Babyloniorum pœna, quam hic retributionem vocat.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. INitio huius Pſalmi loquuntur captivi: & quæ ſunt uſque ad verſum ſextum exprimunt gemitum captivi populi ad Euphratem (qui fluebat per urbem) & alios Babyloniæ fluvios, quando *animum ſubiit ſpecies miſeranda Sionis* (ut cavit non male quidam poeta) *& numquam patrii tecta videnda ſoli*. Verſu autem ſexto introducitur populus loquens & iurans ſe numquam oblivioni daturum ſanctam civitatem. Denique a verſu ſeptimo, prædicit ruinam hoſtium, civitatis, & ſpeciatim nominat Idumæos, quorum inter alios, exarſit plurimum in Iudæos odium: quam Pſalmi partem mox clarius explicabit inſequens enarratio.

BOSSUET.

Verſ. 1. SUPER FLUMINA BABYLONIS.... CUM RECORDAREMUR SION. Ex ipſo exilii ſenſu ſubit dulcis patriæ recordatio qua cientur in fletus. Spirituali ſenſu: Flumina Babylonis ſunt omnia, quæ hic amantur & tranſeunt. Aug. hinc ſuſpiria ad illam manentem ac fundamenta habentem civitatem, de qua Paulus Heb. XI. 10. XIII. 14.

V. 3. QUI ABDUXERUNT NOS: *Qui nos in acervum redegerunt*, Heb. id eſt, civitatem noſtram. HYMNUM, *lætitiam*, Heb. lætum carmen petebant.

V. 5. DEXTERA MEA: vis mea, auxilium meum, aut felicitas, per dexteram deſignata.

V. 7. MEMOR ESTO .. FILIORUM EDOM: Eſau: Idumæorum ſemper adverſantium Iudæis, ex priſcis Eſau adverſus Iacobum inimicitiis. IN DIE IERUSALEM: cum recordaberis Ieruſalem.

V. 8. FILIA BABYLONIS MISERA, *vaſtata*. Hier. id eſt, vaſtanda.

V. 9. BEATUS, QUI TENEBIT, ET ALLIDET PARVULOS TUOS ... Beatus, qui implebit vaticinium Iſaiæ de Babylone dicentis: *Infantes eorum allidentur in oculis eorum*: XIII. 16.

PLAS-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 1. *In conſpectu angelorum pſallam tibi*. Non præponas coniunctionem *&*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. SUPER MISERICORDIA TUA. Hebr. *Propter miſericordiam tuam & veritatem tuam*; id eſt, quia miſertus es mei, & præſtitiſti mihi quod promiſeras. SUPER OMNE NOMEN SANCTUM TUUM. Hebr. *Quia magnum reddidiſti ſuper omnia nomen tuum, & verbum tuum*; vel, *ſuper omne nomen tuum verbum tuum*; id eſt, inter mulra præclara nomina quæ tibi conveniunt; hoc eſt, tibi maxime proprium, ut vorax ſis faciaſque quod promittis.

V. 6. ET HUMILIA RESPICIT. Hebr. *Humilem reſpicit, & altus a longinquo cognoſcit*, (humilem); vel, *altum*; id eſt, ſuperbum e longinquo cognoſcit, ſimulat ſe non videre.

V. 8. OPERA MANUUM TUARUM NE DESPICIAS. Hebr. *Ne deſeras*; id eſt, fac pro tua miſericordia, ut ſoles; aut, ne derelinquas me opus manuum tuarum.

SA.

Dei laus, & gratiarum actio.

Verſ. 1. ANGELORUM. Hieron. *deorum*. Chald. *iudicum*.

V. 2. SUPER, id eſt propter. MISERICORDIA, ſcilicet remittendo peccata: Auguſt. VERITATE, ſcilicet reddendo promiſſa: Auguſt. MAGNIFICASTI, id eſt feciſti apparere magnificum. OMNE, id eſt omnia. NOMEN, id eſt celebritatem nominis; ſcilicet tui ipſius famam & venerationem.

V. 3. MULTIPLICABIS; pro, multiplica, id eſt auge. VIRTUTEM. Hieron. *fortitudinem*.

V. 4. CONFITEANTUR; pro, confitebuntur. VERBA; quaſi dicat, promiſſa impleta. ORIS TUI. Chald. *laudis tuæ*.

V. 5. CANTENT; pro, cantabunt. IN VIIS, ſcilicet ambulando. QUONIAM, ſcilicet id cantabunt.

V. 6. RESPICIT, id eſt benigne aſpicit. A LONGE, ſcilicet non familiariter & amice; vel quaſi dicat, E ſolio ſuo, ſeu maieſtate excelſa. COGNOSCIT, ſcilicet ut puniat. Chald. *deprimet*.

V. 7. VIVIFICABIS, id eſt ſervabis. SUPER, id eſt contra. EXTENDISTI, præterita pro futuris. Hieron. *mittes*. Chald. *pones*. SALVUM ME FECIT. Hieron. *ſalvabit*.

V. 8. RETRIBUET, ſcilicet hoſtibus meis quæ merentur. SAECULUM. Hieron. & Chald. *æternum*. DESPICIAS. Hieron. *dimittas*. Chald. *derelinquas*; quaſi dicat, Ne deſine favere.

ESTII.

Verſ. 2. IN CONSPECTU ANGELORUM PSALLAM TIBI, ADORABO AD TEMPLUM SANCTUM TUUM, ET CONFITEBOR NOMINI TUO. Pro *Angelorum*, Hebr. eſt *Elohim*, quod alii vertunt, *coram iudicibus*, Regibus, poteſtatibus. Quidam etiam *coram Deo*, id eſt coram arca. Cui interpretationi favere videtur quod ſubnectitur, *Adorabo ad templum ſanctum tuum*.

V. 6. QUONIAM EXCELSUS DOMINUS ET HUMILIA RESPICIT, ET ALTA A LONGE COGNOSCIT. Hebr. *Et humilem videbit, & altum a longe cognoſcet*. Senſus eſt, quod quamquam Dominus ſit omnibus excelſior, omniaque ſua potentia late complectatur, tamen pro immenſa ſua clementia, & benignitate, ad eos maxime ſe extendit, qui de ſe modeſte & humiliter ſentiunt; hoſque benedictione ſua & benignitate proſequitur. *Alta* vero; id eſt,

id eſt, eos qui per ſuperbiam ſe efferunt, eorumque arrogantes cogitatus & conatus, cognoſcit quidem, cum omnia eius cognitioni pateant, ſed *cognoſcit a longe*; id eſt, velut eminus inſpicit, & aſpernatur, nec probat ea, ſed tantum ad puniendum ea ſcit, & obſervat.

MARIANAE.

Verſ. 1. CONFITEBOR, laudabo. QUONIAM AUDISTI VERBA ORIS MEI. Hoc Hebr. non eſt. IN CONSPECTU ANGELORUM. Hebr. *in conſpectu deorum*. *Dii* vocantur aut *Angeli*, ut noſter poſuit, aut ſacerdotes, aut proceres.

V. 2. AD TEMPLUM; id eſt, in templo, aut converſus ad templum, ut orabat Daniel. SUPER MISERICODIA TUA; id eſt, propter miſericordiam tuam, & veritatem tuam. MAGNIFICASTI SUPER OMNE: ſubſtantive, id eſt ſuper omnem rem. NOMEN SANCTUM TUUM. Hebr. additur *verbum tuum*; pro, & verbum tuum, ſcilicet magnificaſti, aut ſecundum verbum tuum, ut es pollicitus.

V. 3. EXAUDI ME. Hebr. *exaudiſti me*. MULTIPLICABIS. Hebr. *roboraſti me in anima mea*. VIRTUTEM, fortitudinem.

V. 4. QUIA AUDIERUNT VERBA ORIS TUI, id eſt Evangelium. Aut egregia facta tua; id etiam poteſt ſignificari per *verba*. Qui ea audierunt, ii te laudent.

V. 5. ET CANTENT IN VIIS DOMINI, id eſt vias Domini, eius facta & conſilia.

V. 6. ET HUMILIA RESPICIT: e loco quamvis ſublimi infima reſpicit. ET ALTA A LONGE, id eſt ſuperba averſatur. Hebr. ſic verti poſſunt: *Et altus a longe* (ſcilicet arcana) *cognoſcere facit*; ſcilicet cui ipſi placet: nihil eum latet. Aut ſic: Altus quamvis Deus, a longe prædicit, ſcilicet futura.

V. 7. IN MEDIO TRIBULATIONIS, id eſt rebus deploratis vitam mihi concedes. ET SUPER IRAM, id eſt contra iram. EXTENDISTI. Hebr. *mittes manum tuam*. ET SALVUM ME FECIT; pro, faciet.

V. 8. RETRIBUET PRO ME? Hieronym. *operabitur pro me*: alii, *perficiet*; ſcilicet quæ mihi eſt pollicitus, quod cœpit. MISERICORDIA TUA IN SAECULUM; id eſt, perpetua, proinde ne me deſtituas. OPERA MANUUM TUARUM NE DESPICIAS: Hebr. *ne dimittas*, deſeras; id eſt, quod cœpiſti, id perfice: opem mihi in rebus adverſis tribuere perge.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN CONSPECTU ANGELORUM. Hebr. *Elohim*, *pſallam tibi*. Varie alii: I. *Coram diis*, vel *in conſpectu potentum*, *iudicum*. *Elohim*, aiunt hic eſſe homines claros, inſigni aliqua poteſtate præditos. Et ſæpius profitetur David ſe coram regibus, & principibus, ac magnatibus mundi res Dei agere. II. *Et inter ſummos canam te*. III. *Et coram iudicibus pſallam tibi*. IV. *Coram poteſtatibus pſallam tibi*; id eſt, publice, ne apud ullos quidem proceres diſſimulabo: ſic Pſalm. CVI. 32. & Pſ. CXVIII. paſſim: quomodo accipiendum eſſe docet verſus 4. V *Etiam palam*, *& invitis aliarum nationum omnibus diis ego te Pſalmis meis cantabo*.

V. 2. ET CONFITEBOR NOMINI TUO, SUPER MISERICORDIA TUA, ET VERITATE TUA. Alii ex Hebr. I. *Et celebrabo nomen tuum propter benignitatem*, *qua uſus es erga nos*, *& conſtantiam tuam in ſervandis promiſſis*. II. *Et celebrabo nomen tuum*, *æque bonitatem ac fidem tuam*. III. *Et celebrabo nomen tuum propter benignitatem tuam*, *& propter fidem tuam*, ut ſupra Pſalm. CXIII. 9. QUIA MAGNIFICASTI SUPER OMNE, NOMEN SANCTUM TUUM. Hebr. *Qui magnificaſti ſuper omne nomen tuum dictum tuum*. Alii. I. *Quia magnificaſti in omnibus verbis tuis nomen tuum*; id eſt, præclarum reddidiſti nomen tuum adimplendo promiſſiones tuas. II. *Quia in omnibus*, ſive *per omnia facta tua*, *magnificaſti nomen tuum & verbum tuum*; id eſt, promiſſiones tuas. III. *Quia eloquium tuum excellentius feciſti omnibus*, *quæ prædicantur de te*. IV. *Eloquium enim tuum*, *ſecundum nomen tuum magnificas*. V. *Multa namque plura*, *quam tu verbis tuis promiſeras*, *præſtitit nobis auguſtiſſimum illud nomen tuum*. VI. *Quia magnificas cum toto nomine tuo ſermonem tuum*: ætiologia, vel potius exegeſis proxime præcedentis ætiologiæ; *propter benignitatem tuam*, *& propter fidem tuam*: nam benignitate magnificatur nomen Dei;

fide

ſide veritas ſermonis aſſeritur, quo nos inſtituit Deus.

V. 3. MULTIPLICABIS IN ANIMA MEA VIRTUTEM. Hebr. alii diverſimode accipiunt: I. *Superbificabis me, & in anima mea fortitudinem*; id eſt, generoſo & excelſo animo efficies me, & ingens robur animo meo addes. II. *Roboraſti me*, &, *in anima mea fortitudo* viget: vel *roboraſti me in anima mea virtute*. III. *Invaleſcere facies me in anima mea firmitudine*. IV. *Animo meo robur amplius indidiſti*. V. *Fulciviſti me, & addidiſti robur animo meo*. VI. *Exuberare feciſti in anima mea virtutem*. VII. *Et animam meam robore locupletas*. VIII. *Feciſti, ut efferret me animo meo robur*; id eſt, pleniſſime confirmaſti & roboraſti me.

V. 4. QUIA AUDIERUNT OMNIA VERBA ORIS TUI. Quidam: *Cum audierunt ſermones oris tui*; hoc eſt, duobus nominibus laudabunt te, de verbo tuo, hoc verſu: & de adminiſtratione ex verbo, verſu ſequente: ſic Hiram Rex Tyri celebravit Dominum, II. Paralipom. II. 2. 12. & ſequentibus. Alii: *Ut audiverint promiſſis tuis rem ipſam per omnia reſpondere*.

V. 5. ET CANTENT IN VIIS DOMINI. Quidam: *Et cantabunt iuxta ritum Domini*. Alii: *& cantent de viis Iehovæ*; id eſt, de actionibus, operibus, rationibus agendi, & tota adminiſtratione eius. QUONIAM MAGNA EST GLORIA DOMINI. Quidam, *magnam eſſe gloriam Iehovæ*; vel *dicentes*: *quod magna eſt gloria Iehovæ*, quam in omnibus viis ſuis oſtendit.

V. 6 HUMILIA RESPICIT, ET ALTA A LONGE COGNOSCIT; id eſt, nihil quamtumvis imum, aut quamtumvis ſublime cognitionem Dei ſubterſugere poteſt. Alii: I. *Tamen ima videt*, & *elata eminus cognoſcit*. II. *Eum tamen, qui humiliter de ſe ſentit aſpicit cominus*: *elatum vero non niſi eminus cognoſcet, ut perdat*. III. *Tamen depreſſum aſpicit, quamvis altus, e longinquo pernoſcit*: non otioſe, ſed cum efficacitate, id eſt omnino eius rationem habet: ſic ſequentia. Non tam appoſite alii: *Et altum, ſuperbum, e longinquo frangit, conterit*.

V. 7. ET SUPER IRAM INIMICORUM MEORUM, &c. Varie alii ex Hebr. I. *In ferociam hoſtium meorum mittis manum tuam, & ſalvas me dextera tua*. II. *Manum tuam naſo inimicorum meorum impinges, meque ſervabit dextera tua*. III. *Furorem hoſtium meorum tu manu tua compeſces, & ſervabit me dextera tua*. IV. *Contra iram inimicorum meorum mittes manum tuam*, &c. id eſt, invitis hoſtibus meis porriges mihi manum, qua ſervabis me. V. *In faciem inimicorum meorum extendis manum tuam, & ſervat me dextera tua*; id eſt, velut ſiniſtra eos in facie percutis, cum me conſervas dextera: ut Pſal. III. 8. Sic *manus*, abſolute pro ſiniſtra, ut Pſalm. LXXIII. 11. & LXXXVIII. 14.

V. 8. DOMINUS RETRIBUET PRO ME. Ex Hebr. alii: I. *Iehova conſummabit pro me*, vel *perficiet ſuper me*, opus ſuum, ſeu bonum ſuum in gratiam meam. II. *Dominus perficiet, quod in me incohavit*, vel *quæcumque mihi promiſit*. III. *Dominus undique perficit me*. IV. *Dominus perficiet, quod reliquum eſt pro me*. V. Hiſpanicus Interpres: *Iehova cumplira per mi*: vel, *es mi fiador, o reſpondiente*. OPERA MANUUM TUARUM NE DESPICIAS. Ex Heb. alii: I. *Opera manuum tuarum ne relaxa*. II. *Non dimittes*. III. *Ne derelinquas*. IV. *Ne ſinas labi*. V. *Quare opera manuum tuarum in defendendo me, ne intermiſeris, ſed quemadmodum cœpiſti, perge*. VI. *Nec opera manuum tuarum emittes*, vel *deſeres*; id eſt, me, qui ſum opus manuum tuarum. Plurali utitur, quia multa Deus in Davide præclara operatus fuerat; quaſi dicat: Ne deſeras me in afflictione, ſed ut ſemper mihi adfuiſti, ita adſis poſtea. VII. *Ab operibus manuum tuarum ne deſiſtas*, ſiniſtræ nimirum in propulſandis hoſtibus, & dexteræ in conſervando me; ut verſu ſuperiore. Buchananus:

Quo cœperas gradu, tua
Facta tuere manu.

MENOCHII.

Verſ. 1. CONFITEBOR TIBI: laudabo te. IN CONSPECTU ANGELORUM. Hebr. *coram Divis*, coram Angelis. Aliqui de Cherubinis propitiatorii intelligunt.

V. 2. AD TEMPLUM SANCTUM TUUM. In templo, vel verſus templum. CONFI-

TEBOR NOMINI TUO; nomen tuum laudabo. SUPER MISERICORDIA TUA: miſericordiam tuam laudabo, celebrabo te propter miſericordiam tuam. VERITATE TUA, id eſt fidelitate promiſſorum tuorum. MAGNIFICASTI: celebre, & inclytum feciſti nomen tuum. SUPER OMNE: ſuper omnem rem; ſuper omnia.

V. 3. MULTIPLICABIS IN ANIMA MEA VIRTUTEM, vires, & animos mihi addes.

V. 4. CONFITEANTUR TIBI: laudent te. AUDIERUNT, &c. cum audierint, te oris tui promiſſa ad unguem impleſſe.

V. 5. IN VIIS DOMINI, cantent vias Domini, facta, & conſilia eius mirabilia.

V. 6. EXCELSUS DOMINUS, &c. qui licet ſublimi ſolio in cælo reſideat, non tamen reſpicere dedignatur humiles, & illis proſpicere. ALTA A LONGE COGNOSCIT. Superbos quaſi e longinquo deſpicit, non ſe ad illos demittit, ut cum illis familiariter agat, ſed potius ſe ab illis abducit.

V. 7. VIVIFICABIS ME: in vita me conſervabis. ET SUPER IRAM, &c. & contra furentem hoſtium impetum, tu tum ſervabis, & incolumem, protenſa in auxilium meum dextera tua.

V. 8. DOMINUS RETRIBUET PRO ME: me ulciſcetur, rependet vicem hoſtibus pro me. DOMINE MISERICORDIA TUA IN SAECULUM: nam miſericordia tua non eſt inſtabilis, aut momentanea. OPERA MANUUM TUARUM, &c. & me, qui ſum opus manuum tuarum non negliges, ſed mihi aderis, & e malis eripies. In Hebræo eſt, *Facta manuum tuarum non dimittas*; quaſi dicat, Quod a te inchoatum eſt, imperfectum ne relinquas.

TIRINI.

Verſ. 1. IN CONSPECTU ANGELORUM. Hebraice, *coram diis*, ut Hieronymus; ſeu *iudicibus*, ut Chaldæus vertit: quamquam Hebræum nomen אלהים *elohim*, etiam Angelis approprietur, quos certum eſt ex I. Cor. XI. 10. piorum precibus intereſſe.

V. 2. MAGNIFICASTI SUPER OMNE, ens, ſeu ſupra res omnes alias, feciſti apparere magnificum NOMEN, id eſt maieſtatem tuam, id eſt te, Hebraice, *verbum tuum*, id eſt Chriſtum, inquit Hieronymus, vel ſimplicius, promiſſa tua; ut Vatablus.

V. 3. MULTIPLICABIS IN ANIMA MEA VIRTUTEM. Chaldæus, *fortitudinem*; Hieronymus: *Dilatabis animæ meæ fortitudinem*; Græcus: *Multiplicabis me in anima mea potentia tua*; id eſt, multipliciter extolles animam meam per potentiam tuam, qua facies illam ſuperiorem omnibus ærumnis, adverſitatibus & hoſtibus ſuis, inquit S. Hieronymus *a* & Euthymius. Allegorice, Spiritu ſancto & donis illius roborabis me.

V. 4. AUDIERUNT OMNIA VERBA ORIS TUI; id eſt, promiſſa tua vere & reipſa per te impleta eſſe.

V. 5. CANTENT IN VIIS DOMINI; id eſt, decantent, laudent & celebrent vias Domini, id eſt facta & conſilia Dei, rationesque divinæ providentiæ. Theodoretus.

V. 6. A LONGE, ſeu eminus; quaſi dicat, Non familiariter & amice, ſed contemptim. Quia dum *altos*, id eſt ſuperbos, a ſuo favore ac cælo removet, & in ima relegat ac contemnit, videtur quaſi eminus eos aſpicere, inquit S. Auguſtinus.

V. 8. DOMINUS RETRIBUET PRO ME, ſupple, vindictam hoſtibus meis, inquit Chaldæus; Hieronymus, *operabitur pro me*; Symmachus, Vatablus & Ianſenius, *perficiet in me* quod inchoavit. Unde mox orat, OPERA MANUUM TUARUM NE DESPICIAS. Hieronymus & Chaldæus, *ne derelinquas*, ne deſeras.

(a) Hieron. in Iſaiæ III.

GORDONI.

Titulus in Hebræo eſt, *ipſi David*; & recipitur. Quod vero eſt in Græcis exemplaribus, *Aggæi, & Zachariæ*, additum eſt poſterioribus ſæculis a neſcio quibus, cum nullam harum vocum fecerint antiqui Patres, circa tempora Auguſtini, mentionem. Argumentum Pſalmi huius indicant Græci, dum eum vocant; ἐπινίκιον, & εὐχαριστήριον. Habet orationem Davidis & gratiarum actionem. Et quamvis non explicet cauſam cur gratias agat; probabile tamen eſt, quod multi opinantur, eſſe,

Digitized by Google

eſſe ob revelatum Davidi Meſſiæ adventum.

Verſ. 1. QUONIAM AUDISTI VERBA ORIS MEI. Hæc verba, quæ ſunt in Latinis & Græcis codicibus, non reperiuntur in Hebræo: ſed inde ſane exciderunt: nam a veteribus paſſim citantur. IN CONSPECTU ANGELORUM, ſcilicet intuentium orantem. In Hebræo eſt, אלהים *elohim*, *Deorum*: ſed Septuaginta non ignari linguæ nativæ, verterunt, *Angelorum*. Sic illi hoc quidem loco, quo etiam modo aliqui explicant illud Pſal. VIII. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*: vide quæ ibi dicta ſunt. Receptum eſt, id nominis exprimere interdum etiam homines, præſertim præcellentes. Aſtant interim Angeli orantibus. At quodnam illud templum eſt, ad quod David adorabat? nondum enim extructum erat Salomonicum. Certe tabernaculum in loco orationis conſtitutum intellige, & ad quod orabant Iſraelitæ, ſive præſentes coram tabernaculo, ſive abſentes, converſa ad illud facie. Septuaginta, πρὸς ναὸν. Agnoſcit Pſalmiſta in hac laude, præſertim miſericordiam in promiſſione, & veritatem reddendo promiſſa; quod etiam ad Chriſti adventum, ut præfatus ſum, commode hic poteſt referri.

V. 4. OMNIA VERBA ORIS TUI, &c. τὸ *Omnia*, eſt quidem in Græco, ſed aberat a verſione Latina. Omittitur etiam a Hieronymo; nec eſt in Hebræo, ſed hoc ſolum, *audierunt eloquia* אמרה *imreb*.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & ſeq. PRæter ea, quæ dixi ad titulum, & quæ inſequenter hic ſubiicio, non eget hic Pſalmus alia Paraphraſi. Præfatur David promittendo laudis ſacrificium, & gratiarum actionem magno cordis ardore. Dat autem verſu 2. materiam laudis: Confitebor, inquit, tuam miſericordiam, & promiſſionum veritatem, quoniam magnificaſti Chriſtum tuum ſuper omne nomen: Chriſto enim data eſt potentia, & gloria, quanta nulli alteri. Sic Hieronymus Epiſt. ad Suniam: per *Sanctum*, intelligit Chriſtum, cum aliis pleriſque Patribus; ſic, inquam, explicat verba illa in Græco neutrius generis, τὸ ἅγιόν σου. An non Chriſtus res eſt ſanctiſſima? Atque hinc verſu 4. prophetice tamquam de re præterita, prædicit converſionem Gentium ad Chriſtum; quia audierunt, inquit, verba oris tui; & quæ inſequuntur de laude ob tam excellens beneficium. Hinc denique eſt, quod David verſu 7. in omni tentatione, & tribulatione polliceatur ſibi auxilium a Deo.

BOSSUET.

Verſ. 1. DOMINE: deeſt, Hebr. QUONIAM AUDISTI VERBA....... deeſt, Hier. IN CONSPECTU ANGELORUM...... ſic addit ſe Angelis Deo canentibus.

V. 2. ADORABO AD TEMPLUM...... Pſallenti cum Angelis, pro cælo eſt templum divino nomini conſecratum. MAGNIFICASTI SUPER OMNE. NOMEN SANCTUM TUUM: *Super omne nomen*, *eloquium tuum*, Hier. id eſt, ſuper omnem famam: quidquid de te narrent homines, verbi tui maieſtate vincitur.

V. 3. EXAUDI ME: exaudies. MULTIPLICABIS..... *dilatabis animæ meæ fortitudinem*, Hier. robur augebis.

V. 4. REGES: victi, vel victoriarum fama permoti.

V. 5. CANTENT IN VIIS DOMINI: ad templum ducentibus: adeant Ieruſalem. & templum donis cumulent.

V. 6. A LONGE COGNOSCIT: longe infra ſe videt: ut abiecta & iacentia.

V. 7. IN MEDIO TRIBULATIONIS: belli, ut Pſal. XIX. 1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*. EXTENDISTI, *mittes*, Hier.

PSALMUS CXXXVIII. MORALIS ET DEPRECATORIUS.

Accuſatus ab inimicis coram Saule, teſtem innocentiæ ſuæ invocat Deum, formatorem ſuum & cogitationum ſcrutatorem. Neminem enim odiſſe ſe, niſi malos. Et nota ad connexionem verſ. 19. 21. 23. 24.

VERSIO S. HIERONYMI:

Victori Pſalmus David.

DOmine inveſtigaſti me, & cognoviſti.

Tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti malum meum de longe.

Semitam meam & accubationem meam eventilaſti: & omnes vias meas intellexiſti.

Quia non eſt eloquium in lingua mea: ecce Domine noſti omnia.

Retrorſum & ante formaſti me: & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Super me eſt ſcientia, & excelſior eſt, non potero ad eam.

Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?

Si aſcendero in cælum, ibi es tu: ſi jacuero in inferno, ades.

Si ſumpſero pennas diluculo: habitavero in noviſſimo maris.

Etiam ibi manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Si dixero, forte tenebræ operient me: nox quoque lux erit circa me.

Nec tenebræ habent tenebras apud te, & nox quaſi dies lucet: ſimiles ſunt tenebræ & lux.

VERSIO VULGATA.

1. In finem, Pſalmus David.

DOmine probaſti me, & cognoviſti me: 2. tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam:

3. Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti.

4. Et omnes vias meas prævidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.

5. Ecce Domine tu cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

6. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

7. Quo ibo a ſpiritu tuo? & quo a facie tua fugiam.

8. (a) Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.

9. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris.

10. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

11. Et dixi: forſitan tenebræ conculcabunt me: & † nox illuminatio mea in delitiis meis.

12. Quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia

Quia tu poſſediſti renes meos: orſuſque es me in utero matris meæ.

Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificaſti me: mirabilia opera tua, & anima mea novit nimis.

Non ſunt operta oſſa mea a te, quibus factus ſum in abſcondito: imaginatus ſum in noviſſimis terræ.

Informem adhuc me viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formati ſunt, & non eſt una in eis.

Mihi autem quam honorabiles facti ſunt amici tui Deus, quam fortes pauperes eorum!

Dinumerabo eos, & arena plures erunt: evigilavi, & adhuc ſum tecum.

Si occideris Deus impium: viri ſanguinum declinate a me.

Qui contradicent tibi ſcelerate: elevati ſunt fruſtra adverſarii tui.

Nonne odientes te Domine odivi, & contra adverſarios tuos diſtabui.

Perfecto odio oderam illos: inimici facti ſunt mihi.

Scrutare me Deus, & cognoſce cor meum: proba me, & ſcito cogitationes meas.

Et vide ſi via doli in me eſt, & deduc me in via æterna.

(a) Amos ix. 2.

13. Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de utero matris meæ.

14. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: * mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.

15. Non eſt occultatum os meum a te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: * dies formabuntur, & nemo in eis.

17. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: † nimis confortatus eſt principatus eorum.

18. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exſurrexi, & adhuc ſum tecum.

19. Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate a me:

20. * Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

21. Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

22. Perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi.

23. Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

24. Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.

BRU.

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I

Verſ. 1. IN FINEM PSALMUS DAVID: *victori*.

V. 3. ET FUNICULUM MEUM INVESTIGASTI. Semitam meam & accubitum meum luſtraſti.

V. 4. QUIA NON EST. Hebr. *Quando non eſt ſermo in lingua mea, ecce tu cognoviſti omnem illum*; id eſt, antequam loqui incipiam, noſti quid velim dicere.

V. 5. OMNIA NOVISSIMA. Hebr. *Ante & retro formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.*

V. 6. EX ME. Hebr. *præ me*; id eſt, mirabilior eſt, quam ut ego eam poſſim comprehendere; vel, *mirabilis eſt ex me*; id eſt, in me formando apparuit, quam admirabilis ſapientia tua eſſet: fortior nimirum eſt, quam ut eam comprehendere poſſim.

V. 9. SI SUMPSERO PENNAS MEAS. Heb. *pennas auroræ:* Metaphora. Videtur enim Aurora radiis quaſi pennis advolare ad nos ex ultimis finibus maris.

V. 11. & 12. ET DIXI: FORSITAN TENEBRAE CONCULCABUNT ME. Heb. *Et dixit: forſitan tenebræ occultabunt me, & tamen nox lux erit circa me*; id eſt, non magis abſcondi potero in nocte quam in luce. Aut, & lux ſuboccultabit lumen propter me. Sed etiam TENEBRAE NON OBSCURABUNTUR A TE; id eſt, non ſunt tenebræ apud te. Iob XXXIV. 22. *Non ſunt tenebræ & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem.*

V. 13. SUSCEPISTI ME DE UTERO. Heb. *Texiſti me in utero matris meæ*; id eſt, formaſti me & involviſti in utero.

V. 14. QUIA TERRIBILITER MAGNIFICATUS. Quia terribilis, mirabilis factus ſum; id eſt, quia terribiliter ac mirabiliter a te formatus ſum, idque animus meus valde cognoſcit. Septuag. legerunt נפלאיתה *mirabilis factus es.*

V. 25. ET SUBSTANTIA MEA. Hebr. *Quando formatus ſum, & membris diſtinctus in inferioribus terræ*, id eſt in utero.

V. 16. IMPERFECTUM MEUM. Hebr. *Embryonem meum informem viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia ſcripta* (membra) *per ſingulos dies formata ſunt, cum adhuc nullum eorum eſſet*; vel nullum tibi ignotum fuit: ita aliqui. Mihi generalior videtur eſſe ſententia: In libro tuo omnia ſcripta ſunt, & dies quibus formabuntur, cum nihil tum eorum ſit; vel in illis (diebus) quaſi diceret, Non expectas exitus rerum ut annales tuos ſcribas.

V. 17. HONORATI SUNT AMICI TUI. Hebr. רעיך. Ambigue ſignificare poteſt *amicos tuos*; vel *cogitationes tuas*. Septuag. verterunt *οἱ φίλοί σου*; ſed magis loco ſecunda ſignificatio. Ac mihi quidem magno in pretio ſunt cogitationes tuæ; id eſt, inventa tua, opera tua, valde confirmata ſunt capita eorum; id eſt, ſummæ eorum valde multiplicatæ ſunt.

V. 18. DINUMERABO EOS. Heb. *Si dinumeravero eas* (cogitationes); vel, *ea* (opera) *ſupra arenam multiplicabuntur*; id eſt, inveniam eſſe magis innumerabilia quam arenam. *Cum evigilo adhuc ſum tecum*; id eſt vix e ſomno expergefactus ſum, cum incipio præ admiratione de te, ac de tuis operibus cogitare. Vel, Cum toto die cogitaverim de te, cum mane evigilo reperio me tota etiam nocte de te ſomniaſſe.

V. 19. SI OCCIDERIS DEUS PECCATORES. Hebr. *Si occideris Deus impium, viri ſanguinum diſcedent a me.*

V. 20. QUIA DICITIS &c. Heb. *Qui loquuntur contra te impietatem: & capiunt ſine cauſa urbes tuas.* Ita Septuag. quorum ſenſus mihi magis placet quam Hebræorum.

V. 22. INIMICI FACTI SUNT. Hebr. *Quemadmodum ſi inimici mei fuiſſent.*

V. 23. ET COGNOSCE SEMITAS MEAS. Hebr. *cogitationes meas.*

SA.

S A.

De Dei ſcientia, & Sanctorum innocentia,

Verſ. 1. PROBASTI, id eſt exploraſti. Hieron. *inveſtigaſti*. Chald. *ſcrutatus es*.

V. 2 COGNOVISTI, id eſt approbaſti: Aug. SESSIONEM, &c. id eſt ſive ſedeam, ſive ſurgam; quaſi dicat, Omnes actiones meas.

V. 3. SEMITAM, id eſt iter. FUNICULUM; id eſt, manſionem in funiculo, ſeu hereditate, vel vitæ ſeriem, ſeu filum, vel menſuram ſeu ſpatium. Hieron. & Chald. *accubitum*; quaſi dicat, Sive ambulem, ſive accumbam. INVESTIGASTI; id eſt, habes exploratum.

V. 4. SERMO; quaſi dicat: Etiam ſermones omnes prævidiſti, antequam loquar.

V. 5. POSUISTI, &c. quaſi dicat, Et formatum ſemper protexiſti.

V. 6. EX ME, id eſt præ me; quaſi dicat: Mirabilior quam ut poſſim aſſequi. CONFORTATA EST, id eſt elevata. Chald. *ardua facta eſt*. AD EAM, ſcilicet pertingere.

V. 7. SPIRITU, id eſt indignatione, ſecundum quoſdam. Chald. *præſentia*. FACIE. Chald. *conſpectu*.

V. 8. INFERNUM, id eſt terræ inferiora.

V. 9. HABITAVERO; ſcilicet eo volans. MARIS. Chald. *Occidentis*.

V. 10. ETENIM; pro, etiam. ILLUC, pro, illic. Hieron. *ibi*. DEDUCET, ſcilicet quocumque volet. TENEBIT, ſcilicet ut ſolent teneri fugitivi; quaſi dicat, Nullo modo potero effugere.

V. 11. ET DIXI; pro, ſi dicam; id eſt, cogitem apud me. CONCULCABUNT. Hieron. *operient*; quaſi dicat, Occultabunt. ET NOX; at nox. ILLUMINATIO, &c. quaſi dicat: Prodet quidquid quaſi latens male egero. Hieron. *lux erit coram me*. DELITIIS; quaſi dicat: Prodet voluptates, quibus ſolet noctu indulgeri.

V. 12. NON OBSCURABUNTUR A TE, id eſt apud te. Hieron. *tenebras non habent apud te*. ILLUMINABUNTUR. Hieron. *lucet*. EIUS, id eſt noctis. EIUS, id eſt diei; quaſi dicat: Perinde eſt apud te nox & dies. Chald. *tenebræ & lux apud te æquales*.

V. 7. POSSEDISTI, id eſt pernoſti; vel quaſi dicat: Tua ſunt omnia, mea etiam interiora. SUSCEPISTI, id eſt protexiſti. Hieron. *orſus es*. Chald. *fundaſti*. DE UTERO, id eſt iam inde a nativitate. Hieron. & Chald. *in utero*.

V. 14. TERRIBILITER, id eſt mirabiliter. MAGNIFICATUS ES, id eſt appares magnificus; ſcilicet in mei formatione. Hieron. *magnificaſti me*. COGNOSCIT NIMIS; id eſt, habet in quo proficiat, quotidie diſcendo. Chald *evaſit ſapiens valde*.

V. 15. OS MEUM; quaſi dicat, Ne unum quidem ex oſſibus meis: vel *os* pro *membrum*, ſcilicet ullum. Aug. III. Doct. Chriſt. *Mallem*, inquit, *dici oſſum*, *ut eſſet apertius*. SUBSTANTIA MEA, ſcilicet non eſt occultata a te. INFERIORIBUS TERRAE. Chald. *in utero matris meæ*, ſcilicet facta a te.

V. 16. IMPERFECTUM MEUM; quaſi dicat: Cum adhuc eſſem in utero imperfectus. Hieron. *informem adhuc me*. OMNES SCRIBENTUR, ſcilicet homines, vel dies. Chald. *omnes dies ſcripti ſunt*. DIES; pro, per dies ſingulos. FORMABUNTUR, ſcilicet homines. NEMO IN EIS; id eſt, & nullus eſt tibi ignotus, vel non ſcriptus in tuo libro; vel nullus dies deerit ex iis quos cuique præſcripſiſti. IN EIS; pro, ex eis.

V. 7. CONFORTATUS, id eſt roboratus. PRINCIPATUS, id eſt poteſtas, ſeu dignitas.

V. 18. DINUMERABO, id eſt ſi numerem. SUPER, id eſt pluſquam. EXSURREXI. Hieron. *evigilavi*; quaſi dicat, Quoties evigilo. SUM TECUM; quaſi dicat: Tua opera cogito; vel tibi præſto ſum, ut ſerviam; vel quaſi dicat: Si evigilem, ut numerem, adhuc in eorum cogitatione hærebo, nec potero perficere quod volo.

V. 19. SI OCCIDERIS, id eſt cum punieris. PECCATORES. Hieron. & Chald. *impium*. DECLINATE, id eſt recedite; ſcilicet ne vobiſcum involvar ſuppliciis.

V. 20. DICITIS, id eſt contra Deum loquimini. ACCIPIENT, &c. quaſi dicat: Abutuntur rebus ſibi a Deo datis, vel quia dicitis, probos fruſtra accipere a Deo civitates, quod eas ſitis eis erepturi.

V. 21

Digitized by Google

V. 21. SUPER. Hieron. *contra*. TABESCEBAM; id eſt, moleſtia afficiebar, ſeu indignabar.

V. 22. PERFECTO, id eſt magno. Aug. perfecto: ſcilicet odiendo peccatum, & diligendo naturam.

V. 23. PROBA, id eſt explora. Hieron. & Chald. *ſcrutare*. SCITO. Hieron. *cognoſce*. INTERROGA. Hieron. *proba*. SEMITAS. Hieron. *cogitationes*.

V. 24. INIQUITATIS. Chald *erroris*. AETERNA, id eſt ad æternam vitam ducente.

ESTII.

Verſ. 1. 2. & 3. DOMINE PROBASTI ME ET COGNOVISTI ME: TU COGNOVISTI SESSIONEM MEAM, ET RESURRECTIONEM MEAM, &c. Senſus eſt: Tu me penitus exploratum & cognitum habes. Et ad litteram ſingula ſic applicari poſſunt: *Tu cognoviſti ſeſsionem, meam & reſurrectionem meam*; id eſt, omnes actiones meas, quas ago, ſive ſedeam, ſive ſurgam, ſive quodcumque aliud agam. Nam ſicut alibi per introitum, & exitum compendio ſignificantur omnes actiones hominis, ita hic per ſeſſionem & reſurrectionem. Vel per ſeſſionem quies ſignificatur (nam Hebræa vox quietem ſonat) per reſurrectionem vero actio. Quin ſubiungit Propheta quoque quod perfectius eſt dicens: INTELLEXISTI COGITATIONES MEAS DE LONGE, quaſi dicat: Quin etiam procul intelligis cogitationes meas, & priuſquam cogitem aliquid facere, iam longe ante nota tibi eſt mea cogitatio. Eccleſia primum verſum Chriſto accommodat. Hoc modo verba ſunt Chriſti ad Patrem, teſtantis Patri lætam incarnationis ſuæ œconomiam inprimis ipſi cognitam fuiſſe & probatam. Vel hoc modo: *Probaſti me & cognoviſti*; id eſt, variis tribulationibus probatum & cognitum aliis feciſti. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam*; id eſt, cathedram meam & auctoritatem docendi in me approbaſti; utpote a te acceptam. Vel *ſeſſionem meam*, id eſt humilitatem paſſionis, *Et reſurrectionem meam*; id eſt, gloriam reſurrectionis, qua poſt illam ſeſſionem & humilitatem paſſionis me coronaſti, & exaltaſti, uſque ad dexteram tuam.

V. 6. MIRABILIS FACTA EST SCIENTIA TUA EX ME, CONFORTATA EST, ET NON POTERO AD EAM. Clarior eſt B. Hieronymi interpretatio ex Hebræo: *Super me eſt ſcientia, & excelſior eſt, non potero ad eam*. Hebr. ad verbum, *Mirabilis ſcientia a me*, quod Hieronym. vertit, *ſuper me eſt ſcientia*. Senſus eſt: Scientia tua, qua me formaſti, & omnia cognoviſti, adeo eſt admirabilis, ut longe ſit ſupra me, & captum meum ſuperet. Et hoc eſt quod dicit: *Et non potero ad eam*; quaſi dicat: Non poſſum eam aſſequi, nec comprehendere. Quo pertinet quoque quod ſequitur verſu. 16. IMPERFECTUM MEUM VIDERUNT OCULI TUI, ET IN LIBRO TUO OMNES SCRIBENTUR; cuius ſenſum iſtum reddit idem Heron. ſuper Amos IV. *Antequam conderer, priuſquam deformarer in membra, dum adbuc in ſemine continerer, viderunt & cognoverunt me oculi tui*.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN FINEM, PSALMUS DAVID. De hoc titulo ſuperius. Dei cognitionem & providentiam commendat. DOMINE PROBASTI ME. Hebr. *inveſtigaſti me*, me es perſcrutatus.

V. 2. SESSIONEM MEAM, ET RESURRECTIONEM MEAM, ſcilicet, omnes actiones meas, ſive ſedeam, ſive ſurgam.

V. 3. COGITATIONES MEAS DE LONGE; id eſt, ab æterno, aut antequam fiant, intellexiſti. SEMITAM MEAM; id eſt, inceſſum, cum iter facio. ET FUNICULUM MEUM, id eſt hereditatem: prædia funibus dividebant. Hebr. *& accubitum meum*; id eſt, quando iter facio, quando dormio. INVESTIGASTI. Hebr. *ventilaſti*, id eſt examinaſti, aut cinxiſti; id eſt, præſens es, omnia vides. Hebr. Schol. *menſus es*. Verbum *zeritha* a זרת *zereth* deducit, quæ vox *palmum* ſignificat. Sententia eadem.

V. 4. QUIA NON EST SERMO IN LINGUA MEA. Hebr. *cum non eſt ſermo in lingua mea*. Ecce Domine, cognoviſti totum illum; id eſt, antequam loquar ſcis quid ſim dicturus.

V. 5. ECCE DOMINE TU COGNOVISTI OMNIA. Hoc Hebr. iungitur cum ſuperioribus: ſcilicet, *quia non eſt ſermo in lin-*

lingua mea. NOVISSIMA, ET ANTIQUA. Hebr. *A tergo & a fronte formaſti me*. Ita non eſt mirum, ſi figmentum tuum exploratum habes.

V. 6. MIRABILIS FACTA EST SCIENTIA TUA EX ME; id eſt, ex opificio mei corporis, aut præ me; id eſt, ſuperat captum meum. CONFORTATA EST. Hebr. *elevata eſt*. ET NON POTERO AD EAM, ſcilicet pertingere. Sublimior eſt quam ut aſſequi valeam.

V. 7. QUO IBO A SPIRITU TUO? id eſt a voluntate. Chald. *a præſentia tempeſtatis tuæ*. *Spiritum* ſumpſit pro vento.

V. 8. SI DESCENDERO IN INFERNUM. Hebr. *Si iacuero, aut lectum fecero in ſepulcro*. Sepulcrum mortuis inſtar lecti eſt.

V. 9. SI SUMPSERO PENNAS MEAS DILUCULO. Hebr. *ſi ſumpſero pennas auroræ*. Tempus alatum fingitur. ET HABITAVERO IN EXTREMIS MARIS, id eſt Occaſus; id eſt, ſi ab Ortu ad Occaſum ivero.

V. 11. ET DIXI; pro, & dixero. FORSITAN TENEBRAE CONCULCABUNT ME. Hebr. *operient me*. ET NOX ILLUMINATIO MEA. Hebr. *& nox lux*; ſcilicet erit perſpicua tuis oculis. IN DELITIIS MEIS. Noctu voluptatibus vacatur. Hieronymus, *nox lux erit coram me*. Hebr. *circum me*; id eſt, omnia mea perſpicua reddet.

V. 12. ILLUMINABITUR. Hebr. *lucebit*, ſeu *illuminabit nox ſicut dies*. SICUT TENEBRAE EIUS, ſcilicet noctis. ITA ET LUMEN EIUS, ſcilicet diei. Hebr. *ſicut tenebræ, ſicut lux*, ſcilicet ſunt coram Deo. Geminatio *ſicut* pertinet ad exprimendam omnimodam ſimilitudinem. Ita Hieronymus vertit, *ſimiles ſunt tenebræ & lux*. Quoad Deum inter noctem & diem non differt.

V. 13. QUIA TU POSSEDISTI; pro, Tu enim poſſediſti, id eſt cognoſcis, aut regis. RENES MEOS, id eſt affectus intimos. SUSCEPISTI, id eſt adiuviſti. Hebr. *protexiſti*. DE UTERO; id eſt, ſimul atque ex utero ſum egreſſus, me adiuviſti. Hebr. *in utero matris meæ*: ſcilicet, me protexiſti, ne ſcilicet perirem, antequam naſcerer.

V. 14. TERRIBILITER MAGNIFICATUS ES. Hebr. *mirabilia* (ſcilicet ſunt tua opera) *mirabilis ſum* (fabricatus mirabiliter) NIMIS. Hebr. *valde*, vehementer. Declarat quæ ſint opera Dei mirabilia.

V. 14. OS MEUM; id eſt, corpus meum; cuius pars ſolidior eſt os, ſicque oſſis nomine corpus vocatur. QUOD FECISTI. Hebr. *quando factus ſum in occulto*, ſcilicet in ventre. ET SUBSTANTIA MEA: fabrica, conſtitutio, compages. Hebr. *& acu pictus ſum*, רקם *rakam*, eſt *acu pingere*: inde Hiſpanis *recamar*. Hoc dicit propter nervos, venas, oſſa, ex quibus veluti opere phrygionis, aut plumario corpus compingitur. IN INFERIOBUS TERRAE; id eſt, ventre matris, qui ſic vocatur aut ob fœditatem, aut quod ſit in imo poſitus.

V. 16. IMPERFECTUM MEUM. Maſſam informem, & embryonem. Vox Hebr. ſignificat *argillam*, antequam formetur in vas. OMNES SCRIBENTUR; id eſt, omnium fœtuum ratio apud te eſt. DIES FORMABUNTUR; pro, diebus partes fœtus formantur: neque enim omnes ſimul. ET NEMO IN EIS; ſcilicet fugit tuam notitiam: ſcis quid diebus ſingulis fiat.

V. 17. MIHI AUTEM NIMIS HONORIFICATI SUNT AMICI TUI, DEUS: ſic Hieronymus & Chald. Alii Hebræi vocem רעיך *rehecha*, pro qua *amici tui* poſuit Noſter, ſumunt pro *cogitationibus*, ſic: *& mihi quam honorificatæ ſunt cogitationes tuæ Deus*. PRINCIPATUS EORUM. Hebr. *capita eorum*: ſed *caput* pro Principe & Principatu ſumi poteſt. Chald. *& quam fortificantur principes eorum*. Hieronymus, *& quam fortes pauperes eorum*: nempe ראשיהם *raſchem*, accepit quaſi א redundaret. Senſus eſt: Etiam pauperes inter tuos ſunt fortes. Eadem vox ראשים *raſhem*, *ſummam* ſignificat. Sic Hebræi explicant: *quam confortatæ ſunt ſummæ earum*, ſcilicet cogitationum. *Confortatæ*; id eſt, magnæ, copioſæ ſunt.

V. 18. DINUMERABO EOS, ſcilicet amicos; aut *eas*, ſcilicet cogitationes; id eſt, ſi voluero numerare. SUPER; id eſt, pluſquam arena multæ ſunt. EXSURREXI, ET ADHUC SUM TECUM; id eſt, etiamſi poſt mortem reviviſcam, & vivam perpetuum, non potero abſolvere rationem, adhuc ero tecum; ſcilicet in numerando occupatus. Sic Hebr. Scholiaſtes.

V. 19. SI OCCIDERIS DEUS PECCATO-

RES.

RES. O utinam occidas Deus impium! ſcilicet, qui Dei opificium hominem occidit & demolitur. Si id contingat, ſanguinarii faceſſant, nihil mihi cum illis commune.

V. 20. QUIA DICITIS, mutat perſonam: ſententia non alia. IN COGITATIONE, ſcilicet mala. ACCIPIENT IN VANITATE CIVITATES; id eſt, fruſtra civitates obtinent; nam ex iis eos occidendo eiiciemus. TUAS, id eſt quas piis dederis. Hieronymus ſic totum verſum: *Qui contradicent tibi ſcelerate: elevati ſunt fruſtra adverſarii tui.* Hoc eſt planius quam quod alii afferunt: neque Hebr. repugnant, ſi attente inſpiciantur.

V. 21. ET SUPER INIMICOS TUOS. Heb. *inſurgentes in te.* TABESCEBAM; id eſt, ſeu tædio afficiebar.

V. 23. PROBA ME DEUS. Hebr. *ſcrutare me Deus*: ſcilicet ut videas me ſincere loqui. INTERROGA ME. Hebr. *proba me.* ET COGNOSCE SEMITAS MEAS. Heb. *cogitationes meas*: ſic Hieronymus.

V. 24. ET VIDE, SI VIA INIQUITATIS. Hieronymus, *doli*; alii, *rebellionis*, id eſt ſi prava ſector. ET DEDUC ME IN VIA ÆTERNA: ſic Hieronym. Chald. *in via rectorum munda*; id eſt, duc me ad vitam æternam, quando invenies me vera loqui. Hebræi e contrario, *Deduc me in viam ſæculi*; id eſt, fac ut moriar, ſcilicet ſi aliud inveneris. Mors Ioſue XXIII. & III. Reg. II. *via univerſa terræ* dicitur, hic *via ſæculi* iuxta horum quidem ſententiam; quaſi dicat: Deduc me per viam, qua omnes ſæculi homines incedunt; occide me, ſi mentior.

MALVENDÆ.

Verſ. I. PSALMUS DAVID. Inſignis plane Ode, & figuris, locutionibuſque Poeticis perelegantibus abundans. PROBASTI, ME ET COGNOVISTI ME. Alii ex Heb. I. *Perveſtigas, & perſpectum habes me.* II. *Exploraviſti omnia mea, & pernoviſti.* III. *Exploratum, & cognitum me habes.* IV. *Perveſtigas me, & cognoſcis*; id eſt, explicata eſt tibi penitus & perſpecta funditus conſcientia mea: metaphora. Eſt autem hæc propoſitio, quæ ſequentibus verſibus elegantiſſime exornatur, qua David ſe hominum calumniis obrutum, velut quadam advocatione teſtificationis Dei, ſaltem a Deo pernoſci, & probari exoptat.

V. 2. SESSIONEM MEAM, ET RESURRECTIONEM MEAM. Hebr. *Sedere meum, & ſurgere meum.* Exponunt; Id eſt, ſive ſedeam, ſive ſurgam, ſive quid agam corpore, ſive animo verſem, ſequente hemiſtychio, intus & extra totus tibi perſpectus ſum. Alii; id eſt, omnes actiones meas, quas ſive ſedendo, ſive ſtando ego facio: metonymia Synecdochica. INTELLEXISTI COGITATIONES MEAS DE LONGE. רעי *reghi*, quidam volunt eſſe רע *ragh*, cum affixo: *Intellexiſti malum meum de longe*; id eſt, quod malum quam longiſſime a te abeſt. Alii רע *reagh*, a רעה *raghah*, quod tamen varie reddunt: I. *Intellexiſti ſocietatem, ſodalitatem, familiaritatem meam de longe.* II. Ex notione & uſu Chaldaico: *Cogitationem meam, voluntatem meam amicam & propenſam, a longe.* III. *Noviſti cogitationem meam longe antequam incidat in animum meum.* IV. *Intelligis cogitationem meam e longinquo*; id eſt, longe antequam animo inſederit meo, ut oſtendit verſ. 4. V. *Tu proſpicis victui meo de longinquo*, nam רעה *raghah*, ſignificat *paſcere.* Vide infra verſ. 17. DE LONGE. Hebr. *de longinquitate, de longinquo*: vel temporis, id eſt vel ab æterno, vel multo ante: aut loci; hoc eſt, de cælo, loco a nobis remotiſſimo.

V. 3. ET FUNICULUM MEUM. רבעי *ribghi*, diverſimode exponunt, *accubitionem, accubitum, cubile*: proprie: *Quartam, quartale, quartarium, quadratum, meum*, id eſt lectum quadratum. INVESTIGASTI. זרית *zeritbah*, hæc omnia continet, *circumcinxiſti, accinctum circumdediſti; circumplexus fuiſti, ſparſiſti, ventilaſti*, id eſt excuſiſti. Quidam, *diſpenſaviſti.* ET OMNES VIAS MEAS PRAEVIDISTI. Multifariam ex Hebr. convertunt: I. *Et omnes vias meas utiles feciſti*, ſeu *proficere feciſti.* II. *Dirigiſti, exploraviſti, calluiſti, periclitatus es, periculum earum feciſti.* III. *Aſſueſcere feciſti*, ſeu *aſſueviſti, conſuetas habes.* IV. *Et omnium viarum mearum aſſuefactus es*, ſive *peritus es.* V. *Et omnes vias meas theſaurizaviſti*; id eſt, quaſi in theſauro reconditas & repoſitas habes, ut nulla earum tibi deperdatur, aut excidat VI. *Et omnes vias meas cenſuiſti*; id eſt, omnium ſtu-

renes meos; *texiſti me in utero matris meæ*. II. *Quoniam tu acquiſiviſti renes meos*, id eſt formaſti: *& operuiſti me*, carne, pelle, oſſibus, nervis, Iob x. 11. *in utero matris meæ*. III. *Tu enim poſſides renes meos*: *tu involuiſti me in utero matris meæ*, IV. *Nec mirum*, *ſi nihil te lateat mei*, *cum ſecretiſſimas corporis mei partes ipſe poſſideas*, *& compegeris me incredibili artificio in abditiſſima parte ventris genitricis meæ*. V. *Tu enim poſſides renes meos*, id eſt tui ſunt; quaſi dicat: Tu noſti omnes intimos affectus meos: *& me contexiſti in ventre matris meæ*: ætiologia ſuperioris profeſſionis, ſive proteſtationis, a ſingulari hominis genitura per mirificam adminiſtrationem Dei; quaſi dicat: Merito omnia iſta tibi perſpecta ſunt, quia ea, non tantum creatione tibi comparaſti ſingula; verum etiam adhuc creationis & redemptionis iure poſſides: *renes meos*, id eſt quidquid in me latet: ſynecdoche, *ex quo obtegebas me*, &c. id eſt, inde a conceptu meo.

V. 14. CONFITEBOR TIBI, QUIA TERRIBILITER MAGNIFICATUS ES. Hebr. diverſimode accipiuntur: I. *Confitebor te*, *propterea quod terribilibus ſeparatus ſum*, vel *mirabilis factus fui*; id eſt, quod homo ceteris animantibus quantumvis terribilibus, mirabilior eſt, quod cetera prona terram ſpectent; homo erectæ ſtaturæ os ſublime gerat. II. *Confitebor tibi*, *quia terribiliter mirificaſti me*. III. *Celebro te*, *propterea quod terribilia ſunt opera tua*, *mirabilis ſum*; quaſi dicat: Cauſæ plaſmationis meæ mirabiles ſunt, & mirabile eſt opificium corporis mei. IV. *Confiteor tibi quod miris & ſtupendis modis formatus ſum*, vel *quia terribiliter formatus ſum*. Aut, *propterea quod tremendis modis mirabiliter formatus ſum*. V. *Gratias ago tibi*, *quoniam mirifice plaſmatus ſum*. VI. *Confitebor tibi*, *eo quod terribilibus multis mirificatus ſum*. VII. Forſterus ita exponit: *Gratias ago tibi*, *quod mirum in modum excellens factus ſum*, ſeu *excellenter ſegregatus ſum*. Et ut Paulus in Epiſtola ad Romanos I. 1. alludere voluit ad nomen ſuum *Saul*, cum ait, *Vocatus* ad munus Apoſtolicum, ita quoque eo quod dicit, ἀφωρισμένος, exprimere voluit *Pauli* nomen a פלה *palah*, cum inquit, *Segregatus* in Evangelium Dei; nam ut Hebræis verbum hoc non ſimpliciter *ſeparare*, ſed *ut excellentem & arduum ſegregare*: ita Græcis ἀφορίζειν, ut eximium ſecernere ſignificat, ut organum ſcilicet electum: unde Medici *Aphoriſmos*, ſententias vocant ſelectas. VIII. *Merito fatebor te omni honore & veneratione dignum*; *ob mirabilia enim miracula tua effectus ſum mirifice*. IX. *Celebro te*, *eo quod reverendis*, *ſeu ſuſpiciendis operibus iſtis in admirationem traducor*. Notant eſſe ſecundam partem Pſalmi, qua Pſaltes explicat ſtudium animi ſui, cum in celebranda Dei beneficentia erga ſe, uſque ad verſ. 17. tum in præſtando obſequio, & voluntate ipſius conformanda voluntati Dei, a verſ. 17. uſque ad verſ. 23. ſicque hoc verſu oſtendit Pſaltes ſe tranſire ad ſecundum hunc locum ſumpta occaſione ex ſuperiore argumento. MIRABILIA OPERA TUA, ET ANIMA MEA COGNOSCIT NIMIS. Hebr. *Ardua facta tua*, *& anima mea cognoſcens valde*. Hebræorum nonnulli illud *valde* iungunt cum, *mirabilia valde*, non cum *cognoſcit*. Alii, *cognoſcit valde*, id eſt abunde, exactiſſime. Varie exponunt: I. *Separata opera tua*; *& anima mea ſciens valde*. II. *Mirabilia ſunt opera tua quod mens mea vehementer agnoſcit*. III. *Stupenda enim ſunt opera tua*, *quod ingenue agnoſcit animus meus*, *& modis omnibus ſupra captum ſuum eſſe ea confitetur*. IV. *Quodque eximia ſunt opera tua*, *quæ optime novit anima mea*; id eſt, & tamen anima mea beneficio tuo, poteſt cognoſcere opera illa etiam exactiſſime. V. *Celebro mirabilia opera tua*, *ut valde*, ſeu *quam maxime*, *novit animus meus*; id eſt, ex toto animo, & facultate mea: quam tu inde ab ortu meo optime cognoſcis, duobus ſequentibus verſibus.

V. 15. NON EST OCCULTATUM OS MEUM A TE, QUOD FECISTI IN OCCULTO. Alii ex Hebr. I. *Non fuit occultatum os meum a te*, *qui factus ſum in abſcondito*: II. *Non celatur os meum a te*, *quo*, *vel quando*, *compreſſus*, *contuſus*, *coagmentatus*, *ſubactus*, *conſtipatus*, *confectus*, *ſum in abdito*. III. *Non eſt occultata a te eſſentia mea*, *qua factus ſum in abſcondito*. IV. *Non fuit occultatum corpus meum a te*, ſeu, *ſubſtantia corporis mei*, *quando factus fui in occulto*. V. *Non latent te oſſa mea*, *quamtumvis in abdito factus ſum*. VI. *Non*

eſt

eſt ullum os intra me loco tam occulto, ut lateat te, quamvis compoſitus ſim totus ego in loco vehementer abdito. VII. *Robur meum non tibi occultatum eſt, cum in abſtruſo formarer*, id eſt corpus meum. VIII. *Non celata eſt vis mea tibi, ex quo factus ſum in abdito*; quaſi dicat: Te ipſum teſtem adhibeo huius integritatis meæ, qua incumbo in laudationem tuam, ut qui me inde a principio formationis meæ noveris. *Vis mea*, quam totam occupari in laudibus tuis dixi ſuperiore verſu: *in abdito*, matris utero. IX. Forſterus exponit: *Non occultata fuit oſſeitas mea abs te, quando factus ſum in abſcondito*, id eſt materia, maſſa, ſubſtantia, compages mei. Et substantia mea in inferioribus terrae. Verbum רקמתי *rukkamthi*, proprie, *recamatus ſum*, ut Hiſpani, & Itali loquuntur: varie alii reddunt: *Variegatus, phrygionatus, polymitatus, acupictus, textipictus ſum*; hoc eſt, variis membris, oſſibus, nervis, coloribus, humoribus inſtar veſtis Phrygianicæ, ſeu opere Phrygianico, ſeu Phrygio formatus ſum; mira arte contextus, & acupictus, atque effictus: *in inferioribus terræ*, id eſt in matris utero, loco abſtruſiſſimo. S. Hieronymus vertit: *Imaginatus ſum*; id eſt, velut variis imaginibus, coloribus, picturis, pulchra varietate, ut aulæum, contextus ſum ingenioſiſſime. Campenſis: *Et veluti tapetum e nervis & venis contextus ſum in utero matris, loco magis abdito, quam ullum eſt antrum terræ*: Tremellius, & Iunius: *Artificioſe confectus fui velut in imis partibus terræ*; id eſt, mirificentiſſime, & ſupra omnem humanam facultatem, & artificium.

V. 16. Imperfectum meum viderunt oculi tui. גלם *golem*, non alibi legitur, aiunt eſſe voce conſona, *glomum, involucrum, maſſam* coagulatam, & lacteam, conglobatam, & convolutam in matrice mulieris, informem, rudem, intricatam adhuc, neque in membra, aut in veram formam explicatam aut evolutam; quam Latini *Molam*, alii *Embryonem* vocant: vel potius eſſe embryonem, quando adhuc eſt convolutus in ſecundis: vide Notas in Iob III. 7. unde hic vertunt: *Embryonem, fœtum informem, maſſam rudem, glomum*. Ceterum totum verſum varie accipiunt: I. *Informe meum viderunt oculi tui*; id eſt, materiam illam rudem & informem, ex qua formatus ſum: *& in libro tuo omnia ipſa membra ſcribentur: diebus formabuntur: & non unum in eis*; id eſt, & ne unum quidem ex eis membris exſtabat, cum iam me plene cognoſceres: vel & ne unum quidem ex eis membris erat tibi ignotum. II. *Informem fœtum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia* membra mea *deſcripta erant, quæ per dies formata ſunt, & nullum in eis*, erat, quod non videres. III. *Oculi tui me viderunt cum eſſem fœtus informis, & in libro tuo univerſa* membra mea *deſcripta fuerunt*, quæ deinceps multis *diebus formarentur, quibus ne unus quidem dies apud te conficitur.* IV. *Cum rude adhuc & informe eſſet ſemen, unde naſciturus eram, penitiſſime illud perſpexerunt oculi tui: & veluti in libro apud te deſcriptam habes omnium membrorum meorum rationem, quæ etſi nonniſi multis diebus in iuſtam magnitudinem excreſcere poſſint, apud te tamen, o Domine, non eſt ea dierum varietas, ſed unus perpetuus dies.* Hebraicum לא *lo*: cum Aleph, capiunt pro לו *lo*, cum Vau, *& illi unus in eis*; id eſt, ipſi Deo omnes illi dies erant velut unus dies. V. *Maſſam meam vident oculi tui*; id eſt, quidquid in me eſt, expoſitum eſt ac veluti deſcriptum in oculis tuis: *& in libro tuo hæc omnia ſcripta ſunt; ex quibus diebus formantur, cum nondum ullum ex eis exſtaret*; id eſt, non tantum, cum cœperunt eſſe, noviſti ea, verum etiam antequam eſſent; quaſi dicat; Ab æterno cognoviſti omnia, providentia tua. VI. *Errores meos inſpiciunt oculi tui, & in libro tuo cuncti ſcribuntur: dies mei formati ſunt; cum nondum aliquis ex eis eſſet*: *Golem* accipiunt pro *involucro, ambage; errore*: VII. *Molam meam viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcripti ſunt dies, qui formati ſunt, dum adhuc nec ullus illorum eſſet.* VIII. Caietanus traiicit, & ſic ordinat verba: *Informe meum viderunt oculi tui; & ſuper libro tuo dies formati ſunt*, id eſt plene ſcripti & cogniti dies vitæ noſtræ: *omnes ipſi* dies *ſcribentur, & non unus* dies prætermiſſus eſt non ſcriptus, *in eis* diebus.

V. 17. Mihi autem nimis honorificati sunt, &c. Pluriſariam ex Hebr. convertunt: I. *Et mihi quam cari facti ſunt*:

ſunt ſocii tui Deus, quam roborata ſunt capita eorum! id eſt, iuſti ac pii fuerunt mihi admodum cari: & primores eorum mirum in modum evexi. II. *Mihi autem quam honorificæ ſunt cogitationes tuæ, Deus! quam difficilis eſt computatio earum!* III. *Itaque mihi quam pretioſæ ſunt cogitationes tuæ, o Deus! quam multiplicatæ ſunt ſummæ earum!* IV. *Mihi vero quam pretioſi ſunt amici tui Deus! quantus eſt capitum ipſorum numerus!* V. *Interim mihi quam incomprehenſibilia facta ſunt conſilia tua, omnipotens Deus, quam ſupra modum ingentes factæ ſunt ſummæ illorum!* VI. *Et mihi quam pretioſæ ſunt cogitationes*, ſeu *voluntates tuæ, Deus! quam invaluerunt capita earum*, id eſt ſummæ. VII. *Et mihi quam pretioſi fuerunt amici tui Deus! quam corroborati ſunt principes eorum!* VIII. *Ceterum, o Deus, quam paucas tuas cogitationes aſſequor! & grandes ſummæ excreſcunt!* IX. *Et quam eximiæ ſunt apud me cogitationes tuæ, o Deus! & quam multa ſunt capita earum!* id eſt, varia conſilia & rationes agendi tuæ. X. *Quamobrem apud me, o quam pretioſæ ſunt cogitationes tuæ, o Deus fortis!* Alterum membrum propoſitionis, ut annoratum eſt ad verſ. 14. in quo David oſtendit, ſe his beneficia adductum eniti ut ſe totum ſtudioſe committat Deo, amando quod Deus amat, hoc & ſequente verſu; & ab his quæ odit Deus, verſ. 19. & ſequentibus: *quam numeroſæ ſunt ſummæ eorum!* ut Pſal. XXXIX. 6. vocem רעים *reghim*, alii, *amicos, proximos, ſodales, familiares*: alii, *cogitationes, voluntates amicas & propenſas* exponunt: vide ſupra verſ. 2. Nonnulli levi mutatione unius puncti legunt. רעים *ragbim*: *Et mihi quam pretioſæ fuerunt afflictiones tuæ, o Deus!* ſive *mala, ærumnæ, calamitates!* quaſi dicat: Carum mihi eſt pro te affligi, o Deus: ut II. Corinth. XII. 9.

V. 18. EXSURREXI, ET ADHUC SUM TECUM. Varie ex Heb. elucidant. I. *Expergefactus ſum, a ſomno* peccati, vel deſidiæ. *& adhuc ſum tecum*, te amo, te colo, &c. II. *Evigilavi & adhuc tecum ſum*; quaſi dicat: Dum recordor tuarum cogitationum, in ſomnum vertor; & expergefactus, adhuc ſum totus in earum contemplatione. III. *Etiam ſi ſemper eſſem expergefactus, & adhuc tecum eſſem, non poſſem illas numerare.* IV. *Et ſi pervigil duravero tota vita in enumerandis illis, idem egero.* V. *Et expergefactus, adhuc de te cogito.* VI. *Invigilo, ut adhuc ſim tecum*; id eſt, dies noctesque operam do, ut quemadmodum hactenus, ſic etiam in poſterum indeſinenter adhæream tibi.

V. 19. SI OCCIDERIS DEUS PECCATORES, VIRI SANGUINUM DECLINATE A ME. Varie alii ex Heb. I. *Siquidem occidis impium, o Deus, diſcedant a me ſanguinarii.* II. *Si interfeceris, o Deus, improbum, & viros ſanguinarios, quibus dico, diſcedite a me*, ſubaudi, ſemper tecum ero. III. *Num occides Deus peccatores, ut ſcelerati homines recedant a me?* IV. *Num tandem occides Deus impium, & viros ſanguinarios, quibus toties dico, recedite a me.* V. *Quod ſi interempturus es, o Deus, improbum, & viros ſanguinarios, dicendo: diſcedite a me.* Altera explicatio ſtudii in eos, a quibus abhorret Deus, ut dictum eſt, verſ. 17. quaſi dicat: Si tu iſtos impuros tantopere odiſti, ut eos iuſto iudicio tandem perditurus ſis, prout tua eſt vindicta, Deuteron. XXXII. 35. ſaltem vides me obſequentem iuſtitiæ tuæ odiſſe illos, faſtidire, fugere, prout eſt officii mei: *recedite a me*: verba ſunt Dei, ad ſolum nutum & mandatum ſuum impios profligantis.

V. 20. QUIA DICITIS IN COGITATIONE: ACCIPIENT IN VANITATE CIVITATES TUAS. Diverſimode ex Heb. convertunt. I. *Quod dicent*, vel *prædicabunt te, cogitationi*, ſeu *loco cogitationis*, qua *elevaverunt*, vel *elevari putarunt a me fruſtra, inimicos tuos*; id eſt, cum viderint me diſpellere ſanguinarios, prædicabunt, ſeu laudabunt te, loco pravæ opinionis quam antea conceperant de me, qua putabant, me Ioabum & alios viros ſanguinarios evehere. II. *Quia contradicent tibi ſcelerate, elevati ſunt fruſtra adverſarii tui.* III. *Qui loquentur ad te cogitationem, aſſumpſerunt in vanum hoſtes tui.* IV. id eſt, qui de te prava, impia, & blaſphema ſentiunt, ac loquuntur: quique fruſtra nomen tuum aſſumunt, vel ad peierandum, vel ad obloquendum ei. V. *Qui dixerunt contra te abominationem, aſſumpſerunt in vanum* nomen tuum *hoſtes tui.*

VI.

VI. *Qui loquebantur de te ad ſcelus*, id eſt impie, nefarie, ſcelerate: *& uſurpabant contemptim* nomen tuum *hoſtes tui*. VII. *Qui per audaciam tibi rebellant hoſtes tui, qui temere elevantur*. VIII. *Qui hoſtes tui loquuntur audaciſſime, & uſurpant nomen tuum temere*, id eſt iurant per nomen tuum in vanum. IX. *Qui dicunt tibi in aſtutia, vafritie, machinatione, ſtratagemate: elevatio eſt fruſtranea excitatorum, hoſtium, tuorum:* נשוא *naſu*, cum *Aleph* in fine, acceperunt, pro Pahul, vel nomine ſubſtantivo. X. *Qui obloquuntur tibi ſcelerate*, id eſt tibi & tuis odio tui: *qui extollunt vane inimicos tuos*; id eſt, non ſolum mala faciunt, ſed etiam facientibus patrocinantur, Romanor. I. 32.

V. 21. ET SUPER INIMICOS TUOS TABESCEBAM. Alii ex Hebr. I. *Et inſurgentes tuos certabo*: 2. *Et in inſurgentes in te tædio afficiar*: 3. *Et inſurgentium in te, tædet me*: 4. *Et contra inimicos tuos contendo*, vel *litigo*: 5. *Et in inſurgentes contra te indignor*: 6. *Et in eos, qui adverſum te inſurgunt, excandeſco*, vel *moleſtia afficior*: 7. *Et de inſurgentibus in te faſtidio me ipſum torqueo*. Vide in Pſalm. CXVIII. 158.

V. 23. PROBA ME DEUS. Alii: *Perſcrutare, perveſtiga, explora me, potentiſſime Deus*, &c. quaſi dicat: Tu iſtorum teſtis es, ego vero tuus ſum. Iam ſæpius poſtulavi, ut me, animumque meum explorares, nunc iterum peto, ut ſi opus eſt, iterum atque iterum probes: ecce me paratum ad ſubeundum probationes tuas: ut ſupra Pſalm. XXV. 2.

V. 24. SI VIA INIQUITATIS IN ME EST. Varie redduut: I. *Si via exacerbationis, amaritudinis, triſtationis, mæroris, doloris in me*; id eſt, ſi aliquid eſt in vitæ meæ rationibus, ſtudiis, actionibus; quod te exacerbet, contriſtet, aut mærore, ſeu dolore afficiat. II. *Si via irritationis, rebellionis, inobedientiæ, in me*. III. *Si via idoli in me*; id eſt, ſi ſecter idola, aut impiam vivendi rationem. IV. *Num machiner aliquid pravi*, V. *An via moleſtiæ in me ſit*: hypallage, pro eo quod eſt, an ego ſim in via moleſtiæ: ſive an ego ingrediar via moleſta tibi. ET DEDUC ME IN VIA AETERNA. Alii, *Via ſæculi*, ſeu *perpetua*, id eſt conſtante in obſequio tuo. Plerique, *in viam ſæculi*, vel *mundi*, nempe univerſis in mundo *calcandam*: hoc eſt, in mortem, Ioſue XXIII. 14. & I. Reg. II. 2. quaſi dicat: Si ita eſt, quod in me via prava ſit, interfice me. Quidam totum verſum ita reddunt: *Et ſi vides viam laborioſam adeſſe mihi, reducito me in viam ſempiternam*. Alii: *Et videam tale ſtudium irritandi te ſit in me, quale eſt impio: quod ſi fuerit, patiar æquo animo, ut more aliorum impiorum occidas me*. Buchananus:

Si par ſceleſtis ſcelere ſum, vitæ parem
Da cunctis ſceleſtis exitum.

MENOCHII.

Verſ. I. PROBASTI ME: probatum; exploratum & perſpectum habes.

V. 2. SESSIONEM MEAM, &c. tu mea ſedentis otia, tu ſtationes meas, inceſſuſque meos perſpexiſti. Nec ſolum hos habitus corporis, ſed quæ his ſignificantur, ſcilicet quandonam, cur, & quomodo vexandus eſſem, & premendus, & rurſus excitandus, erigendus, & feliciori ſtatui reſtituendus.

V. 3. DE LONGE: multo ante quam illos concipiam ab æterno. SEMITAM MEAM: viam meam, actiones meas. FUNICULUM MEUM, involutas, ut in glomo, variis ſpiris actiones meas, clare noſti.

V. 4. NON EST SERMO IN LINGUA MEA: omnia verba mea tibi cognita ſunt.

V. 5. NOVISSIMA, ET ANTIQUA: nova & vetera. TU FORMASTI ME, &c. quaſi dicat: Mirum non eſt, ſi omnia mea noſti, cum tu ipſe me formaveris. POSUISTI SUPER ME MANUM TUAM. Admoviſti mihi manus, ut me quaſi lutum fingeres: eſt enim metaphora ſumpta a figulis.

V. 6. MIRABILIS FACTA EST SCIENTIA TUA EX ME. Tui cognitio, quæ ex me, & mei productione, & opificio gignitur, eſt mirabilis. Me ipſum noſcens, excellentiam tuæ ſapientiæ, & eximiam tuam potentiam agnoſco. CONFORTATA EST. Hebræus habet, *elevata eſt*: ſublimis admodum eſt ſcientia illa tui, ut ad illam

illam aſpirare, & pervenire non poſſim. Agnoſco te ſapientiſſimum eſſe, & potentiſſimum, ſed ſapientiæ iſtius rationes plane aſſequi non poſſum. NON POTERO AD EAM, pervenire.

V. 7. QUO IBO A SPIRITU TUO? Si mihi iratus fueris, quo me recipiam? Spiritus hic, ut alibi, iram ſignificat. Sic Iſaiæ XXVIII. *ſpiritus eius velut torrens inundans*. A FACIE, irata.

V. 9. SI SUMPSERO PENNAS MEAS DILUCULO, &c. In Hebræo eſt, *ſi ſumpſero pennas diluculi*, ſive, *auroræ*. Aurora enim Solis prænuntia, momento totum hemiſphærium pervadit; ſi pennas velociſſimas ſumam, quales auroræ. Noſtræ verſionis vulgatæ ſententia eſt: Si dentur mihi pennæ & alas mihi aptare poſſim, & mane ſurgens velociſſime fugiam ab Oriente, & habitem in extremis maris, id eſt in ultimo Occidente, non tamen te potero effugere.

V. 10. ILLUC MANUS TUA DEDUCET ME. Nam ſine Dei auxilio moveri non poſſumus, & quocumque imus, Deo nos portante, imus; nam *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*, Actor. XVII. TENEBIT ME, quaſi captivum, ut effugere nequeam. Vel tenebit me illuc delatura.

V. 11. ET DIXI: quod ſi dixero. TENEBRAE CONCULCABUNT ME. Denſa caligo me involvet, & oculis tuis ſubducet. Quod in terra pedibus calcatur ab oculis ſubtrahitur. S.Hier. vertit, *operient me*. ET NOX ILLUMINATIO MEA. In Hebræo eſt, *& nox lux eſt circa me*. Adeo non me tegent tenebræ, ut potius me ſint proditaræ oculis tuis, quibus omnia patent, & lucida ſunt. IN DELITIIS MEIS. In Hebræo eſt בערן *babaden*, *circa me*: ſed LXX. deduxerunt hanc vocem ab ערן *beden*, quod ſignificat voluptatem, & bene verterunt, *in delitiis meis*, ſcilicet verſantem; quaſi dicat: Si tenebras captavero, & voluptati indulſero, oculos tuos non fugiam.

V. 12. NON OBSCURABUNTUR A TE: tibi obſcuræ non erunt. SICUT TENEBRAE EIUS, &c. Deo perinde eſt ſive dies ſit, ſive nox, nam æque omnia ſemper videt.

V. 13. POSSEDISTI RENES MEOS. Omnia intima mea feciſti & noſti affectus meos, ſtudia, conſilia. In Hebræo eſt, קנית *qanitha*, quod ſignificat producere, & titulo productionis poſſidere ut rem ſuam. SUSCEPISTI ME AB UTERO, &c. Adiuviſti, protexiſti a prima mei origine. In Hebræo eſt, *Texiſti me in utero matris meæ*.

V. 14. CONFITEBOR TIBI: laudabo te. TERRIBILITER MAGNIFICATUS. Magnus, & admirabilis apparuiſti in meo opificio. ANIMA MEA COGNOSCIT NIMIS. Mirabilia ſane opera tua ſunt, quod probe cognoſco. Italice diceremus, *lo veggo, l' intendo pur troppo*.

V. 15. NON EST OCCULTATUM OS MEUM A TE. Oſſium meorum numerum noſti. Nullum os meum te latet. FECISTI IN OCCULTO. Elaboraſti in intimis viſceribus matris meæ. ET SUBSTANTIA MEA; ſcilicet, non eſt occultata a te. In Hebræo eſt, רקמתי *ruqamthi*, *variegatus ſum*, varietate membrorum, & potentiarum ornatus. IN INFERIORIBUS TERRAE. In viſceribus materni uteri, quaſi in antro abdito terræ.

V. 16. IMPERFECTUM MEUM, &c. Corpus meum nondum perfectum, nec ſuis organis formatum. IN LIBRO TUO: in tua notitia, & memoria. DIES FORMABUNTUR, ET NEMO IN EIS. Dies diebus ſuccedent & novi exiſtent, & nullus in tua notitia, & tuo libro deerit: omnes ibi erunt diſtincte deſcripti.

V. 17. MIHI AUTEM, &c. Eſt altera pars Pſalmi, qua docet præſertim apud Dei amicos, divinam vigere providentiam. MIHI: apud me; ut ego quidem ſentio. NIMIS, valde. PRINCIPATUS EORUM: excellentia, & dignitas eorum.

V. 18. DINUMERABO EOS, &c. Si amicos tuos dinumerare aggrediar, perinde fecerim ac ſi arenæ numerum inire coner. EXSURREXI, ET ADHUC TECUM SUM; quaſi dicat: Videns tam multos eſſe amicos tuos, & me in illis cenſendum ſperavi; itaque excitavi me, & tecum perſiſtere ſtatui, uni tibi vivere, & placere ſtudens.

V. 19. SI OCCIDERIS DEUS PECCATORES, &c. Si occidere volueris peccatores, & eos perdere ut ſane voles; quandoquidem perdere voles peccatores, idcirco impii a me faceſſite, ne eodem vobiſcum exitio involvar. VIRI SANGUINUM, homicidæ. Homicidarum potius meminit, quam alterius generis improborum, & quia

quia homicidium eſt ſcelus graviſſimum, & quia deſcripſerat fabricationem hominis admirabilem.

V. 20. Quia dicitis in cogitatione: qui cogitatis intra vos, & dicitis. Accipient in vanitate civitates tuas. Fruſtra accipient civitates tuas. Nihil proderit iuſtis, quod intra civitates tuas, in medio populi tui habitent, nam eos inde exturbabimus, eoſque perdemus.

V. 21. Nonne qui oderunt te, &c. Tu mihi teſtis es Domine, qui optime noſti, me odiſſe eos, qui te averſantur, & oderunt, tantamque eſſe vim odii, & zeli, ut tabeſcam, & deficiam. Super inimicos tuos: inimicorum tuorum cauſa. Dolens honorem tuum ab inimicis tuis violari.

V. 22. Perfecto odio. Plane oderam; magno, capitali, & conſummato odio proſequebar. Inimici facti sunt mihi. Et quia inimici tui erant, volui etiam ego illis eſſe inimicus.

V. 23. Proba me Deus, &c. Cognoſce, explora cor meum an ita ſit, ut ego profiteor. Semitas meas. In Hebræo eſt, *ramos meos*, ſic enim appellat cogitationes, & ſenſa animi, quæ e mente fluunt ut rami ex arbore.

V. 25. Via iniquitatis. Via iniqua, ſi mentior, & res aliter ſe habet quam dico. Et deduc me in via aeterna. Et cum me ita comparatum eſſe inveneris, auxilio tuo mihi adſis, ut viam, quæ ad æternitatem ducit, tua ope adiutus inſiſtere valeam.

TIRINI.

Verſ. 1. Probasti. Hieronymus, *inveſtigaſti*; Chaldæus, *perſcrutatus es me*; quaſi dicat: Plane me perſpectum habes.

V. 2. Cognovisti sessionem et resurrectionem meam, id eſt motus & actiones omnes meas.

V. 3. Funiculum, nempe hereditatis; Hebraice, *accubationem* meam eventilaſti: quid, quantum, quo iure poſſideam? Vel *funiculum*; id eſt, longum filum ſeu ſeriem vitæ, ſtudiorum & actionum mearum.

V. 4. Non est sermo. Quantumvis obſcurus, aſtutus & tectus: ſupple, quem tu non noveris, quis, qualis, quorſum, qua mente a me proferatur.

V. 5. Novissima, obventura mihi totique orbi in futurum. Et antiqua; id eſt, quæcumque olim obvenerunt: S. Auguſtinus & Euthymius. Super me iam plaſmatum, posuisti, exemplo manum tuam, conſervatricem & gubernatricem mei: Chryſoſtomus & Theodoretus.

V. 6. Ex me, id eſt ex mei opificio; ſtructura & conſervatione ſane mirabili. Chaldæus, *præ me*; quaſi dicat; *Mirabilior me*, ut vertit Hieronymus; ſeu, mirabilior quam ut meo intellectu aſſequi poſſim. Confortata. Chaldæus, *arduâ*; Hieronymus, *excellentior*, ſeu celſior eſt captu meo.

V. 7. Quo ibo a spiritu tuo? id eſt, indignatione tua, inquit Emanuel Sa. Vel ſimplicius cum S. Hieronymo & Euthymio, *a divinitate tua*, quæ inſtar ſpiritus & animæ mundi, mundum totum inviſibilis penetrat, & non in ſolo cælo (ut vulgus exiſtimat, & Ariſtoteles putavit) ſed ubique realiter exiſtit & adeſt per eſſentiam, præſentiam & potentiam.

V. 9. Diluculo, pro a diluculo, ſeu *ab aurora*; Chaldæus, *ſi ſuſtulero alas auroræ*; quaſi dicat: Si celerrime evolem *in extrema* loca maris; ſeu in ultimum Occidentem; an vel momento uno aberis a me? immo tu ipſe toto itinere *deduces me* ut olim Ionam.

V. 11. Tenebrae conculcabunt me. Chaldæus, *obſcurant*; Hieronymus, *operient*, & ut calceus terram, ita occultabunt me. Nox illuminatio mea; pro, mei; Symmachus, Aquila, Hieronymus, *nox erit lux*; vel, ut Chaldæus, *lucet* Deo; id eſt, nox, quæ alioqui ſua obſcuritate tegit omnia coram oculis hominum, coram oculis Dei nihil tegit, ſed illuminat illi omnia quæ circa me vel alios geruntur; ut ſi vel in altiſſimis tenebris velim indulgere delitiis meis, ſeu voluptatibus, non effugiam tamen oculos Dei.

V. 12. Sicut tenebrae eius, puta noctis, ita et lumen eius, nempe diei; Chaldæus, *æquales apud te*; Hieronymus, *ſimiles ſunt tenebræ & lux*; quaſi

ſi dicat: Perinde tibi eſt ut videas, ſive tenebræ ſint, ſive lumen: quia oculi tui ſunt ſicut ſol, qui non eget alieno lumine, ſed proprio ſuo omnia conſpicua facit.

V. 13. POSSEDISTI; id eſt, habes in tua poteſtate, ſcientia, præſentia, RENES MEOS; id eſt, omnia interiora mea, & occultiſſimas quaſque motiones animi.

V. 15. OS; id eſt, oſſa, vel oſſium compactura, quam tu ipſe FECISTI IN OCCULTO matris meæ utero, tamquam in recondita naturæ officina, inquit Theodoretus. ET SUBSTANTIA; id eſt, natura & eſſentia MEA, ſupple, non eſt occultata tibi, quia tu ipſe eam formaſti IN INFERIORIBUS TERRAE, id eſt in utero matris, quaſi in abdito antro terræ. Pro *ſubſtantia mea*, Hebraice, *roukametti*, id eſt *acupictus*; רקמתי a radice רקם *racam*, id eſt *acu pingere*; unde *recamar*. Hieronymus, *imaginatus*, ſeu inſtar imaginis opere phrygionico formatus ſum. Hoc dicit propter nervos, venas, oſſa, muſculos, cartilagines, humores, colores, &c. quibus velut opere phrygionis, aut plumario corpus compingitur. Vide Galenum, Lactantium & alios *a*.

V. 16. IMPERFECTUM. Hebraice, *embryonem*; quaſi dicat: Me in utero dumtaxat inchoatum, cum adhuc eſſem imperfectus fœtus, optime perſpectum habuiſti; quanto magis iam perfectum & adultum! IN LIBRO TUO, ſeu divinæ præſcientiæ, vel *memoriæ tuæ*, ut Chaldæus, omnes tum actus hominum, tum dies ſeu tempora, tum ipſi homines ab æterno deſcripti ſunt. Et quantumvis multiplicentur ſeu multi formentur, nullus tamen ex omnibus effugiet librum ſeu ſcientiam tuam. S. Hilarius id adſcribit electis Dei & libro vitæ.

V. 17. & 18. MIHI AUTEM NIMIS, id eſt valde excellenter, HONORIFICATI; Hebraice, *pretioſi*; Hieronymus & Chaldæus, *quam honorabiles*, facti videntur; quaſi dicat: Omnia quidem etiam minima noſti, curas & honoras; ſed tamen peculiari adhuc ſcientia (quam Theologi vocant *approbativam*) & ſingulari amore, cura & honore proſequeris *amicos tuos*: nam *eorum principatum*; id eſt, dignitatem, excellentiam, potentiam, valde roboraſti: & SUPER ARENAM, ſeu præ arena maris, *multiplicaſti* eos numero, opibus, gloria. Hinc EXSURREXI; id eſt, quaſi e ſomno calamitatum, vel pigritiæ, vel diffidentiæ, evigilavi in ſpem & magnanimitatem, ET ADHUC TECUM perſiſto, perſiſtamque ſemper, nempe ut inter *amicos tuos* perpetuo cenſear, tibique uni adhæream.

Allegorice, Chriſtus reſurrexit, ut ſemper adſit Deo: & nos item in die iudicii. Ita S. Hilarius, Auguſtinus, Theodoretus.

V. 19. SI OCCIDERIS; Hebraice, *o ſi*, utinam *occidas*, ſeu pergas occidere, ut cœpiſti! Ergo hinc faceſſite VIRI SANGUINUM; id eſt, homicidæ & peccatores, qui tam nobile opificium Dei deſtruitis; DECLINATE A ME, ſcilicet, ne eodem vobiſcum ſupplicio involvar, & perdar a Deo.

V. 20. QUIA DICITIS IN COGITATIONE: *doloſe*, inquit Hieronymus; *ſcelerate*, Chaldæus; id eſt, maligna cogitatis & machinamini contra Deum & Sanctos. Quin & ACCIPIENT IN VANITATE; id eſt, dolis & inſidiis invadent, o Domine, CIVITATES TUAS; id eſt, populi tui: ſupple, niſi tu eos coerceas.

V. 23. INTERROGA; id eſt, proba ME: ut Pſal. x. 6.

V. 24. IN VIA AETERNA; id eſt, per viam ſeu ſemitam virtutum, quæ recta ducit ad vitam æternam.

(a) Galenus de Uſu partium to 1. Lactant. de Dei opificio.

GORDONI.

Titulus eſt, IN FINEM PSALMUS DAVID. In Græco additur, τῷ Ζαχαρίου, ἐν τῇ διασπορᾷ, *in diſpoſitione*, vel εἰς τὴν διασποράν, ut habet Theodoretus; qui tamen teſtatur nec eſſe apud Septuaginta, nec in Hebræo: ſicut apud antiquiores Interpretes non facile reperietur huius additionis mentio. Ceterum de argumento, palam eſt multum diſſentire Interpretes; an ſcilicet loquatur David de ſeipſo; an prophetice de rebus Ioſiæ Regis; an, quod valde probabiliter ait Auguſtinus, ſit de Eccleſia, & Chriſto; aut certe in perſona Davidis admoneri videatur genus huma-

num; quanta ſit Dei iudicis ſcientia, omnia penetrantis, & compenſantis opera noſtra, in omni æquitate, & ſingulari providentia.

Verſ. 1. DOMINE PROBASTI ME, &c. Sic mortalibus palam David denuntiat, Deo omnia eſſe nota exactiſſime: immo cogitationes & eventum omnem, etiam a longe, & ab æterno; ac demum funiculum hereditatis, ſeu quam quiſque hereditatem aſſecuturus eſt. Solet enim Scriptura per funiculum deſignare hereditatem, quæ funiculis dividebatur, ut ſupra. Ceterum in Hebræo pro funiculo eſt, רבעי *riubbi*. Hieronymus vertit, *accuſationem meam*. Auguſtinus *ſemitam*, ac limitem, quod coincidit cum hoc funiculo Septuaginta Interpretum. Nec ab hoc diſcrepat illa Hieronymi accubatio; quippe quæ eſt terminus viæ. Quæ ſane omnia explicant cognitionem Dei omnia attingere. In Græco eſt χροινός. Poſtremo, quod eſt hic, *cogitationes meas*, Hieronymus vertit, *malum meum:* nam legit in Hebræo רועי *robbi*, nomen cum affixo iod, & refert ad verbum רוע *roabb*, quod eſt *eſſe malum*. Ceterum nunc in Hebræo eſt לרעי *lerebbi*. Nomen vero purum eſt רע *reabb*, a radice רעה *rabhab*, quod præter alia ſignificat *velle*, & *cogitare*. Græcus habet τοὺς διαλογισμούς μου. Propter hanc vero divinam perſpicacitatem ſubdit Pſalmiſta verſ. 4. *Quia non eſt ſermo in lingua mea*; ſcilicet, quem tu non præſciveris. Ubi in Græco habetur, *non eſt dolus*, δόλος. Verum Hieronymus ad Suniam dicit Septuaginta vertiſſe λόγον. In Hebræo, מלה *milla*, *eloquium*, *dictio*, *locutio*; radix מלל & *in piel* מלל *loqui*, *dicere*.

V. 5. TU FORMASTI. Mirum non eſt, inquit, Deum ſic cognoſcere hominem, utpote quem formavit, & quem poſtea gubernavit, ponens ſuper eum manum, ut regeret ſua providentia. Verum retinendum eſt, *antiqua & noviſſima*, ut habent Septuaginta, & Vulgata editio; non autem, *retro* & *ante*, ut eſt in Hebræo.

V. 11. & 12. ET DIXI, &c. Ad obiectum de tenebris dubium reſpondetur, verſu 12. nullas eſſe apud Deum tenebras, quæ impediant, ne Deus omnia videat; etiam in cæca nocte videt ille, ſicut in meridie: hic ſenſus litteralis eſt, ac commodior; quam ſi quis recurrat ad ſolam metaphoram, accipiendo per tenebras, vel peccatum, vel adverſitates; remotum hoc eſt, & ab argumento Pſalmi nativo ſatis alienum.

V. 15. NON EST OCCULTATUM, &c. Eſt nova explicatio accuratæ cognitionis. Formavit Deus hominem, & in hac formatione nil Deum latet, non oſſa, non alia interiora, quamvis formata in abſcondito, hoc eſt, in utero; ibi ſunt omnia tecta, velut metalla in viſceribus terræ. Ceterum, ubi eſt ὃ, QUOD FECISTI, legerunt Septuaginta in Hebræo, עשית *bhawitba*, *feciſti*, non autem עשיתי *bhuwethi*, *factus ſum*. Vides eſſe in Græco, ὃ ἐποίησας.

V. 16. IMPERFECTUM MEUM, &c. Inſiſtit in declaranda Dei cognitione. Oculi Dei penetrant ad videndum etiam imperfectam formationem corporis in embryone; immo cognoſcendo inſuper, quid inde futurum ſit. Si autem quæratur, unde hæc omnia cognoſcat? reſpondet, ſciri ex libro illo Dei, ubi ſunt rerum ideæ. At quid illud, DIES FORMABUNTUR? Certe (ut aliqui etiam legunt) die formabuntur; nempe imperfecta illa, & progreſſu temporis venient ad perfectum ſtatum, nihil ex eis aberrabit a perfectione corpori debita, quantum ſcilicet ex parte Dei, & primæ cauſæ: nam imperfecta, & monſtra ſunt ex defectu cauſæ ſecundæ. Alius etiam ſenſus hic eſſe poteſt, de perfectione animæ, ut hic ſatis explicat Paraphraſtica Synopſis. Quod autem addunt aliqui neminem eſſe, qui non erraverit, verum eſſe poteſt, vel de omnibus, prout peccaverunt in Adamo; vel de his, qui poſt actuale peccatum iuſtificantur, & evadunt filii lucis. Hos eraſſe docet ſubſequens iuſtificatio.

V. 18. DINUMERABO EOS, &c. Confortatus eſt, ut dicebat, numerus filiorum Dei. Quod vero addit, SUPER ARENAM MARIS, eſt uſitata aliquoties in Scripturis hyperbole, vel amplificatio. Vide Gen. cap. XII. Tandem ſubindicato tanto numero electorum Propheta ipſe exardeſcit affectu ſocietatis cum Deo & beatis. Auguſtinus hæc etiam refert ad Chriſtum: nec ab hac explicatione abſtinuit Eccleſia in

Digitized by Google

in Miſſa de reſurrectione. Sed de ſenſu vero litterali iam ſatis.

Eiusdem Paraphrasis.

Verſ. 1. & ſeq. Quæ inſequuntur ſatis hunc Pſalmum explicant. Totus Pſalmus eſt in eo, iuxta poſteriorem argumenti interpretationem, ut intelligant mortales, quanta ſciat, & quanta faciat Deus. Sic ſane a primo verſiculo orditur oſtendere Deum omnia cognoſcere, actiones noſtras omnes, etiam occultas cogitationes; omnes linguæ ſermones. Nullus, inquit, eſt ſermo, ſcilicet, quem non ſciat: non latent antiqua. Hinc verſu ſexto exclamat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*; hoc eſt, quam ego aſſequi, & comprehendere non poſſum: quod ſubinde explicat per varias interrogationes, de locis abditis, remotis & tenebroſis. Et quidni, inquit, in tenebris clare videt Deus omnia quæ ſunt hominis? qui etiam in clauſis uteris format mortales? ita verſu 13. Pergit verſ. 15. & 16. narrare de occultis terræ, & opificio corporis humani: in dies formabuntur humana corpora, & nemo in eis ſcilicet deficiet; vel, ut eſt in Hebræo, nihil deerit: formatur enim perfectus homo, quantum ad perfectionem, quam poſtulat natura ſpeciei; quicquid ſit de imperfectione in aliquo individuo. Ad hæc omnia penetrat liber ſcientiæ Dei; in cuius ideis ſunt hæc omnia velut in libro. Poſtremam partem capitis ordiri videtur a verſu 17. Et vere ex humili figmento perducit Deus hominem; & quem ſcit pene nihil eſſe; perducit (ſi amicus Dei eſſe velit) ad honorem, & principatum nimis; hoc eſt, valde. Tales ſunt digni paſtores Eccleſiæ, & heredes regni cæleſtis. Multiplicabuntur denique magnopere. Et ego, inquit, exſurrexi, ſeu evigilavi, hæc conſiderans, & adhuc tecum ſum, Domine, a te pendens: & merito, dum audit peccatores, qui dicunt de iuſtis, accipiunt in vanitate civitates, quaſi ex ſcommate eos deridendo. Tales David odit perfecto odio, & ex caritate.

BOSSUET.

Verſ. 2. Sessionem ... et resurrectionem... me ſive ſedentem, ſive ſurgentem: noſti quæ meditabar ſedens, & operabar ſurgens. Theodor.

V. 3 De longe: arcana conſiliorum ab æterno prævidiſti. Semitam meam, et funiculum meum: rectitudinem operum. Theodor. *opera quaſi fune directa*. *Semitam & accubationem*, Hier. Noſti gradientem & cubantem, vigilantem & quieſcentem.

V. 4. Omnes vias meas praevidisti: quia non... cum non eſt ſermo, me etiam tacito, arcana pectoris noſti, neque opus habes ut ea verbis eloquar.

V. 5. Novissima et antiqua: *retrorſum & ante formaſti me*, Hier. id eſt a fronte & a tergo.

V. 6. Ex me. Ego ipſe magnum artis tuæ documentum argumentumque laudis; vel, præ me: *ſuper me eſt ſcientia*, Hier. excedit facultatem intelligentiæ meæ: Confortata est ... *excelſior eſt*, Hier. Non potero ad eam: ſupp. accedere.

V. 7. Quo ibo a Spiritu tuo? *Spiritus* enim *Domini replevit orbem terrarum*: Sap. 1. 7. de quo Spiritu dictum: *Dominus Deus miſit me & Spiritus eius*: Iſa. XLVIII. 16. quem Spiritum memorat, ad commendandam immenſitatem Dei: quod Deus bono illo Spiritu omnia alat, vegetet, foveat.

V. 11. 12. Et dixi: *ſi dixero*, Hier. Conculcabunt ... *operient*, Idem. Vide apud eumdem hos duos verſus egregie verſos. Nox sicut dies illuminabitur: *quaſi dies lucet*, Hier. *nox tibi lux erit*: Hebr.

V. 13. Possedisti renes meos: intima mea. Suscepisti me... *orſus es me in utero*, &c. Hier.

V. 14. Terribiliter magnificatus es: *magnificaſti me*, Idem. Mirabiliter me feciſti arte ſtupenda.

V. 15. Os meum: nullum ex oſſibus te latet. Substantia mea: *velut acupictus ſum*, Heb. *imaginatus ſum*, Hier. fictus ſum; conformatus. In inferioribus terrae: *in utero*, Ch.

V. 16. Imperfectum meum ... *inform-*

mem

mem adbuc me; Hier. fœtum rudem in utero matris: OMNES SCRIBENTUR: omnes, artus ſeu partes corporis mei, quas tu tam perfecte noveras ac ſi iam in libro deſcriptas haberes: FORMABUNTUR: in dies fingebantur partes illæ. ET NEMO, &c. *& non una in eis*, Heb. ne una quidem earum erat: nec tu impolitas aut male cohærentes compoſuiſti, ſed totas formaſti cum non eſſent.

V. 17. NIMIS HONORIFICATI SUNT... Cum Deus tantus ſit, quam felices potenteſque ſunt, quos amore ſuo dignatur! At Heb. *Quam pretioſæ cogitationes tuæ, Deus! quanta earum ſumma!* eadem enim vox Hebræa *Rebe*, quæ hic AMICI, verſ. 3. *cogitationes*: eadem quoque vox *Roſch*, apud LXX. hic quidem ἀρχαί vertitur: ἀριθμός autem, Num. I. 49. quod *ſummam* vulgata vertit. Item συλλογισμόν, Exod. XXX. 12. ubi & vulgata *ſummam*.

V. 18. EXSURREXI, *evigilavi*, Hier. ET ADHUC SUM TECUM: ſtatim a ſomno, de te cogito.

V. 19. SI OCCIDERIS. An non occides, o Deus, peccatores, qui calumniantur innocenti? vel: Siquidem occideris Deus impium, diſcedant a me ſanguinarii.

V. 20. QUIA DICITIS... *qui contradicent*, &c. totus verſus ex Hier.

V. 22. PERFECTO ODIO ODERAM... hoc eſt, perfecto odio odiſſe, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas: Aug. vide præfat. cap. I. num. 17.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS CXXXIX. DEPRECATORIUS.

Contra Achitophel, a quo & armis, & inſidiis, & calumniis impetitus: II. *Reg.* XV. 17.

VERSIO S. HIERONYMI.

Victori Canticum David.

ERue me Domine ab homine malo: a viris iniquis ſalva me.

Qui cogitaverunt malitias in corde: tota die verſati ſunt in præliis.

Exacuerunt linguam ſuam quaſi ſerpens: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Semper.

Cuſtodi me Domine de manu impii, a viro iniquitatum ſerva me: qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos.

Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funibus extenderunt rete iuxta ſemitam: offendiculum poſuerunt mihi. Semper.

Dixi Domino, Deus meus es tu: audi Domine vocem deprecationis meæ.

Domine Deus fortitudo ſalutis meæ, protexiſti caput meum in die belli.

Ne des Domine deſideria impii: ſcelera eius ne effundantur, & eleventur. Semper.

Amaritudo convivarum meorum: labor labiorum eorum operiet eos.

Cadent ſuper eos carbones ignis: deiicies eos in foveas, ut non conſurgant.

Vir linguoſus non dirigetur in terra; virum iniquum mala capiet in interitu.

VERSIO VULGATA

1\. In finem, Pſalmus David.

2\. ERipe me Domine ab homine malo: a viro iniquo eripe me:

3\. Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die conſtituebant prælia.

4\. (*a*) * Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum.

5\. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos: 6. abſconderunt ſuperbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

7\. Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ:

8\. Domine, Domine virtus ſalutis meæ: obumbraſti ſuper caput meum in die belli:

9\. Ne tradas me Domine a deſiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

10\. Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorum operiet eos.

11\. Cadent ſuper eos carbones, in ignem deiicies eos: in miſeriis non ſubſiſtent.

12\. Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum iniuſtum mala capient in interitu.

Scio

Digitized by Google

Scio quòd faciet Dominus cauſam inopis, iudicia pauperum.

Attamen iuſti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum vultu tuo.

13. Cognovi quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

14. Verumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

(a) Sup. v. xi. Rom. iii. 13.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 3. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis.

Genitivus ſingularis *ſerpentis*, merito prælatus eſt nominativo plurali *ſerpentes*.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 1. IN FINEM PSALMUS DAVID. Hebr. *Victori*, ut Pſal. IV.

V. 8. OBUMBRASTI SUPER CAPUT MEUM. Hebr. *Protexiſti caput meum in die armorum.*

V. 9. NON TRADAS ME DOMINE. Heb. *Ne des Domine deſideria impii, nefarium conſilium eius ne promoveas, ne forte ſuperbiat.*

V. 10. CAPUT CIRCUITUS EORUM. Hebr. *Caput circumdantium me* (ſubauditur operiet iniquitas ipſorum; id eſt, recidet in eorum caput) *& iniquitas labiorum ipſorum operiet eos.*

V. 11. IN IGNEM DEIICIES EOS. Heb. *In ignem deiiciet eos, & in foveas, ut non reſurgant*; id eſt, unde ſurgere non poſſint.

V. 12. VIR LINGUOSUS NON DIRIGETUR IN TERRA. Heb. *Vir linguæ ne ſtabiliatur in terra*; id eſt, ne diu vivat, virum impium, malum venetur in ruinam; id eſt, malum perſequatur, ut pereat.

V. 14. ET HABITABUNT RECTI CUM VULTU TUO. Heb. *Ante faciem tuam*; id eſt, habebis eos ſemper ante oculos, erunt tibi curæ.

SA.

Oratio in perſecutione.

Verſ. 4. SERPENTIS: ſcilicet, qui acutam linguam habent ad perforandum. SUB LABIIS, id eſt in ſermone.

V. 5. SUPPLANTARE, id eſt ſubvertere.

V. 6. MIHI, id eſt in meam perniciem. SCANDALUM, id eſt offendiculum, ſcilicet laqueum, ſeu rete.

V. 7. DIXI, ſcilicet ad ipſum confugiens.

V. 8. VIRTUS SALUTIS; id eſt, fortitudo mihi ſalutem afferens. OBUMBRASTI. Hieron. *protexiſti*, ſcilicet inſtar clypei.

V. 9. A DESIDERIO, id eſt contra deſiderium. EXALTENTUR, ſcilicet mihi inſultantes. Chald. *ſe extollant.*

V. 10. CAPUT, &c. Chald. *Achitophel caput circumeuntium*; quaſi dicat: Ducem ipſorum perde Domine, ſeu impedi ne poſſit nocere: vel regitur ab *operiet*; quaſi dicat, Et caput; id eſt, ducem, & eos operiet labor; id eſt, pernicies quam aliis moliuntur. OPERIET, id eſt obruet; quaſi dicat, Quod moliuntur recidet in ipſos.

V. 11. CARBONES, ſcilicet igniti; quaſi dicat, Dei ſupplicia. IGNEM. Chald. *ignem gehennæ*. IN MISERIIS, ſcilicet poſiti.

ſiti. SUBSISTENT, id eſt emergent. Chald. *Surgent ad vitam æternam*.

V. 12. LINGUOSUS; id eſt, qui lingua aburitur, ut mendax, maledicus, & huiuſmodi alii. Chald. *delator*. DIRIGETUR. id eſt proſperabitur. IN INTERITU, id eſt cum morietur, vel quaſi dicat, Perniciosa.

V. 13. FACIET DOMINUS IUDICIUM, id eſt cauſam tractabit.

V. 14. CUM VULTU TUO, id eſt in tuo conſpectu, vel turela tua.

E S T I I

Verſ. 9. NE TRADAS ME DOMINE A DESIDERIO MEO PECCATORI. Secundum hanc noſtram lectionem, quæ ſumpta eſt ex verſione Sepruaginta, poteſt reddi ſenſus: *Domine ne tradas me peccatori*; id eſt, ne permittas, ur in eius poreſtatem veniam, & ille mihi dominetur, idque *a deſiderio meo*, id eſt propter pravam meam coneupiſcentiam; ſine qua non vivo, & quæ me aſſidue impellit ad malum. In Hebræo paulo aliter legitur, & ſenſus clarior eſt. Sic vertit Hieron. *Ne des, Domine, deſideria impii*. Senſus eſt: Domine, ne facias impium deſideriorum ſuorum compotem. Er explicatur idem verbis ſequenribus: COGITAVERUNT CONTRA ME, NE DERELINQUAS ME, NE FORTE EXALTENTUR. Senſus enim eſt: Deſiderium eorum eſt, ut me perdant; ſed tu ne derelinquas me, ne forte illi exalrentur, & prævaleant conrra me.

V. 10. CAPUT CIRCUITUS EORUM, LABOR LABIORUM IPSORUM OPERIET EOS. *Caput circuitus*, id eſt capur hoſtium undique me prementium, & circumvallantium; *labor labiorum ipſorum*; id eſt, malum quod labiis ſuis & linguis virulentis mihi ſtruxerunr, operiat eos. Senſus itaque eſt iſte: Malum, quod mihi per calumnias ſtruxerunr, operiet & comprehender caput circuitus eorum, id eſt ducem & anteſignanum hoſtium me circumdanrium. Atque hunc volunt eſſe Doeg Idumæum; neque illum tamen rantum, ſed & omnes eius fautores. Quod vero ſit illud malum, explicatur verſu ſequenti.

V. 11. CADENT SUPER EOS CARBONES, IN IGNEM DEIICIES EOS; IN MISERIIS NON SUBSISTENT. Breviter ſignificantur his verbis æterna ſupplicia impiorum. Et illud, *in miſeriis non ſubſiſtent*, hunc ſenſum habet; quaſi dicat: In tantas miſerias incidant, quas ſuſtinere non poſſint, ferre tamen debeant. Hieron. ex Hebr. hoc modo: *In foveas, ut non conſurgant*; ac ſi dicat: Deiicies eos in foveam interitus æterni, e qua conſurgere ſeu emergere numquam poſſint. Alii ſic exponunt: In miſeriis numquam quietem habebunt, ſed alia ſuper aliam eis perpetua quadam viciſſitudine ſuperveniet. Sed hæc expoſitio non videtur fonti congruere,

M A R I A N AE.

Verſ. 1. IN FINEM, PSALMUS DAVID. A maledicis & improbis defendi orat.

V. 2. A VIRO INIQUO ERIPE ME. Heb *A viro iniuriarum cuſtodies me*; pro, cuſtodi me.

V. 3. CONSTITUEBANT PRAELIA. Heb. *congregant bella*; id eſt, rixas & iurgia nectunt tota die, ſemper.

V. 4. ACUERUNT LINGUAS SUAS, id eſt ſunt maledici.

V. 5. ET AB HOMINIBUS INIQUIS. Heb. *a viro iniuriarum*, violenro. ERIPE ME. Hebr. *cuſtodi me*. SUPPLANTARE. Hebr. *impellere greſſus meos*, id eſt pedes volunt.

V. 6. ET FUNES EXTENDERUNT IN LAQUEUM; id eſt, ut iis me quaſi laqueo implicarenr. Hieronym. *& funibus extenderunt rete*. Quæ verſio magis conſonat verbis Hebr. IUXTA ITER. Hebr. *ad manum ſemitæ*, id eſt iuxta ſemitam. SCANDALUM. Hebr. *laqueos* poſuerunr.

V. 8. VIRTUS SALUTIS MEAE. Hebr. *fortitudo ſalutis meæ*; id eſt, a qua ſalus mea pendet. OBUMBRASTI SUPER CAPUT MEUM. Hebr. *tegis caput meum*. IN DIE BELLI. Hebr. *in die armaturæ*, cum ſcilicet induo arma, & ad bellum procedo.

V. 9. NE TRADAS ME DOMINE A DESIDERIO MEO; id eſt, conrra quam cupio, me peccatoris in poteſtatem ne tradas. Hebr. *ne des deſideria impii*: ſic Hieronym. COGITAVERUNT CONTRA ME. Hebr. *Cogitationem pravam eius ne educas*, ſeu *perficias* (alioqui) *ſe exaltabunt*. Inſolentiores evadent.

V. 10. Caput circuitus eorum; id eſt, dux in iis adinventionibus, quas contra me excogitarunt. Labor, id eſt calumnia, mendacium labiorum ſuorum. Operiet eos, id eſt proteget; quaſi dicat: Similes illis exitus contingant, quales duci illi contigit, & calumnia meretur. Hebr. totus verſus, *Caput circumdantium me*, id eſt perſequentium: (hic fuit Doeg, ut Hebræi putant, aut Achitophel, ut Chaldæi,) *& labor labiorum ſuorum protegat eos*, aut *proteget*. Referant quod merentur.

V. 11. Cadent super eos carbones, id eſt ignis de cælo. Hic erit exitus, hæc merces. In miseriis non subsistent, id eſt peribunt præ ærumnis. Hebr. *in foveas* (ſcilicet deiiciet eos) *non ſurgent*, id eſt non evadent.

V. 12. Non dirigetur. Hebr. *non ſtabilietur vir loquax*. In detractorem omnes irruent & in bilinguem. Virum iniustum. Hebr. *violentum*. Mala capient. Hebr. *malum venabitur eum*: ſic Græce, θηρεύσει. In interitu; aut *in interitum*, *εἰς διαφθοράν*, id eſt quouſque pereat. Hieronymus ut Noſter, *mala capient in interitu*. Alii ſic vertunt, *malum venabitur in impulſiones*, id eſt in præcipitia: ſcilicet, aget eos præcipites, præcipitabit in mortem.

V. 13. Faciet Dominus iudicium inopis. Hebr. *afflicti*. Et vindictam pauperum. Hebr. *iudicium pauperum*. Sed utroque loco *iudicium* pro vindicta ſumitur.

V. 14. Verumtamen iusti confitebuntur. Deus ulciſcetur pios, illi e contrario pro beneficio laudes rependent. Et habitabunt recti: ſeu *ſedebunt*, *permanebunt*. Cum vultu tuo; id eſt, coram te, ante faciem tuam perpetuo erunt.

MALVENDAE.

Verſ. 2. **A**b homine malo: collective pro, *ab hominibus malis*, id eſt iniuſtam cauſam agentibus, & iniuſtiſſime. A viro iniquo. Hebr. *A viro violentiarum*, vel *a viris violentiſſimis*; id eſt, Saule, & adminiſtris ipſius, vi & fraude Davidem perſequentibus, quemadmodum deinceps explicatur: ſic infra verſ. 5.

V. 3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde. Alii, *qui cogitant mala cum animo*; id eſt, qui omne malum fabricantur mihi aperte & clam, animoque, conſilioque, hoc verſu; ſermone & opere verſ. 4. & ſequentibus: ſic amplificat petitionis cauſam a perſona adverſariorum, quod non tantum cauſam iniquam agunt, verum etiam rationibus iniquiſſimis. Tota die constituebant praelia. Diverſimode alii ex Hebr. 1. *tota die congregabant prælia*: 2. *tota die verſati ſunt in præliis*: 3. *quotidie concurrunt ad bella*: 4. *omni tempore bella concinnant*: 5. *& nihil quam ad bella aſſidue inſtigant*: 6. *quotidie congregantur ad prælia*: 7. *tota die contrahunt bella*: 8. *quotidie conveniunt ad bella*: nam eſſe id verbum militare, annotavimus ſupra in Pſal. LV. 7. vide Pſal. CXIX. 7.

V. 4. Acuerunt linguas suas. Proprie, *dentaverunt*; id eſt, ut dentes acutiſſimos reddiderunt: ſic Pſal. LXIII. 4. Sicut serpentis. Alii, *ſimilem ſerpentis*, id eſt venenatam ut vipera; vel *ſicut ſerpens*, exacuit, ſeu vibrat. Virgilius III. Georgicor:

——*& linguis micat ore triſulcis.*

Plinius Lib. XI. cap. XXXVII. *Tenuiſſima ſerpentibus* lingua, *& triſulca, vibrans, atri coloris, & ſi extrahas, prælonga*. Venenum aspidis sub labiis eorum. עכשׁוב *ghachſchub*, non alibi hæc vox occurrit, peregrina videtur: omnes *Aſpidem* interpretantur. Forſitan ſit tranſpoſitum עכביש *ghaccabiſch*, id eſt *araneus*, Iob VIII. 14. cuius præſentiſſimum virus deſcribit Plinius Lib. X. cap. LXXIV. alioqui enim Aſpis Hebr. ſuum nomen habet פתן *pethen*. Tremellius, Iunius, & Buxtorfius augurantur eſſe *Ptyadem*, aſpidis tertium genus; quaſi dicas, *ſputatricem*, quæ ſuo loco ſtans venenum ſuum procul expuit: de qua Galenus apud Paulum AEginetam Lib. V. cap. XIX. ſenſumque huius verſus eſſe volunt; id eſt, cominus ut linguæ ſerpentum, & eminus, ut *Ptyades* venenum expuendo, vibrant in me virus ſuum. Vide Pſal. LVII. 5. Additur hic *Selah*; id eſt, 1. *Semper*, *in perpetuum*: 2. *Ita plane res habet*: 3. *Maxime*: 4. *O quam exitiale eſt virus venenatæ linguæ!*

V. 5. Supplantare pedes meos. Hebr. *Impel-*

Impellere, evertere, ſubvertere, greſſus meos, id eſt deiſcere me: metaphora.

V. 6. IUXTA ITER. Hebr. *Manui magalis*. Alii, *ad manum orbitæ*, ſeu *ad orbitam*. Nonnulli, *ad latus actus*. Aiunt, מעגלה *magblah*, hic eſſe *Actum*, id eſt viam tritam plauſtro, & quæ orbitas habet. Vide de hac voce in I. Samuel. XII. 20. In fine huius verſus additur, *Selah*; id eſt, 1. *Continenter, aſsidue*: 2. *Ita eſt*: 3. *Maxime*: 4. *O improbitatem, & fraudulentiam hoſtium meorum, qui numquam mihi omne genus inſidiarum tendere non deſiſtunt*. Sunt autem hoc verſu metaphoræ ab aucupibus venatoribus.

V. 8. OBUMBRASTI CAPUT MEUM IN DIE BELLI. Hebr. *Obtexiſti caput meum in die armaturæ*, ſeu *armorum*; id eſt, me tamquam galea & ſcuto protexiſti tempore pugnæ, quando arma ſumenda ſunt: metonymia.

V. 9. NE TRADAS ME DOMINE A DESIDERIO MEO PECCATORI. Hebr. *Ne des Iehveh deſideria improbi*. Alii: I. *Ne tradas Iehova concupita improbi*, vel *deſideria ſua impio*. II. *Ne concedas Iehova, quæ concupit improbus*. III. *Ne impendas, Domine, deſideriis impii*. IV. *Quare ne ſinas, quæſo nunc, o Domine, votorum ſuorum compotem fieri impium*. COGITAVERUNT CONTRA ME, NE DERELINQUAS ME, NE FORTE EXALTENTUR. Varie alii ex Hebr. transferunt: I. *Cogitationem eius ne fac effundere, non elevabuntur*, vel *quia elevabuntur*; id eſt, ne permittas ut Saul effundat in me cogitationem ſuam de me perdendo, ne eleventur in me hoſtes mei: vel alioquin me ſublato efferrentur. II. *Cogitationem nefariam eius, ne facias prodire, educas, producas, perficias, ne exaltentur*. III. *Conatus eius ne perficias, quominus eleventur*. IV. *Neve conatus eius provebas, ut ſuperior ſit*. V. *Cogitationem eorum*, vel *eius non promoveas*, vel *ne depromere facias*, aut *ne ſinas proferre*, id eſt in opus: nam *elevabuntur*. VI. *Præſumptionem eius ne prolicias*; id eſt, ne promoveas, *alias exaltabuntur*. VII. *Sceleratam cogitationem eius ne provebas, efferrent ſe*. Adiicitur hic Selah; id eſt. 1. *In æternum*: 2. *Nequaquam ita fiat*: 3. *Maxime*: 4. *O quam ingens & bonis & reipublicæ damnum infertur, cum conatus improborum obtinent!*

V. 10. CAPUT CIRCUITUS EORUM: LABOR LABIORUM IPSORUM OPERIET EOS. Multifariam ex Hebr. hunc verſum explanant: I. *Caput circumdantium me*; id eſt, ipſum Saulem principem meorum hoſtium, *labor labiorum eius*, quando conſuluit Pythoniſſam, *operiet ipſum*, id eſt perdet. II. *Caput circumdantium me, perverſitas labii ſui operiat ipſum*; id eſt, mendacium labiorum principis eorum, qui me perſequuntur, obruat ipſum; quaſi dicat: Suis conſiliis & mendaciis pereat. III. *Labor conſiliorum ipſorum obruat caput eorum, qui me circumveniunt*. IV. *Cum caput hoſtium undique me prementium, tum alios operiat malum, quod labiis ſuis ſtruxerunt*. Hunc Doegum Idumæum intelligunt. V. *Caput circumdantium me, afflictio labiorum eius operiat eum*; id eſt, maledicta & mendacia, & fraudulenta conſilia eius qui dux & impulſor eſt illorum, qui mihi inſidiantur, in ipſius caput recidant. VI. *Caput & ducem illorum, qui omni ex parte oppugnant me, peſtilens ſermo, & ad nocendum magno ſtudio compoſitus, totum involvat*. VII. Tremellius, & Iunius exponunt: *Venenum circumdantium me, moleſtia labiorum ipſorum obtegat eos*. Imprecatio, qua David perſtans in ſuperioribus allegoriis, ipſa mala, quæ cudunt adverſarii, in ipſos retorqueri petit: quamobrem nos Hebræam vocem רואש *roſch*, id eſt *caput*, habita ſuperioris allegoriæ & proxime ſequentium verborum ratione, *venenum* potius, quam *caput*, interpretati ſumus, ut Deuteronom. XXXII. 33. & cap. XXIX. 18. & Pſal. LXVIII. 22. *Moleſtia labiorum ipſorum*, &c. id eſt, quam afferunt ipſorum labia. VIII. *Summa eorum, qui me circumdant, hæc eſt: Mendacium labiorum eorum operiet eos*. מסבי *meſibbai*, plerique cum noſtro ſubſtantive capiunt: *Caput circuitaum eorum*.

V. 11. CADENT SUPER EOS CARBONES. Varie alii ex Hebr. I. *Movebuntur ſuper eos prunæ*. II. *Demittantur ſuper eos prunæ*. III. *Carbones in eos provolvantur*; id eſt, igne de cælo miſſo eos proſternat, ut Sodomitas. IN IGNEM DEIICIES EOS, id eſt conflagrent, & corruant. IN MISERIIS NON SUBSISTENT. מהמורות *mahamoroth*, alibi non legitur; quidam a מהר *mahar*, tranſpoſitis litteris & geminatis

deducunt: *In feſtinationes*, ſeu *in præcipitia, ne reſurgant*, vel *cum feſtinationibus*, hoc eſt, *celeriter*. Plerique tamen ab הַמַּר *hamar in foſſas, foveas, ſcrobes profundas, unde non ſurgant*, ſeu *emergant*, & geminatio litteræ auget ſignificatum: *In profundiſſimas ſcrobes unde emergere non poſsint*. Alii voce conſentiente: *In mærores, obſcuritates, foveas obſcuras*.

V. 12. VIR LINGUOSUS. Hebr. *Vir linguæ*; id eſt, delator, linguax, maledicus: metonimia. NON DIRIGETUR IN TERRA. Alii: *Ne firmetur, ſtabiliatur, conſtet, in terra*; id eſt, nihil ei boni ſuccedat, ſed calamitas & infortunium eum rapiat. ET VIRUM INIUSTUM MALA CAPIENT IN INTERITU. Hebr. I. *Virum iniquitatis malum venabitur eum ad impulſiones*: metaphora ab animante fugiente venatores, quæ in rupem delata ruit præceps. II. *Virum violentum venetur malum, ita ut impellatur præceps*. III. *Viri dediti violentiæ malum venetur ipſum ad impulſiones*, vel *venando impellat ipſum variis impulſionibus*; id eſt, malum conſilium ipſorum ſit conſultoribus ipſis peſſimum: iuxta vetus proverbium, de quo Aulus Gellius Lib. IV. Noctium Atticarum, cap. V. Vide Chiliadem I. Centuria II. Adagio XIV.

V. 13. COGNOVI QUIA FACIET DOMINUS IUDICIUM, &c. Hunc verſum varie alii ex Hebr. I. *Scio enim quod Dominus facit iudicium afflicto, & pauperes vindicat*. II. *Scio quod Dominus faciet iudicium in cauſa humilis, & iudicium in cauſa pauperum*; id eſt, quod ſit vindicaturus afflictos, & aſſerturus egenos. III. *Certe futurum ſcio, ut tractet Dominus tandem cauſam eius, qui affligitur, & ſupplicium ſumat de illis, qui opprimunt humano auxilio deſtitutos*. IV. *Novi acturum eſſe Iehovam cauſam afflicti, ius egentium*. Concluſio conſolatoria, & animum ſupplicis confirmans de beneficentia Dei, hoc, & ſequente verſu a ſalute iuſtorum, & gloria Dei, quæ ſalute iuſtorum coniuncta eſt.

V. 14. ET HABITABUNT RECTI CUM VULTU TUO; id eſt, favore & benevolentia tua protecti degent: vel fruentur præſentia tua, & faciem tuam perpetuo intuebuntur, in quo æterna beatitudo conſiſtit.

MENOCHII.

Verſ. 3. COGITAVERUNT INIQUITATES: machinati ſunt inique me perdere. TOTA DIE CONSTITUEBANT PRAELIA. Aſſidue parabant prælia contra iuſtos, nihil aliud meditantes, quam quomodo iuſtos oppugnare, & expugnare poſſent.

V. 4. ACUERUNT LINGUAS SUAS, &c. Exeruerunt, expediverunt acutas, & ſerpentinas linguas ſuas contra me. VENENUM ASPIDUM, quod eſt maxime mortiferum.

V. 5. CUSTODI ME. Eripe me, vel tutum præſta a petitionibus peccatorum. SUPPLANTARE GRESSUS MEOS: in terram me deiicere, affligere, proterere, & perdere.

V. 6. ABSCONDERUNT LAQUEUM: tendiculas, & inſidias occulte inſtruxerunt. EXTENDERUNT IN LAQUEUM: funes diſpoſuerunt, & extenderunt in modum laquei. SCANDALUM: offendicula, in quibus impingerem, & ruerem.

V. 8. VIRTUS SALUTIS MEAE: robur ſalutis meæ, in quo ſpem ſalutis meæ conſtituo. OBUMBRASTI SUPER CAPUT MEUM; quaſi protenso brachio tegens me clypeo.

V. 9. A DESIDERIO MEO PECCATORI. In Hebræo eſt: *Ne tradas Domine deſideria impii*; id eſt, ne concedas impio id quod optat: ne me tradas peccatoris libidini, & poteſtati. Vulgatæ noſtræ ſenſus eſſe poteſt: Ne tradas me a deſiderio meo; id eſt, poſtquam te deſideravi, appetivi, amavi, invocavi. COGITAVERUNT CONTRA ME: malum machinati ſunt. NE FORTE EXALTENTUR: ne ſuperbia erigantur, & ſibi placeant, quod me everterint, & oppreſſerint.

V. 10. CAPUT CIRCUITUS EORUM, &c. Id quod eſt caput, & ſumma inſidiarum ſuarum, quibus me circumdare, & circumvenire ſtudent; nempe afflictio illa, & pernicies, quam labiis ſuis mihi afferre parant, eos involvet, obruet, & perdet.

V. 11. CARBONES, ultrices flammas: Alludit ad ignem, quo Pentapolis conflagravit. IN MISERIIS NON SUBSISTENT: miſeriis graviſſimis, quas ſuſtinere non poterunt, afficientur.

V. 12. Linguosus, maledicus, mendax, calumniator. Non dirigetur: non proſperabitur. Mala capient. In Græco eſt, θηρεύσει, *venabuntur*, quaſi venatu capient. In interitu: quando interibit, vel, uſque ad interitum. Mala apprehendent, & perdent virum iniuſtum.

V. 13. Cognovi, &c. Multis experimentis comperi, Deum cauſam inopum tutari. Vindictam pauperum: & ulciſci iniurias pauperibus & humilibus illatas.

V. 14. Verumtamen, &c. Eſt antitheſis. Iniqui peribunt, at vero iuſti laudabunt nomen tuum. Habitabunt recti cum vultu tuo. Semper habitabunt in conſpectu tuo; tuo favore, & gratia perfruentur in hac vita, in cælo autem beati erunt viſione maieſtatis, & gloriæ faciei tuæ.

TIRINI.

Verſ. 6. Scandalum. Hieronymus, *offendiculum*; Chaldæus *laqueum*, ſeu rete; id eſt, varias inſidias quibus me illaqueare conantur.

V. 8. Obumbrasti. Hieronymus, *protexiſti* me quaſi clypeo.

V. 9. A desiderio meo, id eſt procul a, vel contra deſiderium meum. In Hebræo alioquin eſt: *Ne des impio* ſua *deſideria*.

V. 10. Caput circuitus eorum; id eſt, ſumma circuitionis & vafritiei illorum, qua me oppugnant & circumvenire conantur, puta labor labiorum ipsorum; id eſt, mendacium & calumnia, in qua concinnanda valde laborant labiis ſuis, fac ipſolmetipſos operiat & perdat. Solet enim malum conſilium conſultori peſſimum accidere. Tropologice, *caput circuitus* impiorum eſt vel ſuperbia, vel avaritia, vel aliud capitale peccatum, quod ſingulos tamdiu gyrat in omnem partem, donec mergat in abyſſum, inquit S. Auguſtinus.

V. 11. Cadent, ſcilicet miſſi a te de cælo, carbones; id eſt, prunæ ardentes, ut olim in Sodomam. In ignem: inferni, inquit Chaldæus.

V. 12. Non dirigetur; id eſt, non proſperabitur, ut dixi Pſalm. c. 7.

V. 14. Cum vultu tuo; ſcilicet benigno, id eſt cum favore & gratia tua: Pſalm. iv. 7. Anagogice, cum clara viſione Dei. Ita S. Auguſtinus.

GORDONI.

Titulus eſt ſine controverſia, In finem Psalmus David, & notus ex aliis Pſalmis. Quod ſpectat ad argumentum, continet orationem Davidis. Et ea quidem ſaltem myſtice convenit Eccleſiæ, myſtico Chriſti corpori; & cuivis iuſto contra perſecutorem: immo etiam legitur hic Pſalmus in officio Paraſceves, & partim in Veſperis Cœnæ Domini. Optime tamen ad litteram intelligitur de Davide ipſo adverſus perſecutores: nec eſt ratio ulla, quæ ſatis evincat contrarium. Et hunc quidem litteralem ſenſum de Davide, cum Theodoreto dant recentiores, quamvis aliqui antiqui Patres velint hic agi de doctrina generali data Eccleſiæ, myſtico Chriſti corpori, ut dicebam. Neutra ſententia caret probabilitate.

Verſ. 1. Eripe me Domine, &c. Quis hic loquatur; an Chriſtus in perſona corporis myſtici, ut vult Hilarius, aut etiam Eccleſia, vel iuſtus aliquis; an vero ipſe David, collige iam ex data præfatione. Priorem ſenſum, ſeu qui eſt in perſona iuſti, ſæpe ſupra indicavi: litteralem explicat Liber Regum ex hiſtoria de Davide cum Saule.

V. 9. Ne tradas me, &c. Recte ſic accipe; ne ſinas me tradi a deſiderio meo peccatori, & dæmoni; quod fit, quando concupiſcentia captivum ducit in malum. Ceterum nunc in Hebræo ſic legimus, *Ne tradas Domine deſideria impio, ſcelus eius ne effundas, exaltabuntur*; hoc eſt, ne patiaris, ut impius ſatiet deſiderium ſuum, nec ſinas ſcelus eius effundi, ne ſuper me exaltentur. Atque hic quidem ſenſus eſt verus. Retinenda tamen eſt lectio, quam dant Septuaginta, & Vulgata editio: exiſtimandumque eſt Septuaginta viros aliter legiſſe in Hebræo, quam nunc ſit, & varietatem lectionis accidiſſe ex facili punctorum mutatione, ut docent nunc plerique Interpretes.

V. 10,

V. 10. CAPUT CIRCUITUS EORUM, &c. Senſus eſt loci huius obſcuri; *Convertetur dolor eius in caput eius*, ut Pſal. VII. habetur. Certe ſæpe fit, ut quod impius paravit alteri malum, idipſum ipſe patiatur, nec dubium quin ſaltem in morte, & iudicii die ita impio eveniat. Verba hæc ſic reddi poſſunt: Circuit quidem impius inſtar leonis, ut aliquem devoret, ſtruitque inſidias; ſed caput & ſumma totius huius circuitus erit, ut hi circuitus operiant eos. Idem repetit Propheta per inſequentia verba. LABOR LABIORUM, &c. Hic ſenſus litteralis eſt, ac quem dat Chryſoſtomus. Et quamvis in Hebræo nunc ſit *Caput circuitus mei* מסבי *meſibbai*; tamen Septuaginta legerunt מסבו *meſibbau*, *circuitus eorum*: immo nec מסבן *meſibbo*, *eius*. Græce ἡ κεφαλὴ τοῦ κυκλώματος αὐτοῦ. Vox מסן *meſau*, ſignificat accubitum, qualis erat in menſa rotunda, ubi ſedebant homines in circuitu. Pſal. CXXVII. verſ. 3.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. DAt prior pars Pſalmi cauſas, cur petat, qui hic loquitur, liberari a manu peccatorum: quia ſcilicet ſunt impii, parant prælia, calumnias, laqueos & offendicula: denique ſunt ut ſerpentis lingua, quæ venenum emittit. Poſt malorum enumerationem, petit verſ. 7. auxilium. Poſtremo a verſu 10. prædicit pœnas impiorum; & verſu ultimo felicitatem bonorum.

BOSSUET.

Verſ. 3. CONSTITUEBANT PRAELIA: inſtruebant: nihil niſi rixas cogitabant.

V. 5. AB HOMINIBUS INIQUIS: *a viro iniquo*, Heb. ut ſupra 2.

V. 6. FUNES EXTENDERUNT: *funibus extenderunt rete*, &c. Hier.

V. 9. NE TRADAS ME ... Ne tradas me impio præter ſpem ac deſiderium meum: *ne des Domine deſideria impii*, Hier. COGITAVERUNT CONTRA ME ... cogitationem eius ne promoveas. *Exaltabunt ſe*, Heb. id eſt, diſturba conſilia eorum, alioquin ſuperbient.

V. 10. CAPUT, ſive princeps, CIRCUITUS EORUM: coronæ ſive conventus eorum. *Caput circumvenientium me*, Heb. Achitophel. LABOR LABIORUM IPSORUM: eorum elaborata atque exquiſita conſilia: OPERIET EOS: involvet eos: conſiliis ſuis capientur, tam ipſe Achitophel, quam inimici reliqui: quippe belli incentores atque artifices fraudium, in quibus perierunt. Alii, Venenum circumvenientium me, qui eſt labor labiorum ipſorum, operiet eos: venenatis verbis conſiliiſque ſuis & ipſi pereant: vox enim *Roſch* quæ hic *caput* vertitur, alias ſignificat amaritudinem vel venenum: ut Pſ. LXVIII. ubi interpres vertit, *fel*.

V. 11. IN IGNEM ... *cadent carbones ignis: in foveas deiicies*, &c. Hier.

V. 12. VIR LINGUOSUS: lingua ſeu eloquio confidens: ex eorum genere, qui dicunt: *Linguam noſtram magnificabimus*: Pſ. XI. 5. conſiliis techniſque noſtris omnia pervincemus: qualis Achitophel, cuius erat conſilium, quaſi ſi quis conſuleret Deum: II. Reg. XVI. 23. NON DIRIGETUR: non firmabitur.

BRU-

PSALMUS CXL. DEPRECATORIUS.

David mitis erga inimicos, contra eorum doloſa verba & inſidias, ſub Saule ut videtur, Dei patrocinium implorat: vide Pſal. XXXVIII. *Hunc Pſalmum quotidie ad veſperam canebat Orientalis Eccleſia propter verſ. 2. Chr.*

VERSIO S. HIERONYMI.

Pſalmus David.

DOmine clamavi ad te, feſtina mihi: exaudi vocem meam clamantis ad te.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

Pone Domine cuſtodiam ori meo: ſerva paupertatem labiorum meorum.

Ne declines cor meum in verbum malum, volvere cogitationes impias cum viris operantibus iniquitatem: neque comedere in delitiis eorum.

Corripiat me iuſtus in miſericordia, & arguat me, oleum amaritudinis non impinguet caput meum: quia adhuc oratio mea pro malitiis eorum.

Sublati ſunt iuxta petram iudices eorum, & audient verba mea: quoniam decora ſunt.

Sicut agricola cum ſcindit terram: ſic diſſipata ſunt oſſa noſtra in ore inferni.

Quia ad te Domine Deus oculi mei: in te ſperavi, ne evacues animam meam.

Cuſtodi me de manibus laquei, quem poſuerunt mihi: de offendiculis operantium iniquitatem.

VERSIO VULGATA.

Pſalmus David.

1. DOmine clamavi ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clamavero ad te.

2. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum:

3. Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circumſtantiæ labiis meis.

4. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

5. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: *6.* abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt: 7. ſicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram.

Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum: 8. quia ad te Domine, Domine oculi mei: in te ſperavi, non auferas animam meam.

9. Cuſtodi me a laqueo, quem ſtatuerunt mihi: & a ſcandalis operantium iniquitatem.

In-

Incident in rete eius impii : ſimul autem ego tranſibo.

10. Cadent in retiaculo eius peccatores : ſingulariter ſum ego donec tranſeam.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. EXAUDI ME. Hebr. *feſtina mihi*, id eſt cito mihi ſubveni.

V. 2. ELEVATIO MANUUM MEARUM SACRIFICIUM VESPERTINUM. Hebr. *Sicut ſacrificium veſpertinum*, ut ante dixit, *Sicut incenſum*.

V. 3. ET OSTIUM CIRCUMSTANTIAE. Hebr. *Cuſtodi oſtium labiorum meorum*.

V. 4. NON DECLINES COR MEUM IN VERBA MALITIAE. Hebr. *Ne inclines cor meum in rem malam*, *ad ſequenda ſtudia iniqua*; vel, *ad ſtudendum rebus malis*. ET NON COMMUNICABO CUM ELECTIS EORUM. Hebr. *Non comedam cibum voluptatis eorum*; id eſt, malo affligi cum iuſtis, quam voluptate frui cum iniquis, ſicut ſequentibus verbis declarat, Eccleſ. VII. 3. *Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum convivii*.

V. 5. OLEUM AUTEM PECCATORIS NON IMPINGUET CAPUT MEUM. Hebr. *Oleum autem præcipuum non franget caput meum*; id eſt, correptio iuſti quantumvis aſpera ſit, erit mihi tamquam optimum unguentum, tantum abeſt ut frangat caput meum. Vel ut alii exponunt: Corripiat me potius iuſtus, quam unguentum optimum ungat caput meum, quod potius eſt frangere, quam ungere. Mihi ſenſus, quem Septuag. reddiderunt, multo magis placet, ſi hærere poſſit verbis. IN BENEPLACITIS EORUM. Hebr. ברעותיהם ambiguitas verbi רעותיהם peperit varias huius loci interpretationes. Septuag. ἐν εὐδοκίαις αὐτῶν, quia רעי ſignificat *voluntatem*, ut Pſal. CXXXVIII. 3. Quorum verborum hic ſenſus eſſe poteſt: Adhuc illi mihi blandiuntur & placere volunt, & tamen ego oro ut illis eveniat quod ſequitur. Alii: *Et oratio mea in malis eorum*, id eſt iuſtorum, ut vocet mala aſperas eorum caſtigationes, dicatque ſe pro iis qui ſe corripiunt orare. Alii referunt ad iniuſtos; id eſt adhuc illi mihi blandiuntur, & ego oro ut mala illis eveniant, ut audiant verba mea & corrigantur. Vel: Vix dum finem fecero orandi ut mala eis accidant, cum ipſos occupabant.

V. 6. ABSORPTI SUNT IUNCTI PETRAE. Hebr. *Dimittantur in latera petræ*; præcipitentur ex rupe iudices eorum, audient verba mea, quia dulcia ſunt; id eſt, ſi iudices eorum a quibus ſeducti ſunt, aboliti fuerint, ceteri mihi credent.

V. 7. SICUT CRASSITUDO TERRAE. Hebr. *Sicut findente ac ſcindente* (aliquo ligna) *diſperſa ſunt oſſa noſtra ſecus infernum*.

V 8. NON AUFERAS ANIMAM MEAM. Hebr. *Ne effundas animam meam*, id eſt ne abiicias.

V. 10. SINGULARITER SUM EGO DONEC TRANSEAM. Hebr. *Simul ego in ſæculum tranſibo*; id eſt, cadent in retia eius (impii) peccatores, ego autem ſine ullo periculo evadam ſemper.

SA,

Petitio gratiæ & liberationis.

Verſ. 1. CLAMAVI, id eſt clamo.

V. 2. DIRIGATUR, id eſt grata aſcendat. INCENSUM; ſcilicet, quod tibi offerri ſolet. Chald. *ſuffimentum aromaticum*. SACRIFICIUM; pro, ſicut ſacrificium. Chald. *ſicut munus ſuave*, ſcilicet ſacrificium cibarium. VESPERTINUM. Chald. *quod veſpere offertur*.

V. 3. PONE DOMINE CUSTODIAM, id eſt cuſtodi. CIRCUMSTANTIAE, id eſt circumſtans; quaſi dicat, claudens.

V. 4. DECLINES, id eſt inclinari ſinas. VERBA MALITIAE, id eſt res malas. AD EXCUSANDAS, &c. quaſi dicat: Ita ut excuſem, & defendam ſiquid peccavero. CUM HOMINIBUS, id eſt ſimiliter hominibus. NON COMMUNICABO; pro, & ne communicem. ELECTIS; id eſt, iis quæ ipſi eligunt, & amant. Hieron. *delitiis* Chald. *conviviis*.

V. 5.

Digitized by Google

V. 5. Corripiet. Hieron. *corripiat*; quaſi dicat, Libenter admittam iuſti correptionem. In misericordia; pro, ex miſericordia. Chald. *propter miſericordiam.* Oleum, id eſt adulatio, ſeu blanditiæ. Impinguet, id eſt infundatur, (oleum enim effuſum impinguat) ſeu inungat. In beneplacitis; id eſt, ne capiantur iis, quæ delectant. Hieron. *pro malitiis eorum*, ſcilicet quibus delectantur; quaſi dicat, Ut convertantur.

V. 6. Absorpti sunt; pro, abſorbebuntur, ſcilicet aliquando Deo puniente. Iuncti petrae; Hieron. *iuxta petram*; quaſi dicat, Velut e ſaxo præcipitati, ut ſolet fieri hoſtibus. Audient; ſcilicet alii, punitis illis. Potuerunt; id eſt, valida fuerunt, ſeu efficacia; ſcilicet apud Deum cum orarem, vel quibus monebam eos, ut bene viverent, quandoquidem poſſent. Nota quod Hier. II. contra Pelag. ait legendum, *placuerunt*; quaſi dicat, Suavia ſunt, & quidem Græc. ἡδύνθησαν, noſter Interpres legit ἠδυνήθησαν.

V. 7. Sicut crassitudo, &c. id eſt, ut cum verſatur terra, & glebæ diſperguntur, diſſipata, &c. Infernum, id eſt ſepulcrum.

V. 8. Auferas, id eſt perire ſinas.

V. 9. Statuerunt. Hier. & Chald. *poſuerunt*.

V. 10. Eius, id eſt Dei, vel diaboli, vel ſuo. Græc. *eorum*, id eſt ſuo. Singulariter, ſcilicet ab impiis ſeparatus, vel liber. Vide Pſal. iv. Transeam, ſcilicet illæſus, vel migrem, ſcilicet ad feliciorem vitam.

ESTII.

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

MARIANAE.

Verſ. 1. Psalmus David. Orat in exilio pro ſe, & contra adverſarios. Exaudi me. Hebr. *feſtina mihi*; id eſt, cito opitulare, ſeu exaudi cito me.

V. 2. Sicut incensum; id eſt, thuris adinſtar recta ad te aſcendat, tibi placeat oratio. Elevatio, id eſt preces meæ. Sacrificium, id eſt ſicut ſacrificium ſint. Hebr. *oblatio*; ſed perinde eſt. Vespertinum: non ait matutinum, quoniam cum luce ad opus prodimus: nox ad nos & ad preces domum revocat.

V. 3. Pone Domine custodiam. Id eſt quod petit, & pro quo ſe cito exaudiri poſtulat. Et ostium circumstantiae. Hebr. *ſerva ianuam labiorum meorum*; id eſt, fac ut nihil perverſe loquar. Linguæ coſtodia divinum donum.

V. 4. Non declines; pro, declinare facias, permittas. Cor meum: quoniam ex corde verba procedunt: & vix lingua contineri poteſt, niſi cor cuſtodiatur. Ad excusandas. Gravius peccant qui culpam non agnoſcunt, ſed peccata excuſant, neque merentur veniam. Hebr. *Ad involvendum involucra in impietate*. Septuag. hæc involucra excuſationes putarunt, nos fraudes & dolos in genere intelligimus: quas artes verſutorum David averſatur penitus, verba fallacia ad decipiendum compoſita. Cum hominibus operantibus iniquitatem. Hebraice iungitur cum ſuperioribus; quaſi dicat: Non me excuſabo, aut fraudes nectam, ut ſolent iniqui facere. Et non communicabo (Gotth. *non combinabor*) cum electis eorum. Apollinar. per *electos* primos intelligit. Nullum mihi commercium erit, ne cum primis & principibus ex eo numero. Hebr. *Non comedam in delitiis eorum*; id eſt, eorum conviviis non intererо; id eſt, nullus mihi cum iis erit uſus. *Electa* Septuag. dixerunt *eorum feſta & voluptates*.

V. 5. Corripiet me iustus. Hebr. *percutiet*, ſeu *percutiat me iuſtus*. Nimirum iuſti vulnera malo quam iniquorum blanditias. In misericordia. Quia acerbitas iuſti ad bonum ſæpe refertur. Oleum autem peccatoris. Hebr. *oleum capitis*. Sed *caput* pro veneno, quia capiti ſerpentis maxime ineſt, aut ex capite aſpidis fit, & venenum pro peccatore: ſic Hebraica cum Septuag. conſentiunt. Non impinguet. Sic Hieronym. Sane vocem יני *ians*, non a נוא *nava*, quod eſt *frangere*, ſed a נוה *navah*, id eſt *ſpecioſum eſſe*, deduxere, hac ſententia, *Correptionem iuſti volo, oleo*, id eſt blanditiis, *iniqui nolo ut decoretur caput meum*. Pro *decorari*, Septuag. *impinguare* poſuerunt. Is

enim erat decor ab oleo. QUONIAM ADHUC ET ORATIO; id eſt, ſane oratio rurſus mea: ſic Hebr. Vertit preces contra iniquos. IN BENEPLACITIS EORUM. Iniquorum beneplacita ſunt mala; ea placent illis. Hebr. *in malis* ſeu *malitiis eorum*. Hoc eſt, preces meas contra mala eorum verto, ut ea deſtruantur, aut ut liberer ab eis.

V. 6. ABSORPTI SUNT IUNCTI PETRAE; pro, abſorbeantur. Hebr. *relinquantur in manibus petræ*, id eſt allidantur petræ: grave ſupplicii genus. IUDICES EORUM, id eſt optimates eorum. AUDIENT; pro, audiant, diſcant experimento. VERBA MEA; ſcilicet preces has contra illos directas. QUONIAM POTUERUNT; id eſt, non fuere inania & ſine effectu. Hebr. *quod iucunda fuerunt*: ſcilicet, Deo placuerunt, illis annuit.

V. 7. SICUT CRASSITUDO TERRAE ERUPTA EST SUPER TERRAM; id eſt, ut terra craſſa ſcinditur & rumpitur aratro. Hebr. *ſicut dividens & ſidens in terra*; ſcilicet, partes ligni fiſſi aut terræ huc & illuc diſpergit: ſic prorſus DISSIPATA SUNT OSSA NOSTRA. Hebr. *diſperſa*, nempe, proximi periculo fuimus: parum abfuit quin diſpergerentur oſſa. SECUS INFERNUM. Hebr. *ad os inferni*; id eſt, ſepulcri, morti fuimus vicini.

V. 8. NON AUFERAS ANIMAM. Tu tamen memor ſpei meæ, ne effundas animam meam; id eſt, a corpore ſepares.

V. 9. ET A SCANDALIS. Hebr. *tendiculis*, retibus cuſtodi me.

V. 10. IN RETIACULO EIUS, ſcilicet Saulis: aut *retiaculo eius*, id eſt ipſorum, ſuo, cadant: ſingulare pro plurali. SINGULARITER SUM EGO. Hebr. *pariter*, *ſimul*, quod Hieron. & Chald. iungunt cum ſuperioribus ſic: *Cadent in retiaculo ſuo peccatores ſimul*, id eſt omnes. Hebræi propter accentum *Athnah* ſic conſtruunt: *Simul*, ſcilicet ſis mecum, mihi opitulare, *donec tranſeam*, ſcilicet immunis. Septuag. dixere: *Singulariter ſum ego*; id eſt, peccatores cadent in laqueum, ego ſolus tamen evadam, tranſiboque adhuc liber.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PSALMUS DAVID. Notant hunc Pſalmum a Davide conſcriptum videri de tempore fugæ ſuæ, cum ex mandato Saulis obſervaretur a tribulibus ſuis in montibus Henghedi, I. Samuel. XXIV.

V. 2. DIRIGATUR ORATIO MEA SICUT INCENSUM IN CONSPECTU TUO. Alii: I. *Sit ſtabilis oratio mea ſicut ſuffimentum in conſpectu tuo*. II. *Firmetur*, *præparetur*, *valeat oratio mea pro ſuffitu ante faciem tuam*. III. *Statuatur oratio mea ut ſuffitus coram te*; id eſt, ita ſit grata & accepta, ut legitimæ illæ ceremoniæ ſuffitus ſacri, de quibus Exod. XXIX. & XXX. ELEVATIO MANUUM MEARUM. Alii; *munus*, *donum*. Plerique, *elevatio*, *elatio*, *manuum mearum*; id eſt, ſupplicatio quæ fit elatis manibus: Synecdoche. SACRIFICIUM VESPERTINUM. *Minchah veſperæ*: de qua vide Exod. XXIX. 38. & ſequentibus, Numer. XXIV. 3. & ſequentibus, & I. Reg. XVIII. 29. & 36. II. Reg. III. 20. & cap. XV. 35. & Hezræ IX. 5.

V. 3. PONE DOMINE CUSTODIAM ORI MEO, ET OSTIUM CIRCUMSTANTIAE LABIIS MEIS. Quidam reddunt: *Appone Domine cuſtodiam ori meo, & quod conſervet oſtium labiorum meorum*. II. *Pone Domine cuſtodiam ad os meum, & excubias ad ianuam labiorum meorum*. III. *Adhibe Domine frenum ori meo, & cuſtodiam ianuæ labiorum meorum*. Vocem שמרה *ſomrah*, quidam pro nomine ſubſtantivo capiunt, *Cuſtodia*, *obſervantia*: alii faciunt Imperativum. IV. *Compone Iehova*, *obſerva*, *cuſtodi*, *os meum*: *cuſtodi ſuper haurire labiorum meorum*; id eſt, cuſtodiens moderare quidquid efferunt labia mea; hoc eſt, ſermones meos rege, ne quid temere profundam, aut adverſarii mei ſubdole aliquid hauriant ex imprudentis animo. דל *dal*, acceperunt pro infinitivo verbi דלל *dalal*, vel דלה *dalah*, *haurire*: cum Hebræi fere capiant, pro דלת *deleth*, *ianua*, *oſtio*, per apocopen.

V. 4. NON DECLINES COR MEUM IN VERBA, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. transferunt. I. *Ne declina cor meum rei malæ*, vel *in rem malam*, *ad*

ope-

Digitized by Google

operandum operationes in impietate, cum viris operantibus iniquitatis: & non comedam in ſuavitatibus eorum. II. *Ne declines cor meum in verbum malum, volvere cogitationes impias, cum viris operantibus iniquitatem: neque comedere in delicatis cibis eorum*. III. *Non declines cor meum ad verbum malum, ad pervertendum opera in improbitate, cum viris operatoribus concupiſcentiæ: ut non comedam in iucundis eorum*, id eſt quæ illis iucunda ſunt. IV. *Ne flectas cor meum ad rem quamcumque pravam, ne quid moliar cum impietate coniunctum, utens opera facinoroſorum hominum: neque fruar delitiis ipſorum*. V. *Non patere cor meum labi ad rem malam, ut conſilium ineat, vel cum impio, vel cum hominibus ſceleratis: & ne fruar delitiis ipſorum*, vel *ne veſcar cibo voluptatum eorum*. VI. *Ne ſinas animum meum propenſum fieri ad maledicentiam, nec ſtudiis delectari cum impietate coniunctis, exemplo eorum, qui viri ſunt ſcelerati: nec tenear, quæſo, umquam deſiderio comedendi parta rapinis, quamvis raptoribus ipſis ſuaviſſima videantur*. VII. *Ne ſinas inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum ſtrenuis operam dantibus iniquitati: etiam ne ineſcer rebus amœnis eorum*; id eſt, confirma me adverſus mala & bona, ne ad dexteram aut ſiniſtram traducar nimis, vel allectamentis. Ad excusandas. להתעולל *lehithgholel*. Quidam ab עול *ghol*, quadrato; *ad pervertendum*; alii ab עלל *ghalal*, *ad agitandum, moliendum, ludicre agendum*, ſed omnino eadem radix, & ſignificatio eſt. Verbum in Hithpahel frequentiam, aſſiduitatem, & intenſionem operis deſignat; id eſt, ad aſſidue, indeſinenter, multumque agitare. Excusationes. עלילות *ghalilot*, *opera*, *ſtudia*, *molimina*, *ludicra*, &c. Vide Notas in Deuteron. xxii. 14.

V. 5. Corripiet me iustus in misericordia, &c. Multipliciter hunc verſum ex Hebr. transfundunt: I. Non fugi ocorrectionem, ſed *Caſtigabit me iuſtus gratia, & reprehendet me: oleum capitis* quo unctus ſum a Samuele, *non prohibebit caput meum* a ſubmiſſione: *quia opus & oratio mea in malitiis eorum*; id eſt, facto & oratione oſtendi me immunem, ,cum illi perſequerentur me. II. *Percutiet me iuſtus in miſericordia, & arguet me, oleum principatus non devitabit caput meum: quia adhuc oratio mea pro malitiis eorum*. III. *Percutiat me iuſtus*, erit *miſericordia*, ſeu *beneficium, & increpet me*, & erit *oleum capitis*; id eſt, *præcipuum*, quod *non franget caput meum: quoniam adhuc* ero, *& oratio mea in mala eorum*. Ac ſic dicat: Corripi & caſtigari me a iuſtis erit mihi beneficio, ac vice unguenti optimi & fragrantis, nec mihi ullum detrimentum afferet, ſed emolumenti plurimum: quia quamdiu vixero, preces ſundam, ne ſinat Dominus me labi in ſcelera eorum. IV. *Percutiat me iuſtus benignitate, & arguat me; neque unguentum optimum offendet meum caput: nam ita perſtabo, & precatione utar, cum iſti mihi mala ſtruunt*. V. *Verberet me iuſtus, & gratum faciet, corripiat me, & unguentum capiti meo infundet, neque turbabit caput meum: ſed adhuc pro malis iſtorum orabo*. VI. *Verberet me potius iuſtus, & beneficii loco habiturus ſum: & ſi caſtiget me, vulnus illud adeo capiti meo moleſtum non erit, ut pro ſaluberrimo medicamine amplexurus ſim illud: nec a propoſito deterrebit me, ſed pergam potius orare Dominum, ut ſervet me quam alieniſſimum a ſceleratis impiorum operibus*. VII. *Retundat me iuſtus, benignitas* erit; id eſt, ducam pro maximo beneficio: *& corripiat me; unguentum* erit, *caput*, ſeu *præſtantiſſimum*, ut Exod. xxx. 23. *nec irritum faciat a capite meo*; id eſt, ne deſinat umquam odoratiſſimis ſuis reprehenſionibus, & iucundiſſimis me aſpergere: metaphora: *quo amplius fecerit, eo amplius oratio mea erit in malis eorum*; id eſt, quæcumque mala feram ab eis, non exacerbabunt animum meum, ſed potius efficient, ut gratis precibus eos commendem Deo. Obſervant, eſſe hic ætiologiam petitionis a perſona adverſariorum, per elegantiſſimam hypotheſin, & contentionem rethoricam; quaſi dicat: Si iuſtus me perſequeretur, & iuſta de cauſa affligerer, ferrem, & orarem pro illo, hoc verſu: ſed iſti conſcii cum animo ſuo æquitatis meæ, & velint nolint optime convicti, inſidiantur mihi, verſu ſequente: adeo ut pene rumpamur afflictionibus, verſ. 7. VIII. Hebræorum nonnulli exponunt: *Percutiat me iuſtus pietate, & increpet me: oleum autem pretioſum ne fran-*

gat caput meum: *quoniam adhuc oratio mea contra malitiam eorum*; ac ſi dicat: Malo ut me cædant iuſti, quam ut improbi primario ac ſuaviſſimo unguento me delibutum reddant; hoc eſt, omni genere beneficiorum ac delitiarum perfundant: nam verba piorum mihi beneficio ſunt: blanditiæ autem & delitiæ impiorum caput mihi frangunt, id eſt bona animi perdunt. Hunc ſenſum ſecutus eſt Noſter. Quidam reddunt: *Oleum capitis ne lamentari faciat caput meum*; id eſt, ſublimis adulatorum delinitio ne mihi ſit in lamentum. Non impinguet. Heb. *Non caſſabit, rumpet, franget*, &c. Vide Numer. xxx. 6.

V. 6. Absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum. Multifariam ex Hebr. exponunt. I. *Derelicti ſunt in manibus petræ*; id eſt, Saul ſolus relictus in ſpelunca facile potuit a me obtruncari, I. Samuel. xxiv. Utitur autem numero plurali, quia Reges inſtar multorum ſunt, & in ipſis proceres quoque intelliguntur: nam interfecto Rege, principes diſſipantur. II. *Diſtrahantur ſuper acumina lapidum iudices ipſorum*. III. *Deiiciantur in locis petroſis iudices eorum*. IV. *Demittantur libere de petra iudices ipſorum*; id eſt, præcipitentur ſine impedimento, ut in terram graviore lapſu colliđantur, ut Romæ de ſaxo Tarpeio: ſic II. Paralipom. xxv. 12. V. *Demittentur iudices eorum per loca ſaxoſa*, id eſt raptabuntur. VI. *Derelinquantur in manibus rupis iudices eorum*; id eſt, rectores eorum præcipitentur e ſaxo. VII. *At dimovent ſe per latera petrarum iudices iſtorum*. Apodoſis præcedentis hypotheſeos, ut dictum eſt verſ. 5. quaſi dicat: Utcumque redarguat eos conſcientia ipſorum, & doceat æquitatem cauſæ meæ, tamen omnes anguſtias, & fauces montium obſervant, ut inſidientur mihi; *per latera petrarum*, id eſt arduarum rupium, in quibus habitacula ſua ſtatuebat David. Eiuſmodi enim fuiſſe locum Henghedi, dicitur I. Samuel. xxiv. 3. *iudices iſtorum*; id eſt, non tantum plebeis populares ex Ziphæis Mehonitis, & ceteris proditoribus; ſed etiam primores quique certatim Sauli miniſtrantes. Ineptiſſima, & ridiculoſiſſima eſt eorum explanatio, qui hunc locum de lapidoſa chiragra, quæ craſſis divitibus obvenire ſolet, accipiunt: vide Commentaria Caſauboni in Perſii Satyram v. Audient verba mea quoniam potuerunt. Ex Hebr. alii: I. *Et audient*, Saul & ſui, *dicta mea, quoniam dulcificata ſunt*: vide I. Samuel. xxiv. 9. & ſequentibus, dulciſſima verba Davidis. II. *Et audient verba mea, quoniam placentia ſunt*. III. *Et audient verba mea, quoniam dulcia ſunt*. IV. *Et audient ſermones meos quia iucundi ſunt*. V. *Quamvis intelligant ſermones meos amœnos eſſe*; id eſt, me ne verbo quidem ullum offendere, ſed gratificari quam poſſum maxime. Alii hunc verſum ita reddunt: *Offendebant ad petram iudices eorum*; hoc eſt, impingebant, corruebant: *ſed adhuc auſcultabant verbis meis, quoniam læta erant eis*. Nonnulli: *Quando ſupplicium ſumetur, & veluti præcipitabuntur de rupibus iudices eorum*; *tum ſentient quanto fuiſſet illis ſatius auſcultare ſermonibus meis gratioſitate conditis, & a maledicentia diverſis*.

V. 7. Sicut crassitudo terrae erupta ets super terram: dissipata sunt ossa nostra secus infernum. Alii ex Heb. I. *Sicut dividens & ſcindens in terra diſperſa ſunt oſſa*, vel *robora noſtra ad os foveæ*. II. *Sicut a partiente & ſcindente terram diſſipata ſunt oſſa noſtra in ore inferni*. III. *Sicut ſcindens, & findens ligna in terra: ita diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os ſepulcri*, id eſt iuxta ſepulcrum. IV. *Sicut avellens*, ſeu *partiens, & findens*; vel *ſicut qui frangit, & ſecat ligna in terra; ita diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os ſepulcri*: V. *Oſſa noſtra diſperſa iacent coram fovea, perinde ac dum quis terram diſcindit ac perfodit*. VI. *Oſſa noſtra morti proxima diſperſa ſunt, perinde ac ſi quis ligna findat, aut terram proſcindat*. VII. *Ut qui dividit, & findit ligna in terra*: ſubaudi, efficit ut huc, illucque partes diſſiliant: *ita diſſipata ſunt oſſa noſtra ad os ſepulcri*: metaphora videtur ſumpta, quando aperitur fovea mortuorum, ut novus mortuus ſepeliatur, tunc alia oſſa effoſſa cum humo ad os foveæ ſparguntur. VIII. *Sicut cum agricola terram proſcindit & frangit; ita diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum*; id eſt, ut ſolet agricola ſubigendo & glebas frangendo terram diſſipare, ita viri impii oſſa mea & meorum infregerunt; quaſi dicat: In ea diſcri-

diſcrimina nos adduxerunt, ut prope ad mortem acceſſerimus: metaphorica hyperbole. IX. *Sicut qui amputant arbores & findunt ligna, & per terram ſpargunt huc atque illuc, quæ amputata ſunt; ſic oſſa noſtra diſperſa fuerunt & ſoluta præ metu mortis: ad ipſum enim uſque ſepulcrum perveneramus*. X. *Quaſi diſſecaret quis & finderet in terra, diſperguntur oſſa noſtra trudenda in os ſepulcri*; id eſt, iam tanta vi me & meos circumſtant, ut in nos omnes involaturi ſunt, ut mox diffringendi, & membratim diſcerpendi ſimus illorum impetu, niſi tu o Deus ſuccurreris: quod diſcrimen elegantiſſima ſimilitudine lignariorum adumbratur.

V. 8. QUIA AD TE DOMINE, DOMINE OCULI MEI. Quidam: *Cum ad te, Iehova, Domine* reſpiciant *oculi mei*. Alii: *Ad te enim, Iehova, Domine oculi mei* conjecti ſunt, vel aſſidue intenti ſunt: ætiologia petitionis, a fide ſua in Deum, & promiſſiones eius. NON AUFERAS ANIMAM MEAM. Varie ex Heb. exponunt. I. *Ne evacua animam meam*; id eſt, ne fruſtra aut defrauda eam ſpe ſua, ſeu tua ſalute. II. *Ne effundas animam meam*; id eſt, *ne ſinas dilabi, & perire vitam meam*, ne permitas ut vitam profundam. III. *Ne haurias animam meam*. IV. *Ne nudes animam meam*; id eſt, ne deſtituas defenſione & ſalute tua: metaphora.

V. 10. CADENT IN RETIACULO EIUS PECCATORES. Ego numquam dubitaverim Noſtrum ſcripſiſſe *in rete iaculo*, vel *in rete iaculum*. Hebr. pluraliter: *In retia iacula*, qua voce utitur Plautus in Aſinaria, ſcena prima. Vide Turnebum Lib. XVIII. Adverſariorum, cap. XXVI. Virgilius I. Georgicorum, *fundam* appellat:

Atque alius latum funda iam verberat amnem.

Ubi Servius: *Genus eſt retis dictum a fundendo, id eſt iaculum quod dicitur Bolos*. Vide Notas in Iſaiæ XIX. 8. Hunc verſum alii ita vertunt. I. *Impiique ſimul incidant in caſſes ſuos, ego autem uſque progrediar*, vel *donec ego tranſeam*, id eſt *interim dum evadam*. Aliqui: *Pariter ego perpetuo tranſeam*, id eſt vadam, ſubaudi illæſus, & non capiar tendiculis eorum. II. *Incidant in retia ſua impii, donec ego interim prætercam*. III. *Incidant in ſua ipſorum potius retia impii una omnes, quoad ego ſalvus prætericro*. IV. *Cadat in retia iacula quiſque ſua; una ego dum tranſiturus ſum*; id eſt, ipſi ſuis artibus capiantur, ego vero tecum, duce te, prætergrediar incolumis: metaphora a piſcibus. EIUS, exponunt, id eſt Saulis, vel ſua unuſquiſque eorum.

MENOCHII.

Verſ. 2. DIRIGATUR..... SICUT INCENSUM. Recta tendat ad te, & iucunda tibi accedat, ut odoratus thuris, aut thymiamatis ſuffitus. ELEVATIO MANUUM MEARUM, ad orandum, ſic ſupra Pſalm. CXXXIII. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta*, &c. SACRIFICIUM VESPERTINUM; ſit velut ſacrificium incenſi, quod ad veſperam offertur. Vel grata ſit ut veſpertinum agni holocauſtum. At cur potius vult eſſe ſimilem ſacrificio veſpertino, quam matutino, cum tam mane, quam veſperi & thymiama offerretur, & agnus? Ratio eſt, vel quia Pſalmum hunc cecinit ad veſperam, vel quia ſacrificium veſpertinum nobilius erat, quia figura erat ſacrificii Crucis, quod ad veſperam factum eſt.

V. 3. PONE CUSTODIAM ORI MEO: ne quid temere egrediatur ex ore meo per impatientiam, aut deſperationem. OSTIUM CIRCUMSTANTIAE, &c. Oſtium quod circumſtet, circumdet, & muniat labia mea.

V. 4. NON DECLINES COR MEUM, &c. Ne permittas cor meum inclinare, aut labi in verba inconſulta, aut mala. AD EXCUSANDAS EXCUSATIONES, &c. ut peccata mea excuſare velim, aut minuere. Fecit hoc David qui reprehendentem Natan audivit, nec culpæ ſuæ excuſationem prætexuit, ſed ingenue ſe peccaſſe profeſſus eſt, cum ait, *Peccavi Domino* II. Reg. XII. CUM HOMINIBUS OPERANTIBUS INIQUITATEM: ut impii faciunt, qui cum peccaverint, ſe excuſare tamen & purgare nituntur. NON COMMUNICABO CUM ELECTIS EORUM. Quemadmodum oravi te Domine, ne me lingua labi permittas; ita etiam rogo, ut non permittas me eſſe participem, aut gaudere iis, quæ ipſi eligunt, & probant.

V. 5. CORRIPIET ME IUSTUS, &c quaſi dicat: Lubens hoc feram, ut me iuſtus miſericorditer, & humaniter corripiat cum peccaveto. OLEUM AUTEM PECCATORIS, &c.

Blan-

Blanditiæ autem peccatoris non demulceant me. Malo corripi a iuſto, quam a peccatore laudari, & demulceri. Eſt alluſio ad veterem ritum, qui amicos, quos convivio excipiebant, perſundebant odoratis unguentis. Sic Chriſtus, Phariſæi, a quo convivio fuerat exceptus, inofficioſam ruſticitatem ſugillavit, Lucæ VII. 46. *Oleo caput meum non unxiſti*. ADHUC ET ORATIO MEA IN BENEPLACITIS EORUM. Non ſolum non communicabo cum impiis, ſed adhuc oratio mea ad Deum eſt in beneplacitis eorum; id eſt, adverſus eorum vitia, & ſcelera, in quibus ipſi ſibi placent. Vel ſenſus eſt: Oratio mea inſtat, & perſeverat adverſus eorum malitiam; in qua ſibi placent, ut tuo auxilio eorum vexationes amoliri queam.

V. 6. ABSORPTI SUNT, hauſti ſunt fluctibus, & ſubmerſi in illis perierunt. JUNCTI PETRAE, ad ſcopulos alliſi. IUDICES EORUM: Principes eorum: præcipui inter ipſos. AUDIANT VERBA MEA, QUONIAM POTUERUNT. In Hebræo eſt, *quoniam dulcia fuerunt*: cui conſentit Græcus contextus, ὅτι ἡδύνθησαν, *quoniam ſuavia facta ſunt*. Noſter Interpres videtur legiſſe ἐδυνήθησαν, *potuerunt* a verbo δύναμαι, non autem ἡδύνθησαν, a verbo ἡδύνομαι, ſenſus eodem tendit, nam verba dulcia, & ſuavia, potentia ſunt ad animos movendos. Audiant verba mea, quoniam ad leniendos & percellendos etiam animos efficacia ſunt.

V. 7. SICUT CRASSITUDO TERRAE, &c. In Hebræo eſt, *ſicut ſcindens, aut findens in terra*, & ſenſus eſſe videtur. Ut ſolet agricola findendo, & proſcindendo terram, glebas diſſipare; ita iſti oſſa, & vires noſtras infregerunt; noſque in eas anguſtias adegerunt, ut morti iam ſimus proximi. Bellarminus nectit cum precedentibus hoc modo: Verba mea potuerunt, prævalebunt, efficacia fuerunt ad conterenda corda eorum, ficut craſſitudo, durities terræ vi ligonis, aut aratri violenter impacti frangitur, & perrumpitur. Alii ita explicant. Nimia impiorum ſævitia eo redacti ſumus, ut oſſa noſtra circa ſepulcri fauces diſiecta iaceant, haud ſecus atque ſecandis manu lignatoris arboribus, fragmina huc illuc per terram circumſperſa.

V. 8. QUIA AD TE DOMINE OCULI MEI, &c. Verum, Domine Deus mi; quoniam in te aſſidue intenti ſunt oculi mei, auxilium a te expectantes, ne permittas hoſtes meos eripere mihi vitam, cui inſidiantur.

V. 9. A LAQUEO, ab inſidiis. STATUERUNT: tetenderunt, inſtruxerunt. SCANDALIS: tendiculis, inſidiis.

V. 10. CADENT IN RETIACULO EIUS: ſuis ipſi laqueis implicabuntur, & conſtringentur. SINGULARITER SUM EGO. In Græco eſt, καταμόνας *ſolitarie*, ſolus, ab impiorum cœtu remotus. Vel ſolus ſum, & ab omnibus deſtitutus, & ſolo tuo præſidio fretus. DONEC TRANSEAM: illorum retia, & inſidias evadam. S. Ioan. Chryſoſt. de tranſitu mortis interpretatur; quaſi dicat: Solitarius, & reductus ero ab eorum ſtudiis, & conſuetudine, donec ad meliorem vitam tranſeam.

TIRINI.

Verſ. 2. DIRIGATUR; (Hebraice, recta aſcendat, & placeat tibi) ELEVATIO MANUUM MEARUM; id eſt, oratio quam oro manibus in cælum elatis. Placeat, inquam, SICUT INCENSUM, id eſt thymiama, & SICUT SACRIFICIUM VESPERTINUM, ſeu quod iugiter veſperi offertur tibi, nempe farinæ cum agno immaculato, Exodi XXIX. & Num. XXVIII. quæ typus erant & Euchariſtiæ veſperi inſtituendæ, & ſacrificii Crucis ſub veſperam conſummendi. Videtur que veſpertinum ſacrificium, utpote conſummationis totius diei, & quia plures intereſſe ſolent, honoratius fuiſſe matutino.

V. 3. & 4. PONE CUSTODIAM, id eſt cuſtodi, ET OSTIUM CIRCUMSTANTIAE; id eſt, oſtium quod labia mea circumſtet, & cuſtodiat per circuitum, ut nihil per ipſa egrediatur quod mihi obeſſe poſſit; verbi gratia, ut nulla VERBA MALITIAE per impatientiam vel deſperationem effutiam contra te, vel contra hoſtes meos: neque *excuſem* me in eo in quo conſtat me peccaſſe. Item *ne communicem* CUM ELECTIS impiorum; Hebraice, *cum deliciis*; quaſi dicat: Ne interſim conviviis, *cantilenis*, ut Chaldæus; tripudiis, aliiſve laſciviis mundanorum. Ita quoque Symmachus, & S. Hieronymus.

V. 4.

V. 5. Oleum; id eſt, blanditiæ, adulationes, delitiæ & beneficia impiorum non inuugant aut demulceant me, ut iis aſſentiar, & participem de ſceleribus illorum. Ita S. Hilarius, Auguſtinus, Theodoretus. Unde Hebræa habent, *oleum veneni*; Hieronymus, *amaritudinis*. Quoniam adhuc; ſupple, modicum ſupereſt temporis, et exaudietur a Deo oratio mea, quæ verſatur in, id eſt circa, beneplacitis eorum; id eſt, circa delitias & petulantias eorum, ut ſcilicet Deus iis tandem aliquando finem faciat. Unde Hieronymus, Symmachus & Aquila vertunt, *pro malitiis eorum*, Chaldæus, *in malitiam eorum*, ſupple puniendam. Ita Theodoretus.

V. 6. Tunc absorpti sunt, pro, abſorbebuntur, & interibunt, iuncti petrae, id eſt alliſi ſaxis, vel e rupe præcipitati iudices, id eſt principes, eorum. Ita factum Idumæis II. Paralip. xxv. 12. Audient; id eſt, punitis ſic principibus, alii omnes illo exemplo tunc cognoſcent, quoniam verba mea, quibus Deum oravi ut impios puniret, potuerunt; id eſt, potentia & efficacia fuerunt, obtinueruntque quod petebant.

Allegorice, Ianſenius, perditis dæmonibus & tyirannis per petram, quæ eſt Chriſtus, cœperunt Gentiles auſcultare Evangelio.

V. 7. Sicut crassitudo terrae erupta est. Symmachus & Aquila, *ſicut craſſa*, ſeu pinguis, *terra aratro diſciſſa rumpitur*, & glebæ hinc inde in proximos ſulcos ab agricola ſparguntur: ſic ossa; id eſt, vires noſtræ ab hoſtibus confringuntur & diſſipantur, in eaſque anguſtias redigimur, ut morti & inferno proximi ſimus. Alludit ad oſſa Martyrum inſepulta, inquit S. Auguſtinus.

V. 8. Quia ad te, &c. Refer ad id quod ſequitur, *Non avertas*; Chaldæus, *ne effundas*, animam, id eſt, vitam, meam.

V. 9. A scandalis. De quibus Pſalmo præcedenti verſ. 6.

V. 10. In retiaculo eius, ſcilicet Dei, inquit Theodoretus; vel primarii principis impiorum, Ianſenius. Vel *in retia ſua*, ut vertit Symmachus & Chaldæus; id eſt, ſuiſmet laqueis illaqueentur. Sed *ego ſim* singulariter; id eſt, ſemotus, & ſic tutus a laqueis eorum, donec transeam illæſus: vel donec migrem ad vitam feliciorem: ita Theodoretus. Allegorice, S. Auguſtinus, Chriſtus deſertus ab omnibus, ſolus ſubivit paſſionem.

GORDONI.

Titulus eſt, Psalmus David. Receptus ſine additione ulla, & auctorem eſſe Davidem ſatis indicans. Argumentum idem eſt, quod præcedente Pſalmo, & aliqui illud reſtringunt ad Davidem vexatum a Saule.

Verſ. 4. Non declines. μὴ ἐκκλίνῃς hoc eſt, ne permittas: Deus enim non impellit ad peccatum. In Heb. אל תט *al tat*, *ne inclines*, rad. נטה *declinavit*, *divertit*: & alibi ſæpe explicatus eſt hic loquendi modus.

V. 5. Oleum autem peccatoris, &c. In Hebræo eſt oleum capitis, *ne frangat caput meum*, ראשׁ אל יני ראשׁי *rowel iani rowi*, ubi notatur alluſio ex varia ſignificatione nominis ראשׁ: cum enim ſignificet tum caput, tum venenum (& ex Sept. ἔλαιον ἁμαρτωλοῦ) priori loco deſignat venenum. Hieronymus vertit, oleum amaritudinis, nec prionde illi qui intelligunt bonum, & præcipuum, cum Sept. & Vulgata his repugnent. Nec faveat vox Hebraica utpote anceps. Quoniam adhuc oratio mea, &c. Locus perobſcurus eſt, Certe beneplacita peccatorum ſunt mala, & peccata. Ergo oratio iuſti verſatur in beneplacitis eorum: nempe, ne vel iuſtus decipiatur inde; vel ut ipſi deſiſtant ab his beneplacitis. Attamen video, inquit, eos grave periculum adire; nam iam perierunt duces, & principes eorum, velut homines abſorpti a fluctibus, & alliſi ad petram.

V. 6. Audient verba mea, quoniam potuerunt, &c. Perierunt, ut dicebat, duces eorum, magna ex parte; ſed ex his, qui remanſerunt, plerique audient verba; & quoniam potuerunt, ſeu potentia verba ſunt, fiet ut plures reſipiſcant, erumpant & evadant in viros meliores, ad ſimilitudinem erumpentis pinguedinis terræ.

V. 7. Dissipata sunt, &c. Redit ad petitionem initio indicatam: oratque, ut liberet Deus animas a tentationibus. Cetera obſcura non ſunt.

Ex

Eiuſdem Paraphraſis.

Verſ. 1. Quis hic loquatur, petens exaudiri, dixi in titulo. Quæ vero petit, ſunt hæc: Primum verſ. 2. ut Deus dirigendo doceat recte orare. Secundum verſ. 3. ut linguam recte dirigat, dans quaſi circumſtans oſtium. Tertium verſ. 4. ut non excuſet, ſed confiteatur peccata ſua. Quartum verſ. 5. ut cuſtodiatur a conſuetudine impiorum. Quintum verſ. 6. ut inveniat fidelem amicum, qui corripiat, nec placeat ſibi in adulatione peccatorum. Sextum verſ. 7. ut liberetur ab omni periculo inimicorum; quorum (ut ſubiungit) prævidet ruinam. Et pro coronide profitetur ſe ſolitarie ab impiis vitam acturum, donec tranſeat ab hac vita ad felicitatem. Quæ ſunt difficiliora inſequuntur.

BOSSUET.

Verſ. 1. EXAUDI ME: *feſtina mihi*, Hier. ut LXIX. 2.

V. 2. INCENSUM: *ſuffitus*, Heb. SACRIFICIUM VESPERTINUM: quod frequentius & honoratius erat, completo diei opere.

V. 3. PONE DOMINE CUSTODIAM ORI MEO: ne Saulis & adverſariorum circumventus inſidiis, odiiſque exaſperatus, aliquid incautum effutiat, aut maledictum pro maledicto reddat. ET OSTIUM CIRCUMSTANTIAE. Hæc cuſtodia ita muniat tueaturque oſtium labiorum meorum, quemadmodum adhibita cuſtodia cavere ſolent ne quis effugiat.

V. 4. AD EXCUSANDAS EXCUSATIONES. Alii; ad involvenda involucra in impietatibus; quod idem eſt: poterat enim Davidis animum ſubire cogitatio de occidendo inimico; puta Saule, atque aliis; eo quod toties inſidiati non immerito perderentur; ſed hanc excuſationem non admiſit ſimplex & candidus Davidis animus. Theodor. hæc valent adverſus eos, qui fucare & colorare flagitia, quam emendare malunt. ET NON COMMUNICABO CUM ELECTIS EORUM: cum amiciſſimis eorum: mali enim peſſimum quemque impenſius diligunt: at Hier. *Neque comedam in delitiis eorum*: non interero eorum delicatis conviviis; neque voluptate blanditiiſque ineſcatus, iis me dedam.

V. 5. CORRIPIET ME IUSTUS: ut Paulus ad Gal. III. 1. *O inſenſati Galatæ quis vos faſcinavit?* IN MISERICORDIA: cum ſubdat: *Filioli mei, quos iterum parturio*: Gal. III. 1. IV. 19. OLEUM AUTEM PECCATORIS... verba adulatoria impiorum non me decipiant: *meliora enim vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis*: Prov. XXVII. 6. at Heb. *Contundat me iuſtus benignitate*: bene conſulendi ſtudio, increpet me: erit ſicut oleum primum, puriſſimum, præſtantiſſimum: non franget caput meum: me non lædet. ORATIO MEA IN BENEPLACITIS EORUM: fauſta eis imprecor, *pro malitiis eorum*. Hier. orat pro inimicis; quæ tamen oratio eis non profuit: nam ſequitur:

V. 6. & 7. ABSORPTI SUNT IUNCTI PETRAE... id eſt, miſſi ſunt in manus petræ: Heb. *petræ colliſi ſunt*: manus pro robore: hebraiſmus: ſic infra 9. *de manu laquei*: Heb. IUDICES EORUM: optimates, principes; ſenſuſque eſt: Ego divino præſidio fui petra duriſſima, ad quam principes eorum alliſi confractique ſunt. QUONIAM POTUERUNT.. *dulcia ſunt*: Heb. ita & LXX. *ἡδύνθησαν dulcia facta ſunt*: pro quo Vulg. legit *ἠδυνήθησαν potuerunt*. SICUT CRASSITUDO TERRAE: ſicut terra denſiſſima, proſciſſa, aratro iam immiſſo, ita diſſipati ſumus: *ſicut agricola cum ſcindit terram: ſic diſſipata*, &c. Hier. ſtatim in ſepulcrum deiiciendi videbamur, ſcrobe iam aperta.

V. 9. A SCANDALIS OPERANTIUM INIQUITATEM: ab eorum tendiculis: ab offendiculis, quæ gradienti obiectabant.

V. 10. IN RETIACULO EIUS: viri doloſi atque artificis: his laqueis impii facile capientur: cupiditate ſua, amentiaque præcipites: ſuiſque intenti dolis, aliorum technas non cogitant. SINGULARITER SUM EGO: *unus ego, donec tranſeam*: Heb. ſeparatus ab impiis, eorum ruina non involvor.

Digitized by Google

PSALMUS CXLI. DEPRECATORIUS

VERSIO S. HIERONYMI.	VERSIO VULGATA.
Eruditio David. Cum eſſet in ſpelunca, oratio.	1. Intellectus David. Cum eſſet in ſpelunca, oratio. (I. *Reg.* XXIV.)
VOce meá ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.	2. (*a*) VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum:
Effundam in conſpectu eius eloquium meum, tribulationem meam coram illo annuntiabo.	3. Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.
Cum anxius in me fuerit ſpiritus meus: tu enim noſti ſemitam meam, in via hac qua ambulabo, abſconderunt laqueum mihi.	4. In deficiendo ex me ſpiritum meum; & tu cognoviſti ſemitas meas. In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.
Reſpice ad dexteram, & vide quia non ſit qui agnoſcat me: periit fuga a me, & non eſt qui quærat animam meam.	5. Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me. Periit fuga a me, & non eſt qui requirat animam meam.
Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, pars mea in terra viventium.	6. Clamavi ad te Domine; dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.
Auſculta deprecationem meam, quoniam infirmatus ſum nimis: libera me a perſecutoribus meis, quoniam confortati ſunt ſuper me.	7. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis. Libera me a perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.
Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo: in me coronabuntur iuſti, cum retribueris mihi.	8. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

(a) Sup. lxxxvi. 1.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. CUM ESSET IN SPELUNCA ORANS. Hebr. *Cum eſſet in ſpelunca, oratio.*

V. 3. EFFUNDO IN CONSPECTU EIUS ORATIONEM MEAM. Hebr. *Effudi, & pronuntiavi.*

V. 4. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITUM MEUM. Hebr. *Cum augeret ſeſe in me ſpi-* *ritus*

ritus meus; id eſt, cum anxio & ancipiti animo eſſem, neſciremque quo me verterem, tu cognoviſti ſemitam meam, id eſt duxiſti me recta via.

V. 5. CONSIDERABAM AD DEXTERAM, ET VIDEBAM. Hebr. *Aſpicere ad dexteram & videre* (me) *& non erat qui agnoſceret me*. Videtur per infinitum loquens ſignificare velle ſollicitudinem, quaſi verbo frequentativo, circumſpectabam huc & illuc. PERIIT FUGA A ME. Hebr. id eſt, nullum mihi ſupererat refugium, & non eſt qui curam habeat vitæ meæ.

V. 6. PORTIO MEA IN TERRA VIVENTIUM; id eſt, tu mihi ſolus reliquus es, in quo ſperare poſſim, & quem meum eſſe dicam in hac vita.

V. 8. EDUC DE CUSTODIA ANIMAM MEAM. Cuſtodiam intelligit ſpeluncam, in qua latebat, dicitque fore ut ſi hoc ſibi quod petit, Deus concedat, homines pii ſeſe circumdent ob tantum Dei beneficium gratulabundi.

S A.

Oratio afflicti.

Verſ. 1. INTELLECTUS. Hieron. *eruditio.* SPELUNCA, ſcilicet Odollam. Vide I. Reg. XXII.

V. 3. EFFUNDO, id eſt prolixe expono. Hieron. & Chald. *effundam*. PRONUNTIO, id eſt aperio. Hieron. & Chald. *annuntiabo*.

V. 4. IN DEFICIENDO: iungendum cum ſuperioribus; quaſi dicat: Id vero facio, dum ſpiritus meus præ afflictione deficit. EX ME. Hieron. & Chald. *in me*. COGNOVISTI. Chald. *cognoviſſes*. SEMITAS, id eſt vitæ rationem; quaſi dicat, Innocentiam meam.

V. 5. AD DEXTERAM; quaſi dicat: An eſſet qui mihi opem ferret, id enim eſt, A dextris eſſe. COGNOSCERET, id eſt agnoſceret ut adiuvaret. PERIIT, &c. quaſi dicat: Non poteram effugere. REQUIRAT, ſcilicet ut ſubveniat.

V. 6. PORTIO. Hieron. *pars*; quaſi dicat, Hereditas, & totum bonum meum. VIVENTIUM, ſcilicet beatorum.

V. 7. HUMILIATUS, id eſt afflictus. Hieron. *infirmatus*. Chald. *pauper factus*. CONFORTATI SUNT SUPER ME. Chald. *fortiores me facti ſunt*.

V. 8. CUSTODIA. Hieron. *carcere*; quaſi dicat, Malis, quibus premor, vel vita hac miſera. EXPECTANT, ſcilicet in cælo, vel in terra. RETRIBUAS, ſcilicet mercedem: vel pro, tribuas, ſcilicet liberationem.

E S T I I.

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. INTELLECTUS DAVID. Hebr. *erudiens* (ſcilicet Pſalmus) *Davidis*. De hoc titulo Pſal. XXXI. 1. & adverte, terdecies in Pſalmorum titulis hanc inſcriptionem extare. Ac fere ponitur, cum aliquid præcipuum & inſigne in Pſalmo eo continetur. CUM ESSET IN SPELUNCA, ORATIO. De hac ſpelunca, ſive Odollam, ſive Engaddi, quo fugit David Saulis metu, I. Reg. XXII. & XXIV. Rebus deſperatis auxilium implorat divinum.

V. 3. EFFUNDO, ſive *effundam*: copioſe explicabo, aut effudi. ORATIONEM MEAM. Hieronymus, *eloquium meum*. Alii, *commentationem meam*. PRONUNTIO, indicabo, manifeſtabo illi (Deo) afflictionem meam, aut manifeſtavi.

V. 4. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITUM MEUM. Iunge cum ſuperioribus. Tunc clamavi, cum præ anguſtia deliquium paterer, aut ſpiritus, id eſt conſilium deficeret. ET TU COGNOVISTI SEMITAS MEAS; id eſt, vitæ innocentiam, tu noſti immerito hæc contingere. IN VIA HAC QUA AMBULABAM; quaſi dicat: Nihilominus contra innocentiam meam adverſarii calumnias ſtruebant.

V. 5. CONSIDERABAM AD DEXTERAM. Hebr. *reſpice ad dexteram*, ſcilicet, ad ſiniſtram, quocumque vertas oculos. ET VIDEBAM. Hebr. *& vide*. ET NON ERAT: ſcilicet, omnes me dereliquerunt mei obliti. PERIIT FUGA A ME. Hebr. *refugium*, non habeo quo confugiam. ET NON EST QUI REQUIRAT ANIMAM MEAM,

Digitized by Google

MEAM, id eſt vitæ meæ curam habeat: ſic ſola ſupereſt ſpes in te.

V. 6. CLAMAVI AD TE, ut ſcilicet opem in malis feras. PORTIO MEA IN TERRA VIVENTIUM, ſcilicet ſit. Illi tendunt laqueos, me occidere ſatagunt: ego de te confido, me diutius fore victurum; id eſt, portionem meam eſſe in terra viventium. In Regiis Græce & Latine: *Portio mea es in terra viventium*, ſed falſo, uti alii codices convincunt.

V. 7. INTENDE AD DEPRECATIONEM MEAM. Hebr. *ad clamorem meum*, id eſt fervidam precationem. QUIA HUMILIATUS SUM NIMIS. Hebr. *attenuatus ſum valde*. Cum vires deſunt, tunc Deus ſuccurrit.

V. 8. EDUC DE CUSTODIA. Hieronymus, *de carcere*. Speluncam vocat *carcerem*. ANIMAM MEAM, vitam meam, aut me. In ſupremo tunc periculo fuit, Saule eas latebras ingreſſo. AD CONFITENDUM, laudandum. ME EXPECTANT IUSTI: ſcilicet, ut cum evaſero tua ope, te laudent mecum propter me. Tangemus ergo laudes. Hebr. *in me*; id eſt, propter me, *coronabunt iuſti*, aut ſeipſos præ lætitia, aut *te laudibus coronabunt*, ut Chald. explicat. DONEC RETRIBUAS MIHI. Id tempus expectant, ut mecum te laudent. Hebr. *cum retribues mihi*; id eſt, cum me eripueris, tunc coronam component, quam diximus.

MALVENDAE.

Verſ. 1. INTELLECTUS. Heb. משכיל *maſcil*. Vide in Pſalmum XXXI. 1. DAVID. Hebr. dativus, *ipſi Davidi*. Vide Pſal. III: 1. CUM ESSET IN SPELUNCA. Vide I. Samuel. XXIV.

V. 3. EFFUNDO IN CONSPECTU EIUS ORATIONEM MEAM: ut ſupra Pſal. CI. 1.

V. 4. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITUM MEUM, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. explicant: I. *Collabente ſuper me ſpiritu meo, & tu noſti ſemitam meam: in via hac, qua ambulabo, abſconderunt laqueum mihi*, II. *Cum anxius in me fuerit ſpiritus meus, tu enim noſti ſemitam meam: in via hac, qua ambulabo, abſconderunt laqueos mihi*. III. *In involvendo ſe ſuper me ſpiritus meus, & tu cognoſceres ſemitam meam: in via hac, qua ambulaturus eram, abſconderunt laqueum mihi*, IV. *Dum animus meus deſperationi proximus eſt; tibi enim perſpectum eſt iter meum: ad ſemitam iſtam, qua incedo, abſconderunt mihi laqueum*. V. *Quo tempore animus meus mærore conficiebat ſeſe, tu ſciebas inſontem illa perpeti me: eſt enim notiſſima tibi omnis ſemita, & vita mea: adverſarii interim mei in via, per quam iturus eram, abſconderant laqueum in perniciem mihi*. VI. *Cum diſtorquetur in me ſpiritus meus, tu noviſti ſemitam meam, & quod laqueum mihi abſconderunt in via, per quam ambulo*. VII. *Cum obrueret ſe in me ſpiritus meus*, ut ſupra Pſal. LXXVI. 4. *toties tu cognoviſti ſemitam meam*: ut Pſal. 1. 6. *cum quocumque itinere pergerem, abderent laqueum mihi*, id eſt ubique inſidiarentur mihi: periphraſis.

V. 5. CONSIDERABAM AD DEXTERAM, ET VIDEBAM. Hebr. infinitive. *Aſpicere ad dexteram, & videre*, pro *reſpiciebam, circumſpiciebam dexteram, & videbam*. Alii pro Imperativis capiunt: *Intuere ad dexteram, & reſpice ad ſiniſtram*. Eſt autem hic ellipſis oppoſiti; quaſi dicat: Obſerva ab omnibus partibus & animadverte me omni ope deſtitutum eſſe. ET NON ERAT QUI COGNOSCERET ME. Quidam: *Ut non eſt mihi, qui recognoſcat me*. Alii: *Et non invenies ex notis meis quemquam*. Quidam: *Non eſt index viæ mihi*. PERIIT FUGA A ME; id eſt, quo fugerem non habebam: deſperabam poſſe aufugere me: effugium mihi præcluſum eſt. ET NON EST QUI REQUIRAT ANIMAM MEAM; id eſt, nemo ſatagebat me eripere. Alii: I. *Neque eſt qui de vita mea ſit ſollicitus*. II. *Nullus enim aderat, cui curæ eſſet vita mea*. III. *Nec quiſquam rationem habet animæ meæ*. IV. *Non eſt qui curet vitam meam*.

V. 6. IN TERRA VIVENTIUM. Exponunt; Id eſt, in hac ipſa vita, ſive in hoc mundo, in quo vivunt homines: ut ſupra Pſal. XXVI. 13. Alii, in terra Iſraelis, quæ vocatur terra viventium, quod ibi ſine morbis homines longo tempore vivant, propter temperiem aeris.

V. 8. EDUC DE CARCERE ANIMAM MEAM. Nonnulli: *Educ e clauſtro vitam meam*; id eſt, e præſentiſſimo hoc periculo, quo circumcluſus ſum in hac ſpecu, circumſtantibus inimicis. ME EXSPECTANT

CTANT IUSTI, DONEC RETRIBUAS MIHI. Varie ex Hebr. alii: I. *In me coronabuntur iuſti, quando retribues ſuper me*; id eſt, cum me in regnum reduces, conregnabunt iuſti mecum. II. *Propter me coronabunt ſe iuſti, quod retribues mihi*, vel *coronam facient ſibi de me iuſti*; id eſt, ero iuſtis vice coronæ, ſeu vice exempli inſignis: *cui tu abunde rependeris & beneſeceris*, III. *Iactabunt ſe de me iuſti tamquam de corona*, &c. IV. *Me circumdabunt iuſti*, *cum retribueris mihi*; id eſt, ſi mihi dederis hoc beneficium, pii ad me læti occurrent, ſeque mihi ſtudio gratulandi circumſundent. V. *Quod ſi mihi dones, iuſti ſociabunt ſe mihi*. VI. *Tum ad me accurrent, & in modum coronæ iuſti cingent me, ubi ſenſerint te ultum iniuriam meam*. VII. *Iuſti coronas imponent ſibi propter me, quia in me beneficia contuliſti*. VIII. *Me cingent iuſti cum beneficium contuleris in me*; id eſt, conveniet circa me frequens iuſtorum corona, ut congratuletur mihi, & me audiat prædicantem nomen tuum, & mecum prædicet. Ego ſimpliciter expoſuerim: *Me coronabunt iuſti, cum retribues mihi*; id eſt, tuo munere ac beneficio, me omnes iuſti pro legitimo Rege ſuo agnoſcent, ac recipient.

MENOCHII.

Verſ. 1. INTELLECTUS DAVID. Quid ſignificet Intellectus, dixi in Inſcriptione Pſalmi XXXI. CUM ESSET IN SPELUNCA. Hiſtoria repetenda eſt ex I. Reg. cap. XXIV.

V. 2. CLAMAVI, affectu, & voce cordis: nam in ſpelunca periculo mortis proximus, clamare non potuit, ne ſua voce Sauli proderetur.

V. 4. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITUM MEUM. Clamavi cum præ mærore, & deſperatione hoſtes evadendi, iam ferme deficerem. ET TU COGNOVISTI SEMITAS MEAS. Clamavi orans ad te, & in conſpectu tuo calamitatem meam conſtituens, quæ tamen tibi, ut omnia mea, notiſſima erat. IN VIA HAC QUA AMBULABAM, &c. nam in via etiam hac, per quam in ſaltibus, montibus, & deſertis locis inſidiari mihi non prætermiſerunt.

V. 5. CONSIDERABAM, circumſpiciebam. AD DEXTERAM, an mihi dexter aliquis, benevolus, fautor, & auxiliator adveniret. NON ERAT QUI COGNOSCERET ME. Omnes abducebant ſe a me, ne in offenſionem Saulis inciderent, & periculum ſibi crearent. PERIIT FUGA A ME: intercepta eſt, & intercluſa fuga, nullum mihi patet effugium. NON EST QUI REQUIRAT ANIMAM MEAM: nemo eſt qui quærat ſervare vitam meam.

V. 6. PORTIO MEA IN TERRA VIVENTIUM. Te volo eſſe ſortem meam hereditariam quamdiu vivo, immo & in terra viventium veram vitam.

V. 7. HUMILIATUS. In Hebræo eſt, *attenuatus*; admodum malis vexatus, & afflictus. CONFORTATI SUNT SUPER ME: quia ſunt me fortiores, & potentiores.

V. 8. DE CUSTODIA: de carcere. AD CONFITENDUM NOMINI TUO: ut laudem nomen tuum pro tanto beneficio, e tam præſenti diſcrimine ereptus munere tuo. ME EXPECTANT IUSTI. Expectant iuſti, & cupiunt me ſibi reddi. In Græco eſt *ὑπομενοῦσι*, *expectabunt*, ſed Latinus interpres retracto in antepenultimam accentu, legit *ὑπομένουσι*, *expectant*. DONEC RETRIBUAS MIHI: donec benefacias, donec beneficio liberationis me afficias.

TIRINI.

Verſ. 4. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITUM, id eſt, cum præ anxietate & evadendi deſperatione ſpiritus meus in me deficeret. Supple, clamavi ad Deum *a*, ut præceſſit. TU COGNOVISTI; id eſt, intime perſpectas habes, SEMITAS MEAS id eſt, rationes vitæ meæ, innocentiam meam. Vel *ſemitas*; id eſt, vias quibus ex his anguſtiis evadam manus Saulis.

V. 5. PERIIT A ME FUGA, id eſt modus & locus fugæ: ET NON EST QUI REQUIRAT ANIMAM MEAM, ſeu qui mihi opituletur, & ſubveniat.

V 6. PORTIO MEA; ſcilicet hereditaria, quam unam & ſolam ſpero, & quæro in hoc mundo, TU ES Deus. Ita Theodoretus.

V. 8. EDUC DE CUSTODIA, id eſt ex hac ſpelunca; Symmachus & Aquila, *ex hac clauſura*; Hieronymus, *e carcere & afflictione*: nam IUSTI omnes continuo EXPECTANT ut iuxta promiſſa tua TRIBUAS

buas mihi libertatem & regnum Iſrael. Nam Hebraice eſt, *me coronabunt iuſti cum retribueris mihi*. Anagogice, e corruptione corporis educ animam meam, inquit S. Auguſtinus. Et hunc verſum recitans S. Franciſcus animam efflavit *b*.

(a) Proleg. de Idiotiſm. Heb. num. 52.
(b) S. Bonavent. in Vita S. Franciſci.

GORDONI.

Titulus: INTELLECTUS DAVID: CUM ESSET IN SPELUNCA, ORATIO. In prima voce tituli denotatur prudentia, & conſultatio Davidis, qui in tot anguſtiis conſtitutus, confugit oratione ad Deum. Reliquum tituli oſtendit Pſalmi auctorem, & argumentum, quod continet orationem, qua petit liberari a periculo, dum fugit in ſpeluncam. De hac hiſtoria, & re geſta lege I. Reg. XXII. hæc ad litteram. Alio ſenſu, & myſtice refertur Pſalmus ad Chriſtum, vel etiam ad iuſtum in anguſtiis poſitum, ut ſatis clare hic enucleat Synopſis.

Verſ. 8. EDUC DE CUSTODIA ANIMAM MEAM, &c. In fine Pſalmi petit imponi finem calamitati, & exitum e ſpelunca proſperum. Per cuſtodiam vero Chryſoſtomus intelligit perſecutiones has, quas David patiebatur; niſi forte quis velit eſſe cuſtodiam regiorum militum, qui ſpeluncæ, & omnibus veſtigiis David inſitebant. Aut certe Davidem mentis elevatione ad futuram vitam, petere ſolutionem corporis; cum anima educetur e cuſtodia corporis, ut ſic libera anima Deum liberius laudet alicubi. Quo etiam referri poteſt, quod ſequitur: ME EXPECTANT IUSTI; ſive qui ſunt in Limbo, ſi moriendum eſt; ſive qui adhuc ſunt iuſti inter Iſraelitas, & ſciunt innocentiam meam. Quin etiam referri eadem verba poſſunt ad Chriſtum, quem reſurgentem expectabapt Patres in Limbo.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 2. & ſeq. FAcile eſt hæc de Davide ad litteram, referre ad iuſtum in anguſtiis conſtitutum. Deficiente, inquit, pene ſpiritu vitali, in via hac, & lege Chriſti. Subſequuntur, quæ ſpectant ad petitam liberationem iuſtorum ab huiuſmodi anguſtiis, cupientium diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

BOSSUET.

Verſ. 3. PRONUNTIO: annuntiabo, Hier.

V. 4. IN DEFICIENDO EX ME ... cum deficeret me ſpiritus. TU COGNOVISTI SEMITAS MEAS: vias quibus me expedires. IN VIA HAC, QUA AMBULABAM... circa Engaddi tamquam in locis tutiſſimis: I. Reg. XXIV. 1. atque in ipſa intima ſpelunca deliteſcens: ibid. IV.

V. 5. CONSIDERABAM... undique circumſpiciebam, & nemo mihi aderat: *reſpice ad dexteram*: Hier. reſpice me propitius; converſo iam ſermone ad Deum, oſtendens quam nulla ſit ratio expediendæ ſalutis, niſi confeſtim ipſe ſubveniat. PERIIT FUGA A ME: vide quam graphice depingat extremum illud periculum. QUI REQUIRAT ANIMAM... qui me ſalvum velit.

V. 7. CONFORTATI SUNT: prævaluerunt mihi.

V. 8. DE CUSTODIA: *carcere*, Hier. de hac ſpelunca, in qua concluſus ſum. AD CONFITENDUM NOMINI TUO: in piorum cœtu; unde ſubdit: ME EXPECTANT IUSTI: me piorum conventus expectat. DONEC RETRIBUAS MIHI: bona, pro tot adverſis. At Heb. *In me coronabuntur iuſti*: omnes iuſti tanto exemplo benignitatis tuæ freti, parem opem expectabunt, & in me uno ſe beatos ac tutos putabunt.

PSALMUS CXLII. DEPRECATORIUS.

VERSIO S. HIERONYMI.

Pſalmus David.

Domine exaudi orationem meam, auſculta deprecationem meam: in veritate tua exaudi me in iuſtitia tua.

Et non venias ad iudicandum cum ſervo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Perſecutus eſt enim inimicus animam meam, confregit in terra vitam meam: poſuit me in tenebris, quaſi mortuos antiquos.

Et anxius fuit in me ſpiritus meus: in medio mei ſollicitum fuit cor meum.

Recordabar dierum antiquorum, meditabar omnia opera tua: facta manuum tuarum loquebar.

Expandi manus meas ad te: anima mea quaſi terra ſitiens ad te. Semper.

Cito exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus: ne abſcondas faciem tuam a me, & comparabor deſcendentibus in lacum.

Fac me audire mane miſericordiam tuam, quoniam in te confido: notam fac mihi viam in qua ambulem, quoniam ad te levavi animam meam.

Libera me de inimicis meis Domine: a te protectus ſum.

Doce me ut faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus es: ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Propter nomen tuum Domine vivificabis me: in iuſtitia tua educes de anguſtia animam meam.

VERSIO VULGATA.

Pſalmus David,

1. Quando perſequebatur eum Abſalom filius eius: II. *Reg*, XVII.

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iuſtitia.

2. Et non intres in iudicium cum ſervo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

3. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: 4.& anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

5. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

6. Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi:

7. Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

8. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

9. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: 10. doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: 11. propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam

Et

Et in miſericordia tua diſſipabis inimicos meos, & perdes omnes ligantes animam meam: ego enim ſum ſervus tuus.

meam: 12. * & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 12. *Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos*, Non addas *omnes*.

COMMENTARIA

MALDONATI

Verſ. 3. SICUT MORTUOS SAECULI. Hebr. id eſt, ſicut qui iam olim mortui ſunt: videtur autem obſcura loca vocare ſpeluncas, & latebras, quibus ſeſe metu hoſtium frequenter abdebat.

V. 6. SICUT TERRA SINE AQUA. Heb. *Sitiens*, ut Pſal. XLI. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*.

V. 7. ET SIMILIS ERO DESCENDENTIBUS IN LACUM. Heb. *Ne ſimilis ſim*.

S A.

Petit liberari ab hoſtibus.

Verſ. 1. IN VERITATE, id eſt ut promiſiſti. IN TUA IUSTITIA, id eſt per tuam miſericordiam.

V. 2. INTRES IN IUDICIUM; id eſt, ſummo rigore, ſeu iure agas. NON IUSTIFICABITUR; quaſi dicat: Nemo eſt, qui non habeat aliquod peccatum. IN CONSPECTU TUO; id eſt, te iudice, ſeu tibi collatus. VIVENS, ſcilicet in carne mortali: Aug.

V. 3. HUMILIAVIT. Chald. *conculcavit*. IN TERRA, ſcilicet in terram deiiciens. OBSCURIS. Hieron. & Chald. *tenebris*; ſcilicet calamitatum. SAECULI, id eſt iam olim. Hieron. *antiquos*; quaſi dicat: Pæne me ad ſepulcrum deduxit, vel coegit latere veluti mortuum in ſpeluncis.

V. 4. SUPER ME, id eſt in me, vel periculi mei cauſa.

V. 5. ANTIQUORUM, ſcilicet quibus tantopere favebas patribus, vel mihi. MEDITABAR. Hier. *loquebar*. Chal. *loquar*.

V. 6. SINE AQUA. Hieron. *ſitiens*. Chald. *aqua indigens*. TIBI; ſcilicet ſe præſentat, opem expectans.

V. 7. DEFECIT; pro, defecit enim vel alioqui deficiet. ET SIMILIS; pro, alioqui ſimilis. Chald. *ne fiam ſimilis*. LACUM, id eſt ſepulcrum.

V. 8. AUDITAM FAC MIHI. Hieron. & Chald. *fac me audire*; pro, ſentire, ſeu experiri. MANE, id eſt mature; vel, cum oro mane.

V. 9. IN TERRAM; pro, per terram. Chald. *in viam*. RECTAM, id eſt ad te recta ducentem.

V. 10. VIVIFICABIS, id eſt eripies. AEQUITATE. Hieron. & Chald. *iuſtitia*; quaſi dicat: Sum enim innocens, & tu iuſtus Iudex.

V. 12. IN MISERICORDIA, id eſt pro miſericordia. QUI TRIBULANT. Hieron. *ligantes*. Chald. *adigentes in anguſtias*.

E S T I I.

Verſ. 2. ET NON INTRES IN IUDICIUM CUM SERVO TUO, QUIA NON IUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS. Hieron. ad illud ad Epheſ. 1. *Sancti & immaculati*, duas adfert huius interpretationes. Videtur hic ſenſus eſſe: *Non intres in iudicium cum ſervo tuo*; id eſt, ne velis exacto

ſto & ſevero iudicio mecum contendere, nullam adhibendo miſericordiam. Nam id ſi facere velis, nullus mortalium erit, qui penitus abſolvatur; ita ut nullas debeat pœnas. Ut iuſtificari, ſit abſolvi tamquam iuſtum omnino, ac nulla ex parte culpabilem, & proinde nullius pœnæ debitorem. Talis autem homo nullus in hac vita reperitur. Et ſimile eſt illud, Pſal. CXXIX. *Si iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit* Auguſt. Lib. II. de pec. mor. cap. XIX. cum dixiſſet Deum ſuos ſanctos in hac vita non ita ſanare, ut omnino careant vitiis & peccatis; ſubdit: Ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iuſtificetur in conſpectu eius omnis vivens. Sic & Ambroſ. in Pſal. XXXVI.

Ceterum Hieron. in epiſt. ad Damaſum de filio prodigo ſic intelligit: Tui comparatione nemo iuſtus erit, non Apoſtoli, non Prophetæ, non Angeli, non Archangeli; quia ſolus Deus eſt, in quem peccatum non cadit, id eſt cadere non poteſt. Sed non placet hic ſenſus, quia non diceret Pſalmiſta de beatis illis ſpiritibus, ut apparet, quod non iuſtificantur in conſpectu Dei, ſed id peculiariter ſcilicet dicit de hominibus in terra viventibus.

MARIANAE.

Verſ. 1. PSALMUS DAVID. Hoc tantum Hebr. eſt. Quod ſequitur, QUANDO PERSEQUEBATUR EUM ABSALOM FILIUS EIUS, in quibuſdam codicibus Græcis eſt, & in Apollin. ſed in pleriſque verſionibus Græcis non erat; poteritque vicem argumenti ſupplere ex II. Regum XVII. IN VERITATE TUA; pro, fide tua, ut es pollicitus, audi me. IN TUA IUSTITIA. Promiſſi fides ad iuſtitiam ſpectat. Pro tua, inquam, iuſtitia, non pro mea.

V. 2. ET NON INTRES IN IUDICIUM; id eſt, non pro meis meritis mecum agas, non ſummo iure. QUIA NON IUSTIFICABITUR. Non omnis, id eſt nullus; ſcilicet ſibi relictus, gratia nudatus: ſic in Angelis reperit pravitatem, Iob. IV. 18.

V. 3. QUIA PERSECUTUS EST. Iunge cum primo verſ. Ideo exaudiri peto, quoniam inimicus in me irruit. HUMILIAVIT IN TERRA. Hebr. *contrivit ad terram*, alliſit vitam meam. COLLOCAVIT ME IN OBSCURIS; id eſt, in ſepulcro fere ad mortem deduxit. SICUT MORTUOS SAECULI, id eſt olim. Hieronymus, *mortuos antiquos*, ſcilicet quorum nulla eſt memoria. Aut *mortuos ſæculi*, id eſt a ſæculo vita ſpoliatos.

V. 4. ET ANXIATUS EST SUPER ME. Hebr. *defecit ſuper me* (id eſt in me) *ſpiritus meus*. IN ME TURBATUM. Hebr. *in tra me deſolatum eſt cor meum*.

V. 5. MEMOR FUI DIERUM ANTIQUORUM. Adverſus hæc mala, memoria eorum, quæ cum tuis olim feciſti, me ad ſpem erexit.

V. 6. EXPANDI MANUS MEAS. Memoriam & ſpem ſecuta eſt deprecatio. SICUT TERRA SINE AQUA TIBI. Hebr. *laſſa, ſiticuloſa*: ut illa pluviam expectat, & videtur a te petere, ſic ego opem tuam.

V. 7. DEFECIT SPIRITUS MEUS. Præ anguſtia deliquium patior. Apollin. *Priuſquam deficiat ſpiritus meus*. μελέοι πρὶν πνεῦμα μεθεῖω: cito exaudi me. NON AVERTAS FACIEM. Heb. *non abſcondas faciem*: ſic ſolent qui aliquem averſantur. ET SIMILIS ERO. *Et*, eſt cauſalis, pro, alioqui ſimilis ero. Iſai. LXIV. 5. *Tu iratus es, & peccavimus*, id eſt quia peccavimus. IN LACUM, ſive in puteum, foveam, ſepulcrum. Ero ſimilis morienti.

V. 8. MANE, id eſt cito, quod dixerar. Velociter exaudi me. Mala quæ patior, moram non ferunt. NOTAM FAC MIHI VIAM, IN QUA AMBULEM; id eſt, viam bonam & rectam demonſtra mihi, ne exorbitem a lege tua. QUIA AD TE LEVAVI ANIMAM MEAM: ſpe ſcilicet & precibus.

V. 9. AD TE CONFUGI. Hebr. *ad te abſcondi*; id eſt, ad te ſervavi, tibi revelavi quæ aliis abſcondi; ſcilicet, pectoris mei arcana: ſic Hebræus.

V. 10. IN TERRAM RECTAM: deduc me: ſic Græce & Hebr. Pſalr. Roman *in viam rectam*, planam, ne offendam, ne per imprudentiam aberrem. Ea eſt terra recta.

V. 11. VIVIFICABIS ME; id eſt, libera ab anguſtia, quæ mortis inſtar eſt. ET IN AEQUITATE TUA, in iuſtitia tua, id eſt pro iuſtitia: & Heb. iungitur cum proximis verbis ſic: IN AEQUITATE TUA EDUCES DE TRIBU-

BULATIONE; pro, educ de tribulatione. Sed quare id iuſtitiam vocat? Nimirum ob promiſſa. Item ob iniuriam, cui iuſtitia opponitur. Iuſtitia iniuriam ulciſci debet: ſic innuit tacite ſe iniuſtè vexari. ANIMAM MEAM: vitam meam educ.

V. 12. ET IN MISERICORDIA TUA DISPERDES INIMICOS MEOS, id eſt pro tua miſericordia & bonitate. Sed quare id miſericordiam vocat? ſcilicet, quia ſemper punit cum benignitate, minus quam meremur. Tum, quia pravis utile eſt ſæpe occidi, ut peccare deſinant. ET PERDES OMNES; pro, & perde. QUONIAM EGO SERVUS. In tuorum numerum adſcripto opem certe ut feras æquum eſt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. AURIBUS PERCIPE OBSECRATIONEM MEAM. Hebr. *Aures adverte, adhibe, præbe, ad gratias, gratificationes, deprecationes, meas*: proprie, *ad ſupplicationes meas pro gratia impetranda*: ut ſæpius hæc vox ſumitur. IN VERITATE TUA: EXAUDI ME IN TUA IUSTITIA. Alii: ex Hebr. I. *Propter veritatem tuam exaudi me, propter iuſtitiam tuam*. II. *Per veritatem ac iuſtitiam tuam opem fer mihi*. III. *Pro optima fide & æquitate tua, quam ſemper habes cum ſumma clementia coniunctam, reſponde deſiderio meo*. IV. *Pro fide tua exaudi me, pro tua iuſtitia*; id eſt, propter promiſſiones gratioſas iuſtamque naturam tuam, qua æquam cauſam ab iniquitate vindicas: ut oſtendas te eſſe iuſtum, & conſtantem in ſervandis promiſſis, quibus pollicitus es te iuſtos & pios ſervaturum.

V. 2. ET NON INTRES IN IUDICIUM. &c. Hunc verſum ex Hebr. varie elucidant: I. *Ne ambules tamen in ius cum ſervo tuo: nullus enim vivens coram te iuſtus eſt*; id eſt, *ſed tamen noli mecum ſummo iure agere, quia ſi tu ſic agas, nullus poterit reperiri qui propter iuſtitiam ſuam debeat exaudiri*. II. *Ne tamen ineas iudicium cum ſervo tuo, te enim accuſatore nemo mortalium abſolvitur*. III. *Nec velis ſummo iure cum ſervo tuo agere: nemo eſt enim viventium, qui ſic iuſtus ſit, ut non multa tu in eo veriſſime reprehendere poſſis*. IV. *At ne congrediaris iudicio cum ſervo tuo: nam non eſſet iuſtus coram te ullus vivens*: ſubaudi, ſi congredereris iudicio cum ipſo. Elegans deprecatio, ex adverſo reſpondens ſuperiori poſtulationi: ne reſpiciat Deus ad indignitatem perſonæ, ſed ad iuſtitiam ſuam, quæ perſonam quamlibet in æquis cauſis ſe defenſuram recipit; quaſi dicat: Iuſtitiam tuam imploro, ut ſuſcipiat defendendam æquitatem cauſæ meæ; mihi vero, ut perſonæ cuiquam, agnoſco iuſtitiam nullam ineſſe, ſi comparanda ſit cum Deo: ſatis eſt cauſam meam cum iuſtorum cauſa comparari: iuſtitiam Dei imploro, non meam aſſero: atque ita imploro, ut æquitatem cauſæ meæ (quia ipſius cauſa eſt) defendi ab ipſo velim, ac proinde me ad probandam cauſam conſervari. Quidam ſenſum huius verſiculi ita concipiunt: Nam ſi me voces in iudicium, deque vita & moribus meis quæſtionem exerceas, nulla miſericordia ſeveritatem iuris mitigante, nihil oſtenditur mihi ad ſpem ſalutis: quis enim tam pie, tam ſancte vivit in terris, ut rationem reddere iuſſus ad tribunal tuum, cauſam ſuam defendere ac tueri poſſit, ſi velis exigere omnia quæ tibi & meritiſſimo, & optimo iure debentur: ſic Pſalm. CXXIX. 3.

V, 3. HUMILIAVIT IN TERRA VITAM MEAM. Diverſimode alii ex Hebr. I. *Attrivit, confregit, in terram vitam meam*. II. *Proſtravit ad terram vitam meam*. III. *Humi vitam meam conculcavit*. IV. *Et vitam meam ad humum afflixit*. V. *Atterit deiiciens in terram catervam meam*; id eſt, non tantum me, ſed totum comitatum meum, familiamque exagitat, ut I. Samuelis hiſtoria factum fuiſſe oſtendit, & ipſe conqueſtus eſt ſupra Pſalm. XL. 7 Sic ſumitur vox חיה *chaiah* II. Samuelis XXIII. 13. COLLOCAVIT ME IN OBSCURIS SICUT MORTUOS SAECULI. Varie alii ex Hebr. I. *Fecit ſedere me in tenebris ſicut mortuos ſæculi*; id eſt, vetuſtiſſimos, qui iamdiu ante mortui ſunt. II. *Collocavit me in tenebras perpetuo mortuorum*. III. *Meque detruſit in loca tenebricoſa velut iam olim mortuos*. Ita vocat ſpeluncas & latebras, in quas ſe abdebat metu Saulis: *mortuos* vero *ſæculi* appellat eos, qui iam pridem mortem obierunt; quaſi dicat: Coegit me ut deliteſcerem in ſpeluncis tenebroſis, velut iam olim mor-

tuus ac ſepultus. IV. *Facit ut reſideam in tenebricoſis* locis, ego cum meis: ſumus *quaſi mortui olim*; id eſt, cogimur in tenebricoſis ſpecubus verſari, ut diu mortui, & lucem fugere inimicorum importunitate.

℣. 4. ET ANXIATUS EST SUPER ME SPIRITUS MEUS. Hebr. *Et obruere ſeſe fecit ſuper me ſpiritus meus*. Vide de hac locutione Pſal. CXLI. 4. & Pſal. LXXVI. 4. IN ME TURBATUM EST COR MEUM. Ex Hebr. alii: I. *Et intra me cor meum ſtupuit*. II. *Et cor meum intra me deſperabundum ſit*. III. *Torquet ſeſe cor meum*. IV. *In medio mei obſtupeſcet cor meum*. V. *In medio mei deſolatus videtur ſibi animus meus*. VI. *In medio mei attonitum fuit cor meum*.

℣. 5. MEMOR FUI DIERUM ANTIQUORUM. Hebr. *Recordatus ſum dierum ab ante*, ſeu *a principio*, vel *dierum ab antiquitate*, ab anterioritate; hoc eſt, anteriorum, priſcorum dierum; id eſt, me in fide confirmavi a præcedentibus exemplis. Quidam, *memini tamen priſci temporis*. Alii, *in memoriam revocavi*, *quæ feciſti ſæculis ſuperioribus*. Nonnulli, *recolo tamen tempora ſuperiora*, vel *dies ante actos*, quibus ſcilicet affuiſti patribus noſtris.

℣. 6. ANIMA MEA SICUT TERRA SINE AQUA TIBI. Alii: I. *Et anima mea te optat ut terra ſiticuloſa*. II. *Anima mea e terra ſiticuloſa ad te clamat*. III. *Anima mea, ut terra feſſa, ſitiente tui*. Hic additur *Selah*; & eſt poſtremum quod in Pſalmis habetur, in quibus ſeptuagieſes & ſemel invenitur. Exponunt, 1. *ſemper*: 2. *Ita res habet*: 3. *maxime*: 4. *o quanto deſiderio anima mea te ſitit!* vide ſupra Pſalm. LXII. 2.

℣. 7. ET SIMILIS ERO DESCENDENTIBUS IN LACUM. Heb. *Et proverbiabor cum deſcendentibus ciſternæ*; nimirum, ſi faciem tuam abſconderis. Vide hanc locutionem ſupra Pſalm. XXVII. 1.

℣. 8. AUDITAM FAC MIHI MANE MISERICORDIAM TUAM. Quidam: I. *Fac ut audiam mane benignitatem tuam*, id eſt verbo & opere præſta: Synecdoche. II. *Ocyus annuntia mihi bonitatem tuam*. III. *Fac ſentiam mane clementiam tuam*. *Mane*, id eſt tempeſtive, opportune, cito, celeriter. *Mane* dixit, quia orationi aptum.

℣. 9. AD TE CONFUGI. Diverſimode ex Hebr. exponunt: I. *Ad te abſcondi*. II. *Ad te latitaturus*, vel *protegendus confugi*. III. *Apud te texi*; id eſt, tibi ſoli commiſi & pateſeci cauſam meam, non hominibus quorum ſcirem vanam eſſe ſalutem; quaſi dicat: Ad te in occulto clamavi, ita ut homines laterem. IV. *Tuæ enim protectioni occultæ iam olim concredidi me*. V. *Nam apud te me abſcondi*. VI. *Te poſui pro operimento*, ſeu *protectione mea*. VII. *Apud te tectum contineo* illum animum meum, de quo verſu præcedente; id eſt, depono apud te conſervandum animum meum, ut Pſal. XXX. 6.

℣. 10. SPIRITUS TUUS BONUS DEDUCET ME IN TERRAM RECTAM. Alii: I. *Spiritus quæſo tuus ille benignus ducat me per eam viam, quæ recta ducit ad te*. II. *Tuo ſpiritu bono deduc me per terram planam*, id eſt ſine offenſa tui, aut cuiuſquam.

℣. 11. PROPTER NOMEN TUUM. Exponunt; Id eſt, propter prædicationem nominis tui, ut a cunctis laudetur & celebretur nomen tuum: ut Pſalm. CXLI. 8. IN AEQUITATE TUA EDUCES DE TRIBULATIONE ANIMAM MEAM. Alii: I. *Propter iuſtitiam tuam educ de anguſtia animam meam*. II. *Animam meam periculo eripe per tuam iuſtitiam*; id eſt, quia æquus iudex es, qui ſcias me iuſtum eſſe, & Saulem impium. III. *Pro tua iuſtitia educ ex anguſtiis animam meam*, ſeu *vitam meam*.

℣. 12. ET IN MISERICORDIA TUA DISPERDES INIMICOS MEOS. Alii: I. *Et per tuam benignitatem*, vel *pro tua bonitate*, *exſcinde inimicos meos*, vel *diſſipa hoſtes meos*. II. *Pro favore interim in me tuo*, *ſubvertes inimicos meos*. III. *Et propter benignitatem tuam exſcinde inimicos meos*; id eſt, propter benignitatem tuam erga me ſervum tuum: imprecatio pertinens ad promiſſionem Dei, Geneſ. XII. 3.

ME-

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. QUANDO PERSEQUEBATUR EUM, &c. Hiſtoria habetur, II. Reg. XVII. IN VERITATE TUA: pro tua fide, ſecundum veritatem promiſſionum tuarum. IN TUA IUSTITIA. Per tuam iuſtitiam, ſecundum æquitatem iuſtitiæ tuæ, quæ poſtulat ut fidem præſtes.

V. 2. NON INTRES IN IUDICIUM: ne velis ſummo iure mecum agere. QUIA NON IUSTIFICABITUR, &c. Quia hac ratione nullus iuſtus reperietur; nemo enim eſt, qui non peccet, & miſericordia tua indigeat.

V. 3. QUIA PERSECUTUS EST, &c. Hæc ſunt nectenda cum primo verſiculo, exaudi orationem meam, & mihi opem feras, quia perſecutus eſt, &c. INIMICUS: Abſalom, & qui illum ſequuntur. HUMILIAVIT: abiecit, depreſſit vitam meam, ut iam me periturum exiſtimem. COLLOCAVIT ME IN OBSCURIS: coegit me latebras quærere, & habitare in ſpeluncis, & obſcuris locis: vel per metaphoram intelligit tenebras calamitatum. SICUT MORTUOS SAECULI. Coegit me diu in tenebris hærere, ut ſimilis mortuis ſim, qui ante aliquot ſæcula conditi ſunt ſepulcris.

V. 4. ANXIATUS EST SUPER ME SPIRITUS MEUS. Anxius eſt de vita mea ſpiritus meus: anxie, & ſolicite cogito, quomodo evadere poſſim imminens diſcrimen. TURBATUM EST: præ nimio timore.

V. 5. MEMOR FUI DIERUM ANTIQUORUM. Revocavi in memoriam opera tua eximia, quæ priſcis temporibus patraſti, ut e periculis patres noſtros liberares. Me conſolabar, & ad ſpem erigebar veterum exemplis, qui in te, nec fruſtra, ſperaverunt.

V. 6. ANIMA MEA SICUT TERRA SINE AQUA TIBI; ſcilicet ſuſpirat, vel quid ſimile. Ut terra arida pluviam, ſic anima mea malis vexata auxilium tuum deſiderat.

V. 7. DEFECIT SPIRITUS MEUS; quaſi dicat, Periit niſi opem feras. Italice dicimus, *ſono ſpedito*, *ſono ſpacciato*. NON AVERTAS FACIEM TUAM: quaſi reſpuens, & averſatus orationem meam. ET SIMILIS ERO, &c. nam ſi avertas, ero iis ſimilis, qui in lacum mortis, & inferi deſcendunt. LACUM. In Hebræo eſt, בור, *bor*, quæ vox *foveam* ſignificat, ciſternam, carcerem; aut locum profundum.

V. 8. AUDITAM FAC MIHI: fac ut audiam. MANE: mature, tempeſtive, celeriter. IN QUA AMBULEM: in qua ambulare debeam, ut pericula evadam.

V. 10. SPIRITUS TUUS BONUS: benignus ſpiritus tuus; inſpiratio tua bona. DEDUCET ME IN TERRAM RECTAM: in viam rectam; per ſolum planum, ut non impingam.

V. 11. PROPTER NOMEN TUUM DOMINE: non merito meo, ſed ad gloriam nominis tui. VIVIFICABIS ME: in vita conſervabis. IN AEQUITATE TUA: propter iuſtitiam, & fidelitatem tuam.

TIRINI.

Verſ. 2. NON IUSTIFICABITUR OMNIS VIVENS; id eſt, nemo eſt qui per omnia & ſemper ſit iuſtus, inquit ſanctus Auguſtinus: nam nullus eſt homo qui toto tempore vitæ ſuæ non admittat aliquod peccatum: unde non poteſt Lutherus hinc probare, omnia opera iuſti eſſe peccata.

V. 3. COLLOCAVIT ME, filius meus IN OBSCURIS; id eſt, coegit me recipere in obſcuras ſpeluncas, SICUT MORTUOS SAECULI, ſeu ante multa ſæcula, qui latent in obſcuris ſepulcris. Ita Theodoretus.

V. 5. MEMOR FUI DIERUM ANTIQUORUM: quando ſcilicet me, meoſque anteceſſores, Abraham, Iſaac, Iacob, ceteroſque Patriarchas, tam miris modis liberaſti; quaſi dicat: Spero quod ſimili modo me quoque nunc liberabis, Theodoretus.

V. 6. ANIMA MEA TIBI, ſeu ad te anhelat, SICUT TERRA SINE AQUA, ſitit aquam ut humectetur & vireſcat. Hieronymus, Theodoretus.

V. 7. ET ERO; pro, alioquin ero, SIMILIS DESCENDENTIBUS IN LACUM, mortis vel inferni. Theodoretus.

V. 10. IN TERRAM. Chald. *in viam*; RECTAM; id eſt, recta ad te ducentem, in qua non aberrem, quo minus ad fi-

Digitized by Google

nem meum, & beatitudinem pertingam. Unde alii vertunt, *in viam virtutis*: quia, ut inquir S. Auguſtinus, ſpiritus meus malus deduxit me in terram perverſam, id eſt in viam vitiorum. Allegorice, in Eccleſiam; Anagogice, in cælum, ubi ſumma eſt rectitudo.

V. II. VIVIFICABIS ME; id eſt, vivum, vegetum, florentem conſervabis, IN AEQUITATE TUA; id eſt, ſecundum iuſtitiam tuam, quæ non ſinit diu iniuſte opprimi innocentes.

GORDONI.

Titulus: PSALMUS DAVID, QUANDO EUM FILIUS EIUS PERSEQUEBATUR. En auctorem, & tempus ſcripti huius Pſalmi. Et quidem ſolidus titulus eſt, *Pſalmus David*. Reliqua in titulo putantur addita a Septuaginta. Ad litteram Pſalmus eſt de Davide, fugiente perſecutionem Abſalonis, & agnoſcente coram Domino ſuum pecatum. Myſticus ſenſus eſſe poteſt de quovis peccatore pœnitente, ac proinde ab Eccleſia inter Pſalmos pœnitentiales recenſe tur. Myſticum ſenſum Paraphraſtica ſynopſis ſubindicat.

Verſ. I. EXAUDI ME IN TUA IUSTITIA, &c. Per iuſtitiam intelligit Auguſtinus, eam quam habemus: & non quidem ex noſtris meritis (non enim meremur primam iuſtitiam) ſed ex Dei gratia. Chryſoſtomus benignitatem intelligit, & φιλανθρωπίαν, qua pronus eſt Deus ad audiendum peccatores. Nec male illi, qui fidelitatem eſſe docent: ea enim eſt quædam pars iuſtitiæ: & Deus petenti peccatori promiſit veniam, iuſtumque ſic eſt, ut Deus ſervet promiſſa.

V. 2. NON IUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS. Vide, quæ de hac iuſtificatione dicta ſunt Iob cap. IV. & cap. IX. Rogat hic, ne Deus intret in iudicium cum homine: quis enim poterit iudicio contendere cum Deo? nam in iudiciis quiſque certat fretus iure proprio; & non ex miſericordia partis adverſæ. Sane impar congreſſus erit cum Deo, & ſuccumbet peccator, ſi ſolus, & ſine miſericordia Deo reſpondeat. Sic ergo in conſpectu Dei nullus homo iuſtificabitur: ſed iuſtitia noſtra ex Dei miſericordia eſt. Immo ne quidem beatæ mentes in cælo iuſtitiam ſuam ſibi attribuunt, ſed Deo. Nihil ergo hinc habent Novatores pro ſua imputata iuſtitia. Et vero ex alia comparatione, ſi iuſtitia noſtra rigide comparetur cum divina, ſane hæc noſtra, quamvis vera ſit iuſtitia; tamen non ſolum ſæpe eſt non omnino pura, ob venialia, quæ occurrunt quotidie peccata; ſed etiam in comparatione cum Dei iuſtitia, multum de ſuo ſplendore amittet in hac antitheſi. Ita lux lucernæ vera quidem eſt, ſed expoſita ſoli, vix ac ne vix quidem lucere videtur. Ceterum quam ſit in homine nihilominus poſt iuſtificationem vera iuſtitia; paſſim docet Scriptura, Pſal. XVIII. *Beati immaculati in via*; & Pſal. XVII. *Retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam*; & alibi ſæpe.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. I. IN ſenſu litteræ de Davide, Pſalmus ex titulo, & ex ſe perſpicuus eſt: ubi primo ad impetrandam remiſſionem peccatorum (unde incipere debet, qui aliquid petit a Deo) profert Dei promiſſiones, quæ veritate nituntur. Deinde oſtendit hominis infirmitatem verſ. 2. Præterea verſ. 3. 4. & IV. narrat anxietatem ſpiritus, & gravitatem tentationum. Illud ſane verſ. 5. notandum eſt, ubi ſuo exemplo viam docet obtinendi hanc, quam petit, remiſſionem, cum homo ſemel eſt lapſus. Via autem hæc eſt, proponere ante oculos frequenti meditatione antiquas, & noviſſimas Dei miſericordias, & cum his etiam diligenti examine comparare noſtra delicta. Demum a verſ. 7. uſque ad finem, addit repetitam aliquoties petitionem veniæ, & auxilii, finem tribulationis optando, & prædicens inimicorum interitum. Ex his facile apparet ſenſus myſticus, de viro qui pœnitentia ductus, a Deo poſtulat auxilium.

BOSSUET.

Verſ. I. QUANDO PERSEQUEBATUR..... hæc etiam habent LXX. ſed in quibuſdam tantum exemplaribus, teſte Theodor. non Hebr. non Hier. non alii Interpretes: aptius convenit deliteſcenti in illa ſpelunca, de qua ſuperiore Pſalmo: propter verſ. 3. & 4. EXAUDI ME IN TUA IUSTITIA: non ſtricta illa, quam nemo ferre poſſit; ſed miti & temperata: unde ſubdit:

V. 2. NON INTRES IN IUDICIUM CUM SERVO TUO, quibuſcumque in anguſtiis vir bonus, peccata ſua ſtatim recogitat.

V. 3. IN OBSCURIS: puta in ſpelunca de qua ſupra Pſalm. CXLI. in qua iam propemodum tumulatus.

V. 4. ANXIATUS EST SUPER ME SPIRITUS MEUS, vix reſpirare poſſum quaſi compreſſis faucibus.

V. 5. MEMOR FUI DIERUM ANTIQUORUM. Vide virum ſui compotem, qui tantis quoque in anguſtiis, priſca divinæ bonitatis exempla meditatur.

V. 6. TERRA SINE AQUA, *ſitiens*; Hier. hoc canit omnis anima, cum ſenſibus omni ſolatio deſtitutus ſola fide vivit.

V. 7. SIMILIS ERO: ne ſimilis ſim.

V. 10. SPIRITUS TUUS BONUS: qui ſpiritus non videtur Angelus eſſe, ſed Spiritus ſanctus qui Prophetas afflabat.

PSAL-

PSALMUS CXLIII. EUCHARISTICUS.

VERSIO S. HIERONYMI.

David.

BEnedictus Dominus fortis meus, qui docet manus meas ad prælium: digitos meos ad bellum.

Miſericordia mea & fortitudo mea, auxiliator meus, & ſalvator meus:

Scutum meum, & in ipſo ſperavi: qui ſubiecit populos mihi.

Domine quid eſt homo, quia agnoſcis eum: filius hominis, quia computas eum?

Homo vanitati aſſimilatus eſt: dies eius quaſi umbra pertranſiens.

Domine inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

Mica ſulmine, & diſſipa eos: mitte ſagittam tuam, & interfice illos.

Extende manum tuam de excelſo: libera me, & erue me de aquis multis: de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera mendacii.

Deus canticum novum cantabo tibi: in pſalterio decachordo cantabo tibi.

Qui dat ſalutem Regibus, qui eruit David ſervum ſuum de gladio peſſimo.

Libera me, & erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: dextera eorum dextera mendacii.

Ut ſint filii noſtri, quaſi plantatio creſcens in adoleſcentia ſua: filiæ no-

VERSIO VULGATA.

Pſalmus David,
1. adverſus Goliath.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

2. Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus:

Protector meus, & in ipſo ſperavi: * qui ſubdit populum meum ſub me.

3. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

4. Homo vanitati ſimilis factus eſt: (a) dies eius ſicut umbra prætereunt.

5. Domine inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

6. Fulgura corruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & turbabis eos.

7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum.

8. Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

9. Deus canticum novum cantabo tibi: in pſalterio decachordo pſallam tibi.

10. * Qui das ſalutem Regibus, qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno: 11. eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis:

12. Quorum filii, ſicut novellæ plantationes in iuventute ſua.

Arx

ſtræ quaſi anguli, ornati ad ſimilitudinem templi.

Promptuaria noſtra plena, & ſuperfundentia ex hoc in illud.

Pecora noſtra in millibus, & innumerabilia in compitis noſtris.

Tauri noſtri pingues: non eſt interruptio, & non eſt egreſſus: & non eſt ululatus in plateis noſtris.

Beatus populus cuius talia ſunt: beatus populus cuius Dominus Deus ſuus.

Filiæ eorum compoſitæ: circumornatæ ut ſimilitudo templi.

13. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: 14. boves eorum craſſæ.

Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus: neque clamor in plateis eorum.

15. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

(a) Iob VIII. 9. & XIV. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Qui ſubdit populum meum ſub me*. Præferenda eſt tertia perſona *ſubdit*, ſecundæ *ſubdis*.

V. 10. *Qui das ſalutem Regibus, qui redemiſti David ſeruum tuum*. Hic contra præferendæ videntur ſecundæ perſonæ tertiis, *das*, *redemit*, *ſuum*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. PSALMUS DAVID. Hebr. *Davidi*.

V. 3. QUIA INNOTUISTI EI. Hebr. *Quod agnoſcis illum*.

V. 4. HOMO VANITATI SIMILIS FACTUS EST. Hebr. *Rei ſubito evaneſcenti, & umbræ prætereunti*: ſignificatur brevitas humanæ vitæ, ſicut Iob VII. 1. 8. 9. & XIV. 2.

V. 12. QUORUM FILII SICUT NOVELLAE PLANTATIONES, &c. Hebr. nunc legitur: *Quia filii noſtri* (ſunt; vel, ut filii noſtri ſint) *ſicut plantulæ bene cultæ, in iuventute ſua, & filiæ noſtræ* (formoſæ) *ſicut anguli politi in ædificatione templi. Et anguli noſtri*; id eſt, domus noſtræ, *pleni proferentes ſpeciem ad ſpeciem frumenti*, id eſt omnia frumenti genera. R. David in Comm.

V. 13. & 14. OVES EORUM FOETOSAE &c. *Oves noſtræ parientes mille, & decies mille, in plateis noſtris: boves noſtri onuſti* (carne) id eſt, pingues. *Non* (ſit) *diruptio* (murorum noſtrorum) *neque emigratio* (in ſervitutem) *neque clamor in plateis noſtris* (eorum qui trucidantur, aut in ſervitutem abducuntur) ſic R. Abra. Septuag. omnia iſta verterunt per tertiam perſonam, quia, ut opinor, ubicumque eſt בן, legerunt מן; & ubi eſt זך, legerunt זן; & ubi eſt אשרו *beatus*, legerunt אשרן *ἐμακάρισαν*. Ac ſenſus quidem eſt melior, magiſque convenit argumento.

SA.

Gratulatio, & gratiarum actio.

Verſ. 1. DIGITOS, id eſt manus: repetitio.

V. 3. INNOTUISTI; id eſt, des tui cognitionem. Hieron. *agnoſcis eum*; quaſi dicat, Ut digneris ipſum agnoſcere. REPUTAS EUM, id eſt eius rationem habes.

V. 5. INCLINA, &c. quaſi dicat, Velut inclinata Maieſtate tua & altitudine deſcende, ut adiuves me. TANGE; quaſi dicat Combure, ſeu, deſtrue. MONTES,

id

id eſt ſuperbos, ſcilicet hoſtes tuos, ſeu meos. FUMIGABUNT; pro, fumigent, id eſt in fumum vertantur; quaſi dicat, Pereant.

V. 6. FULGURA CORUSCATIONEM; quaſi dicat, Percute fulmine. Hieron. *mica fulgure*. DISSIPABIS. Hieron. *diſſipa*. CONTURBABIS. Hieron. *interfice*.

V. 7. AQUIS, id eſt tribulationibus, vel hoſtibus. MANU, id eſt violentia. ALIENORUM, ſcilicet a cultu tuo.

V. 8. VANITATEM. Chald. *iuramentum vanum*. INIQUITATIS. Hieron. *mendacii*.

V. 10. MALIGNO, ſcilicet Goliath, vel hoſtium. Hieron. *peſſimo*.

V. 12. SICUT NOVELLAE, &c. quaſi dicat, Pulchri & iucundi. UT SIMILITUDO, id eſt inſtar.

V. 13. ERUCTANTIA. Hieron. *ſuperfundentia*. EX HOC IN ILLUD, id eſt varia rerum genera. Chald. *quotannis*. FOETOSAE, id eſt fœcundæ fœtibus. EGRESSIBUS, id eſt partubus, vel cum egrediuntur ad paſcua, vel in exitibus, ſcilicet viarum, ſcilicet compitis: nam Græc. *ἐξόδοις*.

V. 14. TRANSITUS, ſcilicet per illorum agros: vel migratio in alium locum neceſſitate. CLAMOR, id eſt vox luctuoſa. Hieron. *ululatus*, ſcilicet ut ſolet in calamitatibus.

V. 15. DIXERUNT, ſcilicet impii. BEATUS; ſcilicet ego vero dico. CUIUS DOMINUS, &c. id eſt, qui Dominum pro Deo habet.

ESTII.

Verſ. 12. QUORUM FILII SICUT NOVELLAE PLANTATIONES IN IUVENTUTE SUA: FILIAE EORUM COMPOSITAE, CIRCUMORNATAE UT SIMILITUDO TEMPLI, &c. Hæc omnia, quæ ſequuntur uſque ad finem, ſecundum verſionem Septuaginta referri videntur ad filios alienos, id eſt hoſtes populi Iſrael: ita enim immediate præcedit: *Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, quorum filii*, &c. Ita ſenſus erit: Filii alieni omnibus huius ſæculi bonis abundant, magna rerum ſuarum fruuntur proſperitate, omnia illis pro voto ſuccedunt, & in ea repoſitam putant felicitatem, & *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*, ſed vere, *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*; quaſi dicat: Etiamſi illa bona temporalia nobis non adeſſent, eſſemus tamen illis feliciores, quia verum Deum colimus. Et hic eſt ſenſus ſecundum verſionem Septuaginta.

Ceterum in Hebræo longe aliter habemus. Quæcumque enim hic de tertia perſona dicuntur, id eſt de filiis alienis, ea omnia in Hebræo dicuntur in prima perſona, id eſt ad populum Iſrael referuntur. Ita enim legitur interprete Hieron. *Ut ſint filii noſtri ſicut novellæ plantationes, & filiæ noſtræ, & promptuaria noſtra*. Et ita manifeſte habent codices Hebræi, Huius autem lectionis poteſt non incommodus ſenſus reddi, etiam coincidens cum ſenſu priori; ac ſi dicat: Sicut eripis nos de manibus inimicorum, ita etiam multa præſtans beneficia temporalia populo tuo; quod videlicet filii & filiæ noſtræ in ſanitate, robore, & pulchritudine corporis adoleſcant, quod promptuaria plena ſint, &c. *Et beatus populus cui hæc ſunt*; beatus, inquam, hominum carnalium opinione, & revera beatus, loquendo de beatitudine huius ſæculi: ſed hanc ſententiam corrigens Propheta addit: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*; quaſi dicat: Etiamſi hæc omnia habemus, e quibus æſtimatur vulgo felicitas, ego tamen propterea magis beatos nos puto, quia Dominus eſt Deus noſter.

MARIANAE.

Verſ. 1. PSALMUS DAVID. Hebr. *Davidis*, ſcilicet Pſalmus. ADVERSUS GOLIATH. Pſalt. Roman. *ad Goliath*: ſic eſt Græce in aliis. Nam in Septuag. & aliis verſionibus nihil eſt, ſicut neque Hebr. Serviat tamen pro argumento Pſalmi agere de ea pugna. BENEDICTUS, omni laude dignus. DOMINUS DEUS MEUS. Hebr. *Dominus rupes mea*, id eſt fortitudo mea. Sed ſæpe Vulgatus pro *rupe*, & *petra Deum* vertit.

V. 2. MISERICORDIA MEA, id eſt faciens miſericordiam. ET REFUGIUM. Heb. *munitio*. SUSCEPTOR MEUS, id eſt adiutor. Hebr. *arx mea*. PROTECTOR MEUS. Hebr. *clypeus meus*.

V. 3. DOMINE, QUID EST HOMO? Heb. *quid*

quid Adam, id eſt *homo vilis*. QUIA INNOTUISTI EI? id eſt, *te* illi manifeſtaſti; tu illi notitiam dediſti. Hebr. *quia agnoſcis eum*: ſic Hieronymus; tum Chryſoſtomus, id eſt eius curam geris, ut illi benefacias: AUT FILIUS HOMINIS. Heb. *filius Enos*, id eſt *contriti*, *oblivioſi*. Se humiliat, ut Deum amplius ad opem ferendam concitet. Eodem pertinet verſus proximus.

V. 4. HOMO VANITATI, id eſt inanitati, nihilo eſt ſimilis.

V. 5. DOMINE INCLINA CAELOS TUOS; ut ſcilicet cito mihi adſis. TANGE MONTES; nec veni inermis, ſed armatus fulminibus, quibus montes ferias. Id eſt *tangere* etiam Latine. *Montes* ait, quoniam fulmina loca ſublimia feriunt.

V. 6. FULGURA CORUSCATIONEM. Hebr. *fulgura fulgur*: geminatio ad maiorem vim exprimendam. Eos, ſcilicet hoſtes, diſſipabis. SAGITTAS TUAS. Eæ ſunt fulmina, aut grando, aliæque cæleſtes impreſſiones.

V. 7. DE ALTO, ſcilicet de cælo mitte manum. LIBERA ME DE AQUIS MULTIS. De Philiſthinorum numeroſis copiis. DE MANU FILIORUM ALIENORUM, qui alium Deum colunt, infidelium, Philiſthinorum.

V. 8. VANITATEM: aut mendacium loquuntur. Chald. *iuramentum vanum*. DEXTERA INIQUITATIS, id eſt plena pravis operibus. Hieronymus, *mendacii*. In motibus corporis eſt etiam mendacium. Aut ſignificare vult, eos iurare falſum: dextera enim firmatur iuſiurandum: ſic Hebræus.

V. 9. DEUS CANTICUM NOVUM CANTABO TIBI; pro novo beneficio liberationis. IN PSALTERIO, DECACHORDO. Heb. *in nablo decachordo*. Duo erant instrumenta, & nablum utris forma, de quo Pſal. XCI, 4. & decem chordarum cithara. Ergo *in pſalterio & decachordo*.

V. 10. QUI DAS SALUTEM REGIBUS. Hieron. *qui dat*. Hebraica & Græca utroque modo verti poſſunt, neque in re diſcrepant. DE GLADIO MALIGNO, ſcilicet hoſtium. Chald. *de gladio Goliath*. (ſic Genebr. ex Chald. citat.) Nempe hunc Pſalmum contra illum ſcriptum putavit, quod titulus habet.

V. 11. Repetitio verſus 8. & 9.

V. 12. QUORUM FILII, SICUT NOVELLAE: ita felicitas, de qua loquitur, refertur ad hoſtes. Hebr. *Ut filii noſtri ſicut plantationes creſcentes in adoleſcentia ſua*, ſcilicet da, ut ſint: quo modo felicitas ad filios Iſrael refertur: ſic Hieronymus & Chald. referunt. Suſpicor Septuag. pro בנינו *banenu*, id eſt *filii noſtri*, ut nunc eſt, legiſſe בניהם *banehem*, *filii eorum*. Aut ſupplendum aliquid Heb. אשר אומרים. *Qui dicunt* (ſcilicet hoſtes, filii noſtri ſicut plantationes. Sic enim Hebraice etiam felicitas, de qua eſt ſermo, ad hoſtes refertur. Hoc placet. Pari modo in iis quæ ſequuntur, eadem varietas. FILIAE EORUM. Hebr. *filiæ noſtræ*. COMPOSITAE. Hebr. *ut anguli*. CIRCUMORNATAE. Hebr. *inciſi*, ſcilicet anguli; UT SIMILITUDO TEMPLI: ut forma ſeu exemplar templi. In angulis externis firmitas præcipua, & decor ſtructuræ: ſic filiarum ſpeciem & gratiam commendat.

V. 13. PROMPTUARIA. Hebr. *Anguli noſtri pleni*. Sed *anguli* pro cellariis & penuariis. ERUCTANTIA EX HOC IN ILLUD, id eſt referta annona omne genus. Hebr. *educentes e genere in genus*; id eſt, omnia frumenti aut fructuum genera ſuppeditantes. OVES EORUM FOETOSAE. Hebr. *grex noſter mille*. ABUNDANTES. Hebr. *& decem millia pariens*. IN EGRESSIBUS SUIS. Hebr. *in plateis noſtris*; pro, in caulis noſtris.

V. 14. BOVES EORUM CRASSAE. Hebr. *boves noſtri onuſti*, id eſt fortes, apti operibus, pingues. NON EST RUINA MACERIAE; id eſt, parietes villæ non concidunt. Hebr. *non irruptio*, ſcilicet hoſtium, omnia pacifica. Aut non ruptura, ſcilicet muri. NEQUE TRANSITUS. Hebr. *non egrediens*, aut *tranſiens*, id eſt nullus quietem turbat. NEQUE CLAMOR, ut fit cum hoſtes irrumpunt, obvia diripiunt.

V. 15. BEATUM DIXERUNT POPULUM, CUI HAEC SUNT. Sic eſt vulgi iudicium. Hebr. *beatus populus, cui ſic ei*. BEATUS POPULUS. Hoc eſt iudicium meum. Deum eſſe inſtar omnium divitiarum.

MALVENDAE.

Verſ. I. **B**ENEDICTUS DOMINUS, &c. Videtur, inquiunt, hanc Odam conſcripſiſſe David poſtquam ad regni faſtigium evectus victorias aliquas conſecutus eſſet, cum hoſtes exteri in ditionem eius irrupturi eſſent, ſive Phiſiſthæi, II. Samuel. v. ſive alii, de quibus II. Samuel. VIII. DEUS MEUS. Hebr. *Petra mea:* ut ſupra Pſal. XVII. 3. Vide Deuteronom. XXXII. 4.

V. 2. MISERICORDIA MEA. Hebr. *Benignitas*, *beneficentia*, *mea*; id eſt, qui me innumeris beneficiis obruit: ſeu fons benignitatis, qua perfruor. LIBERATOR MEUS. Hebr. *Liberator meus mihi*. Geminatio auget ſignificatum, id eſt magnus liberator meus. Quidam, *Liberator meus aſſiſtens mihi*. QUI SUBDIT POPULUM MEUM SUB ME. Varie alii ex Hebr. I. *Inclinans populum meum ſub me*. II. *Qui ſubſternit populum meum mihi*. III. *Sternens populum meum ſub me*. IV. *Qui regit populum mihi ſubiectum*. V. *Quare & ipſe obſequentem facit populum meum mihi.* VI. *Qui expandit, extendit, diducit, extenuat, populum meum ſub me*. הרודד *haroded*, proprie: *Deſcendere faciens*: pro quo II. Samuel. XXII. 48. ponitur, מדריד *morid*, a ירד *iarad* eiuſdem ſignificationis: & Pſal. XVII. 48. וידבר *vaiadber*, ut etiam Pſalm. XLVI. 4. vide in ea loca Notas: *populum meum*, עמי *ghammi*, Hebr. notant poſitum pro עמים *ghammim*, cum defectu Mem, id eſt *populos*.

V. 3. DOMINE QUID EST HOMO, QUIA INNOTUISTI EI? Quidam: *Ut agnoſcas eum*? vel *ut rationem eius habeas?* Exclamatio erotematica amplificans beneficentiam Dei, per comparationem maieſtatis eius cum indignitate hominis, univerſe, ut Pſal. VIII. 5. & ſingulariter ipſius Davidis, II. Samuel. VII. 18. & 19. QUIA REPUTAS EUM? Varie alii: I. *Quod cogites de eo*? II. *Ut tam exacte rationem habeas illius*?

V. 4. HOMO VANITATI SIMILIS FACTUS EST. Vide Pſal. LXI. 10. DIES EIUS SICUT UMBRA PRAETEREUNT. *Sicut umbra tranſiens*. Quidam: *ut umbra prætereuntis*, id eſt prætervolantis avis, ut Iob XIV. 2. vel, ſicut umbra præteriens, quæ ſtatim evaneſcit.

V. 5. DOMINE INCLINA CAELOS TUOS, ET DESCENDE. Vide ſimilem locutionem II. Samuel. XXII. 10. quaſi dicat: Veni mihi in auxilium: humanitus dictum. TANGE MONTES, ET FUMIGABUNT. Alii: *Tange iſtos montes*, *& fument*; id eſt, percute hoſtes iſtos potentiſſimos: quod genus allegoriæ apud Prophetas eſt frequentiſſimum: & in fumos abeant. Vide eamdem locutionem Pſal. CIII. 32. ſed ibi eſt propria, hic allegorica.

V. 6. FULGURA CORUSCATIONEM. Heb. *Fulgura fulgur*, vel *fulmina fulmen*. Alii, *iaculare*, vel *immitte fulgur*; id eſt, tuis cæleſtibus armis, potentiaque proſterne: humanitus dictum. Hinc apud Ethnicos dictus Iupiter, *Ceraunius*, Fulminator, & *Archiceraunos*, Fulminum princeps, apud Lilium Gyraldum ſyntagmate II. de Diis Gentium. Conſimilis allegoria in verbis ſequentibus.

V. 7. DE AQUIS MULTIS; vel *amplis*, id eſt ab irrumpentibus torrentibus hominum nequam: ut Pſal. XVII. 5. & II. Samuel. XXII. 5. & Pſal. CXXIII. 4. quod ſequentium verborum exegeſis commonſtrat.

V. 9. CANTICUM NOVUM: vide Pſal. XXXII. 3. IN PSALTERIO DECACHORDO: vide Pſal. XXXII. 2.

V. 10. DE GLADIO MALIGNO. Hebr. *De gladio mali*, vel *malo*. Alii, *de gladio noxio*, *malefico*, *pernicioſo*. Nonnulli, *de gladii periculo*: hypallage.

V. 11. ERIPE ME, ET LIBERA ME DE MANU FILIORUM ALIENORUM. Anaphora, ſeu repetitio petitionis, qua uſus fuerat ſupra 7. & 8. vel certe Amæbæus.

V. 12. QUORUM FILII SICUT NOVELLAE PLANTATIONES IN IUVENTUTE SUA, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. explanant: I. *Quod filii noſtri quaſi plantæ adultæ in adoleſcentiis ſuis: filiæ noſtræ quaſi anguli inciſi ſimilitudinis templi*; id eſt, ſicut anguli templorum ſtatuaria arte inciſionibus pulchre figurati: vel *ſicut anguli inciſi inſtar palatii*. Comparantur ergo puellæ erectæ, & teretis, æqualiſque ſtaturæ, huiuſmodi angulis, qui videntur veluti uno ſolido lapide extructi, ita ut videantur omnes lapides angulorum præ æquali exciſione ſui, ac ſi eſſent unus lapis. II. *Ut ſint filii noſtri quaſi plantatio creſcens in adoleſcentia ſua: filiæ noſtræ*

quaſi

quaſi anguli dolati ad ſimilitudinem templi. III. *Ut filii noſtri adoleſcant in iuventute ſua velut plantæ, & filiæ noſtræ ſimiles ſint anconibus, & ornatæ ad formam palatii.* IV. *Ut ſint filii noſtri quaſi plantæ adoleſcentes in pueritia ſua: filiæ noſtræ velut anguli teſſellati, ſecti, dolati, politi, exciſi; inſtar palatii.* V. *Ut filii noſtri a teneris, inſtar plantarum adoleſcant, filiæ noſtræ velut politæ in templo columnæ niteant.* VI. *Ut ſint filii noſtri velut plantulæ elegantes auctæ in adoleſcentia ſua: filiæ noſtræ formoſæ veluti angulares columnæ ſummo ſtudio exornatæ, quales in templis & Regum domibus conſpiciuntur.* VII. *Ut filii noſtri ſint tamquam plantulæ educati in iuventute: filiæ noſtræ ſint inſtar ſcriniorum diſpoſitionis palatii*; id eſt, veluti ſcrinia, quæ ordine diſponuntur ad ornatum palatii, vel principalis ædis. VIII. *Ut filii noſtri tamquam plantæ bene educatæ in tenera ætate ſua: filiæque noſtræ ſicut antarii lapides exciſi ſint ſtructura templi.* Volunt hic eſſe cauſam petitionis, poſitæ ſupra verſ. 5. 6. & 7. nempe, bonum populi Dei *in tenera ætate ſua*. Hebr. *in pueritia ſua*: allegoriæ continuatio, *ſicut antarii lapides*, id eſt angulares, frontati, ſive (ut Græci vocant) diatoni, quibus duplex murus ducitur: vide Notas in Pſal. cxvii. 22. *exciſi*, id eſt ornati, culti, & affabrefacti; *ſint ſtructura templi*; id eſt, ædificentur, & coagmentati aſſurgant in templum ſanctum Domino, Epheſior. II, 21. זויות; *Zavuoth* aiunt eſſe *Angulos ædificii exteriores qui prominent*: alii, *angulares* vel *antarios*, ſeu *frontatos lapides*: nonnulli, *ſcrinia*, interpretantur.

V. 13. PROMPTUARIA EORUM. מזוים *mezavim*, notant eſſe eiuſdem ſignificationis cum præcedente *zavioth*, id eſt *anguli*; ſed eſſe angulos internos, in quos, quæ ad vitæ uſum ſunt neceſſaria reponuntur, & repoſita ex illis depromuntur, unde pro *penis*, *penuaris*, *promptuariis* accipi. Quidam, *angularia* reddunt, a ſitu; id eſt, *cellas penuarias*, *promptuaria angulorum*: metonymice. Hebr. *Anguli noſtri*, ſeu *angularia promptuaria noſtra plena*, &c. quaſi dicat: Sit benedictio tua ſuper bona temporaria noſtra: ut ſequentibus. ERUCTANTIA EX HOC IN ILLUD. Ex Hebr. varie alii: I. *Proferentia de ſpecie ad ſpeciem*, id eſt varias ſpecies. II. *Super effundentia de alimento in alimentum*, id eſt omnis generis alimentum, vel commeatum. III. *Promentes de genere in genus*, id eſt varia genera alimentorum, vel *de epulo ad epulum*, vel *de cibo in cibum*, vel *educentes* de una *ſpecie in aliam ſpeciem*, id eſt ſpecies omnis generis; id eſt, varia frumentorum & penuum genera in copia. Aliter, *Depromentia ex cibo ad cibum*; id eſt, ſumentia ex iſta ſpecie edulii, & mox ad aliam venientia etiam ex illa ſpecie. IV. *Suppeditantes omnis generis annonam*. V. *Ac omnigenis rebus redundent*. VI. *Proferant de alimento in alimentum*, id eſt *iuge alimentum*. VII. *Exhibentes annonam perpetuam*. VIII. *Redundantes de ſpecie ad ſpeciem*; quaſi dicat: Præ frugum redundantia miſcent ſe ſpecies, nempe triticum avenæ miſcetur; hordeo, aut leguminibus, quæ iuxta fuerint. OVES EORUM FOETOSAE, ABUNDANTES IN EGRESSIBUS SUIS. Diverſimode alii ex Heb. I. *Oves noſtræ a millibus decuplatæ in compitibus noſtris*; id eſt, a millibus in decem millia creſcunt, ſeu multiplicantur. II. *Oves noſtræ millenantes*, ſeu *millificantes*, *multiplicatæ in plateis noſtris*. III. *Oves noſtræ millificant*, *myriadificant*, vel *multa dena millia parientes in extraneis*, id eſt in villis noſtris extra urbem. IV. *Oves noſtræ parientes mille*, *& decem millia in vicis noſtris*. V. *Pecudes noſtræ millenis pariant*, *myriadibus auctæ ſint in cortibus noſtris*. VI. *Greges autem noſtri in villis noſtris in millia, ac centena millia ſoboleſcant*. VII. *Greges noſtri in millia excreſcant, & centena millia e caulis exeant in plateas noſtras*. VIII. *Greges noſtri millibus, immo myriadibus aucti repleant vicos noſtros*, vel *plateas noſtras*.

V. 4. BOVES EORUM CRASSAE. Ex Heb. multifariam alii: I. *Boves noſtri ſint ſufferentes*, ſubaudi, *laboris & oneris*. II. *Tauri noſtri laborioſi*. III. *Boves noſtri onuſti* carne, id eſt pingues & craſſi. IV. *Boves noſtri ſint ad laborem validi*. V. *Boves noſtri ſani*, *onerarii*; id eſt, ferendis oneribus apti. VI *Boveſque noſtri graviter onuſti*, ſeu *præpingues*, ſubaudi, ſimiliter *millenis pariant*, *& myriadibus aucti ſint in cortibus noſtris*, e fine præcedentis verſus. Sic interpretandum eſſe diſtinctiones oſtendunt. NON EST RUINA MACERIAE. Heb. tantum eſt, *Non ruptio*, aut *ruptu-*

ra. Alii: I. *Non ſit irruptio*; ſubaudi, hoſtis. II. *Nulla ſit ruina*, ſeu *ruptura* murorum. III. *Non eſt fractio*, populi diſciſſi in factiones & ſeditiones. IV. *Non eſt interruptio*, pacis ac felicitatis. V. *Non ruptus*, bos, ſed ad generandum aptus. NEQUE TRANSITUS. Heb. *Et non egrediens*. Alii: I. *Et non egreſſus*, ad pugnandum cum hoſtibus finitimis, quia nullus infeſtabit. II. *Nullum vitium*. III. *Nullus egreſſus*, vel *emigratio*: vel *nec qui egrediatur*, ſubaudi, in captivitatem, ſeu *non quiſquam abiens in exilium*. V. *Non exiens*, eſt participium femineum; id eſt, non eſt vacca abortiens ſeu abortum faciens. Quidam poſteriorem huius verſus partem ita reddunt: *Nihil eorum, quæ noſtra ſunt, aberret, nec ulla audiatur lamentabilis vox in plateis*. Alii: *Nulla irruptio*, *nullaque eruptio*, *denique nulla ſit querela in plateis noſtris*; id eſt, nihil mali invadat, nihil boni evadat, & nihil inſit triſte, ſed iucunda omnia. NEQUE CLAMOR IN PLATEIS EORUM: nempe luctuoſus ac triſtis ob cladem aliquam aut infortunium: vel querelæ, iurgia, aut lamenta.

V. 15. BEATUM DIXERUNT POPULUM, &c. Alii ex Heb. hunc verſum ita elucidant. I. *Fortunatus populus ille, cui contingunt huiuſmodi: beatus & ille populus, qui Iehovam habet Deum propitium ſibi*. II. *O felicem populum cuius res ad hunc modum habent: o felicem populum cuius Iehova eſt Deus*. III. *O beatum populum cui contingit ita vivere: beatum, inquam, populum cuius Deus eſt Iehova*. IV. *Beatus ille populus cui ita eſt; beatus ergo populus cuius Iehova eſt Deus*. Concluſio epiphonematica, qua ſtatuit Pſaltes, ſi beati habentur, qui benedictiones huiuſmodi poſſident; omnino beatos eſſe qui poſſident benedictionum fontem. Itaque ſecunda pars verſus non adverſative, aut corrective, ut plerique volunt, ſed confirmative accipienda erit.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET DIGITOS, manus, eſt repetitio.

V. 2. MISERICORDIA MEA, &c. Deus, qui es miſericordia, & refugium meum. SUSCEPTOR MEUS. In Hebr. eſt, *arx mea*. Auxiliator meus, qui me ſublevas, & ad te confugientem ſuſcipis. QUI SUBDIT POPULUM MEUM SUB ME: Qui ſubditos dicto audientes facis.

V. 3. QUIA INNOTUISTI EI: te revelaſti, ac notum feciſti, per te ipſum, per Angelos, Prophetas, &c. REPUTAS; magni facis. Rationem illius habes.

V. 4. HOMO VANITATI SIMILIS FACTUS EST: inanitati, umbræ, nihilo. SICUT UMBRA, quæ facillime mutatur, & nullum ſui veſtigium relinquit poſt ſe.

V. 5. INCLINA CAELOS TUOS. Similis precatio Pſal. XVII. 10. *Inclinavit cælos*, &c. Inclinari cæli videntur, cum apparent nubes terræ viciniores. Deus autem poetice fingitur vehi curru ex nubibus. DESCENDE, ut mihi opem feras. TANGE MONTES: percute, feri fulmine. FUMIGABUNT, igne concepto.

V. 6. FULGURA CORUSCATIONEM: emitte coruſcationes. DISSIPABIS EOS; inimicos ſcilicet meos. CONTURBABIS, terrefacies. EMITTE MANUM TUAM DE ALTO: porrige manum tuam, & opem tuam. DE AQUIS MULTIS: Ex periculis quibus mergor. Vel, ex confluxu hoſtium plurimorum. FILIORUM ALIENORUM. In Hebræo eſt, *filiorum alieni*, barbarorum filiorum alieni populi.

V. 8. QUORUM OS LOCUTUM EST VANITATEM, &c. Quorum ſermones mali ſunt, mendaces, & noxii; opera etiam peſſima, & iniqua.

V. 9. CANTICUM NOVUM. Nactus ſalutem, tuo novo beneficio, novum canticum canam. DECACHORDO, decem chordis inſtructo, ita etiam Pſal. XXXII. & XCI.

V. 10. DAS SALUTEM REGIBUS: qui Reges ſalvas, & a periculis tutos præſtas. MALIGNO; noxio, ut Saulis, & Goliath.

V. 11. DE MANU FILIORUM ALIENORUM, &c. Repetita dicta n. 7. & 8.

V. 12. QUORUM FILII SICUT NOVELLAE PLANTATIONES: quorum filii elegantes ſunt, & feliciter adoleſcunt, ut arbuſculæ teneriores. COMPOSITAE, ornatæ veſtibus, & monilibus, bene comptæ. CIRCUMORNATAE UT SIMILITUDO TEMPLI: ita ornatæ, ut ornari ſolet ſimilitudo, id eſt ſimulacrum præcipuum templi, eius ſcilicet numinis imago, & ſimulacrum, cui templum dicatum eſt.

V. 13.

V. 13. PROMPTUARIA, cellæ penariæ. ERUCTANTIA EX HOC IN ILLUD. Redundantia effuſe ex hoc promptuario in illud, cum enim unum promptuarium ſive penu ea capere non poſſit, quæ in eo recondita ſunt, in aliud a dominis transferuntur. FOETOSAE, fœcundæ, multiparæ. ABUNDANTES IN EGRESSIBUS SUIS: multæ, & copioſæ cum e caulis ſuis prodeunt.

V. 14. RUINA MACERIAE: maceriæ circa vineas non ſunt diſſipatæ. NEQUE TRANSITUS, per vineas, aut agros eorum: itaque non diripiuntur fructus. NEQUE CLAMOR IN PLATEIS EORUM: eiulatio, ululatus, quer monia, ſive ob morbum, ſive ob hoſtium irruptionem, ſive ob alias res adverſas.

V. 15. BEATUM DIXERUNT POPULUM, &c. quaſi dicat: Impii cenſent, & pronuntiant populum, cum quo ſic agitur, ex fluxarum harum rerum abundantia metientes felicitatem, ſed falluntur: nam vera beatitudo ſita eſt in Dei cultu, notitia, veneratione, &c.

TIRINI.

Verſ. 2. MISERICORDIA MEA, ſcilicet activa: Tu enim o Deus, es qui mei miſeri misereris; Chaldæus, *auctor benignitatis meæ*.

V. 3. INNOTUISTI EI. Græcus & Symmachus, *reputaris ei*, vel, *cognoſceris ab eo*; id eſt, das homini cognitionem tui, itemque amicitiam & familiaritatem. Quod maximum Dei donum eſt.

V. 5. INCLINA CAELOS; quaſi dicat: Sicut e nube deſcendiſti in Sinai, & ſic viſus es cælos & teipſum inclinaſſe: & tetigiſti montem Sinai tonitru & fulmine, adeo ut fumigaret, Exodi XIX. ita etiam nunc fac, ut hoc vel ſimili modo ſentiant hoſtes noſtri te nobis adeſſe, & pro nobis pugnare. Allegorice, adſis Meſſia, ut liberes nos. Hieronymus, Auguſtinus.

V. 6. EMITTE SAGITTAS TUAS: puta grandinem, tonitru, fulmen, famem, peſtem, morbos, &c.

V. 7. LIBERA ME DE AQUIS MULTIS; id eſt, e confluxu multarum afflictionum & calamitatum, quæ me quaſi aquæ obruunt & ſuffocant. Theodoretus.

V. 10. DE GLADIO MALIGNO. Hieronymus. *peſſimo*: nempe gladio *Goliath*; inquit Genebrardus.

V. 12. SICUT NOVELLAE PLANTATIONES: ſeu plantulæ, ſcilicet pulcherrimæ, florentiſſimæ, oculis gratiſſimæ. UT SIMILITUDO TEMPLI; id eſt, ad inſtar templi, vel ſtatuarum templi, affabre ſculptarum & ornatarum. Tropologice, ſunt hæreſes, inquit S. Hieronymus: & artes meretriciæ, Theodoretus.

V. 13. ERUCTANTIA, id eſt redundantia, videlicet præ nimia copia incluſarum opum, ut ſæpe oporteat eas ex uno promptuario in aliud transferre. OVES FOETOSAE. Hieronymus, *in millibus*, Chaldæus, *parientes millia*. ABUNDANTES IN EGRESSIBUS, ſeu partubus, SUIS. Hieronymus, *innumerabiles in compitis* ſeu vicis, cum egrediuntur ad paſcua; Chaldæus, *multiplicantes in myriadas in ſtabulis noſtris*: loquitur enim in ipſorum perſona.

V. 14. NON EST RUINA MACERIAE; id eſt, nullus hoſtis muros agrorum, domorum, urbium, vel arcium, impiorum infeſtat aut quatit, aut diruit, ut *transeat* ad eis nocendum. Hinc NEQUE CLAMOR bellicus vel lamentum auditur inter eos; quaſi dicat: Vivunt in alta pace & proſperitate. Ita Symmachus & Theodoretus.

V. 15. BEATUS; ſupple, revera is ſolus eſt, qui quantumvis pauper & miſer, Deum novit, colit & amat: & quem viciſſim Deus amat & curat quaſi DEUS EIUS. Ex ipſo enim ſolo omne bonum, & ſummum bonum.

GORDONI.

Titulus, PSALMUS DAVID, ADVERSUS GOLIATH. In Græco Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, πρὸς τὸν Γολιάθ. At in Hebræo tantum eſt, *Pſalmus David*: reliquum eſſe additum a Septuaginta viris ſcribit Hilarius. Ac certe potius quam aliis, credendum eſt Hilario, quippe qui in expoſitione Pſalmorum ſecutus Origenem (ut ait Hieronymus) merito putatur legiſſe hoc in Origene, qui hexapla edidit, & proinde probe ſciebat, quid eſſet in vera editione Septuaginta Interpretum. Argumentum dedit hic titulus. Vere enim ad litteram eſt de victoria contra Goliath; licet-

cet ſenſu ſpiritali poſſit exponi de victoria Chriſti, & viri iuſti adverſus principem huius mundi: & quidem non eſſe ad litteram hunc Pſalmum de victo Goliath, non probat verſus tertius; *Qui ſubdit populum meum ſub me*: nam ut bene advertit Bellarminus; quamvis David tempore huius victoriæ non eſſet Rex; tamen mox populum ſibi ſubiectum accepit; nempe conſtitutus dux ac princeps militiæ, I. Reg. XVIII. & II. Reg. V.

Verſ. 3. 12. & 15. SEnſus horum verſiculorum reddit totum Pſalmum perſpicuum: nam cum Propheta primo & ſecundo verſiculo commemoraſſet varia Dei beneficia, tandem verſu 3. exclamat admirando Dei bonitatem, quod tanti faciat hominem abiectum, & vanitati ſimilem. Sed quia nec ſic obruti beneficiis ceſſant homines peccare, petit ut Deus inclinans cælos deſcendat, & utatur potentia ſua in illos. Deſcendat, inquam, vel ultor, vel ut Salvator, iuxta duplicem ſenſum.

Verſiculo vero duodecimo, & deinceps, declarat ſtatum & felicitatem impiorum, ut tandem concludat verſ. 15. hos quidem vocari beatos; vere tamen non eſſe: ſed illum populum vere beatum eſſe, cuius dominus eſt Deus. ἐπανόρθωσις eſt, ut etiam ſupra Pſal. XXXII. 12. Hebr. שיהוה אלהיו cuius latet in *wiehova elohau*, Propheta definit celebrem de beatitudine quæſtionem, in qua re ſit poſita. Vox illa, אשרי *aſre*, explicata eſt Pſalmo primo.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. & ſeq. QUis ſit ſenſus litteræ, ſatis indicat titulus. Excurrit vero David verſ. 13. & deinceps in explicationem mundanæ felicitatis per aliquot capita; ut tandem doceat non eſſe ibi veram felicitatem, ſed in eo, quem invocavit initio Pſalmi, ut protectorem, & refugium. Iam vero ſenſus ſpiritualis eſt de bello viri iuſti contra diabolum, cum gratiarum actione pro victoria. Sic ſane de bello contra vitia, & modo vincendi per ſalutaria conſilia. Hic etiam habes locum deſiderium adventus Chriſti, & de vana mundi felicitate ſermo.

BOSSUET.

Verſ. 1. ADVERSUS GOLIATH: ita Ch. ad verſ. 10. & LXX. nec tamen in omnibus exemplaribus teſte Theodor. videtur autem poſt victum Goliath Philiſtæoſque fuſos, Saulis nomine cantatus. Neque enim tunc David Rex erat: verſ. 2. 10. 11. tum poſt eam victoriam, fauſta omnia populo precatur.

V. 4. HOMO VANITATI SIMILIS FACTUS EST: vapori, nihilo: teſtis iſte Goliath iactabundus & minax. SICUT UMBRAE PRAETERIUNT: *ſicut umbra pertranſiens*, Hieron.

V. 6. FULGURA CORUSCATIONEM: *mica fulmine*, Hier. emitte fulgura. Eos: hoſtes.

V. 7. DE MANU FILIORUM ALIENORUM, Philiſthinorum.

V. 8. QUORUM OS...... Quod Goliath, populo Dei ſuorum omnium nomine exprobraret: I. Reg. XVII. 10.

V. 10. DE GLADIO MALIGNO, Goliath: & ita Ch.

V. 12. QUORUM FILII: *ut ſint filii noſtri*, Hier. & ita per reliquum Pſalmum habet *noſtra* pro *eorum*: utrumque optimo ſenſu: docet enim & impios fruſtra confidere opibus; & bonos ſumma licet earum copia, non tamen in eis felicitatem reponere. FILIAE EORUM COMPOSITAE: *filiæ noſtræ quaſi anguli*, Hebr. angulares lapides, quos omni arte ornabant & perpoliebant. SIMILITUDO TEMPLI: vel palatii, ſculpturis, columnis, omni denique arte exornati.

V. 13. ERUCTANTIA: *ſuperfundentia*, Hier. EX HOC IN ILLUD: tanta copia, ut bona in ſe congeſta non capiant, ſed in alia atque alia penuria ſubinde diffundant. OVES EORUM FOETOSAE: *in millibus*, Hier. millibus multiplicantes. IN EGRESSIBUS, *in compitis*, Hieron. in plateis, quibus ipſæ plateæ impleantur.

V. 14. NON EST RUINA...... NEQUE TRANSITUS...... nulla in ſtabulis labes, qua egredi poſſint: tuta omnia & accurata in tectis. NEQUE CLAMOR: tumultuantium ac inſanientium: ſedata, compoſitaque omnia.

V. 15.

ed by Google

℣. 15. Beatum dixerunt : *beatus populus*; Hier. beati quidem ſumus propter temporalia, quæ Deus promiſit legem obſervantibus; at vera felicitas, Deo placere.

PSALMUS CXLIV. LAUDIS ET EXULTATIONIS.

Dei magnitudo, potentia, magnificentia, patientia, iuſtitia, bonitas. Eſt autem Pſalmus Acroſticus Alphabeticus; cuius ſinguli verſus a ſingulis litteris ex ordine incipiunt.

VERSIO S. HIERONYMI.

Laudatio David.

EXaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in æternum & ultra.

In omni die benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſempiternum iugiter.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnificentiæ eius non eſt inventio.

Generatio ad generationem laudabit opera tua, & fortitudines tuas annuntiabunt.

Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, & verba mirabilium tuorum loquar.

Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, & magnitudines tuas narrabunt.

Memoriam multæ bonitatis tuæ loquentur, & iuſtitias tuas laudabunt.

Clemens, & miſericors Dominus: patiens, & multæ miſerationis.

Bonus Dominus omnibus, & miſericordiæ eius in univerſa opera eius.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

VERSIO VULGATA.

1. Laudatio ipſi David.

EXaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

2. Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

3. Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non eſt finis.

4. Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

5. Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

6. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.

7. * Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt.

8. Miſerator & miſericors Dominus: patiens, & multum miſericors.

9. Suavis Dominus univerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

10. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & ſancti tui benedicant tibi.

Glo-

Gloriam regni tui dicent: & fortitudinem tuam loquentur.

Ut oſtendant filii hominum fortitudines eius, & gloriam decoris regni eius.

Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum; & poteſtas tua in omni generatione, & generationem.

Suſtentat Dominus omnes corruentes, & erigit omnes iacentes.

Oculi omnium in te ſperant, & tu das eis eſcam ſuam in tempore ſuo.

Aperis manus tuas, & imples omne animal refectione.

Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Iuxta eſt Dominus omnibus qui invocant illum: omnibus qui invocant illum in veritate.

Placitum timentium ſe faciet, & clamorem eorum exaudiet, & ſalvabit eos.

Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & univerſos impios conteret.

Laudem Domini loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomini ſancto eius in æternum, & iugiter.

11. Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur:

12. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.

13. Regnum tuum regnum omnium ſæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

14. Allevat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes eliſos.

15. Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno:

16. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

17. Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

18. Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

19. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſalvos faciet eos.

20. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet.

21. Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Digitized by Google

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 7. *Memoriam abundantia ſuavitatis tua eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt*. Legendum eſt *iuſtitia tua* ſexto caſu, ſubaudita præpoſitione *in*, potius quam *iuſtitiam tuam* quarto caſu. Certe mendum eſt, quod quidam habent *iudicia tua*, ut & illud, quod pro *exultabunt* nonnulli ſcribant *exaltabunt* prima vocali; nonnulli *eructabunt*, repetito verbo proxime antecedeoti.

Notatio.

Verſ. 7. Quædam maooſcripta legunt: *Et iuſtitiam tuam exultabunt*, Pariſienſium Ge. ar. & V. cum Haymone, & Brunone Carthuſianorum ioſtitutore; quo modo & in Hilarii commentariis, & in textu Proſperi expoſitionibus addito, legitur, & eſt ſenſus: Iuſtitiam tuam exultando celebrabunt, ſicut & in 1. Pſalmo dicitur: *Exultabit lingua mea iuſtitiam tuam*. Pleraque vero exemplaria com ſcripta, tum excuſa cum Ludolpho, & aliis ſcribunt, *Et iuſtitia tua exultabunt*, id quod Auguſtinianæ enarratiooi conſentaneum, & Græcæ lectioni cooforme eſt: καὶ τῇ δικαιοσύνῃ σου ἀγαλλιάσονται habeot Græci codices. Senſus, præpoſitione addita, patet: *In iuſtitia tua exultabunt*, quam præpoſitionem Latinum Hunnæi exemplar V ootatum, & Græcum Apollinaris Pſalterium expreſſere. Ex Hebræo utrovis licet modo traosferre. רנן וצדקתך ירננו & *exultare* & *laudare*, *cantare*, atque *clamare* ſignificat: habent nonnulli libri: *Et iuditia tua exultabunt*, ſed id mendum eſſe vix eſſe dubium poteſt; certe in adiuncto Euthymii commentariis textu vitium eſt maoifeſtum. Quidam Coloniæ impreſſus codex, *Et iuſtitia tua eructabunt* ſcribit, verbo proxime antecedenti repetito, qui error eſt apertus: Goticum manuſcriptum legit, *Et iuſtitiam tuam exaltabunt*. Verum Græca vox ἀγαλλιάσομαι *exulto*, non *exalto* proprie denotat; facile ſcriptor mutandum iudicavit *exultabunt* cum *exaltabunt*, tum quod ſibi iovicem ſimillimæ ſint voces, tum quod nonnullum ſit orationis incommodum.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. Et magnitudinis eius. Hebr. *non eſt inveſtigatio*.

V. 4. Generatio et generatio laudabit opera tua. Hebr. *generatio generationi*.

V. 5. Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae. Hebr. *decorem gloriæ potentiæ tuæ*; vel decorem, gloriam & potentiam tuam, & res admirabiles tuas meditabor.

V. 6. Et magnitudinem tuam narrabunt. Hebr. *narrabo*.

V. 7. Et iustitia tua exultabunt. Hebr. *Et iuſtitiam tuam exultabunt*.

V. 9. Suavis Dominus universis. Hebr. *benignus*.

V. 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis, &c. Hebr. hæc non leguntur. Septuag. autem qui vertunt credendum eſt legiſſe.

V. 16. Et imples omne animal benedictione. Hebr. *Satuarari facis omne vivens voluntate*; id eſt, omnibus rebus quas appetit: Iob xxxviii. 39.

V. 19. Et deprecationem eorum exaudiet. Hebr. *Clamorem eorum exaudiet*.

SA.

Dei laus.

Verſ. 1. Exaltabo, id eſt celebrabo. Benedicam, id eſt prædicabo. In saeculum, &c. id eſt in præſenti vita, & futura. Hieron. *in æternum, & ultra*.

V. 3. Finis; quaſi dicat, Eſt infinita: Hieron. *inventio*.

V. 4. Generatio et generatio, id eſt omnes ſeu plurimæ ætates, ſen generationes. Pronuntiabunt. Hieron. *annuntiabunt*. Chald. *narrabunt*.

V. 5. Magnificentiam, id eſt maieſtatem. Hieron. & Chald. *decorem*.

V. 6. Virtutem. Hieron. *fortitudinem*. Terribilium, ſcilicet iudiciorum, vel ultionum.

V. 7. Eructabunt; quaſi dicat, Plenis buccis effundent: Bern. Ructus de plenitudine & ſatietate procedit. Hieron. *loquentur*. Chald. *perſonabunt*. Iustitia, id eſt de iuſtitia. Quo nomine etiam hic quidam ſecundum Chryſoſt. *miſericordiam* intelligunt.

V. 8. Miserator. Hieron. & Chald. *clemens*.

V. 9. Suavis, id eſt benignus. Hieron. & Chald. *bonus*. Universis, id eſt erga omnes. Super omnia, id eſt in omnibus ſcilicet relucet.

V. 12. Magnificentiae, id eſt maieſtatis. Hieron. & Chald. *decoris*.

V. 13. Omnium saeculorum, id eſt ſempiternum.

V. 14. Allevat. Hieron. & Chald. *ſuſtentat*. Elisos. Hieron. *iacentes*; quaſi dicat: Fulcit caſuros, & erigit collapſos.

V. 15. Sperant, id eſt intenti ſunt.

V. 16. Benedictione, id eſt bonis, ſeu beneficiis. Hieron. *refectione*.

V. 17. In veritate, id eſt ex animo, ſeu ſincere.

V. 19. Voluntatem, id eſt deſiderium.

V. 20. Peccatores, ſcilicet in peccatis perſeverantes: Aug. Hieron. & Chald. *impios*.

V. 21. Laudationem, id eſt laudem. Caro, id eſt homo.

E S T I I

Verſ. 9. Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius. Poſteriorem han cpartem quidam ſic intelligunt, ut opera miſericordiæ Dei ſuperent multitudine & magnitudine cetera eius opera. Sed hunc non eſſe ſenſum oſtendit membrum præcedens: *Suavis eſt Dominus univerſis*. Significatur ergo, miſericordiam, id eſt, bonitatem, benignitatem, ſeu beneficentiam Dei extenſam, & expanſam eſſe ſuper omnia eius opera; quia, quod ſint, quod permaneant, quod formam, ſpeciem, qualitatem, motum, actionem, & ordinem habent, totum habeant a Dei bonitate. Neque pugnant hæc verba cum illo Iacobi II. *Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*, quia in hoc Pſalmo, itemque Pſal. CXVIII. ubi ſimilia verba habentur, tantum eſt ſermo de donis naturalibus: ſicut & Chriſtus dicit de patre ſuo cæleſti, *quod ſolem ſuum facit oriri ſuper iuſtos & peccatores*. Vide noſtra in IV. Sentent. d. XLVI.

V. 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Hic verſus non eſt in Hebræo. Cuius rei cauſam difficile eſt invenire. Ac videri poteſt in Hebræo aliquando fuiſſe. Incipit enim ſi Hebraice redderetur, a littera נ quæ ſola deeſt alphabeto illi, quod decurrit per initiales litteras verſuum huius Pſalmi. Sed quæ ratio potuit eſſe tollendi hunc verſum, ſi in Hebræo fuit? maxime cum tam facile fuiſſet mox ablationem deprehendere ex violatione alphabeti? Unde nullo modo ſit veriſimile fuiſſe hunc verſum aliquando in Hebræo, licet, ut dixi, cauſam alphabeti ſucciſi reddere non ſit promptum nec facile. Vide de ea re Genebrardum coniecturam adferentem. Quod ſi נ litteram omittere hoc loco voluit in odium Nabal ſtolidi hominis inimici ſui, contra quem & Pſalmum XIII. ſcripſit? quis dicat.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. Laudatio ipsi David: aut *Davidis*, id eſt a Davide compoſita. Pſalmus ἀκρόστιχος. Singuli verſus Hebr. a ſingulis Alphabeti litteris inchoant. Dei maieſtatem & benignitatem commendat. Exaltabo te: ore & lingua. In saeculum, et in saeculum saeculi. Hieron. *in æternum, & ultra*.

V. 3. Magnus Dominus. Exequitur quod promiſit de laudibus Dei. Nimis: Hebr. *valde*. Non est finis. Hebr. *non eſt inveſtigatio*; id eſt, nullus inveſtigare pot-

poterit & invenire, quanta ſit Dei magnitudo.

V. 4. GENERATIO ET GENERATIO, id eſt omnes generationes, omnia ſæcula. Hebr. *generatio generationi laudabit opera tua*: ſic Hieronym. id eſt maiores poſteris ſuis: ſic forte illud Pſalm. XVIII. 2. *Dies diei eructat verbum*, id eſt una generatio alteri, patres filiis.

V. 5. MAGNIFICENTIAM. Hebr. *decorem*, ſplendorem. SANCTITATIS TUAE. Hieronymus, *magnitudinis tuæ*: alii, *magnificentiæ tuæ*. NARRABUNT. Hebr. *loquar*, ſeu *meditabor*.

V. 6. ET VIRTUTEM, robur. TERRIBILIUM, id eſt operum tuorum mirabilium. NARRABUNT. Hebr. *narrabo*; quaſi dicat: Alii alia prædicabunt, ego magnitudinem tuam, unde mira hæc opera proveniunr, ſublatis oculis altius.

V. 7. ERUCTABUNT. Hieron. *loquentur*. Hebr. verbum יביעו *iabibu*, *ſcaturire* ſignificat, metaphorice *loqui*, ſed abundanter, id eſt *eructare*. ET IUSTITIA TUA EXULTABUNT; pro, de iuſtiria tua. Hebr. *& iuſtitiam tuam exaltabunt*.

V. 9. SUPER OMNIA OPERA EIUS; id eſt, maiores ſunt miſerationes Dei aliis operibus. Iacob. II. *Superexaltat miſericordia iudicium*; id eſt, iudicio & iuſtitia maior eſt, non in ſe, ſed quoad effectus.

V. 10. CONFITEANTUR, laudent. OMNIA OPERA TUA reſtentur quod dixi verum eſſe, miſericordiam aliis operibus maiorem eſſe. ET SANCTI TUI: ii etiam teſtes ſint, quorum eſt incorruptum iudicium. Hebr. *miſericordes* tui. Sed ii *ſancti* vocantur, quia præcipua nota ſanctitatis eſt benignitas.

V. 11. GLORIAM REGNI TUI DICENT. Ea eſt gloria regni, miſericordia uti. ET POTENTIAM. Hebr. *& robur*. Id eſt etiam robur, ſic trahit ad ſe cuncta.

V. 13. IN OMNI GENERATIONE ET GENERATIONEM, id eſt perpetua eſt tua dominatio. FIDELIS DOMINUS: hic verſus non eſt Hebr. neque in aliis verſionibus Græcis, ut Scholiaſtæ Græci aſſerunt, non in Hieronymo, aut Chald. Sed convincit deſiderari ordo litterarum Alphabeti, alioqui nullus erit verſus a *Nun* inchoans, נאמן *Neæman*, id eſt *fidelis*, erat initium verſus huius 13.

V. 14. ALLEVAT. Hebr. *fulcit*, aut *aſpicit*. Chald. pro, *levavit oculos ſuos*, vertit, זקף *zakeph*. Elias in Methurgheman כל לשנא נשיאות עינים הרגום בלשון זקיפא, id eſt pro elevatione oculorum. Chald. ſemper ponit *zakaph*. ET ERIGIT OMNES ELISOS. Hebr. *incurvatos*, id eſt oppreſſos ærumna, aut violenter a potentioribus allevat. Chald. interpretatio Latina, *Dirigit omnes curvatos*; pro, erigit, allevat.

V. 15. IN TEMPORE OPPORTUNO. Hebr. *in tempore ſuo*, tempeſtive das eſcam.

V. 16. BENEDICTIONE: cibo copioſo imples omne animal, non maligne das, Hebr. *imples voluntate*; id eſt, das cuique cibum quem optat, qui eius naturæ congruit, ſive herbis vivant, ſive fructibus, ſive carnibus.

V. 17. IUSTUS DOMINUS. Repetitio verſ. 14. duobus verbis tantum mutatis. IN OMNIBUS VIIS SUIS. Viæ Dei, ratio agendi, præcepta.

V. 18. IN VERITATE, id eſt ex corde invocantibus præſto eſt. Kimhi, ut cor ori conſonet opus eſt, alioqui deprecatio eſt fallax.

V. 19. ET DEPRECATIONEM. Hebr. *clamorem*, ſive quo invocant Deum, ſeu quem exprimit afflictio, vis mali, exaudiet.

V. 21. LAUDATIONEM DOMINI: cum titulo Pſalmi iungit finem. BENEDICAT OMNIS CARO, id eſt omnis homo, ut Geneſ. III. 20. de Eva, *eo quod mater eſſet cunctorum viventium*, id eſt hominum. Ergo ut ibi *viventes* reſtringimus ad hominem, ſic hoc loco *carnis* nomen. IN SAECULUM, ET IN SAECULUM SAECULI. Hebr. *in æternum*, *& ultra*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. EXALTABO TE DEUS MEUS REX, &c. Conſcriptus hic Pſalmus Hebraice ordine Alphabetico, excepta littera Nun, quæ hic omiſſa eſt, nec ullus ab ea inchoat. Vide ſupra in Pſal. CX. 1. & in Pſal. XXIV. 1.

V. 3. ET MAGNITUDINIS EIUS NON EST FINIS. Hebr. *Et magnitudini eius non eſt perveſtigatio, perſcrutatio*; id eſt, cuius magnitudo perveſtigari non poteſt. Sic Iob V. 9.

V. 4. Et potentiam tuam pronuntiabunt. Quidam reddunt: *Prout hæc* opera tua, *indicant omnimodam potentiam tuam*. Vide Pſal. xviii. 1. & ſequentibus.

V. 5. Et mirabilia tua narrabunt. Hebr. *Et verba arduorum tuorum meditabor*. Alii: I. *Et de rebus tuis admirandis diſſeram*. II. *Et res tuas memorabiles eloquor*. III. *Et res a te clariſſime cum omnium admiratione geſtas ſtudioſe aliis commemorabo*. IV. *Et res mirabiles tuas elocuturus ſum*, infra hoc Pſalmo inde a verſ. 12.

V. 6. Et magnitudinem tuam narrabunt. Heb. *Et magnitudines tuas narrabo eam*; id eſt, unamquamque ſeorſim e magnitudinibus tuis. Quidam: *Prout ſingula magna geſta tua enarraturus ſum*.

V. 7. Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt. Varie alii ex Hebr. I. *Memoriam multi boni tui effluent, effundent, effabuntur*; id eſt, plenis buccis prædicabunt. II. *Tuæque bonitatis ingentis memoriam homines proment*. III. *Memoriam amplæ bonitatis tuæ eructabunt*, ut Pſal. xviii. 3.

V. 8. Miserator, et misericors Dominus, &c. Omnia Dei attributa huius & ſequentis verſus quidam in accuſandi caſu convertunt: *Gratioſum & miſericordem Iehovam eſſe*; *longanimem & magnum benignitate*; *Bonum eſſe Iehovam omnibus, & miſericordiam eius in omnibus operibus eius*, ſubaudi e præcedente verſu, *eructent & cantent*.

V. 10. Sancti tui. Hebr. *Benigni tui*, active, qui ſunt benigni in alios: paſſive, quos tu benignitate proſequeris: ut alibi ſæpius in Pſalmis.

V. 14. Omnes, qui corruunt. Heb. *Omnes cadentes*. Exponunt, quos ſuſtentandos, & allevandos novit pro bonitate ſua, ſine qua nemo ſuſtentatur, erigitur, &c.

V. 15. Oculi omnium in te sperant, &c. Vide hunc verſum ſupra Pſal. ciii. 27.

V. 16. Et imples omne animal benedictione. Diverſimode ex Heb. alii: I. *Et ſaturans omne vivum complacentia*, id eſt *quacumque re delectante illud*. II. *Et ſaturas deſiderium omnium animantium*. III. *Et ſaturas omne vivens ad voluntatem*, id eſt cibo gratis dato, vel pro voluntate, pro beneplacito, id eſt cibis optatis, pro deſiderio cuiuſque. IV. *Et ſaturas abunde omne animal*. V. *Et ſaturas quidquid vivit ex beneplacito ſuo*, vel *tuo*, id eſt pro tua bona voluntate & benignitate.

V. 18. In veritate. Hebr. *In fide*, vel *ex fide*, id eſt ex vera & viva fide in ipſum, ſeu animo ſincero & integro, non fucato & hypocritico, vel conſtanter & perſeveranter.

MENOCHII.

Verſ. 4. Generatio, et generatio: ſingulæ generationes, & ætates. Potentiam tuam pronuntiabunt: omnipotentiam tuam, quæ in operibus tuis elucet, celebrabunt.

V. 5. Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae: glorioſam maieſtatem ſanctitatis tuæ.

V. 6. Veritatem, potentiam, fortitudinem. Terribilium tuorum. Rerum tuarum admirandarum quæ merito ſtuporem, & quaſi quemdam terrorem incutiunt.

V. 7. Memoriam eructabunt: mentionem facient, commemorabunt, celebrabunt. Abundantiae suavitatis tuae: abundantis, & copioſæ bonitatis tuæ. Iustitia tua, de tua iuſtitia. Suavis, benignus, beneficus. Super omnia opera eius. Miſerationes eius ſunt maiores omnibus eius operibus, quoad effectus, nam alioqui omnia Dei attributa ſunt æqualiter magna.

V. 10. Confiteantur, &c. Laudent te omnes creaturæ. Sancti tui, fideles.

V. 11. Regni tui: gubernationis providentiæ, & potentiæ tuæ.

V. 12. Gloriam magnificentiae: gloriam magnificam, vel glorioſam maieſtatem, ut verſu 5.

V. 13. Regnum omnium saeculorum: nullis ſæculis comprehenſum, ſed æternum. Fidelis: verax, & conſtans in ſervandis promiſſis. Sanctus: nihil enim facit, quod merito reprehendi poſſit.

V. 14. Qui corruunt, miſeros, afflictos. Elisos. In Hebr. eſt, *incurvatos*, id eſt pondere malorum preſſos. In Græc. eſt κατεῤῥαγμένους, *confractos*, *eliſos*.

V. 15. Oculi omnium in te sperant

Do-

DOMINE: oculos habent intentos in te, a quo victum expectant. *Omnium*, eſt neutrius generis, non enim ſolum hominibus, ſed brutis etiam animantibus victum ſuppeditat Dominus.

V. 16. APERIS MANUM TUAM, beneficam & liberalem. IMPLES BENEDICTIONE: tuis beneficiis ſatias.

V. 17. IN OMNIBUS VIIS SUIS: in omnibus actionibus ſuis. SANCTUS. Vide dicta num. 13.

V. 18. PROPE EST: adeſt auxilium laturus. IN VERITATE: ſerio, & ex corde.

V. 19. VOLUNTATEM; id quod volunt, quod optant. In Hebræo eſt, *beneplacitum*.

V. 21. OMNIS CARO, omnes homines.

TIRINI.

Verſ. 5. MAGNIFICENTIAM GLORIAE SANCTITATIS; id eſt, magnificam gloriam, decorem & ſplendorem *ſanctitatis tuæ*, qua & tu ſanctus es, & alia ſanctificas, LOQUENTUR, & laudabunt homines. Ita S. Hieronymus & Theodoretus: qui addit, Prophetam ideo pluribus nominibus idem repetere, quia naturales Dei appellationes condigne aſſequi vel exprimere nequibat.

V. 6. VIRTUTEM, id eſt potentiam; Hieronymus & Chaldæus, *fortitudinem*, TERRIBILIUM TUORUM: ſupple, iudiciorum & ultionum, deprædicabunt.

V. 7. ABUNDANTIAE, (Græce, *abundantis*) SUAVITATIS, χρηστότητος, id eſt, bonitatis, benignitatis, beneficentiæ TUAE MEMORIAM ERUCTABUNT homines pleno corde & ore. ET IUSTITIA TUA EXULTABUNT; id eſt, ob tua iuſta iudicia ſummopere gaudebunt. S. Auguſtinus.

V. 9. MISERATIONES EIUS SUPER (Hieronymus, *in*) OMNIA OPERA EIUS: ſcilicet, expanſæ ſunt, ſeu in omnibus relucent, etiam in pœnis infernalibus: nam & has citra condignum infligit impiis, & leviores quam de rigore iuſtitiæ debeantur. Ita fere S. Hieronymus, Theodoretus, Genebrardus, Ianſenius.

V. 19. APERIS MANUM; id eſt, aperta manu liberaliter largiris cibum omni animali; quaſi dicat: Quam facile nobis eſt aperire manum, tam facile eſt Deo affluentiam omnium bonorum etiam puncto temporis præbere, inquit Theodoretus.

GORDONI.

Titulus, LAUDATIO IPSI DAVID. Senſus eſt, Laus Dei inſpirata Davidi a Spiritu Sancto. Hebr. תהלה *thehillah*, *laudatio*. Septuaginta, αἴνεσις. Titulus dat argumentum: eſt enim continuata laus Dei, a magnitudine, opibus, potentia, & regiis virtutibus. Hoc argumentum proponunt duo priores verſiculi. Hic Pſalmus eſt alphabeticus: & quamvis nunc in Hebr. non ſit verſus Nun, tamen fuiſſe certum eſt, cum ſit apud Septuaginta Interpretes: quod ut clarum argumentum corrupti textus Hebraici notat Bellarminus ad verſ. 14.

Verſ. 9. SUAVIS DOMINUS; &c. At quomodo miſeratio ſupra omnia opera Dei? Certe vel quia eſt in opere omni Dei, ut docent Auguſtinus & Chryſoſtomus: favent Septuaginta, ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ; vel quia miſericordia antecellit omnibus operibus: favet Hebr. על כל-מעשיו *ſuper omnia opera eius*. Ceterum, qua ratione miſericordia ſit tum in omnibus operibus Dei, tum excellentior omnibus virtutibus, agunt Theologi cum S. Thoma II. II. quæſt. xxx. art. 4. Eſt quidem miſericordia nobis miſeris ſummopere commendabilis, & amabilis, quia eſt ad bonum communicandum prona: & ſponte alienum ſuſtinet defectum: ſic excellentiam demonſtrat nobis ſuam, & rebus aliis a Deo diverſis: nam omnia accipiunt aliquid ab eo: ſic, inquam, relucet in rebus omnibus, & ubique miſericordia.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. QUia Hilarius & Auguſtinus interpretantur hic laudari Chriſtum in Davide, vel per Davidem; poteſt etiam ad litteram hoc ſenſu explicari Pſalmus. Laudabitur ergo ſic Chriſtus ſub perſona David, qui de ſemine David ortus eſt. Verum durior eſt hæc in-

Digitized by Google

interpretatio; & altera recepta magis, ac demum communis. Poteſt vero Pſalmus totus ad hæc capita revocari: facta propoſitione extollit opera Dei glorioſa; immo ut ſunt amabilia, ita & horribilia ſunt. Mox verſu 10. promovet, quæ ſunt de potentia, amplitudine, & perpetuitate regni. Deinde verſu 13. a fidelitate, & ſanctitate, item ſubinde a cura ſuorum, & providentia; & verſu 13. a liberalitate. Iuſtus eſt verſu 17. Invocantibus adeſt verſ. 18. & 19. Concludit verſu ultimo: hæc ſunt, inquit, propter quæ laudabo Deum.

BOSSUET.

Verſ. 1. NON EST FINIS, *inventio*, Hier. *inveſtigatio*, ἀνεξιχνία-στος: cuius ſublimitas tanta eſt ut oculorum aciem effugiat; cuius per occultas & inacceſſas vias incedentis indeprenſa ſunt veſtigia: *In mari* enim *via tua & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur*: Pſal. LXXVI. 20.

V. 4. GENERATIO ET GENERATIO: *generatio ad generationem*, id eſt generationi: Hier. quo ſignificatur laudum continuata traditio.

V. 5. MAGNIFICENTIAM..... LOQUENTUR, ET MIRABILIA..... *verba mirabilium tuorum loquar*, Hier. *meditabor*, Hebr.

V. 9. MISERATIONES EIUS SUPER OMNIA..... & copia, & dignitate, & claritudine.

V. 10. CONFITEANTUR TIBI..... OPERA TUA: verba enim deficiunt, neque præter opera tua, quidquam te eſt dignum.

V. 13. FIDELIS DOMINUS: deeſt hic verſus integer in Hebr. iam a tempore Hier. Item apud Aquilam, Theodor. & Ch. at Syrus habet, & Arabs ut LXX. Porro neceſſe eſt illum textum excidiſſe, cum Pſalmus ſit Acroſticus, deſitque littera *Nun* a qua incipit vox *Neeman*, *fidelis*. Patet ergo non eſſe integrum ubique textum Hebraicum.

V. 15. TU DAS ESCAM ILLORUM: Hoc ad Euchariſtiam fideles referebant; unde hic verſus aſſidue in ore eorum, qui myſteriis initiati: Chr.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS CXLV. LAUDIS ET CONSOLATIONIS.

Non in hominibus confidendum, ſed in ſolo Deo, liberatore & bonorum omnium auctore.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

Lauda anima mea Dominum. Laudabo Dominum in vita mea: cantabo Deo meo quamdiu ſum.

Nolite confidere in principibus: in filio hominis, cui non eſt ſalus.

Egredietur ſpiritus eius, & revertetur in humum ſuam: in die illa peribunt cogitationes eius.

Beatus cuius Deus Iacob auxiliator eius: ſpes eius in Domino Deo ſuo.

Qui fecit cælos & terram: mare, & omnia quæ in eis ſunt: qui cuſtodit veritatem in ſempiternum.

Qui facit iudicium calumniam ſuſtinentibus, & dat panem eſurientibus: Dominus ſolvit vinctos:

Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit alliſos: Dominus diligit iuſtos.

Dominus cuſtodit advenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: & viam impiorum conteret.

Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus Sion: in generationem & generationem. Halleluia.

VERSIO VULGATA

1. Alleluia, Aggæi, & Zachariæ:

2. (*a*) Lauda anima mea Dominum, laudabo Do-
minum in vita mea: pſallam Deo meo
quamdiu fuero.
Nolite confidere in principibus: 3.
† in filiis hominum, in quibus non
eſt ſalus.
4. Exibit ſpiritus eius, & revertetur
in terram ſuam: in illa die peribunt
omnes cogitationes eorum.
5. Beatus, cuius Deus Iacob adiutor
eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius:
6. (*b*) qui fecit cælum & terram,
mare, & omnia quæ in eis ſunt:
7. Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.
Dominus ſolvit compeditos: 8. Do-
minus illuminat cæcos.
* Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos.
9. Dominus cuſtodit advenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: † & vias peccatorum diſperdet.
10. * Regnabit Dominus in ſæcula Deus tuus Sion, in generationem & generationem.

(a) Pſal. cxviii. & cxliv. (b) Act. xiv. 15. Apoc. xiv. 7.

PSAL.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos*. Cave pro *diligit*, quod eſt amat, legas *dirigit*, quod eſt gubernat.

V. 10. *Regnabit Dominus in ſæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem*. Non mutes priorem accuſativum *generationem*, in ablativum *generatione*, ut multi.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 3. *In filiis hominum in quibus non eſt ſalus*. Poſterius *in* prætereitur ab aliis libri Latinis non minus quam a Græcis, & Hebræis.

V. 9. *Et vias peccatorum diſperdet*. lectio ſingularis numeri *viam* non parvæ eſt auctoritatis.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. IN ILLA DIE PERIBUNT OMNES COGITATIONES EORUM: omnia conſilia eius.

V. 9. PUPILLUM ET VIDUAM SUSCIPIET. Heb. *eriget*.

SA,

Dei laus.

Verſ. 3. NON EST SALUS; quaſi dicat, Qui non poſſunt ſalvare.

V. 4. SPIRITUS, ſcilicet vitalis, vel anima. Chald. *flatus*. EIUS; pro, eorum. REVERTETUR, ſcilicet homo quantum ad corpus. PERIBUNT, id eſt fient irritæ. COGITATIONES, id eſt conſilia & ſtudia. Chald. *machinationes*.

V. 7. VERITATEM, id eſt fidem in promiſſis. COMPEDITOS, id eſt vinctos. ELISOS, id eſt collapſos.

V. 9. SUSCIPIET, id eſt defendet. VIAS, id eſt conſilia, & acta.

V. 10. SAECULA. Hieron. & Chald. *æternum*.

ESTII

Verſ. 3. NOLITE CONFIDERE IN PRINCIPIBUS, IN FILIIS HOMINUM, IN QUIBUS NON EST SALUS. Confidere in principibus, vel in homine, quod hic prohibetur, non eſt ſubſidium aliquod ab homine ſperare, aut expectare. Hoc enim ad humanam ſocietatem & caritatem mutuam pertinet, mutua officia præſtare, ac viciſſim expectare: ſed confidere dicitur in homine, quia ita ſpem ſuam in homine collocat, ut in eo principaliter nitatur, tamquam in ſimpliciter potente, veraci, ac fideli ad præſtandum beneficium; atque ita confidens in homine revocatur, aut impeditur a fiducia Dei, in quo principaliter confidendum eſt. Et talis incurrit maledictionem illam Ieremiæ XVII. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Deo recedit cor eius*. Proinde quiſquis ab homine beneficium expectat, quo conſiderare debet, ſcilicet omnem hominem eſſe mendacem; id eſt, fieri poſſe, ut ſententiam mutet, & ſic non præſtet quod promiſit. Deinde etiam omnem hominem eſſe infirmum; id eſt, impediri poſſe, ut præſtare nequeat. Deus autem ſimpliciter verax eſt, ſimpliciter ſufficiens, & potens; ac proinde principaliter in eo fidendum.

V. 4. EXIBIT SPIRITUS EIUS ET REVERTETUR IN TERRAM SUAM. Eccleſ. ult. dicitur: *Donec revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Quod ergo hic dicitur, *& revertetur in terram ſuam*, non ad ſpiritum referendum eſt: neque enim ſpiritus hominis eſt de terra, ut dici poſſit eum in terram reverti, ſed debet referri ad ipſum hominem, ſeu princi-

ci-

cipem, de quo hic ſermo eſt. Itaque ſenſus eſt: *Exibit ſpiritus eius*, nempe hominis aut principis, *&* ipſe (homo, vel princeps) *revertetur in terram ſuam*, unde erat creatus. Revertetur autem in terram ſecundum corpus, non ſecundum animam. Nam ratione corporis dictum eſt primo parenti Geneſ. III. *Donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vox Hebræa quæ hoc loco terram ſignificat, ea eſt, a qua primus homo nominatus eſt Adam, quia de terra ſumptus erat. Unde Hieronym. in Latina ſua verſione ſimilem ſervavit alluſionem. Vertit enim: *Revertetur in humum ſuam.* Nam ſicut Adam ab *adamach*, id eſt terra, ita homo ab humo dicitur apud Latinos. Preceſſerat autem in Pſalmo, *in filiis hominum*; ubi Hebr. eſt *Adam*. Et ad illud vocabulum voluit Pſalmiſta alludere.

MARIANAE.

Verſ. I. ALLELUIA; id eſt, Pſalmus ſic dictus, quia Dei laudes continet. AGGAEI, ET ZACHARIAE, id eſt ab his compoſitus, Verum Hebr. id non eſt, neque in Sept. aut aliis Græcis verſionibus erat, ſed in κοινῇ tantum, id eſt Græcorum Vulgata. Beatum eſſe ait qui Deo fidit.

V. 2. IN VITA MEA, id eſt quamdiu vixero. PSALLAM; ad vocem & inſtrumentum referri poteſt: ſic refert Apollinaris. QUAMDIU FUERO. Hebr. *in uſque me*; id eſt, dum ſuperſtes ero, pſallam. NOLITE CONFIDERE; id eſt, Deum laudate, non homines adulandi ſtudio.

V. 3. IN QUIBUS NON EST SALUS. Qui ſalvare alios non poſſunt, aut ſeipſos.

V. 4. EXIBIT SPIRITUS EIUS, ET REVERTETUR, non *ſpiritus*, ſed homo. IN TERRAM SUAM; ſcilicet de qua initio formatus eſt. Hebr. eſt *Adama*, ex qua *Adam* fictus dicitur Geneſ. III. 19. & unde nomen *Adam*, id eſt *terreſtris*.

V. 6. QUAE IN EIS SUNT, in cælo, id eſt aere, in terra & in mari. Omnia fecit.

V. 7. VERITATEM: fidem in promiſſis cuſtodit. FACIT IUDICIUM: vindicat iniuria oppreſſos.

V. 8. ILLUMINAT CAECOS. Hebr. *aperit cæcos*, id eſt oculos cæcorum. Per *cæcos* quidam intelligunt malis oppreſſos. Afflictio tenebris comparatur, luci felicitas. ELISOS, curvatos, inclinatos malorum pondere, eriget. Porro Hebr. Schol. verbum זָקַף *zakaph*, pro quo alii vertunt *erigit*, ipſe ſumit in ſignificatione aſpiciendi. *Aſpicit inclinatos*, id eſt favet illis: de quo ſuperiori Pſal. verſ. 15. Quibus duobus locis tantum hoc verbum in Sacris invenitur.

V. 9. PUPILLUM ET VIDUAM SUSCIPIET, id eſt adiuvabit. Hebr. *eriget*, *ſublevabit*.

V. 10. SION. O Sion, in vocativo. IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM; id eſt, perpetuo regnabit Deus tuus.

MALVENDAE.

Verſ. 2. QUAMDIU FUERO. Hebr. *In adhuc meo*, vel *cum adhuc ego*. Quidam: *Quamdiu ſuperſtes ero*, vel *quoad deinceps vixero*. Poſſis reddere: *In amplius meo*, vel *in ultro meo*; hoc eſt, ampliſſime, quantum potero, ultra vires meas, omnem conatum adhibeam in celebrando eum.

V. 3. IN PRINCIPIBUS. Exponunt, ne in potentiſſimis quidem: quorum vanitatem oſtendit a naſcendi ſorte, hoc verſu; ab imbecillitate vitæ, a moriendi neceſſitate, a repentino conſiliorum caſu, verſu ſequente. Sic ſupra Pſalm. CXVII. 9.

V. 4. ET REVERTETUR, ſcilicet homo, non ſpiritus; nam verbum eſt Hebr. maſculeum, & ſpiritus, femineum. IN ILLA DIE PERIBUNT. Quidam: *Die eodem pereunt*, id eſt quo ſunt initæ; quaſi dicat, repente, momento uno concidunt. OMNES COGITATIONES EIUS, עשתנותיו *gheſchthonoth*, proprie: *Polities*, *nitores*, *ſerenitates*, *terſities*, *ſplendores*: aiunt eſſe *cogitationes ſplendidas*, *& elegantes imaginationes*: vide in Iob XII. 5. *Nun* inſertum ſignificatum auget; quaſi dicas, eximiæ omnes & exquiſitæ munditiæ, lautitiæ, elegantiæ eius.

V. 5. Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, &c. Obſervant, eſſe propoſitionem argumentorum laudaiionis Dei, quorum genera ſunt tria: primum eſt, ſingularis conſcientia beneficiorum eius erga nos per fidem, hoc verſu: ſecundum, creaiio, & rerum creatarum adminiſtratio præſens, ordinaria, & extra ordinem, quatuor ſequentibus: tertium, æternitas regni eius in Eccleſia, verſu ultimo.

V. 6. Qui custodit veritatem in saecullm. Hebr. *Obſervans fidem in æternum*; id eſt, qui perpetuo ſtat promiſſis, vel qui fide optima cuncta adminiſtrat ac ervat.

V. 7. Facit iudicium iniuriam patientibus, id cit vindicat oppreſſos. Alii: *Qui exercet iudicium erga oppreſſos*; id eſt, qui ſuccurrit ſingulis prout opus eſt: quo ſequentia omnia exempla pertinent.

V. 9. Et viduam suscipiet. Alii: *Roborabit*, *fulciet*, *ſublevabit*, *confortabit*, *evebet*, *ſtatuminabit*. Vide de notione verbi עודד *ghoded*, in Pſalm. xix. 9. Et vias peccatorum disperdet. Hebr. *Et viam improborum curvabit*, *torquebit*, *depravabit*, *pervertet*, *ſubvertet*.

MENOCHII.

Verſ. 1. Aggaei, et Zachariae. Horum Prophetarum nomina non ſunt in textu Hebræo, & videntur addita, quoniam illi prædixerunt inſtaurationem Ieruſalem, ad quam verba aliqua huius Pſalmi accommodari poſſunt, ut illud: *Regnabit Dominus in ſæcula*, *Deus tuus Sion*, &c. Vel, quod huius Pſalmi argumentum, & materiam uiſerint, & illuſtrarint, non quod carmen condiderint.

V. 2. Quamdiu fuero, quamdiu vixero. Confidere: omnem ſpem veſtram locare, neglecto Deo.

V. 3. In quibus non est salus: qui ſalutem afferre non poſſunt.

V. 4. Exibit spiritus eius: efflabit, migrabit e corpore anima Principis. Revertetur in terram suam: homo quo ad corpus in terram ſolvetur. In illa die; tempore mortis. Cogitationes: conſilia, conatus, ſtudia omnia evaneſcent.

V. 7. Custodit veritatem: fidem ſervat in promiſſis. In saeculum: in ævum, ſemper. Facit iudicium, &c. reddit ius. Italice dicimus, *Fa ragione*, *fa giuſtizia*. Compeditos: vinctos compedibus, & carcere tentos. Elisos, afflictos. Vide Pſal. ſuperiore n. 14.

V. 9. Suscipiet: iuvabit, defende; Vias, conſilia, actiones.

V. 10. In saecula, in æternum. Deus tuus Sion: ſcilicet regnabit in ſæcula, & in perpetuas generationes.

TIRINI.

Verſ. 1. Alleluia. Vide Pſal. civ. 1. Aggaei et Zachariae: quia ab his non compoſitus, ſed decantatus eſt hic Pſalmus cum reverterentur e Babylone.

V. 3. In quibus non est salus; id eſt, qui non poſſunt ſalvare, liberare vel beare ſuos, ut dixi Pſalm. cxvii. 8. Solius enim *Domini eſt ſalus*, & ſolius *Ieſu* ſalvare nos, inquit S. Auguſtinus.

V. 4. Exibit e corpore spiritus, id eſt anima, eius, ſcilicet hominis, et ſic revertetur homo in terram suam. Quia corpus eius reſolvetur in humum unde formatum erat. Unde Hebraice, אדם לאדמתו *adam leadematho*. Ita ſanctus Hieronymus. Tunc peribunt omnes cogitationes; id eſt, evaneſcent omnia conſilia, concident omnes machinationes, quas ſtatuerat exequi in vita ſua.

V. 7. Solvit compeditos, id eſt vinctos, incarceratos; ut olim Ioſephum, Manaſſen, Iechoniam & alios. Tropologice, ſolvit vincula concupiſcentiæ, & alios pravos affectus animi. Anagogice, ſolvit ærumnas carnis per mortem & reſurrectionem, inquit S. Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus.

GORDONI.

Titulus: Alleluia, Aggaei et Zachariae. In Hebr. tantum eſt prima vox, quæ nota eſt. Cetera tamen ſunt in codicibus Græcis, & Latinis. Verum ſane eſt Aggæum & Zachariam

(ut

Digitized by Google

(ut ad illorum Prophetarum initia oſtendi) prophetaſſe poſt reditum a captivitate, de inſtauranda Ieruſalem civitate: ex quo putat Hilarius appoſita eſſe hæc nomina huic Pſalmo; cuius extrema verba, & verſus decimus, *regnabit Dominus*, pertinere videntur ad reſtaurandam Ieruſalem. Argumentum quoque probabiliter putatur eſſe de reditu a captivitate, & laude poſt reditum Deo canenda, ut Deo ſic faventе ædificentur muri Ieruſalem. AEque eo ſpectant, quæ hic dicuntur, de collocanda fiducia in Deo; ut ſic etiam (quod habet ultimus verſus) regnet Deus in Sion & Ieruſalem. Hæc de ſenſu ad litteram, iuxta probabilem, quam attuli opinionem. Certum etiam eſt, optimum eſſe ſenſum ſpiritualem de homine iuſto, & Eccleſia ac via ad ſpiritualem Ieruſalem.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. HAbet hic Pſalmus optimam inſtructionem, hominis in hac vita peregrinantis a Domino. Primum quaſi præceptum eſt hoc, ut occupetur in Deo creatore ſuo laudando, a quo tot bona accepit, & iure optimo colendus eſt. Secundum eſt ex verſu 3. non eſſe collocandam fiduciam in hominibus, ut revera in illis vix fides eſt; & certe nulla ſalus: infirmi, inquit, ſunt, mortales, fallaces. Tertium eſt verſu 5. Beatum eſſe eum, qui in Deo conſtanter ponit ſuam fiduciam: & ſubdit per aliquot verſiculos huius documenti rationes, ut concludat verſu ultimo, deletis peccatoribus Deum ſine fine regnaturum cum ſanctis, qui iuxta hæc documenta finem ſuæ peregrinationis feliciter impoſuerunt.

BOSSUET.

Verſ. 1. AGGAEI ..... ita Syrus & LXX. non tamen in hexaplo: Theodor.

V. 3. IN FILIIS HOMINUM, IN QUIBUS ..... *filio hominis, in quo* ..... Hebr. neque in potentioribus neque in tenuioribus confidite. De filio hominis, vide Pſal. XLVIII. 3.

V. 4. EXIBIT SPIRITUS EIUS ..... filii hominis; ſcilicet, REVERTETUR: ipſe homo, non ſpiritus eius: nam verbum *Iaſchub* maſculinum eſt, nomen *Rovah* femininum, ſic Eccl. XII. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum.*

 PSAL-

PSALMUS CXLVI. EUCHARISTICUS.

Nehemiæ tempore, ingens immiſſa ſterilitas; quod propria ædificia curarent, templi ſtructuram negligerent. Neh. v. *Agg.* 1. *ergo poſt horrendam illam famem, dum urbs & templum extruuntur, reddita agris ubertate, hanc laudem Deo concinunt: nota verſ.* 2. 3. 6. 8.

VERSIO S. HIERONYMI.

Pſalmus.

Laudate Dominum, quoniam bonum eſt canticum Dei noſtri: quoniam decorum eſt pulchra laudatio.

AEdificabit Ieruſalem Dominus: eiectos Iſrael congregabit.

Qui ſanat contritos corde, & alligat plagas eorum.

Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnes nomine ſuo vocat.

Magnus Dominus noſter, & multus fortitudine: & prudentiæ eius non eſt numerus.

Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians impios uſque ad terram.

Canite Domino in confeſſione: canite Deo noſtro in cithara.

Qui operit cælos nubibus, & præbet terræ pluviam, & oriri facit in montibus germen.

Qui dat iumentis panem ſuum: filiis corvi clamantibus.

Non eſt in fortitudine equi voluntas eius: neque in tibiis viri placetur ei.

Placetur Domino in his qui timent eum, & expectant miſericordiam eius.

VERSIO VULGATA.

1. Alleluia.

Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit iucunda, decoraque laudatio.

2. AEdificans Ieruſalem Dominus: diſperſiones Iſraelis congregabit.

3. Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

4. * Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat.

5. Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus.

6. Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores uſque ad terram.

7. Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

8. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum.

9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.

10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

11. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.

BRU-

Digitized by Google

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Non eſt mutandum verbum *vocat* in participium *vocans*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. DEo noſtro ſit iucunda decoraque laudatio. Hebr. *Iucunda decoraque* (eſt) *laudatio*; id eſt, iucundum decorumque eſt Deum laudare.

V. 2. Dispersiones Israelis congregabit. Hebr. *diſperſos*, *eiectos*, *exules Iſraelitas*.

V. 3. Et alligat contritiones eorum. Hebr. *dolores eorum*; id eſt, partes dolentes, quæ cum dolore afficiuntur, conſtringi ſolent. Iſai. 1. 6. *Plaga tumens non eſt circumligata, neque curata medicamine*.

V. 7. Praecinite Domino in confessione. Hebr. *cum gratiarum actione*.

V. 9. Et pullis corvorum invocantibus eum. Hebr. *cum clamaverint*.

SA.

Dei laus;

Verſ. 1. IUcunda, decoraque, &c. quaſi dicat: Laudetur ergo hilariter, & decenter, ſeu modeſte.

V. 2. AEdificans. Hieron. *ædificabit*. Dispersiones. Hieron. *eiectos*. Chald. *captivitatem*.

V. 3. Contritos, id eſt fractos, ſcilicet mæſtos. Alligat, ſcilicet velut faſciis; quaſi dicat, Sanat. Contritiones, id eſt fractiones, ſeu vulnera.

V. 4. Et omnibus, &c. Hieron. *& omnes nomine vocat*; quaſi dicat: Novit perfecte & diſtincte.

V. 5. Virtus, id eſt potentia. Numerus, ſcilicet rerum quas novit.

V. 6. Peccatores, Hieron. & Chald. *impios*.

V. 7. Praecinite. Hieron. *cantate*. Chald. *laudes dicite*.

V. 8. Parat. Hieron. *præbet*. Servituti, id eſt uſui.

V. 9. Corvorum; quaſi dicat: Etiam rapaciſſimis animalibus providet, quanto magis homini providebit? Vide Iob xxxviii.

V. 10. Voluntatem habebit, id eſt delectabitur. Tibiis; quaſi dicat, Nec in equitibus, nec in peditibus.

V. 11. Beneplacitum est, id eſt complacet.

ESTII.

Verſ. 4. QUi numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. Senſus eſt: Quod Dei tanta eſt ſcientia, ut innumerabilem nobis ſtellarum multitudinem numeratam habeat; & poſſit ſingulis, ſi velit nomina propria imponere. Intelligitur autem, quod ſimili modo quoque ſibi in numerato habeat ſuos electos, qui inſtar ſtellarum fulgebunt, quamquam iam varie diſperſos.

MARIANAE.

Verſ. 1. ALleluia. In Hebræo nullus eſt titulus. Sed *Alleluia* eſt in fine ſuperioris, & in fine huius, ſed quaſi pars contextus. Continet autem Deum eſſe laudandum ob beneficia collata. Bonus est Psalmus. Hebr. *bonum eſt pſallere* Deo noſtro. Sit iucunda; pro, *quia dulcis eſt*, *decoraque laus*: ſic Hebr.

V. 2. AEdificans; pro, qui ædificavit, fundavit Ieruſalem. Hæc eſt materia laudis, hæc cauſa. Dispersiones. Hebraice, *eiectos*; ſcilicet exules in patriam reſti-

ſtituet. Urbis a ſe extructæ curam non omiſit, neque civium eius.

V. 3. Contritos corde; id eſt ærumnis oppreſſos liberat. Et alligat contritiones eorum. Hebr. *alligat dolores eorum*, id eſt vulneribus medetur, metaphora a Medicis ſumpta. Verum qui id poſſit in tantis malis? Sapientia ſane pollet, & viribus, ut mox ait.

V. 4. Qui numerat: nimirum ſapiens eſt. Nomina vocat: virtutem & naturam agnoſcit ſtellarum.

V. 5. Et sapientiae eius non est numerus, id eſt inveſtigatio: nemo eam comprehendit: aut *eius*, pro, eorum, quæ ſapienter facit, non eſt numerus, id eſt innumera ſunt.

V. 6. Suscipiens, id eſt adiuvans. Hebr. *evehens*: ſic eſt eius ingenium, mitibus, modeſtis favet, eorum patrocinium ſuſcipit; ſuperbos averſatur.

V. 7. Praecinite. Hebr. *reſpondete*, id eſt alternis canite. Græc. ἐξάρξατε, *incipite*, ſcilicet hymnum. In confessione; pro, confeſſionem, id eſt laudem. Psallite, id eſt adiungite citharam. *Pſallere* Latinis & *canere voce*, & *pulſare* ſignificat: ſic Hebræis. זמר *zamar*.

V. 8. Qui operit caelum nubibus. Novum ſapientiæ & potentiæ argumentum. Et herbam servituti hominum. Hoc Hebr. non eſt, neque Hilar. legit. Verum in aliis etiam Græcis verſionibus erat. Servituti hominum, id eſt ſervis, ſcilicet iumentis hominum: ſic Apollin. ζυγίοισι βροτῶν. Alioqui herbæ quis uſus hominibus? niſi per herbam fruges intelligas. Sane χλόη, quæ vox hic ponitur, non *herbam* ſolum, ſed *fœnum* ſignificat. Porro *fœnum* in Sacris ſignificare *fruges* alio loco dictum eſt. Pſal. ciii. 14. habes: *Producens fœnum iumentis, & herbam ſervituti hominum*. An ex eo loco in hunc poſtrema verba migrarunt?

V. 9. Escam ipsorum. Hebr. *panem ipſorum*. Sed *panis* pro cibo quem dat iumentis. Et pullis corvorum. Dum albi ſunt, negant a parentibus ali: de quo Iob xxxviii. 41. Ita ad Deum deſtituti alia ope clamare videntur.

V. 10. Non in fortitudine equi; id eſt, qui equi in fortitudine ſpem ponunt, non iis favet, non eos protegit. Voluntatem habebit. Hebr. *complacebit ei*. Neque iis aderit, qui in tibiis, id eſt in fuga confidunt ſe fore incolumes in prælio.

V. 11. Beneplacitum est Domino. Protegit potius timentes ſe, & eos qui in Dei benignitate & gratia ſpem collocant.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Sit iucunda, decoraque laudatio. Varie alii ex Heb. I. *Quoniam ſuavis pulchruit laus*. II. *Quoniam dulcis, decora eſt laus*. III. *Quoniam læta, & pulchra eſt collaudatio*. נגים *naghim*, eſt maſculeum, non poteſt apte conſtrui cum laudatione, quæ eſt fœminei generis, unde alii reddunt. IV. *Quia iucundus, amænus*, ſcilicet Iehveh, *grata, decora, laudatio eius*; vel ſubſtantive *quia iucundum, iucunditas, decora laus*. V. *Quia amœnum eſt*, ſcilicet pſallere Deo noſtro: *decens eſt laudatio*. VI. *Quoniam dulce, optabilis, deſiderabilis laus*. Vide Pſal. xxxii. & xcii. 5.

V. 2. AEdificans Ierusalem Dominus. Quidam: *AEdificator Ieruſchalaimorum Iehova*. Eſt autem ædificator Eccleſiæ Deus, quia illius auctor, fundator, curator, & architectus eſt. Dispersiones Israelis congregabit. Quidam: *Depulſos Iſraelitas congregat*; id eſt, electos ſuos, quibus promiſſio facta eſt. Deuteron. xxx. 4. Alii: *Exules populi Iſraelitici diſperſos colliget*.

V. 3. Qui sanat contritos corde. Ex promiſſione Exod. xv. 26. Et alligat contritiones eorum. Heb. *Et ſuper alligans doloribus eorum*; id eſt, ſuper alligans faſciis pharmaca, & medicamenta doloribus eorum: metaphora a medicis, ſeu chirurgis. Alii: *Ac velut obligat in doloribus eorum*.

V. 4. Qui numerat multitudinem stellarum. Nonnulli: *Supputans numerum ſtellarum*; id eſt, Deus ille, qui ſedet in cælis, qui omnia pernovit vel minutiſſima, & qui omnibus imperat, etiam in ipſis cælis, hic vere magnus eſt. Sic amplificat Pſaltes potentiam & providentiam Dei, quam adhibet ad liberationem Eccleſiæ, ab exemplo rerum cæleſtium. Alii: *Qui ſtellas in numerato habet*. Et omnibus eis nomina vocat. Quidam reddunt: *Quotquot ſunt, nominibus vocans*;

id

id eſt, nominatim, imperans cuique pro auctoritate & potentia ſua: ut Iſaiæ XL. 26.

V. 5. ET SAPIENTIAE EIUS NON EST NUMERUS. Heb. *Et ipſi intelligentiæ eius non eſt numerus*. Alioqui: *Cuius intelligentia eſt innumerabilis*. Alii: *Intelligentiæ earum eius modus nullus eſt*. Nonnulli: *Loquens quæ ipſe ſumma prudentia facit, earum non eſt numerus*.

V. 8. QUI OPERIT CAELUM NUBIBUS, &c. id eſt, qui omnia ſapienter gubernat, & ordinat, ut rebus creatis benefaciat: gradatio, quam imitatus eſt Oſeas II. 21. & 22.

V. 9. ET PULLIS CORVORUM INVOCANTIBUS EUM. Alii: *Pulli corvorum, qui crocitant*, nimirum eiecti a parentibus, quærentes cibum: vide in Iob XXXIX. 3.

V. 10. NON IN FORTITUDINE EQUI, &c. Hunc verſum ita alii ex Heb. reddunt: I. *Non potentia equi delectatur, non crura præſtantis viri accipit*; id eſt, hanc beneficentiam exercet Deus, non propter dignitatem ullam rerum creatarum; ſed propter ſe & propter Eccleſiam ſuam. II. *Non probat fortitudinem equi, neque delectatur tibiis viri*; quaſi dicat: Non delectatur, non proſequitur ſuo favore eos, qui ſpem habent, aut ſpem ſalutis ſuæ in fuga ponunt. III. *Equitis robore non gaudet, non placent illi militis ocreæ*. IV. *Fortitudinem equi nihili faciet, neque quæ videntur eſſe fortia crura viri, ad amorem invitabunt illum*; quaſi dicat: Ad ſervandos ſuos non indiget his apparatibus Deus.

V. 11. BENEPLACITUM EST DOMINO SUPER TIMENTES EUM, &c. Alii ita hunc verſum efferunt: I. *Delectatur autem Iehova timentibus ipſum, quique præſtolantur ipſius benignitatem*. II. *Sed gaudet his, qui ſe reverentur, & qui eius bonitate fidunt*. III. *Sed amat Dominus, qui eum reverenter colunt, & qui ſpem ſuam ponunt in clementia ipſius*. IV. *Propenſo eſt affectu Iehova erga timentes ſe, ſperantes in miſericordia eius*. V. *Sed acceptos habet Iehova timentes ſui, qui expectationem habent in benignitate ipſius*.

MENOCHII.

Verſ. 1. BONUS EST PSALMUS DEO NOSTRO. Ad verbum ex Hebræo, *Bonum eſt pſallere Deo noſtro*. IUCUNDA, grata, accepta Deo, ſuavis etiam, & læta. DECORA: ut laudandus eſt hilariter Deus, ſic etiam decenter & modeſte.

V. 2. AEDIFICANS IERUSALEM DOMINUS. Dominus ædificat, inſtaurat, & confirmat Ieruſalem. DISPERSIONES: diſperſos, exules, patria carentes, captivos.

V. 3. SANAT CONTRITOS CORDE. Conſolatur eos, qui afflicto, & mærenti ſunt animo, & iuxta ſenſum ſublimiorem, a peccatis abſolvit eos, quos peccaſſe pœnitet ex corde. ALLIGAT CONTRITIONES. Inſtar amantis chirurgi, medicamenta vulneribus applicat, & faſciis obvolvit, ut coaleſcant.

V. 4. NUMERAT MULTITUDINEM STELLARUM: qui perſpectum habet ſtellarum numerum. NOMINA VOCAT: nomen imponit, ex ipſarum natura, virtute, & efficacitate.

V. 5. VIRTUS, potentia. NUMERUS, menſura, modus.

V. 6. SUSCIPIENS: adiuvans, erigens, ſublevans. HUMILIANS, &c. deprimens uſque ad terram.

V. 7. PRAECINITE DOMINO. In Græc. eſt, ἐξάρξατε, *cantu præite*; Italice dicimus, *Intonare*, hoc enim eſt ἐξαρχεῖν, nam repetere, vel proſequi ea, quæ præcentor inchoavit, dicitur ὑπορρεῖν. IN CONFESSIONE: Domino confitentes; laudantes Dominum. PSALLITE IN CITHARA: cantui addite ſonitum citharæ.

V. 8. OPERUIT: obducit, velat, abſcondit. HERBAM SERVITUTI HOMINUM: ut ſint alimenta beſtiis homini inſervientibus. Repetitum eſt hoc ex Pſal. CIII. 14. Vide ibi aliam explicationem.

V. 9. PULLIS CORVORUM: deſtitutis parentum ſuorum ope. Nam pulli corvorum, quoniam dum naſcuntur candidi ſunt, ſive quia implumes, ſive quia plumas habent albicantes, negliguntur a matribus, & patribus quaſi ſpurii, vel degeneres: clamantibus autem præ fame, Deus immittit muſcas, quæ eos ſeſe in fau-

Digitized by Google

fauces inſinuando, alant. Ita Rabbini e Iob xxxviii. 41. Vide ibi dicta. Invocantibus eum. Suo modo Deum invocant, quaſi nutritorem, dum attollunt vocem, & caput in cælum, ut beſtiæ agri, Ioelis 1. 20.

V. 10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit: In ſalvandis, & beneficio afficiendis hominibus, non attendit ad pœnitentiam equorum, quos habent. Voluntatem habebit. Symmach. vertit, εὐδοκήσει quod Italice diceremus, *Non ſi compiacerà di forte cavalleria*. Nec in tibiis viri: nec in velocibus curſoribus. Beneplacitum erit ei. Idem ſignificat, quod *voluntatem habebit*.

V. 11. Super timentes eum. Gaudet Deus, & delectatur iis, qui ipſum timent, & ſpem ſuam in eius miſericordia conſtituunt.

TIRINI.

Verſ. 1. Bonus est psalmus; id eſt, *bonum eſt pſallere Deo*, ut vertit Chaldæus & Theodotion. Sit ergo iucunda decoraque laudatio; id eſt, hilariter & decenter laudetur Deus, tum alias ob cauſas, tum quia *ædificavit* Ierusalem Dominus, ſibi & populo ſuo in habitationem, quæ antea receptaculum erat latronum Iebuſæorum: & in eam iam ædificatam congregabit dispersiones Israelis, id eſt Iudæos diſperſos per varia regna mundi. Allegorice, Chriſtus colligit in unam Eccleſiam ſuam Gentes & Iudæos.

V. 3. Alligat: quaſi faſciis, & inſtar periti chirurgi curat contritiones, id eſt confractiones, vulnera & *plagas*, ut Hieronymus vertit: exemplo Samaritani Lucæ xviii. Allegorice, per Sacramenta curat vulnera & morbos animæ, inquit S. Auguſtinus.

V. 4. Numerat; id eſt, in numerato habet omnes ſtellas, quæ in Scripturis Geneſ. xv. & Ierem. xxxiii. comparantur *arenæ maris*, & revera ſunt innumerabiles, ut vel ex illis conſtat quæ in Zodiaco & circulo lacteo confuſe cernuntur. Quod ergo Ptolemæus *a* ſolum numeret 1022. ſtellas, (nempe, quod ſunt radices linguæ Hebrææ,) intelligendum eſt de notabilioribus, magiſque conſpicuis ſtellis. Et omnibus eis nomina vocat. Chaldæus, *omnes nominatim vocat*; id eſt, tam perfecte & diſtincte pernoſcit Deus ſingularum ſtellarum naturam, ſitum, ordinem, magnitudinem, vires, influxus, & omnes alias differentias, ut ſingulas nominatim poſſit evocare: ita Theodoretus & Genebrardus. Vide quæ dicam Iſaiæ xl. 16. Anagogice, Hieronymus & Auguſtinus, novit Dominus qui ſunt eius in cælo & in terra: Simoni dat nomen Cephæ ſeu Petri: Saulo Pauli: Iacobo & Ioanni *Boanerges*, ſeu filii tonitrui.

V. 8. Herbam servituti hominum. Vide Pſal. ciii. 14.

V. 9. Pullis corvorum invocantibus eum. Flebili ſuo crocitatu: de quo vide dicta Iob xxxviii. verſ. ult. quaſi dicat: Si Deus tam viles & deſpectas & noxias aves, voraciſſimas interim, immo carnivoras, ſimularque crocitant, exaudit & paſcit; quanto magis vos modicæ fidei? Tropologice, ſunt peccatores & & Gentiles, inquit S. Hieronymus & Auguſtinus.

V. 10. Voluntatem habebit, id eſt delectabitur; Chaldæus, *beneplacet ei*. Nec in tibiis viri; id eſt, neque in peditibus, neque in equitibus, ut ante præmiſit.

(a) Ptolem. Lib. VIII. Almageſti

GORDONI.

Titulus, Alleluia: Laudem Dei præfert hic titulus, ut dixi Pſalmo præcedente.. Hic Pſalmus pro argumento, & materia habet invitationem præclaram ad laudandum Deum, ſumpta ratione ab eius attributis, & ſummis perfectionibus. Rem totam ſatis explicat inſequens Synopſis. Quod ſi hanc laudem canendam, dicat aliquis referri a Propheta ad reſtaurationem urbis, velut ex litterali ſenſu; & ſpirituali ſenſu ad ædificandos muros Sionis ſpiritualis, ſicut Pſalmo præcedente dictum eſt; is non aberrabit a probabiliore ſententia de argumento huius Pſalmi. Et hoc abunde videtur ex verſu 2. *Ædificans Ieruſalem Dominus*, *diſperſiones Iſraelis congregabit*.

V. 1.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 1. QUæ dicta ſunt de priore Pſalmo, ſenſum huius Pſalmi ſatis aperiunt. *Laudate*, inquit, *Dominum*, *quoniam bonus eſt pſalmus*; ſcilicet nobis; ſeu ut habet Hebræus, quoniam bonum eſt: nam non caret ſua mercede qui pie laudat Dominum. Suggerit mox laudis cauſas & materiam, quia reſtaurat Ieruſalem ſublata captivitate verſ. 2. quia mæſtos corde ob captivitatem conſolatur, verſ. 3. quia qua eſt ſapientia, ſcit, & regit, ut vult, res a ſe creatas, verſ. 4. & 5. quia manſuetis eſt bonus, & iuſtitiam exercens erga peccatores, verſu 6. quia mirabilis eſt in providentia ſua, ut exemplis deinceps declarat. Denique, ut habet concluſio, cum omnia habeat, & gubernet; tantum in mitibus, & humilibus beneplacitum eſt ei.

BOSSUET.

Verſ. 2. ÆDIFICANS IERUSALEM... Hæc deſignant tempus inſtauratæ Ieroſolymæ, ac tribuum e captivitate redeuntium.

V. 8. QUI OPERIT CAELUM NUBIBUS... fames exſtructo templo in copiam verſa eſt. Agg. II. 18. 19. *Et herbam ſervituti hominum*: hominum utilitatibus ſervientem; vel homini, eam ſervili opera, arando & ſubigendo, excolenti: deeſt Heb.

V. 9. INVOCANTIBUS EUM: *clamantibus*; Hier. etiam corvos paſcit: *Conſiderate corvos... & Deus paſcit illos*. Luc. XII. 24.

V. 10. NEC IN TIBIIS VIRI... non in corporis robore, non in equeſtri arte ſalus; ſed in benignitate Dei.

PSALMUS CXLVII. EUCHARISTICUS.

Titulo caret in Hebr. & continuatur præcedenti: ita etiam apud Hier. certe eſt eiuſdem argumenti.

VERSIO S. HIERONYMI.

LAuda Ieruſalem Dominum: cante Deum tuum Sion.

Quia confortavit vectes portarum tuarum: benedixit filiis tuis in medio tui.

Qui poſuit terminum tuum pacem: adipe frumenti ſaturavit te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit verbum eius.

Qui dat nivem quaſi lanam: pruinas quaſi cinerem ſpargit.

Proiicit glaciem ſuam quaſi bucellas: ante faciem frigoris eius quis ſtabit?

Mittet verbum ſuum & ſolvet illa:

VERSIO VULGATA.

Alleluia.

12. LAuda Ieruſalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

13. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

14. Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

15. Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo eius.

16. Qui dat nivem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

17. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?

18. Emittet verbum ſuum; & liſpi-

ſpirabit ſpiritu ſuo, & fluent aquæ.

· Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: præcepta ſua, & iudicia ſua Iſrael.

Non fecit ſimiliter omni genti, & iudicia eius non cognoſcent: halleluia.

quefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

19. Qui annuntiat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael.

20. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtavit eis. Alleluia.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 13. QUONIAM CONFORTAVIT SERAS PORTARUM TUARUM; id eſt, quia reſtauravit te in priſtinum robur, ac munivit portas tuas, ita ut hoſtes non timeas; & habitatores tuos benedixit, id eſt bonis cumulavit.

V. 14. QUI POSUIT FINES TUOS PACEM; id eſt, qui omne bellum procul a tuis finibus propulſavit, teque ſatiat pingui frumento, id eſt electo, optimo.

V. 15. VELOCITER CURRIT SERMO EIUS; id eſt, cum iubet aliquid tua cauſa in terra fieri, ſumma celeritate perficitur.

V. 17. MITTIT CRYSTALLUM SUAM SICUT BUCCELLAS. Hebr. *glaciem ſuam ſicut fruſta*, id eſt fruſtatim.

V. 18. EMITTET VERBUM SUUM; id eſt, mandatum ſuum convertet ventum ſuum, & fluent aquæ ex glacie, quæ liquabitur. Aut, convertet ſpiritum ſuum, id eſt verbum ſuum; id eſt, ſicut ante uno verbo fecerat aquam conglaciari, ita contrario verbo faciet liquefieri.

V. 20. ET IUDICIA SUA NON MANIFESTAVIT EIS. Heb. *Iudicia eius non cognoverunt*. Docet Iſraeliticam gentem hoc ſingulari a Deo beneficio affectam eſſe, ut agnoſcat eum & auctorem & procuratorem omnium rerum.

S A.

Dei laus.

Nota; quod hic Pſalmus apud Hebræos eſt pars præcedentis, qui apud illos eſt CXLVII.

Verſ. 13. CONFORTAVIT. Chald. *roboravit*. SERAS. Hebr. *vectes*.

V. 14. FINES. Chald. *terminos*, ſcilicet ditionis. PACEM, id eſt pacificos, ſeu in pace. ADIPE, id eſt medulla; quaſi dicat, Optimo tritico. Chald. *oleo, & bono frumento*.

V. 15. ELOQUIUM, id eſt verbum, ſeu imperium: vide Iſa. LV. VELOCITER, &c. quaſi dicat: Statim fit quod vult.

V. 16. NEBULAM. Hieron. & Chald. *pruinam*: ſcilicet, fit hæc ex nebula frigida.

V. 17. CRYSTALLUM. Hieron. & Chald. *glaciem*, ſcilicet grandinem. BUCCELLAS, id eſt fruſta. EIUS, ſcilicet cryſtalli; quaſi dicat, Ante eius deſcendentis impetum. SUSTINEBIT. Hieron. *ſtabit*. Chald. *poterit ſubſiſtere*.

V. 18. VERBUM, id eſt imperium. Chald. *caliditatem*. EA, ſcilicet pruinam, nivem, & grandinem. SPIRITUS, id eſt ventus. AQUAS, ſcilicet ex illis liquefactis.

V. 19. VERBUM SUUM, id eſt quid fieri velit. Chald. *verba legis ſuæ*, ſcilicet moralis. IACOB, dativus eſt. IUSTITIAS. Hieron. *præcepta*, ſcilicet cærimonialia. IUDICIA, id eſt præcepta: repetitio; vel intelliguntur iudicialia præcepta. ISRAEL, id eſt Iſraeli.

V. 20. OMNI; pro, ulli. NATIONI. Hieron. *genti*. Chald. *populo*. IUDICIA, id eſt leges.

E S T I I.

nulla in hunc Pſalmum annotatio.

M A R I A N AE.

Verſ. 12. ALLELUIA. Hebr. iungitur hic Pſalmus cum ſuperiori: ſic

ri: ſic Hebraicus Pſalmorum numerus cum Græco exæquatur, a nono Pſalmo diſcrepans unitate. Pergit autem ad Dei laudes excitare, varia in nos beneficia commemorans.

V. 13. QUONIAM CONFORTAVIT. Hebr. *roboravit*. SERAS. Hebr. *vectes*; ſcilicet ſua te protectione munivit adverſus externam vim. BENEXIDIT; id eſt, multiplicavit filios in medio tui. Cum pace civium numerus augetur.

V. 14. FINES TUOS PACEM; id eſt, in finibus tuis pacem dedit bellis undique ſublatis. Pace effloreſcunt omnia: ſic per *pacem* felicitatem intelligit. ET ADIPE FRUMENTI SATIAT TE: optimo, lectiſſimo fru mento, nullo qui corrumpat ſegetes, & contra pluvia, nivibus, & pruina agos ſe cundantibus.

V. 15. QUI EMITTIT ELOQUIUM, id eſt pluviam iuſſu ſuo mittit: aut *eloquium* ſit præceptum nubibus datum, ut terram rigent. CURRIT SERMO EIUS: momento temporis imbre rigantur agri.

V. 16. NIVEM SICUT LANAM, id eſt a candore. Iſai. 1. 18. *Ut vermiculus, velut lana erunt*; ubi Interpres addidit, *alba erunt*. Vel a forma, cum nix decidit lana videtur. NEBULAM. Hieron. & alii *pruinam*: ſic Iob XXXVIII. 29. vocem *chephor*, quæ hic eſt, *gelu* vertit: *gelu de cælo quis genuit*? Quin & in Græco codice quodam Chryſoſt. legit δρόσον πεπηγμένην, *rorem concretum*. Ea eſt pruina, quæ cineri ſimilis dicitur, quod agros tegat.

V. 17. MITTIT CRYSTALLUM. Hieron. *glaciem*, & vere *cryſtallum* id Græce ſignificat. Inde deducta vox eſt ad lapidem eo nomine ſignificandum, quoniam nihil eſt aliud quam humor longo tempore, & gelu ita duratus, ut ſolvi non poſſit. Sed quod illud gelu eſt buccellis, ſeu fragmentis ſimile? Nam cum aqua gelatur, gelu continuum eſt. Ego credam per hanc glaciem grandinem intelligi, quæ ex omnibus pruinæ generibus in fruſta diviſa cadit: ſic Pſal. proximo verſ. 8. Apollinar. pro *grandine*, *cryſtallum* poſuit, πῦρ μετὰ κρυστάλλοιο, & convenit quod ſequitur, ANTE FACIEM FRIGORIS; id eſt, ante frigus eius quis permanebit? Hebr. *ſtabit*. Quis feret frigus, quod grandinem ſemper conſequitur?

V. 18. EMITTET VERBUM SUUM; id eſt, ſolis ardorem, imbres, ventos, quibus nix & glacies ſolvitur. Quæ vocat *verbum Dei*, quoniam ex eius voluntate procedunt. FLABIT SPIRITUS EIUS; id eſt, ventus, qui fere pluviam præcedit. Et fluent aquæ.

V. 19. QUI ANNUNTIAT VERBUM. Superiora ſunt beneficia generalia & corporea. Addit peculiaria & ſpiritualia, legem ſuam illi populo dediſſe. IUSTITIAS. Heb. *ſtatuta*, decreta annuntiat Iſraeli.

V. 20. NON FECIT TALITER OMNI NATIONI; id eſt, nulli ſua iudicia, legem & decreta manifeſtavit, præterquam vobis.

MALVENDAE.

Verſ. 12. LAUDA IERUSALEM DOMINUM, &c. Hunc Pſalmum Hebræi præcedenti continuant, atque unum & eumdem faciunt, quod plane eiuſdem ſit argumenti.

V. 13. QUONIAM CONFORTAVIT SERAS PORTARUM TUARUM. Quidam: *Nam confirmat vectes portarum tuarum*; id eſt, munit ab omni irruptione & malo.

V. 14. QUI POSUIT FINES TUOS PACEM. Alii: I. *Intra fines tuos pacem ponit*. II. *Qui pacem conſtituit intra fines tuos*. III. *Qui curat, ne fines tuos quiſquam infeſtet*. IV. *Diſponens termino tuo pacem*, id eſt tranquillitatem, incolumitatem, proſperitatem. ET ADIPE FRUMENTI. Hebr. *Adipe triticorum*. Pluralis numerus variam & multiplicem copiam triticorum indicat; quaſi dicat, Opimis & craſſiſſimis triticis omnis generis. Vide in Deuteronom. XXXII. 14. ſynecdoche, id eſt omni genere frugum ac bonorum.

V. 15 VELOCITER CURRIT SERMO EIUS. Hebr. *Uſque ad celeritatem curret verbum eius*. Quidam: *Quam celerrime excurrit verbum eius*; id eſt, res quam edixit verbo, illico efficitur: ut Pſalm. XXXII. 29. quod ſequentibus exemplis illuſtratur, tribus verſibus. Alij: *Cuius mandatis parent ſubito omnia*; vel, *celerrime perficiuntur iuſſa eius*.

V. 16. NIVEM SICUT LANAM, id eſt, lanæ perſimilem colore, levitate, & forma: ſic ſequentia. Virgilius de nubibus, I. Georgicor.

Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri.

Servius:

Nubes tenues pro vellentibus accipiendæ.

V. 17. Mittit crystallum suam sicut bucellas. Hebr. *Deiiciens gelu ſuum tamquam fruſta*. Quidam exponunt; Id eſt, grandines, quæ de cælo fruſtatim deiiciuntur: unde exponunt: *Qui deiicit fruſtatim grandinem ſimilem glaciei*. Alii: *Glaciem ſuam proiicit quomodo planitiem*. Nonnulli: *Et proiicit glaciem ſuam ut laminas*. Atqui hic locus rectius de glacie ſeu gelu accipiatur, quod in fruſta ſeu laminas diſſilit.

V. 18. Mittet verbum suum; id eſt, iubebit, iuſſum ſuum mandabit. Flabit spiritus eius. *Flabit* eſt maſculeum, *ſpiritus*, femineum: unde ſic conſtrunt, *efflabit ſpiritum ſuum*; vel *flabit ſpiritu ſuo*, ſcilicet Deus. Quidam, *reducit ventum ſuum* ישב *iaſcheſcheb*, deduxerunt a שוב *ſchubib*. Alii rectius a נשב *naſab*, ut Noſter, & fere omnes: *Spirare faciet ventum, quemcumque voluerit, & producet pluviam*. Et fluent aquae; vel pluviæ; vel potius, ex vento liquefactis nive, pruina, glacie, rivi.

V. 19. Qui annuntiat verbum suum Iacob, Quidam: *Indicat verba ſua Iabakobo*. Hoc, & ſequente verſu hortatur Pſaltes Eccleſiam ad laudandum Deum, pro ſingulari theſauro verbi, quem cum illa gratioſe communicavit Deus. Alii: *Exponit verbum ſuum IabaKobo*. Nonnulli: *Qui indicat ſermonibus ſuis, quid fieri velit ab ipſo Iabakobo*.

V. 20. Et iudicia sua non manifestavit eis. Hebr. *Et iudicia non cognoverunt ea*. Alij: I. *Quæ divina iudicia ignorant* II. *Neque ipſas æquitatis formas a Deo Iſraeli præſcriptas, ullas noverunt*. III. *Ideoque iura iſta non noverunt*, quæ Deus docet verbo, & quorum nomine laudandus eſt ab Eccleſia.

MENOCHII.

Verſ. 13. Confortavit seras portarum tuarum: robuſtas fecit ſeras, & vectas (nam in Græco eſt μοχλοὺς) ne in civitatem poſſint hoſtes irrumpere. Benedixit, &c. beneficit civibus tuis, qui te incolunt.

V. 14. Posuit fines tuos pacem: fines tuos pacavit, ne ullus hoſtis infeſtus ſit. Adipe frumenti: tritici polline, & farina puriore.

V. 15. Qui emittit eloquium suum, &c. quaſi dicat: Non ſolum propter beneficia memorata laudandus eſt, ſed etiam propter admirabilem ſuam potentiam, nam cum eloquitur, & aliquid fieri iubet in terra, ſtatim illud effectum datur. Velociter currit sermo eius: parent ei ſtatim omnia in uſum, & commodum noſtrum.

V. 16. Sicut lanam: lanæ ſimilem in candore, & levitate: nives enim diutius ſedere in campis utile eſt, quia exhalationes terræ includunt, & comprimunt, & retro agunt in vires frugum, & liquorem etiam ſenſim inſtillant. Nebulam. In Hebræo eſt כפור *Cephor*, quæ vox proprie *pruinam* ſignificat. Septuaginta verterunt ὁμίχλην, *nebulam*, hæc duo affinia ſunt, & alterum ex altero gignitur, pruina ſcilicet ex nebula frigida, & humida. Porro pruina cinerem colore refert, & ut cinis areſaciendi vim habet; quare pruinam a perurendo dictam volunt grammatici.

V. 17. Crystallum. Grandinem intelligit, quæ ſimilis eſt bucceliis, hoc eſt, bolis; deſcendit enim in globos compacta magnitudinis fere boli unius. Græcis κρύσταλλος & glaciem ſignificat, & lapidem cryſtallum. In Hebræo eſt קרח *qerach*, quæ vox proprie glaciem ſignificat. Sed convenit etiam hoc vocabulum grandini, quia omnis grando quædam glacies eſt. Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Quis ferre poſſit vim frigoris eius? adeo enim frigida eſt grando, ut qui multa illius grana manibus collegerit, frigus eius ferre non poſſit.

V. 18. Emittet verbum suum, &c. id eſt, ſolo ſuo iuſſu ſolvet grandinem, & pruinam. Flabit spiritus eius: ventus calidus, cuiuſmodi eſt Auſter. Fluent aquae: ſolventur in aquas, vel, pluviæ aderunt, & omnia fluent aquis.

V. 19. Qui annuntiat, &c. Tranſit ad beneficia ſpiritualia. Annuntiare verbum, iuſtitias, & iudicia, eſt legem divinam docere. Iacob, Israel, ſunt dativi caſus.

V. 20.

V. 20. NON FECIT TALITER OMNI NATIONI: ut ſcilicet tantis afficeret beneficiis: IUDICIA SUA: legem ſuam, qua Deum noſſent, & cultum eius docerentur, & ad omne virtutis genus inſtituerentur.

TIRINI.

Verſ. 14. POSUIT FINES TUOS PACEM, ſeu in pace, id eſt pacificos: vel pace munivit, ne quis vos infeſtet. Tropologice, pacem conſcientiæ. ADIPE FRUMENTI, id eſt frumento pingui & medulloſo, id eſt optimo; Allegorice, doctrina Chriſti & S. Euchariſtia. S. Hieronymus.

V. 15. & 16. EMITTIT ELOQUIUM SUUM TERRAE. Chaldæus, *Mittit in terram verbum ſuum*, ſeu iuſſum & imperium ſuum, quaſi legatum, qui quovis curſore & angelo velocius currit, & perficit legationem ſuam. Similis proſopopœia eſt Iſaiæ LV. 11. Hinc ſolo iuſſu ſuo DAT terræ NIVEM SICUT LANAM, quia candore, levitate, mollitie, inquit Theodoretus, item denſitate & innato calore ſimilis eſt lanæ, tegens, fovens, calefaciens terram, halituſque & expirationes terræ cohibens & in viſcera repellens. NEBULAM; Hebraice, *pruinam*, ut Hieronym. & Chaldæus vertunt, SPARGIT Deus, SICUT CINEREM. Nam & colore, & copia, & virtute ſimilis eſt pruina cineri, exurens & abſumens nimium humorem terræ. Unde etymon *pruinæ*, quaſi *perurens*, inquit Sextus Pompeius.

V. 17. MITTIT CRYSTALLUM SUAM; Hieronymus & Chaldæus, *proiicit glaciem ſuam*: vel potius grandinem conglaciatam. Et vero *cryſtallus* id Græce ſignificat, inquit Mariana. Et inde deducta eſt vox ad lapidem eo nomine ſignificandum, qui teſte Plinio *a* nihil eſt aliud, quam glacies vel humor longo tempore & gelu ita duratus, ut ſolvi non poſſit. Sic Pſal. ſeq. v. 8. ubi eſt κρύςαλλος, Noſter & alii vertunt. *glacies*. Et Apollinaris, πῦρ μετὰ κρυςάλλοισι, id eſt ignis cum grandine. Et patet ex ſequenti hic hemiſtichio: ANTE FACIEM FRIGORIS EIUS QUIS SUSTINEBIT? id eſt, quis feret frigus quod grandinem & glaciem ſuam quaſi *buccellas*; id eſt, quaſi fruſta & fragmenta candidiſſimi panis, quibus terra paſcatur & ſaginetur. Sicut enim æſtate terram pluviis & ventis temperat, ne æſtu nimio hiet & lædatur: ſic hieme ne frigore moriatur, fovet eam nive pro lana, pruina pro igne, grandine & glacie pro ſaccaro & pane & cibo. Quanto igitur maior erit illi cura de homine, maxime fideli & iuſto, in hieme tribulationis & tentationis?

V. 18. EMITTET VERBUM SUUM, ut ſupra verſ. 15. quaſi dicat: Quando Deo viſum fuerit, iubet ſoli ut LIQUEFACIAT EA; ſcilicet, nivem, pruinam, grandinem & glaciem: *& ſpiritui*, id eſt vento, ut ex reſoluta nive & glacie *fluant aquæ*. Tropologice, Deus quando vult, tempeſtatem commutat in ſerenitatem, bellum in pacem, luctum in gaudium, inquit S. Hilarius, Euthymius, Theodoretus.

V. 19. ANNUNTIAT VERBUM SUUM; id eſt, legem & cæremonias legales, ſeu nutus & deſideria cordis ſui, aperuit ſoli IACOB, id eſt, populo Iſraelitico, & nullis aliis populis. Allegorice, præcepta & conſilia Evangelica, & myſteria divina ſoli Eccleſiæ ſuæ patefecit Chriſtus.

(a) Plin. Lib. XXXVII. c. 2.

GORDONI.

Appendix ad quatuor reliquos Pſalterii Pſalmos.

In quatuor his reliquis Pſalmis, omnia ſunt plana legenti, & conſentiunt multum in argumento. Ut enim omnes pro titulo habent Alleluia, הללויה, laudate Iah; *ita pro materia habent continuas exhortationes ad laudandum Deum, idque per continuatam velut Apoſtrophen ad omnia creaturarum genera, quæ ſpeciatim invitantur ad communem gratiarum actionem, & Canticum laudis: omnia, inquam, quæ ſubſiſtunt, aut vivunt quacumque vita, ſive vita pure ſpirituali, ut in Angelis; ſive animali, ut in brutis animantibus; ſive vita ex utroque genere mixta, ut in homine; ſive denique vita metaphorica, ut ſunt cæteræ res creatæ: nam & hæ etiam Deo vivunt, utpote cui obediunt in genere ſuo, ac ferviunt*

imperanti. Hanc communem creaturarum invitationem ad hunc laudis chorum, volunt aliqui intelligi in ultimi Pſalmi verſiculo ultimo, his verbis, Omnis ſpiritus laudet Dominum. *Quamvis autem poſt hanc præfatiunculam, & ea quæ textui adiecit Synopſis, nihil in his quatuor Pſalmis inſequentibus obſcurum remaneat; placuit tamen, ut hactenus factum eſt, ſingulorum paucis ſenſum ſubindicare litteralem.*

Eſt hic Pſalmus apud Hebræos *αἰτπίγραφος*, quia non putant eſſe novum Pſalmum, ſed partem reliquam eſſe Pſalmi præcedentis. Probabilius tamen eſt eſſe cum ſuo titulo *Alleluia*, novum Pſalmum: nam ita habent Septuaginta Interpretes, quos certum eſt, optimis uſos eſſe Hebraicis codicibus.

INitium Pſalmi eſt in his verbis. LAUDA IERUSALEM DOMINUM. Unde colligunt aliqui cum Chryſoſtomo, ſenſum litteralem eſſe de terrena Ieruſalem: certum tamen eſt, ſenſu quodam ſpirituali, optime referri ad Eccleſiam Dei, tum militantem, ut ait Hieronymus, tum triumphantem, & cæleſtem, ut docet Hilarius.

V. 15. QUI EMITTIT ELOQUIUM, &c. In ſenſu litterali, laudandus etiam eſt, (non ſolum, ut dixit, ob bona facta civitati) ob ea quæ aliis facit, & univerſæ terræ, in quam emittit eloquia ſua, ſermonem, verbum, & decreta providentiæ ſuæ: hæc ſine mora ad omnia penetrant. Voces notæ ſunt. Heb. אמרה *imrah*, *eloquium*, Græce, λόγος, *ſermo*, *verbum*.

V. 16. QUI DAT NIVEM, &c. Siſtendo in ſenſu litterali, decreta providentiæ divinæ, etiam ad aeris mutationes ſe extendunt, & mirabilia in frigore, gelu, & nivibus, quæ tam ample decidunt, ut videantur flocci lanarum. Spargit etiam כפר *chephor*, *pruinam*: Latinus interpres habet *nebulam*. Septuaginta in ſua verſione ὁμίχλην habent, non male; quia nebula frigida tandem in pruinam reſolvi ſolet: ſicut etiam pruina, ſi denſior eſt, caliginem inducit, dum aerem reddit caliginoſum.

V. 17. MITTIT CRYSTALLUM SUAM, &c. Ad ſenſum litteræ, mirabilis & laudandus Deus in effectibus ſuæ providentiæ circa frigora, dum præſertim rigore frigoris, concreſcunt in glaciem flumina, & flante vento calido, eadem repente ſolvitur glacies. Ceterum hoc loco cryſtallus glaciem ſignificat: nam in Hebr. eſt, קרחו *karecho*, *glaciem ſuam*: buccellæ hic, ſunt fruſta, & fragmenta glaciei. Hinc intellige ſequentia.

EIUSDEM PARAPHRASIS.

Verſ. 12. QUomodo hic laudetur Deus in utroque ſenſu, aperui in titulo. Eſt hic continua exhortatio, qua impellit habitatores ſanctæ civitatis ad Dei laudem, tum ob bona præterita, verſ. 3. & 4. tum ob bona præſentia, verſ. 5. prolatis exemplis, de pruina, nive, & glacie. Addit verſ. 8. qua facilitate ad ſalutem, ſolvat etiam glaciem. Denique cum Deus alias nationes doceat notitiam creatoris per illos effectus in rebus naturalibus; hoc peculiare eſt, quod data lege, & ſpeciali revelatione doceat populum ſuum. Ergo, inquit, *Non taliter fecit omni nationi*.

BOSSUET.

Verſ. 12. LAUDA IERUSALEM ... eo quod inſtaurata & ædificata, ut ſuperiore Pſ. verſ. 2.

V. 13. CONFORTAVIT SERAS, *vectes*, Hier. contra ac hoſtes expectabant: dicebant enim, ſi tranſierit vulpes, tranſiliet murum eorum, &c. Neh. IV. 2. 3.

V. 17. CRYSTALLUM, *glaciem*, Hier. grandinem.

V. 18. VERBUM: imperium.

In fine huius Pſalmi eſt *halleluiah* in Heb. non initio: eſt autem initio Pſalmi CXLVI. quod argumento eſt hunc illi continuandum. Nam in ſuperiori CXLV. & in his reliquis tribus habetur & initio & fine.

PSAL

PSALMUS CXLVIII. LAUDIS.

Dei amore flagrans, animata atque inanima in eius laudes ciet: omnia nutu creantis, neque dedignantis plebem Iſraeliticam admovere ſibi.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

LAudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes exercitus eius.

Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ luminis.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt.

Laudent nomen Domini: quoniam ipſe mandavit & creata ſunt.

Statuit ea in ſæculum, & in æternum: præceptum dedit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyſſi.

Ignis, & grando, nix, & glacies: ventus, turbo, quæ facitis ſermonem eius.

Montes & omnes colles: lignum frugiferum, & univerſæ cedri.

Beſtiæ, & omnia iumenta: reptilia, & aves volantes.

Reges terræ & omnes populi: principes & univerſi iudices terræ.

Iuvenes, & virgines: ſenes cum pueris.

Laudent nomen Domini, quoniam ſublime nomen eius ſolius: gloria eius in cælo & in terra.

Et exaltavit cornu populi ſui: laus

VERSIO VULGATA.

1. Alleluia.

LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis.

2. Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

3. Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

4. (*a*) Laudate eum cæli cælorum:
& aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt,
5. laudent nomen Domini.
Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt.

6. Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

7. Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi.

8. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.

9. Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

10. Beſtiæ, & univerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ.

11. Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.

12. Iuvenes, & virgines ſenes cum
iunioribus laudent nomen Domini: 13.
quia exaltatum eſt nomen eius ſolius;

14. Confeſſio eius ſuper cælum & omni-

omnibus ſanctis eius, filiis Iſrael populo appropinquanti ſibi. Halleluia.

terram: * & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis eius: filiis Iſrael populo appropinquanti ſibi. Alleluia.

(a) Dan. III. 59. & 60.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 14. *Et exaltavit cornu populi ſui.* Alii legunt futurum *exaltabit*, ſed merito præfertur præteritum.

COMMENTARIA

MALDONATI

Verſ. 3. OMNES STELLAE ET LUMEN. Hebr. *omnes ſtellæ luminis*; id eſt lucentes.

V. 5. QUIA IPSE DIXIT ET FACTA SUNT. Hebr. nunc non eſt, *Ipſe dixit, & facta ſunt*; tamen Septuag. legunt: quare veroſimile eſt ita olim Hebræos legiſſe.

V. 8. GLACIES, SPIRITUS PROCELLARUM. Hebr. *vapor & ſpiritus procellæ*, id eſt ventus procellas excitans.

V. 14. POPULO APPROPINQUANTI SIBI. Hebr. *appropinquanti illi*, id eſt Deo familiari.

S A.

Dei laus.

Verſ. 1. DE CAELIS; pro, in cælis: ſcilicet o Angeli, qui in cælis eſtis: vel in cælis habitantem: ſic etiam intellige, *in excelſis*.

V. 2. VIRTUTES. Hieron. & Chald. *exercitus*; ſcilicet ſtellæ, vel Angeli, ut ſit repetitio.

V. 3. ET LUMEN, ſcilicet quodvis aliud. Hieron. *luminis*. Chald. *luminoſæ*.

V. 4. CAELI CAELORUM, id eſt cæli ſupremi. SUPER CAELOS. Aquæ iſtæ cuiuſmodi ſint, incertum. Quidam putant cælum eſſe cryſtallinum.

V. 6. IN SAECULUM. Hieron. *in æternum*. SAECULI, &c. explicatio præcedentis. PRAETERIBIT, id eſt ceſſabit, ſeu irritum erit; quaſi dicat, Omnino implebitur.

V. 7. TERRA, id eſt parte mundi inferiori, ſeu elementari. DRACONES. Chald. *ceti*. ABYSSI, id eſt aquæ, ſeu maria.

V. 8. IGNIS, ſcilicet fulmina, ſeu ignea omnia. SPIRITUS, id eſt ventus. VERBUM, id eſt iuſſum: ſcilicet, nihil eiuſmodi fit ſine Dei imperio.

V. 9. CEDRI; quaſi dicat, Etiam infructifera.

V. 10. BESTIAE. Hieron. & Chald. *feræ*. PECORA. Hieron. *iumenta*. SERPENTES. Hieron. & Chald. *reptilia*. PENNATAE. Hieron. *volantes*.

V. 12. IUVENES. Chald. *adoleſcentes incorrupti*. IUNIORIBUS. Hieron. *pueris*.

V. 13. EXALTATUM EST. Hieronymus, *ſublime*. Chaldaice, *forte*.

V. 14. CONFESSIO. Hieronymus *gloria*. Chaldæus *laus*. SUPER CAELUM ET TERRAM. Hieronymus *in cælo & terra*. Vide Iſa. VI. quaſi dicat: Ubique Dei gloria relucet, ſeu Deus laudandus eſt. ET; pro, quia. CORNU, id eſt robur. Chald. *gloriam regni*. HYMNUS, id eſt cantus cum laude. Auguſt. Hieron. & Chald. *laus*. OMNIBUS; pro, ſit in ore omnium. FILIIS ISRAEL: appoſitive. SIBI, id eſt Deo; quaſi dicat: Qui Deum colit: vide Eph. II.

ESTII.

Digitized by Google

ESTII.

V. 4. LAUDATE EUM CAELI CAELORUM, ET AQUAE OMNES QUAE SUPER CAELOS SUNT LAUDENT NOMEN DOMINI. Nituntur quidam ex hoc & ſimilibus locis definire, quæ ſint aquæ, de quibus dicitur Geneſ. I. *Quod ſint ſupra firmamentum;* ſed infirma hæc ſunt. Nam in Cantico trium puerorum Daniel. III. omnino alius ordo ſervatur. Itaque aut ex firmioribus de his eſt diſputandum, aut (quod magis cenſeo & D. Tho. feciſſe videtur) res in medio eſt relinquenda.

V. 6. STATUIT EA IN AETERNUM, ET IN SAECULUM SAECULI. Hæc de cæleſtibus corporibus, de quibus præcedit. Et quidem huic poſſit videri contrarium quod Petrus in II. epiſt. cap. III. teſtatur cælos perituros igni: *Cæli*, inquit, *ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent.* Sed ad hoc duobus modis reſponderi poteſt. Uno modo, ſi dicamus, Petrum loqui, non de cælo proprie dicto, in quo ſunt luminaria cæli, ſed de cælo aereo, quod terræ vicinum eſt; a quo denominantur volucres cæli. Id enim apparet ex illis verbis, quibus ait: *Cæli autem qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem iudicii:* ſcilicet cælum ſtellatum non fuit poſt diluvium repoſitum ſimul cum terra & mari: nam cælum ſtellatum nullam immutationem paſſum fuerat per diluvium, ſicut mundus iſte inferior. Aliter etiam dici poteſt illam totius mundi combuſtionem non hoc effecturam, ut cæli deſinant eſſe, ſed ut cæleſtis creatura cum ceteris liberetur a ſervitute corruptionis, & velut aurum igne purgata commutetur in melius. PRAECEPTUM POSUIT, ET NON PRAETERIBIT. Illud, *præteribit* incertum eſt quo referri debeat: an ad Deum, an ad præceptum, an denique ad ipſam creaturam cæleſtem? Quidam ad Deum referunt hoc ſenſu: Deus poſuit orbibus illis præceptum quoad motus ordinatiſſimos, *& non præteribit*; id eſt, nec deinceps mutabit, ſed ordinem illum vult eſſe perpetuum. Alii ad ipſum præceptum referunt hoc ſenſu: Præceptum quod ſemel dedit, *non præteribit*, id eſt non ceſſabit. Poteſt nihilominus & ad ipſa cæleſtia corpora referri: de quibus dixit: *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi*, & immediate ſubiungit, *præceptum poſuit & non præteribit.* Cui ſenſui ſuffragatur, quod e Græco verti poteſt in numero plurali, *præteribunt*, eo quod neutrum genus pluralis numeri præceſſerit. Hunc ſenſum confirmat ſimilis locus Pſal. CIII. ubi dicitur: *Terminum poſuiſti eis, quem non tranſgredientur*, videlicet aquæ. Ita hic præceptum poſuit, quod non præteribunt, videlicet cæli.

MARIANAE.

Verſ. 1. ALLELUIA. Sic Hebr. Additur Græce *Aggæi & Zachariæ:* de quo in titulo Pſal. CXLV. Cæleſtia & terreſtria ad Deum laudandum invitat. LAUDATE. Non eſt præceptum, ſed debiti & decori admonitio; quaſi dicat: Decet ut laudetis. DE CAELIS; id eſt, qui in cælis eſtis, cæleſtes. IN EXCELSIS; id eſt, qui in excelſis habitatis, laudate Deum.

V. 2. VIRTUTES EIUS, Hebr. *exercitus eius*: ſic Hieron. & Apollin. Angeli & ſtellæ vocantur exercitus Dei.

V. 3. OMNES STELLAE, ET LUMEN. Hebr. *omnes ſtellæ lucis*, id eſt lucidæ.

V. 4. CAELI CAELORUM; id eſt, veri cæli, & præcipui, ut ab aere diſtinguuntur, quod continuo *cælum* vocatur. ET AQUAE OMNES, QUAE SUPER CAELOS SUNT. Hæ ſunt nubes in aere ſuſpenſæ, id eſt cælo: de quo Geneſ. I.

V. 5. QUIA IPSE DIXIT, ET FACTA SUNT. Hoc Hebr. non eſt, neque Hieron. habet, ſed ſumitur ex Pſal. XXXII. 10. ubi hæc omnia verba ponuntur. IPSE MANDAVIT, ſolo ſuo verbo fecit omnia. Quod ſi Dei creaturæ ſunt, debent certe ſuum creatorem laudare.

V. 6. STATUIT EA: ſcilicet, cæleſtia ſanxit, ut firma & ſtabilia ſint. NON PRAETERIBIT; ſcilicet præceptum, non mutabitur ullo tempore. Cæleſtia perpetua ſunt, terreſtria fluxa, caduca.

V. 7. LAUDATE DOMINUM DE TERRA; id eſt, terreſtria quæ in terra agitis. DRACONES, id eſt piſces vaſti. Hæc eſt altera Pſalmi pars, ubi provocat terreſtria ad Dei laudes.

V. 8. IGNIS, id eſt fulmina. GLACIES: ſic Hieronymus. Alii, *exhalatio*, *vapor*. SPIRITUS PROCELLARUM. Hebr. *ventus procellæ*, id eſt procelloſus. QUAE FACIUNT VERBUM EIUS. Heb. *faciens verbum eius*, ſcilicet ventus, aut procella: non enim temere hæc contingunt, ſed ex Dei voluntate punientis ea ratione quos vult: laudate.

V. 9. MONTES. Perpetua proſopopœia.

V. 10. BESTIAE, ſeu feræ. ET UNIVERSA PECORA. Hebr. *& omne iumentum*, ſeu ut Hier. *omnia iumenta*. SERPENTES. Hebr. *reptile*. ET VOLUCRES PENNATAE. Hebr. *avis alæ*, Id eſt alata.

V. 11. IUDICES TERRAE: rectores, proceres, optimates laudate.

V. 12. SENES CUM IUNIORIBUS. Hebr. *cum pueris*.

V. 14. CONFESSIO EIUS, laus eius. SUPER CAELUM, maior cælo & terra. Ideo nil mirum, ſi cæleſtes & terreſtres ad Deum laudandum provocamus. ET EXALTAVIT CORNU. *Et*, pro, quia. Hæc eſt occaſio & materia laudis, Deum vires dediſſe populo ſuo Iſraelitico contra hoſtes. HYMNUS OMNIBUS SANCTIS EIUS. *Hymnus* pro laude, ſed Dei. Arrianus Lib. IV. *Hymni in deos fiunt*, *laudes in homines*. Hieronymus: *Laus omnibus ſanctis eius*; id eſt, ii etiam laudent Deum, non ſolum terreſtria alia, ſed ſancti. Hebr. *Laus miſericordibus eius* (tum) FILIIS ISRAEL, qui Deo proximi per fidem ſcilicet & cultum ſunt, ii etiam Deum laudent.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DE CAELIS. Exponunt; Id eſt: *Vos qui eſtis de cælis*, vel *habitatis in cælis*; hoc eſt, *Cælites*, *Angeli*. IN EXCELSIS; id eſt, Vos qui habitatis in celſiſſimis cælorum ſublimitatibus, creaturæ ſupercæleſtes, ut idem dicat, quod priore membro, vel Deum habitantem in excelſis, vel *laude quam excelſiſſima*, *excellentiſſima*, *ingentiſſima*: ut Matthæi XXI. 9.

V. 2. OMNES VIRTUTES EIUS. Heb. *Omnes exercitus*, ſeu *militiæ eius*. Vide in Geneſ. II. 1.

V. 3. OMNES STELLAE, ET LUMEN. Heb. *Omnes ſtellæ lucis*, id eſt omnes ſtellæ lucidiſſimæ, clariſſimæ. Quidam: *Omnes planetæ, qui lucetis præ ceteris ſtellis omnibus*.

V. 4. CAELI CAELORUM; id eſt, ſummi, ſupremi, ac maximi cæli: vide in I. Regum VIII. 27. Alii, *Varii cælorum orbes*. Buchananus:

—— rotatiles
Tot orbium compagines.

Nonnulli, id eſt veri cæli: ut diſcernantur ab aere, qui interdum in Scriptura cælum vocatur. ET AQUAE ... QUAE SUPER CAELOS SUNT. Vide in Geneſ. I. 7. Quidam exponunt; Id eſt, nubes in expanſo, ſeu firmamento, id eſt quæ ſunt in ſupera expanſi parte, id eſt in mediana regione aeris.

V. 5. LAUDENT NOMEN DOMINI, QUIA IPSE DIXIT, ET FACTA SUNT; IPSE MANDAVIT, ET CREATA SUNT. Heb. tantum eſt: *Laudabunt nomen Iehveh, quia ipſe præcepit, & creata ſunt*. Quidam: *Laudate nomen Iehovæ, quoniam illo iubente cuncta creata ſunt*. Alii: *Hæc, inquam, laudent nomen Iehovæ: ipſo enim iubente creata ſunt*. Nonnulli: *Laudent nomen Iehovæ, quæ ipſo præcipiente illico creata ſunt*; id eſt, creaturæ omnes cæleſtes & adminiſtræ voluntatis eius: periphraſis, qua Pſaltes utitur ad maieſtatem Dei, verbi, operumque eius demonſtrandam, & ius in creaturas omnes aſſerendum.

V. 6. PRAECEPTUM POSUIT, ET NON PRAETERIBIT. Heb. *Statutum*, *decretum dedit*, *& non tranſibit*. Quidam: *Quibus decretum dedit, quod nullum tranſgrediatur*. Aliqui putant huc alluſiſſe Chriſtum Matthæi XXIV. 35. *Cælum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt*. Alii: *Legem præſcripſit, quam tranſgredi nequeunt*, vel *legem dedit ſingulis eorum, quam nequaquam tranſgredientur*.

V. 7. DE TERRA, id eſt *terreſtria*; ut ſupra verſ. 1. *De cælis*, id eſt cæleſtia; hoc eſt, inferiora omnia, etiam aquatica, & aerea: Synecdoche. Aliqui contra interpunctionem Hebraicam, iungunt ſequentibus, *de terra dracones*, id eſt *terreſtres dracones*, ut diſtinguat eos e fluvialibus & marinis.

V. 8. IGNIS. Exponunt; Id eſt, fulmina, fulgetra, & omnes eiuſmodi exha

Digitized by Google

halationes igneæ : Alii , ipſum elementum ignis.

V. 13. Laudent nomen Domini , quia exaltatum est nomen eius solius , &c. Notant , eſſe tranſitionem ad laudationis Dei cauſas : quarum una eſt ab ipſa maieſtate Dei , hoc verſu : altera , a ſingularibus ipſius operibus in Eccleſia ſua : cuius reſtitutionem & gloriam res omnes creatæ expectant exſerto capite , & Angeli ipſi cupiunt introſpicere , Roman. VIII. 19. & I. Petri I. 12.

V. 14. Et exaltavit cornu populi sui , &c. Quidam hunc verſum ita reddunt : I. *Et effert cornu populi ſui* ; id eſt , evehit Eccleſiam ſuam in maximum robur , & gloriam per Chriſtum : *laudem omnium , quos benigne accipit , Iſraelitarum , populi propinqui ſui* ; ſcilicet , effert , ex initio verſus . II. *Et extulit cornu populo ſuo : laus erit omnibus piis eius filiis Iſrael , populo propinquo ſibi* ; id eſt , reſtituet vires populo ſuo , unde laudabuntur omnes pii , Iſraelitæ , populus qui accedit ad eum , & eius cultui addictus eſt . III. *Qui cornu populi ſui reſtituit , gloria omnium ſanctorum ſuorum , filiorum Iſraelis populi colentis illum* . IV. *Exaltabit cornu populi ſui , quare numquam ceſſabunt laudare illum ſanctificati ab eo filii Iſrael , qui populus ſunt propinquus & familiaris illi* . Hymnus omnibus sanctis eius . Heb. *Laudatio omnibus beneficis eius* ; vel active , ut ipſi laudent Deum : vel paſſive , ut ipſi digni ſunt omni laude.

MENOCHII.

Verſ. 1. De caelis . O vos qui eſtis de cælis : O Cælites ; vel , O cæleſtia omnia. In excelsis. O vos , qui eſtis in excelſis ; vel , O cæleſtia , ut præcedente hemiſtichio.

V. 2. Virtutes : exercitus cæleſtium ſpirituum.

V. 4. Caeli caelorum : cæli præſtantiſſimi , quale eſt empyreum clariſſimum , & beatorum ſedes . Aquae omnes : aquæ veræ , & naturales , quæ ſunt proxime ſub cælo empyreo, ut docent Patres : Geneſ. 1. 6.

V. 5. Dixit , iuſſit.

V. 6. Statuit ea in aeternum : Angelos ſcilicet , ſolem , lunam , ſtellas , cælos , & aquas cæleſtes ſtatuit in perpetuum , & voluit eſſe æterna . Praeceptum posuit : legem ſtatam , & ratam de motibus , influxibus , &c. quam cæleſtia conſtanter ſervant.

V. 7. De terra : terreſtria , quæ in terra verſamini . Dracones : immanes piſces , ceti . Abyssi : ingentes aquarum profunditates . Spiritus procellarum : venti procellas excitantes , turbines . Quae faciunt , &c. quæ omnia divinis iuſſis obtemperant , & illius nutu , & voluntate reguntur .

V. 10. Bestiae , feræ , nam חיה *chaia* de illis proprie uſurpatur. Pecora : beſtias domeſticas , & cicures , hoc enim ſignificat המה *behema* .

V. 13. Exaltatum est nomen eius solius : ſolus enim ipſe ſuper omnia exaltatus eſt , & magnificatus per grandia , & admiranda ſua opera.

V. 14. Confessio eius , laus eius : Super caelum et terram : ubique Dei gloria relucet , & ubique ſive in cælo , ſive in terris laudandus eſt . Exaltavit cornu populi sui : laudandus etiam quia populum ſuum auxit beneficiis , eumque ſublimem , & contra hoſtes potentem fecit . Hymnus omnibus sanctis eius . Æquum eſt , ut omnis populus Iſraeliticus Deo carus , & illi ſanctificatus , Deum ſuum laudet , illique hymnum dicat. Populo appropinquanti sibi . Convenit hymnus Iſraelitis, qui ſunt populus Deo propinquans per fidem , & religionem.

TIRINI.

Etiam bruta & inanima invitat hic Propheta , ex ingenti zelo , ad laudandum Deum . Primo , votive , qui optaret ſic fieri , & ut omnes creaturæ haberent mille animas , mille linguas quibus laudarent Deum . Secundo , metaphorice & obiective laudant eum : nam ſua exiſtentia , pulchritudine , viribus & effectibus oſtendunt in ſe maximam materiam laudis divinæ , puta infinitam Dei potentiam , ſapientiam , bonitatem in ſingulis relucentem . Tertio , etiam metonymice , quia faciunt homines ex ſui contemplatione laudare Deum , & ſic per os homi-

Digitized by Google

num laudant Deum, inquit S. Auguſtinus & Theodoretus.

V. 1. LAUDATE DOMINUM omnes vos DE CAELIS, & qui eſtis IN EXCELSIS, id eſt o vos Angeli, ut habet Chaldæus; vel Deum habitantem *in cælis excelſis*.

V. 2. OMNES VIRTUTES EIUS; id eſt, exercitus & copiæ militares Dei, nempe Angeli.

V. 4. CAELI CAELORUM, id eſt ſupremi cæli. Simile Pſal. LXVII. 34. AQUAE QUAE SUPER CAELOS SUNT. Peres, quænam iſtæ aquæ. *Cælum cryſtallinum*, inquit S. Bonaventura, Lyranus, Catarinus, Caietanus, Abulenſis, Genebrardus & Valeſius. Sed hæ nimis æquivocæ ſunt aquæ. Rupertus, Eugubinus, Pererius, Leonardus Marius, Mariana, Valentia & Lorinus volunt eſſe *nubes*. Sed quomodo poſſunt *nubes* dici eſſe ſupra *firmamentum* ſtellarum? ut habetur Geneſ. I. 7. Item quomodo *nubes* dici poſſunt *ſtatutæ in æternum*? ut hic dicitur verſ. 6. Reſpondeo ergo, eſſe aquas proprie dictas & fluidas, longe quidem rariores, mobiliores & pellucidiores noſtris, ut dixi Geneſis I. 7. Idque tum alias ob cauſas ibi prolatas: tum quod clariſſima Scriptura id exigat, quæ ubique fere diſtinguit has aquas ſuperiores a nubibus & inferioribus aquis, & primo loco ponit inter alia creata. Et ita ſentit ex antiquis Patribus S. Clemens, Tertulianus, Hieronymus, Cyrillus, Gennadius, Anaſtaſius Sinaita, Claudius Marius, Victor, Procopius, Severianus, Acacius, Olympiodorus, Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Theodoretus, Caſſiodorus, Beda, Anſelmus, Magiſter *a*. Ex recentioribus Oleaſter, Molina, Martinengus, Stella, Bellarminus, Serarius, Delrius, Becanus, a Lapide, Bonfrerius & Salianus *b*; Poſuit vero has aquas Deus ſupra omnes inferiores cælos, & forte in parte cæli empyrei, tamquam loco (ex decreto Dei) ipſis naturali; ſicut phlegma in homine poſuit in ipſo capite, inquit S. Auguſtinus. Et quidem ad ornatum univerſi: & in æternum extet matrix cælorum. Addit Cornelius a Lapide, ſervire quoque oblectamento Sanctorum: qui ut in cælo empyreo habent aerem ſuum, connaturali reſpirationi, ſenſationi & motui corporum neceſſarium, ac ſpeciebus omnium rerum devehendis aptiſſimum, ita veriſimiliter habent & aquam, variis rerum formis effigurandis, omnique ornatui recipiendo accommodatam. Forſan etiam iſtic collocatæ ſunt ad præripiendum nobis adhuc exulibus proſpectum cæli empyrei ceteroquin ſplendidiſſimi, & ſole noſtro lucidioris: ut dixi Geneſis I. 7. Denique multa mirari nos voluit Deus, non ſcrutari: & maior eſt S. Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas, inquit S. Auguſtinus *c*.

V. 6. PRAECEPTUM POSUIT; id eſt, certam legem atque ordinem circa ſitum, motum, influentias, præſtituit Deus cælis, ſtellis, aliiſque creaturis, quem numquam tranſgrediuntur, etſi inanimæ ſint. Erubeſce ergo homo rationalis, qui ſolus Dei legem non obſervas, inquit ſanctus Hieronymus.

V. 7. DRACONES. Chaldæus, ceti ſeu balenæ, de quibus Iob XL. 20.

V. 14. CONFESSIO, id eſt laus, EIUS, ut Chal. vel gloria, ut Hier. relucet ubique in cælo & in terra. ET EXALTAVIT CORNU, id eſt potentiam, gloriam, regnum POPULI SUI Iſraelitici, ſubactis eius hoſtibus. En aliam cauſam cur HYMNUS Deo decantandus ſit ab OMNIBUS SANCTIS EIUS, id eſt Iſraelitis, ut mox explicat, dedicatis cultui & ſervitio Dei, & *appropinquantibus*, vel propinquis Deo, per veram fidem & religionem: vel etiam per carnalem cognationem, inquit Genebrardus: nam Chriſtus ex Iudæis carnem aſſumpſit. Sic Allegorice, propinqui ſimus Chriſto per S. Euchariſtiam.

(a) Clem. Lib. II. Recognitionum. Tertull. de Trini. c. VIII. Hier. ep. ad. Oceanum. Cyrill. catecheſi IX. Gennadius. Anaſtaſius Sin. q. X. Claudius. Victor in ſua Geneſi. Procop. & alii hic. Severian. Acacius. Olympiod. in Catena. Baſilius. Ambroſius. Chryſoſt. in Lib. XXXVII. S. Aug. Lib. I. de Civ. c. XXXIV. & Lib. qq. ex utroque Teſtamento q. CVI. Beda. Anſelm. Lib. de Imag. mundi c. XXI. Magiſter ſent. in II. diſt. XIV.

(b) Mol. in opere ſex dier. Serar. in ep. II. S. Petri. Delrius. Becanus. a Lapide, Bonfrer. in Gen. I. 7. Salianus initio Annalium.

(c) Auguſtinus lib. II. de Geneſi ad litteram c. V.

GORDONI.

Titulus huic Pſalmo præfixus, ALLELUIA, ſatis eſt paulo ante in proloquio expli-

explicatus: & declarat abunde Inſinuatum ibi argumentum huius Pſalmi; at hic quidem Pſalmus ſingula percurrens, invitat res omnes creatas ad Dei laudes. Duo inſequentes Pſalmi ſpeciatim invitant homines.

Verſ. 4. AQUAE ... QUAE SUPER CAELOS SUNT, &c. De his aquis, quæ ſupra cælos ſunt, dixi Gen. I. 6. ubi aperte Moſes collocat aquas ſuper firmamentum, in quo ſubinde collocat ſtellas. Vide Dan. cap. III. ubi in hymno trium puerorum clare explicatur hic aquarum locus. Ceterum ſunt hæ veræ aquæ, & non ſpirituales, ut aliqui falſo putarunt. Quin etiam has aquas eſſe perpetuas deſignat inſequens verſus 6. Denique quod hic eſt, CAELI CAELORUM, deſignat non orbem elementarem, ſed veros cælos, qui ſunt ſupra ſphæram ignis: & ita reſpectu orbis ſublunaris, cæli cælorum ſunt hic nominati.

BOSSUET.

Verſ. 2. VIRTUTES, *exercitus*, Hier.

V. 3. STELLAE, ET LUMEN, *ſtellæ luminis*, Idem, id eſt luminoſæ.

V. 4. AQUAE OMNES, QUAE SUPER CAELOS SUNT. Nubes intellige: unde in ſequentibus, venti, nix, glacies; non tamen nubes memorantur: vide Pſalm. CIII. 3.

V. 5. QUIA IPSE DIXIT, ET FACTA SUNT; deeſt hic, Hier. habetur XXXII. 9.

V. 6. ET NON PRAETERIBIT. *Cælum enim & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt*: Matt. XXIV. 35.

V. 7. 8. DRACONES, GRANDO, NIX: etiam quæ noxia ſunt Deum laudant: immiſſa quippe ad eius iuſtitiam commendandam. QUAE FACIUNT VERBUM. Erubeſce homo: ſerpentes, abyſſi, procellæ, &c. verbum Dei faciunt: & tu non facis! comm. Hieron. In eo autem Deum laudant, quod naturam ſuam non mutant, ſtantque in ordine ſuo: ibid.

V. 14. ET EXALTAVIT..... vide Hier.

PSALMUS CXLIX. EUCHARISTICUS.

Magna, ut videtur, victoria reportata: verſ. 7. 8.

VERSIO S. HIERONYMI:

Halleluia.

CAntate Domino canticum novum: laus eius in congregatione ſanctorum.

Lætetur Iſrael in factore ſuo: filii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen eius in choro: in tympano, & in cithara cantent ei.

Quia complacet ſibi Dominus in populo ſuo: exaltabit manſuetos in Ieſu.

VERSIO VULGATA:

1. Alleluia.

CAntate Domino canticum novum: laus eius in eccleſia ſanctorum.

2. * Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege ſuo.

3. Laudent nomen eius in choro: in tympano & pſalterio pſallant ei:

4. Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: * & exaltabit manſuetos in ſalutem,

Exul-

Exultabunt ſancti in gloria: laudabunt in cubilibus ſuis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in gentibus: increpationes in populis.

Ut alligent reges eorum catenis, & inclytos eorum in compedibus ferreis.

Ut faciant in eis iudicium conſcriptum: decor eſt omnium ſanctorum eius, alleluia.

5\. Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

6\. * Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum:

7\. Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

8\. Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

9\. * Ut faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Alleluia.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 2. *Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege ſuo.* Recte Romani Patres femininum *filia* quod vulgo legitur, emendarunt repoſito maſculino *filii*.

V. 4. *Et exaltabit manſuetos in ſalutem.* Et hic recte præteritum *exaltabit*, correxerunt ſubſtituto futuro *exaltabit*.

V. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Hic denique inſigniter reſtituerunt vocem *exaltationes*, deductam ab *altus* pro ea quæ vitioſe legi conſueverat *exultationes*, deducta a *ſalto*: illa, cuius tertia littera eſt vocalis prima, ſignificat laudes; hæc cuius tertia littera eſt vocalis quinta, ſignificat exultantias, animi præ lætitia ſaltus.

V. 9. *Ut faciant in eis iudicium conſcriptum.* Quidam commutant numerum pluralem *faciant*, cum ſingulari *faciat*; minus recte.

Notatio.

Verſ. 9. Septimus, octavus, & nonus huius Pſalmi verſus, qui de exercenda in Dei adverſarios vindicta loquuntur, ambigue cum in Hebræo, tum in Græco ſcripti ſunt, ita ut & ſingulari, & plurali numero verti poſſint, ut vel ad Deum, vel ad Sanctos Dei miniſtros referantur:
לעשות נקמה, τοῦ ποιῆσαι ἐκδίκησιν. לאסר
מלכיהם τοῦ δῆσαι τοὺς βασιλεῖς αὐτῶν. לעשות
בהם משפט τοῦ ποιῆσαι ἐν αὐτοῖς κρίμα.
Chaldæus Paraphraſtes eadem ubique ambiguitate tranſtulit. Latinus noſter Interpres priores duos verſus dubio ſimiliter ſermone reddit: *Ad faciendam vindictam. Ad alligandos reges eorum.* Tertium vero non ipſe quidem dubie interpretatus eſt, ſed dubie codices legunt. Quidam enim, *ut faciat in eis iudicium*; alii, *ut faciant in eis iudicium* ſcribunt. Nos quidem nullum invenire potuimus codicem, qui *ut faciat* ſcriberet: ſed R. D. Lindanum veriſimile eſt reperiſſe: neque enim contra unanimem exemplarium conſenſum Pſalterium correxiſſet: *Ut faciat in eis iudicium*; hoc autem modo, numero, inquam, ſingulari Euthymius Græcus enarrator tum iſtud, tum præcedentia intelligit; ſic fere & Græcus poeta Apollinaris reddit carmine. Latini vero Tractatores, quotquot videre licuit, priora quidem exponunt, tertium autem planius & legunt & exponunt, plurali numero Arnobius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Haymo, Remigius, & ceteri quibus inter Græcos Chryſoſtomus, & Theodoritus adſtipulari videntur, Plerique etiam Latini ex Hebræo interpretes eodem multitudinis numero tranſtulere. Hieronymus, Pratenſis, Campenſis, Flaminius, & alii. Pagninus dubia dubie interpretatus eſt. Ceterum eodem redit, ſive hoc, ſive illo transferatur modo. Deus enim per ſanctos hoc exercere iudicium intelligitur: & ſancti, non niſi operante Deo, cuius exaltationes in gutture eorum, has referre victorias intelligendi ſunt. Quod ſi ea in tranſlatione quæ ſingularem habet numerum, gladium placeat ſubaudire (eſt enim Hebraice, *Et gladius anceps in medio eorum*) nec illud aliter intelligendum erit, quam quod per gladium hæc patraturi ſint ſancti. Græci & Latini multitudinis numero le-

legunt. *Et gladii ancipites in medio eorum*, Itaque eorum in ſequentibus verſibus pluralis quidem numerus, ad gladios referri poteſt; ſingularis vero non commode; ſed quocumque fiat modo, eodem ſententia redit. Miratus ſum Caſſiodori commentarium exponentem, quod bis acutus gladius reges compedibus liget, & vincula ferrea nobilibus iniiciat. An, *Et gladius anceps in medio eorum* ſingulari numero legerit, an ex plurali ſingularem ſubaudiendo repetiverit; an quid aliud adſit, non ſatis colligere poſſim. Hoc ſaltem, quod maxime ad nos ſpectat, patet, *Ut faciant in eis iudicium*, ab ipſo lectum.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 4. ET EXALTABIT MANSUETOS IN SALUTEM: exaltabit abiectos, vel depreſſos, afferens eis ſalutem.

V. 6. ET GLADII ANCIPITES IN MANIBUS EORUM; id eſt, ne in ipſo quidem medio conflictu & ardore belli a laudibus Dei ceſſabunt.

V. 9. UT FACIANT IN EIS IUDICIUM CONSCRIPTUM. Quod in lege ſcriptum eſt, aut quod in Scripturis promiſſum. Videtur alludere aut ad abolitionem gentium ſub Ioſ. XI. XII. & XXI. aut ad id quod poſtea per Machabæos factum eſt, Lib. I. cap. V.

SA.

Dei laus:

Verſ. 1. ECCLESIA. Hieron. *congregatione*, ſcilicet eſt, vel ſit.

V. 2. LAETATUR, id eſt oblectet ſe. FILII SION; id eſt, populus Ieroſolymitanus, vel Iſraeliticus, ſeu filii Eccleſiæ. REGE, ſcilicet Deo, ſeu Chriſto.

V. 3. CHORO, id eſt conſenſione cantantium: Aug. vide Pſal. CL. PSALTERIO. Hieron. & Chald. *cithara*. Ei, id eſt in eius honorem.

V. 4. IN SALUTEM, id eſt data ſalute. Hieron. *in Ieſu*. Chald. *in redemptione*.

V. 5. IN GLORIA, id eſt glorioſe, ſeu magnifice. LAETABUNTUR. Hieron. *laudabunt*. Chald. *iubilabunt*. CUBILIBUS, id eſt cordibus: Aug. Alii quietas manſiones intelligunt, ſcilicet cæleſtes.

V. 6. EXALTATIONES, Chald. *laudes*. ANCIPITES, id eſt utrimque acuti; ſcilicet poteſtas invicta, vel iudiciaria cum Chriſto.

V. 7. NATIONIBUS. Hieron. *gentibus*. Vide Sap. III. INCREPATIONES, id eſt caſtigationem.

V. 8. EORUM, ſcilicet populorum. COMPEDIBUS. Hieron. & Chald. *catenis*. MANICIS. Hieron. & Chald. *compedibus*.

V. 9. CONSCRIPTUM, id eſt a Deo præſcriptum. Chald. *ſcriptum in Lege*, ſcilicet de gentibus delendis. GLORIA. Hieron. *decor*.

ESTII

Verſ. 1. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, LAUS EIUS IN ECCLESIA SANCTORUM. Auguſtinus in hunc pſalmum: Cantate vocibus; cantate oribus, cantate moribus, cantate Domino canticum novum. Et recte additur, *Laus eius in Eccleſia ſanctorum*: quia etſi mali quoque ſuo modo laudent Dominum, non eſt tamen ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et idem hic Pſalmiſta, Pſal. XLIX. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitiam meam*? &c.

V. 6. EXALTATIONES DEI IN GUTTURE EORUM. Plane legendum, *exaltationes*, per primam vocalem, non, *exultationes*, per *u* vocalem ultimam, ut & Biblia Sixtina recte reſtituerunt. Nam ita manifeſte poſtulant Græca & Hebræa, & ex vetuſtis non pauca manuſcripta. Quin & in lect. VI. feſti Aſſumptionis B. Mariæ dudum ex Athanaſii ſermone quoque legitur, *exaltationes*.

V. 9. UT FACIANT IN EIS IUDICIUM CON-

CONSCRIPTUM : An quia in illo iudicio ex libris iudicabitur ? id eſt, ex certiſſima ſcientia, ſicut Apoc. xx. dicitur : *Et libri aperti ſunt*. An quia ſententia omnium animis perfectiſſime intimabitur, ac ſi ex ſcripto legeretur ?

MARIANAE.

Verſ. 1. ALLELUIA. Deum laudandum, qui ſuis in hoſtes ultrices vires tribuit. CANTICUM NOVUM cantate, quia beneficia nova. IN ECCLESIA SANCTORUM, in congregatione miſericordium. Sed ſancti iidem & benigni ſunt.

V. 3. IN CHORO, id eſt in multorum publico concentu & tripudio. An inſtrumentum ſignificat *chorus*, quod *Gayta* noſtris eſt, uti Abulenſis ait Iudic. 11. quæſt. LXIV. ex Strabone & Hiſtoria Scholaſtica, & Hieronymo ad Dardanum De organ. muſic. Sane cum voces proximæ *tympanum* & *pſalterium* inſtrumenta ſint, idem videtur de *choro* iudicandum. Hebr. eſt *mahol*, pro quo *tibiam* quidam vertunt. An vero ſine aſpiratione *corus* ſcribi debeat, alia quæſtio eſt, neque id puro ſervari diſcrimen, ut pro inſtrumento ſine aſpiratione ſit, pro cœtu canentium, pro vento, & pro menſura (nam hæc omnia ſignificat) eo nomine cum ea : ut Abulenſis ait. Ac potius *corus* menſura aſpiratione caret, continens modios triginta : ſic & *Corus* ventus : cum vero alia ſignificat, aſpiratur. ET PSALTERIO. *Cithara* potius, ut Hieronymus, & Hebr. *chinor*.

V. 4. QUIA BENEPLACITUM EST DOMINO ; id eſt, favet Dominus populo ſuo. ET EXALTABIT. Hebr. *glorificabit*. IN SALUTEM ; id eſt, dando eis ſalutem, liberando ab hoſtibus. Hæc eſt cauſa Deum laudandi.

V. 5. EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA : ſcilicet, ea qua Deus pios ſuos glorificabit, dando illis ſalutem. LAETABUNTUR. Hebr. *laudabunt*, *canent*, *iubilabunt*. IN CUBILIBUS SUIS, id eſt in quiete illis aut vobis conceſſa, iuxta illud Levit. XXVI. 6. *Cubabitis, & non erit qui exterreat* ; id eſt, quietem veſtram nemo turbabit. Quomodo id fiet ?

V. 6. EXALTATIONES : Alii, *exultationes* ; Hieronymus, *exaltationes* : ſic Heb. id eſt laudes Dei ; ut Chald. vertit, IN GUTTURE EORUM. In ore & lingua pii verſabunt Dei laudes. ET GLADII ANCIPITES ; id eſt, ad preces externa præſidia adiungent, gladios utraque parte acutos. Quorſum id ?

V. 7. AD FACIENDAM VINDICTAM, ut ulciſcantur gentes ; ſcilicet inimicas. INCREPATIONES ; ſcilicet caſtigationes, ut ſupplicia de populis pii ſumant.

V. 8. IN COMPEDIBUS. Hieronymus, *in catenis*. IN MANICIS, aut *vinculis ferreis*, ut ſic pœnas acerbiſſimas dent Reges hoſtium ductores.

V. 9. UT FACIANT, ſcilicet pii. IUDICIUM CONSCRIPTUM, id eſt definitum, decretum, Aut *ſcriptum*, ſcilicet Ezechielis XXXVIII. & XXXIX. Zachar. XIV. Deum vindicaturum eos, qui pios afflixerint. GLORIA HAEC, ſcilicet ſumptæ de noxiis vindictæ, EST, aut *erit*, ut alii legunt. Græce ἔςαι. Hebraica utrumque tempus admittunt. OMNIBUS SANCTIS EIUS. Hebr. *benignis eius*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. CANTICUM NOVUM. Vide in Pſal. XXXII. 3. LAUS EIUS IN ECCLESIA SANCTORUM. Quidam: *Laudem eius in congregatione eorum, quos benigne accipit*, id eſt in Eccleſia : periphraſis : ſic etiam accipiuntur ſequentia.

V. 2. LAETETUR ISRAEL IN EO, QUI FECIT EUM. Hebr. pluraliter ; *In facientibus ipſum*, vel *in factoribus eius*. Ob myſterium divinæ Trinitatis : ut etiam Iob XXXV. 10. IN REGE SUO, id eſt in Davide : ſed plene ac perfecte in Chriſto, cuius typus erat David.

V. 3. IN CHORO, &c. Alii : *In tibia*, vel *fiſtula*, &c. non plane iam apte ; id eſt, quibuſcumque modis fieri poterit ab ipſis legitime : ut Pſal. LXXX. 3. Sic Pſal. CL. 3.

V. 4. QUIA BENEPLACITUM EST DOMINO IN POPULO SUO. Varie alii ex Hebr. I. *Quia benevolus eſt Iehova erga populum ſuum*. II. *Iehova enim favet populo ſuo*. III. *Domino enim placet populus ſuus*. IV. *Amat enim Dominus populum ſuum*. V. *Quoniam bonam, propenſam voluntatem*

ratem habet Iehova in populo ſuo. Ex verbo: *Quia benecomplacens ſibi Iehveh in populo ſuo*.

V. 5. EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA. Alii: I. *Exultent ſancti cum magnificentia*. II. *Exultabunt ſancti cum ſumma gloria*. III. *Geſtiant benigni cum honore*. IV. *Geſtiant benigne accepti præ gloria*, liberationis & ſalutis ſuæ. LAETABUNTUR IN CUBILIBUS SUIS. Alii ex Hebr. I. *Laudabunt ſuper cubilibus ſuis*. II. *Iubilent in ſuis lectis*. III. *Iubilent intra thalamos ſuos*. IV. *Læti cantabunt in lectis ſuis*. V. *Cantent in cubilibus ſuis*; id eſt, dies noctesque in laudationibus Dei perſtent.

V. 6. EXALTATIONES DEI IN GUTTURE EORUM. Quidam reddunt: *Exaltantiæ Dei fortis in gutture eorum*, ſeu *laudationes exaltantes Deum fortem in gutture ſuo*; id eſt, decantent ea omnia beneficia, quibus ſingulariter ac ſupra omnes populos ipſum evexit Deus: ut ſupra Pſal. CXLVIII. 14. Alii: *Voces Deum extollentes ſint in gutture ipſorum*. ET GLADII ANCIPITES IN MANIBUS EORUM. Hebr. *Et gladius orium*, Græce ςομάτων, *in manu eorum*. Quidam: *Et gladium bipennem in manu ſua habentes*; quaſi dicat: Nominatim vero decantent beneficium verbi, qui gladius eſt oris ipſius, ad eos uſos pertinens, qui deinceps explicantur; ut II. Theſſalonicenſ. II. 8. Hebræor. VI. 12. Apocalypſis I. 16.

V. 7. AD FACIENDAM VINDICTAM IN NATIONIBUS, &c. Vide II. Corinth. X. 4. & ſequentibus: hæ autem allegoricæ loquendi formulæ pertinentes ad ſpiritalis gladii efficacitatem, ſummatim exponuntur infra verſ. 9. Minus recte hæc alii ad bella Machabæorum, vel ad diem iudicii referunt.

V. 9. IUDICIUM CONSCRIPTUM. Quidam: *Ius ſcriptum*; id eſt, prout continetur in Scriptura ſacra, ſine adiectione, diminutione, aut mutatione ulla: Deuteronom. XII. 32. & cap. XXIX. 29. Alii: *Ut vindicta*, vel *ultio in eos fiat*, *quemadmodum ſcriptum eſt*. Nonnulli: *Iudicium a Deo præſcriptum*, vel *ut ſumant de eis pœnas iuxta præſcriptum legis*. GLORIA HAEC EST OMNIBUS SANCTIS EIUS. Aliqui reddunt: I. *Quod decus eſt omnibus iis, quos benigne accipit*, ut Deuter. IV. 6. & ſequentibus: II. *Hæc gloria eveniat omnibus ſanctis eius*. III. *Quæ res honori vertetur cunctis, qui ſacris illius initiati fuerint*. IV. *Decor hic erit omnibus gratioſis eius*.

MENOCHII.

Verſ. 1. CANTICUM NOVUM: recens, & novi argumenti & materiæ ob nova beneficia. IN ECCLESIA SANCTORUM, in cœtu. LAUS EIUS: ſubintellige *ſit*, vel, *audiatur*.

V. 2. IN EO QUI FECIT EUM. In Hebræo eſt, *in factoribus ſuis*, qui loquendi modus indicare videtur perſonarum divinarum trinitatem. FILII SION, filii Eccleſiæ. IN REGE SUO, Chriſto.

V. 3. IN CHORO: conſenſione ſimul cantantium in publico concentu: in Hebr. eſt מחול *mahol*, quæ vox nunc cœtum gaudentium, cantantium, & ſaltantium ad tibiam deſignat, ut Exodi XXXII. 19. nunc tibiam ipſam, vel tibiæ, & inſtrumenti muſici genus, quo utebantur in choris, ut Exod. XV. 20. TYMPANO: in Hebr. eſt, תף *toph*. Videtur a ſono ficta vox per onomatopœiam: inſtrumentum eſt utrimque membrana clauſum, quod bacillis percuſſum reſonat. Itali appellant, *Tamburino*. PSALTERIO. Pſalterium muſicum erat inſtrumentum decem chordis intentum, ut non ſemel ſupra dictum eſt. Vocem Hebraicam כנור *cinnor*, aliqui vertunt pſalterium, alii citharam, alii lyram.

V. 4. BENEPLACITUM EST DOMINO: bene vult populo ſuo, multa benignitate populum ſuum dignatur. Italice diceremus, *Ha guſto, e ſi compiace del ſuo popolo*. EXALTAVIT IN SALUTEM: a ſtatu humili, & afflicto erexit ad ſalutem: in Hebræo eſt, *glorificabit in ſalute*, donabit, & ornabit ſalute. MANSUETOS, mites, humiles.

V. 5. EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA: populus fidelis gloriam adeptus gaudio exultabit. IN CUBILIBUS, in lectis; id eſt, locis maximæ quietis, qualis eſt cæleſtis patria.

V. 6. EXALTATIONES DEI IN GUTTURE EORUM: ora ipſorum divinas celebrabunt laudes. ET GLADII ANCIPITES: ſimul Deum laudabunt, & hoſtes ſuos ulciſcentur, itaque gladios utraque ex parte ſecantes ſtringent contra impios.

V. 7. Ad faciendam vindictam in nationibus, ut in die iudicii vindictam ſumant de hoſtibus. Increpationes in populis, ut eos increpent, & illis exprobrent iniquitates eorum.

V. 8. Ad alligandos, &c. cum ſcilicet Principes infideles, & Eccleſiæ perſecutores, ligatis manibus, & pedibus iubebit Dominus proiici in tenebras exteriores, Matth. xxii.

V. 9. Ut faciant in eis iudicium conſcriptum: iam olim conſcriptum, decretum, quod mutari, aut infringi non poteſt. Gloria haec est, &c. quaſi dicat: Hæc erit gloria, quam ſancti habebunt, ut iudiciariam poteſtatem in damnatos exerceant.

TIRINI.

Verſ. 1. Novum, id eſt novi argumenti & artificii. Laus eius reſonet in Ecclesia, ſeu congregatione ſanctificatorum Deo, ut iam dixi.

V. 2. In Rege suo; nempe Deo & Chriſto.

V. 3. In choro, id eſt publico conventu & concentu. Sed Hebræum מחול *machol* ſignificat chelin, vel tibiam, vel lyram. Unde & Pſalmo ſequenti verſ. 4. & hic inter alia inſtrumenta muſica *chorus* numeratur.

V. 5. In cubilibus suis; id eſt, in lectis, ſeu in locis quietis ſuæ. Alludit ad illud Levitic. xxvi. 6. *Dormietis, & non erit qui exterreat.* Anagogice, in cælo, in thronis cæleſtibus.

V. 6. Exaltationes, id eſt laudes, Dei. Et gladii ancipites, id eſt utrimque acuti: ſcilicet, qui ſerviant vindictæ de impiis ſumendæ, ut fecit Moyſes, Ioſue, Iudices, David, Ioſias, Machabæi, &c. Allegorice, iuriſdictio Eccleſiæ, & poteſtas puniendi quoſvis rebelles; Anagogice, poteſtas iudiciaria Chriſti & Sanctorum, in extremo iudicio. Vide Arnobium & Theodoretum.

V. 9. Iudicium conscriptum, id eſt præſcriptum & decretum a Deo; Chaldæus, *ſcriptum in lege*, puta de gentibus Chananæis, & aliis quibuſdam, funditus exſtirpandis, Deuter. xxxi. & Ezech. xxxviii. & xxxix. Gloria haec, de qua hoc Pſalmo, est communis omnibus sanctis eius, maxime in die iudicii.

GORDONI.

Communis titulus eſt, Alleluia: & notum eſt ex duobus Pſalmis præcedentibus argumentum de Dei laudibus. Et quidem in Pſalmo cxlix. homines urgentur ad hoc laudis ſacrificium, quibus Deus plura, quam aliis contulit beneficia. Ac demum Pſalmo ultimo, invitantur homines, ut ſolemniori modo, & muſicis additis inſtrumentis hoc præſtent Deo obſequium. Ut tamen propior acceſſio fiat ad ſenſum, vel maxime litteralem; reſtringi poteſt tota hæc Deo debita laus ad Iſraelitas quibus Deus ſupra omnes illorum temporum mortales, beneficia contulit eximia, ut hic merito exaggeret gratiarum actionem, quam Deo ſuo, & liberatori eximio debeat gens iſta; ſæpiſſime tamen (quod etiam Chriſtianis commune malum eſt) ingratiſſima.

BOSSUET.

Verſ. 5. In cubilibus suis: *en ſecuritatem, en requiem, en perpetem voluptatem.*

V. 6. 7. Exaltationes: voces, Deum extollentes ὑψώσεις: ita Hebr. Gladii ancipites ... ad faciendam vindictam in nationibus: ad ulciſcendos Chananæos.

V. 8. Ad alligandos reges: ut Adonibezec, Agag, &c.

V. 9. Iudicium conscriptum: a Deo propter eorum ſcelera pronuntiatum, & tamquam ex tabula recitatum.

PSAL-

PSALMUS CL. LAUDIS.

Quidquid ſonat, Deum ſonet.

VERSIO S. HIERONYMI.

Halleluia.

LAudate Dominum in ſancto eius: laudate eum in fortitudine potentiæ eius.

Laudate eum in fortitudinibus eius: laudate eum iuxta multitudinem magnificentiæ ſuæ.

Laudate eum in clangore buccinæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis ſonantibus: laudate eum in cymbalis tinnientibus.

Omne quod ſpirat, laudet Dominum, Halleluia.

VERSIO VULGATA.

1. Alleluia.

LAudate Dominum in ſanctis eius:
laudate eum in firmamento virtutis eius.
2. Laudate eum in virtutibus eius:
laudate eum ſecundum multitudinem
magnitudinis eius.
3. Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cithara.
4. Laudate eum in tympano, &
choro: laudate eum in chordis, & organo.
5. Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis
iubilationis: 6. omnis ſpiritus laudet
Dominum. Alleluia.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. & 2. LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EIUS. Hebr. *in ſancto eius*, id eſt in templo, in ſacrario, ita vocat cælum: ſicut & D. Paulus Hebr. IX. 24. ſicut ſtatim declarat, LAUDATE EUM IN FIRMAMENTO VIRTUTIS EIUS; id eſt, in cælo quod ſua potentia fecit. Poteſt autem horum verborum duplex eſſe ſenſus; alter, Laudate Dominum qui in cælo eſtis, id eſt Angeli. Alter, ut ב ſignificet cauſam aut ſimilitudinem: Laudate Dominum propter cælum, aut iuxta cælum, id eſt pro dignitate & magnitudine ſuorum operum: ut ſtatim dicit, SECUNDUM MULTITUDINEM MAGNITUDINIS EIUS, id eſt multiplicem eius excellentiam.

SA.

Dei laus.

Verſ. 1. SANCTIS, id eſt ſanctuario. FIRMAMENTO, id eſt cælo, ut ſit repetitio: vel quaſi dicat ob potentiam, qua cælum creatum. Hieron. *fortitudine*.

V. 2. VIRTUTIBUS. Chald. *potentia* id eſt ob potentiam. MAGNITUDINIS. Hieron. & Chald. *magnificentiæ*.

V. 4. CHORO. Videtur ſignificari muſicum aliquod inſtrumentum. Quidam tibiam putant.

Digitized by Google

V. 5. BENESONANTIBUS. Chald. *tantummodo ipſum reſonantibus*.

V. 6. OMNIS SPIRITUS. Hieron. *omne quod ſpirat*. Chald. *omnis mens*. ALLELUIA, id eſt *laudate Dominum*.

E S T I I.

Verſ. 4. LAUDATE EUM IN TYMPANO ET CHORO, LAUDATE EUM IN CHORDIS ET ORGANO. Grægor. homil. VIII. pulchre hunc verſiculum transfert, & accomodat ad ſenſum allegoricum.

V. 6. OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM. Commode accipiendum eſt univerſale ſignum, *Omnis:* non enim dæmones, aut animæ damnatæ invitantur ad laudandum Deum, ſed omnes ſcilicet ſpiritus, tam beati, quam qui ad beatitudinem tendere adhuc poſſunt, ubi in æternum Deum laudent. Græce ſic ſonat, ut quidquid ſpirat, aut quidquid habet vocem, ea utatur ad laudandum Deum, ſive cum inſtrumento aliquo, cuiuſmodi aliquot iam nominata ſunt, ut tuba, pſalterium, cithara, tympanum, cymbalum, organum; ſive ſine inſtrumento artificiali, ut dum viva voce cantantes Deum laudamus.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. ALLELUIA. Cunctos, ut modis omnibus Deum laudent, poſtremus Pſalmus provocat. IN SANCTIS EIUS: neutro genere; pro, laudate in ſanctis locis. Hebr. *in ſancto eius*, id eſt ſanctuario, cælo, ubi verſantur Angeli. Ergo in cælo celebrentur Dei laudes; Angeli id faciant. IN FIRMAMENTO VIRTUTIS EIUS. Hebr. *roboris eius*, id eſt robuſto, firmo, & ſtabili. Diximus Geneſ. I. *firmamentum* eſſe aerem. Ergo volucres aeris Deum laudent.

V. 2. LAUDATE EUM IN VIRTUTIBUS EIUS. Hebr. *in potentiis eius*: Hieronymus, *in fortitudinibus eius*; id eſt, in hoc mundo, in terra, ubi ſunt homines, ubi Deus mirabilia operatur: ſic Hebr. Scholiaſtes.

V. 3. IN SONO TUBAE. Nunc omnia muſica inſtrumenta adhiberi vult ad laudandum Deum. IN PSALTERIO. Hebr. *in nablo*. *Nablium* Ovidio III. de Arte: & quoniam *nebel utrem* ſignificat, putant quidam eſſe, quam *Gaytam* dicimus, quoniam utre inflatur.

V. 4. ET CHORO. Quid *mahol* ſignificet, diximus Pſalmo ſuperiori verſ. 3. IN CHORDIS. Sic Hieron. & Pagn. At Hebr. *minim*, vocem Heb. quæ hic eſt, ſignificare ait unum ex inſtrumentis muſicis, ſed ignotum; aut forte ſignificat omnia inſtrumentorum genera, nam *minim*, *genera* ſignificat.

V. 5. IN CYMBALIS BENESONANTIBUS. Hebr. *in cymbalis auditus*. Vox Hebr. ſignificat inſtrumentum, ſeu ſonum, qui procul auditur. IN CYMBALIS IUBILATIONIS. Hebr. *in cymbalis tinnientibus*.

V. 6. OMNIS SPIRITUS. נשמה *neſamah* eſt *anima rationis particeps*, ſic dicta, quia מן שמים *min ſamaim*, id eſt *de cælo*: a Deo enim corpori infunditur. Illa ergo laudet Dominum modis omnibus, atque adhibitis muſicis inſtrumentis. Porro cantilenarum genera apud Hebræos varia erant & multa. Græci & ipſi quinque harmoniarum genera a provinciis numerabant, *Doricum*, *Phrygium*, *Æolium*, *Lesbium*, *Lydium*: quorum rationem petas licet ex Boethio de Muſica, & Caſſiodoro Libro II. epiſt. XL. & Libro de Mathematicis diſciplinis, ubi proprie de muſica agit, & quam vim genera ſingula haberent, copioſe explicat. Nos etiam de ea re egimus diſputatione de Spectaculis cap. II. Nunc velis contractis portum occupamus.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. LAUDATE DOMINUM. Hebr. *Extollite, evehite laudibus potentiſſimum Deum*. Continet hic Pſalmus hortamentum ad laudationem Dei & eſt veluti concluſio totius libri. IN SANCTIS EIUS. Hebr. *in ſanctitate eius*, Exponunt, id eſt in ſanctuario, ſacrario ſuo; hoc eſt, templo ſeu Eccleſia. Alii: *de ſanctitate eius*, id eſt ob inſignem ſanctitatem ipſius. IN FIRMAMENTO VIRTUTIS EIUS. Hebr. *In expanſione*, vel *expanſo roboris eius*. Notant eſſe hypallagem Rethorum, pro: *De expanſo robore*, vel *expanſo laudato eius*; id eſt, cuius robur, ſeu laus potentiſſima ad omnes res creatas diffunditur. in quo ſunt, moventur, & vivunt. Alii, *ob cælum*, *quod argumentum eſt fortitudinis illius*. Vide Ge-

Digitized by Google

Geneſ. I. 6. Poſſis reddere, *In expanſione*, vel *extenſione regni*, vel *Imperii eius*: nam עֹז *ghoz*, pro regno ſumi, ſæpius annotavimus: vide in Pſal. LXXXV. 16. & XCVIII. 4 id eſt, quam longe lateque extenditur ut regnum eius, hoc eſt Eccleſia.

V. 2. IN VIRTUTIBUS EIUS. Hebr. *In prævaleſcentiis eius*. Alii: 1. *in fortitudinibus eius*, vel *propter fortitudines eius*, id eſt ob egregia facinora eius: 2. *ſuper fortiter factis eius*: 3. *de potentiis eius*, vel *de omnimoda potentia eius*, id eſt potentiſſimis illius factis, & ſingulari adminiſtratione: 4. *ob omnipotentiam illius*. SECUNDUM MULTITUDINEM MAGNITUDINIS EIUS. Alii, *Secundum amplitudinem maximam eius*. Hypallage, ut verſ. 1. Nonnulli, *ob immenſam magnitudinem illius*, vel *pro eius eximia magnitudine*.

V. 3. IN SONO TUBAE, &c. Alii, *clangore buccinæ*, &c. id eſt, omnibus modis, ut ſupra Pſalm. CXLIX. 3.

V. 4. IN CHORDIS. מִינִּים *minnim*, non alibi occurrit; quidam plurale faciunt, ut forma præfert; alii ſingulare: aiunt eſſe inſtrumentum muſicum, fortaſſe ſic dictum a variis & inter ſe diſtinctis chordis, unde reddunt: *Cum fidibus*, *chordis*. Aliqui Hebræorum exponunt: *In ſpeciebus multis muſicorum inſtrumentorum*, id eſt variis & diverſis muſicis inſtrumentis; hoc eſt, in ſymphoniacis. Alii: *In inſtrumentis muſicis multis*, *numeroſis*, *quorum eadem eſt muſica*. Nec deſunt qui, *in Organis*. Pauci, *in hydraulis*, de quibus Plinius Lib. VII. XXXVII. Nonnulli volunt fuiſſe inſtrumentum muſicum, in quo plura muſicorum inſtrumentorum genera reſonarent: ut nunc paſſim in vulgaribus noſtris organis videmus.

V. 5. IN CYMBALIS BENE SONANTIBUS. Hebr. *In cymbalis auditus*. Forſterus: *in ſiſtris reſonantiæ*. IN CYMBALIS IUBILATIONIS. Hebr. *In cymbalis clangoris*; quidam exponunt, *in ſiſtris*, vel *crotalis*: de quibus vide Notas in I. Samuel. XVIII. 6. & II. Samuel. VI. 5. Alii, *Tarantantaris ad hilaritatem excitantibus*. Nonnulli, *Cymbalis clangentibus*.

V. 6. OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM. Varie ex Hebr. explanant: I. *Omnis flatus laudabit Deum*; quaſi dicat: Ne per ſingula inſtrumenta muſica excurram, univerſe omnia inſtrumenta muſica *emphyſomena*, ſive *empneuſta*, ſeu *pneumatica* quæ flatu complentur, *laudent Iah*. Retulerat iam inſtrumenta entata, ſive Enchorda, quæ nervis intenduntur, ut nablium cithara: deinde cruſta, quæ pulſantur, ut tympanum, cymbalum: tandem ſubdit univerſe pneumatica, quæ ſpiritu & vento inflantur. II. *Quidquid ſpirat*, ſeu *vivit*, *laudet Dominum*. Buchananus.

Hunc cuncta laudent quæ trahunt
Vitalis auræ ſpiritum.

III. *Omnis ſpiritus*; id eſt, quidquid emittit anhelitum & recipit; quidquid ſpirat & reſpirat, &c. IV. *Tota ipſa anima laudet Iah*; id eſt, ſinguli ex tota anima ſua ſpirent laudationem Dei: Synecdoche. V. *Omne, quod halitum habet*, *laudet Iah*. Notionem vocis נְשָׁמָה *neſchamah*, elucidavimus in Geneſ. II. 7. quam non niſi de anima humana dici, plerique Hebræorum contendunt: niſi quod locus Geneſ. VII. 22. repugnare videtur. Clauditur hic Pſalmus, & totus liber ſacris illis duabus vocibus, *Halelu iah*, de quibus vide in Pſalm. CIII. 35.

Valentiæ 23. Septembris, in die S. Theclæ ætatis meæ 60. Salutis humanæ 1625. cum tamen opus per menſem intermiſſum fuerit.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN SANCTIS EUS: IN SANCTO, ſive *ſanctuario eius*, ut eſt in Habræo. Itaque *in ſanctis*, eſt generis neutrius. In cælo, ubi præcipue ſedem ſuam habet Dominus. IN FIRMAMENTO. Hebr. *in expanſione*, in expanſo, & firmiter a ſe conſtituto cælo. In fortiſſimo palatio ſuo. VIRTUTIS EIUS: fortitudinis eius, in quo divina eius virtus, & fortitudo elucet.

V. 2. IN VIRTUTIBUS EIUS, in Græco eſt, *ἐπὶ ταῖς δυναστείαις αὐτοῦ*, *ſuper poteſtatibus eius*, ob fortiſſima eius facta, qua omnipotens. SECUNDUM MULTITUDIEM MAGNITUDINIS EIUS: ut requirit eximia eius magnitudo, & excellentia; & quamvis meritum eius æquare non poſſitis, quantum tamen licet conamini.

V. 3. IN PSALTERIO: vide dicta Pſalmo ſuperiori n. 11. CITHARA. Vide ibidem: eſt enim in Hebræo כִּנּוֹר *cinnor*.

V. 4. TYMPANO: quid ſit, diximus Pſal-

mo

Digitized by Google

mo ſuperiori num. 3. CHORO: de hoc etiam ibidem dictum eſt. CHORDIS: muſicis inſtrumentis, quæ fidibus ſunt instructa. ORGANO, organis, muſicis inſtrumentis generatim. In Hebræo eſt, עגב *bugan*, quod putant eſſe fiſtulam, vel muſicum inſtrumentum fiſtulis conſtans: ſic dicebat ille,

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

V. 5. CYMBALIS: inſtrumenta quædam muſica ærea, concava, tinnula, quæ pulſata tinnitum edunt. CYMBALIS IUBILATIONIS: vel, ad iubilandum excitantibus.

V. 6. OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM: quidquid uſpiam ſpirat, Dominum laudet. Vel certe inſtrumenta ſpiritalia, & pneumatica intelligit, quæ ore inflantur, & ſpiritu ſonum edunt, quaſi tædio prolixioris enumerationis, omnia ſimul muſica inſtrumenta comprehendens.

TIRINI.

Verſ. 1. IN SANCTIS EIUS. Hebraice, *in ſanctitate eius*, id eſt ob ſanctitatem ſuam. Vel, ut Symmachus & Aquila, in ſanctuario ſeu ſancto templo; Anagogice, in cælo præſidentem. ET IN FIRMAMENTO VIRTUTIS EIUS. Hebraice, *in expanſione virtutis*; Hieronymus, *in fortitudine potentiæ*; id eſt, ob ſuam eminentem virtutem, ſeu potentiam, expanſam & firmatam ſuper omnes creaturas, maxime cælos & cælites. Allegorice, ob firmiſſime ſtabilitam Eccleſiam; Anagogice, habitationem cæleſtem.

V. 2. IN VIRTUTIBUS, id eſt exercitibus, ut Pſal. CXLVIII. 2. Chald. & Græce, *in fortitudinibus*, id eſt ob fortia ſua facta.

V. 4. De *choro* dixi Pſal. CXLIX. 3. Pro CHORDIS ſeu fidibus, Hebraice eſt מנים *minnim*, quod eſt genus inſtrumenti muſici olim uſurpatum. Nam enumerat hic decem inſtrumenta quibus optat laudari Deum: de quibus, ut & de omni genere harmoniarum, vide Caſſiodorum, Boetium & Marianam *a*. Sed ex his Nota contra Calvinum & alios hæreticos, uſum inſtrumentorum muſicorum in Eccleſia pium eſſe & gratum Deo; neque ſolorum puerorum eſſe aut imperfectorum, ut putavit S. Iuſtinus *b*, cum etiam in cælo, ubi omnes perfecti ſunt, citharæ auditæ ſint a S. Ioanne, Apoc. v. 8. & cap. XIV. verſ. 2.

V. 6. OMNIS SPIRITUS, Hieronymus, *omne quod ſpirat*, ſeu in avibus & brutis, ſeu in hominibus, voce, flatu, anhelitu ſuo LAUDET DOMINUM auctorem vitæ, flatus, cantus tam ſonori.

(a) Caſſiod Lib. de Mathematicis diſciplinis. & Lib. II. Epiſt. Epiſt. xl. Boetius de Muſica. Mariana de ſpectaculis c. XI.
(b) S. Iuſtinus q. CVII. ad Orthodox.

GORDONI

nulla in hunc Pſalmum Annotatio.

BOSSUET.

Verſ. 1. IN SANCTIS, *ſancto*, Hier. id eſt, ſanctuario: ita Ch. FIRMAMENTO, *expanſo*: Heb. quod eſt cælum, Dei ſedes: cuius templum figura erat.

V. 2. VIRTUTIBUS, *fortitudinibus*, Hier.

V. 6. OMNIS SPIRITUS: *omne quod ſpirat*, Idem: omnis mens: *Neſchamah*; atque hic eſt pulcherrimus ac ſuaviſſimus ſacræ Pſalmodiæ fructus ut in laudes Dei non modo cuiuſque noſtrum ſpiritus, verum etiam omnis ſpiritus, omnis vox, mens omnis erumpat.

FINIS TOMI DUODECIMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google